







PASTORALE

PARISIENSE.

TOMUS II.

PASTORALE PARISIENSE,

ILLUSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI DD.

ANTONII-ELEONORII-LEONIS

LE CLERC DE JUIGNÉ,

ARCHIEPISCOPI PARISIENSIS,

Ducis Sancti-Clodoaldi, Paris Franciæ, &c. auctoritate editum.

TOMUS II.

Vænit viginti libris non compactum.



PARISIIS,

Excudebat CL. SIMON, Illustrissimi & Reverendissimi DD. Archiepiscopi Parisiensis Typographus, viâ San-Jacobæâ.

M. DCC. LXXXVI.



PASTORALE PARISIENSE.

TOMUS SECUNDUS.

TRACTATUS SEXTUS.
DE SACRAMENTO PŒNITENTIÆ.

DIVISIO PRIMA.

AGETUR in hac Divisione, 1°. *De Pœnitentia quatenùs est virtus ; tum verò quatenùs est Sacramentum* : 2°. *De materia Pœnitentiæ generatim* : 3°. *De Contritione ; quàm sit necessaria, & qualis esse debeat* : 4°. *De Contritione, tum perfectâ, tum imperfectâ ; & de praxi Contritionis in ordine suscipiendi Sacramenti* : 5°. *De Confessione* : 6°. *De conditionibus legitimæ Confessionis* : 7°. *De Satisfactione* : 8°. *De Pœnitentiæ formâ* ; seu *de Absolutione.*

CAPUT PRIMUM.

DE Pœnitentia quatenùs est virtus; tum verò quatenùs est Sacramentum.

PRÆVIÆ observationes. Quanti sit momenti subjecta materia. Pœnitentia virtus. Sacramenti Pœnitentiæ institutio. Pœnitentia verum Sacramentum, longèque à Baptismo diversum. Clavium usus duplex. Nullum inexpiabile peccatum. Ecclesia nemini verè pœnitenti Absolutionem denegat. Pœnitentia laboriosus Baptismus, & donum Dei est.

SI susceptam in regenerationis lavacro justitiam indeflexâ vitæ sanctimoniâ illibatam servarent, atque ex illo tam felici statu nunquam exciderent Christiani, nullum iis necessarium esset novæ misericordiæ subsidium, quo tanti resarciretur beneficii jactura. Sed, proh dolor! paucissimi sunt, certè ex quo *obscuratum est aurum* innocentiæ pristinæ, *mutatus*que morum *color optimus* (*a*), qui de Baptismali gratia non prolabantur infelices. Deus igitur, humanæ misertus infirmitatis, alterum ad solvenda peccata Sacramentum instituit; ut, quemadmodùm in sacris Fontibus delentur, & macula originalis, & culpæ ante regenerationem ab adultis ultrò commissæ, sic maculæ spirituales post adeptam in Christo novam vitam contractæ, Pœnitentiâ, ceu novo quodam Baptismo, eluerentur.

Et quidem Pœnitentiæ tam necessarium « est Sacramentum, quàm » impossibile est Baptismum iterari. » *Voluntariè enim peccantibus no-* » *bis post acceptam notitiam verita-* » *tis, jam non relinquitur pro pec-* » *catis hostia:* neque ei qui *semel* » tantùm *passus est Christus*, sæ- » piùs consepeliri possumus per Bap- » tismum. Cùm igitur *in multis of-* » *fendamus omnes, neque sit qui* » *possit dicere: Mundum est cor* » *meum, & purus sum à peccato;* » necessaria est profectò secunda post » naufragium tabula (*b*). »

Quia verò « inter cætera unum » est quod sanctam maximè perturbat » Ecclesiam, falsa videlicet pœ- » nitentia (*c*); » satis per se res ipsa testatur summam requiri Pastorum diligentiam, & in suo circa Pœnitentiam ritè obeundo munere (*d*), & in explanandis publicè ac privatim iis omnibus quæ ad hoc

(*a*) *Thren.* 4. 1.
(*b*) *Conc. Parif. an.* 1528, decr. fidei 10, *art.* de Sacram. Pœnit.
(*c*) *Later. II. œcum. an.* 1139.
(*d*) *Mediol. IV, an.* 1576, part. 2. de Pœnit. *circa med.*

Sacramentum legitimè fructuosèque suscipiendum pertinent. « Quòd si » (enim) diligentiam quæ à Parochis in unoquoque argumento adhibenda est, ex rei quam tractant magnitudine & pondere metiri oportet; omninò fatebimur eos » nunquam in hujus loci explicatione » adeò diligentes futuros esse, ut satis » videri possit. Quin etiam de hoc Sacramento, quàm de Baptismo, eò » accuratiùs agendum est, quòd Baptismus semel tantùm administratur, nec iterari potest; Pœnitentiæ verò totiès locus datur, ejusque repetendæ totiès necessitas imposita est, quotiès post Baptismum » (lethaliter) peccare contingat; ita » enim à Tridentina Synodo dictum » est, Sacramentum Pœnitentiæ non » secùs lapsis post Baptismum, ac » Baptismum nondùm regeneratis, » ad salutem necessarium esse (e) », scilicet vel in re vel in voto susceptum. Quam quidem doctrinam unanimiter astruunt, & Scriptura divina (f), & perpetua Ecclesiæ Traditio: undè Pœnitentia *alterum mortuorum Sacramentum* (g), *secunda post naufragium tabula*, passim nominata occurrit.

Pœnitentiæ Sacramento viam sternit Pœnitentiæ virtus, quæ est illius fundamentum; quâ scilicet peccatum, prout est offensa Dei, detestamur, cum spe veniæ, & proposito ab offensa omninò cessandi, eamque pro viribus compensandi. Undè ea quæ sequuntur ad Pœnitentiam requiri manifestum est:

I°. Ut homo Christianus de peccato doleat, illudque detestetur. Nullum enim facti à se commissi pœnitet, nisi ejus dolorem ac detestationem animo concipiat; sic nempè, ut illud minimè commissum optaret:

II°. Ut ille peccatum detestetur *prout est offensa Dei*. Plura utique in peccato considerari possunt. Primùm scilicet, quòd Deus per illud offendatur; prætereà, quòd indè reatus contrahatur pœnæ postmodùm luendæ; quòd, etiam in hac vita, plures ex eo sequantur molestiæ, gravissimaque incommoda, v. g. remordentis conscientiæ stimuli, morbi, famæ & bonorum temporalium jactura. Jam verò, qui conscientiæ angores, morbos, infamiam, cæteraque ab offensâ Dei distincta, in peccato unicè detestatur, is quidem mala horret ex peccato nascentia, neque peccatum absolutè & simpliciter detestatur. Imò, qui pœnæ post hanc vitam luendæ solum reatum in peccato metuit, adeò ut ipsi adhæreat & peccare vellet, si posset impunè, ille à peccato quatenùs est offensa Dei, non refugit, ipsiusque servus est. De hoc nempè à S. Augustino dictum meritò accipitur: « Inaniter putat victorem se » esse peccati, qui pœnæ timore non » peccat: peccare non metuit, sed » ardere (h): »

III°. Ut peccati detestationem co-

(e) *Cat. Trid.* de Pœnit. Sacram. *n.* 1. *Conc. Trid. sess.* 14. de Pœnit. *cap.* 2.

(f) *Matth.* 3. 2. 8. *Marc.* 6. 12. *Luc.* 3. 2. 8. & 24. 47. *Act.* 2. 28. *S. Ign. Ep.* ad Smyrn. *S. Cyr. Jer.* Cat. 4. *Origen. Hom.* 13. in Levit. 21. *S. Greg. Hom.* 20. in Ev. &c. (g) *S. Hier.* in 3. Is.

(h) *S. Aug. Ep.* 144.

mitetur *spes veniæ*, quâ quidem spe deficiente, virtus non esset; vitiosa enim est peccati detestatio, si comitem habeat veniæ desperationem: undè virtus non fuit, neque *Caïn* fratricidæ, neque *Judæ* proditoris pœnitentia:

IV°. Ut firmum statuatur *propositum ab offensa in posterum cessandi.* Nec verò satis est quæcumque voluntas, quodcumque à peccato desistendi propositum. Neque enim sufficeret his aut similibus verbis declaratum: *Vellem ab eo peccato abstinere posse: optarem ut nunquam illud peccatum admitterem.* Cum hujusmodi quippè voluntate seu proposito, aut potiùs *velleitate*, stat ipse actus peccati. Sic *Pilatus*, eo ipso tempore quo similem habebat Christi à Judæorum manibus liberandi voluntatem, Christum tamen reipsâ Judæis *tradidit ut crucifigeretur* (*i*). Secùs tamen de iis dicendum, qui, etsi in præsenti negotio voce illâ *vellem*, aut simili, utuntur, dicentes v. g: *Vellem nunquam ampliùs lethaliter peccare*, omnia tamen adhibent cautionis requisitæ subsidia, ut à peccato lethali reverâ declinent. Ex dictis facilè colligitur eam requiri voluntatem, 1°. quæ sit absoluta, atque adeò non sufficere hanc similemve conditionalem: *Vellem à peccato abstinere, si commodè si sine infamia possem*; 2°. quæ sit efficax, ea nempè ut, quantùm est ex parte ipsius, ab offensa Dei abstineatur, & quæcumque ad hunc finem obtinendum necessaria sunt, fideliter adhibeantur:

V°. Ut constet voluntas vel propositum à Dei offensâ cessandi *omninò*, scilicet omni tempore, omni loco, omnibus in circumstantiis. Itaque non sufficit voluntas à peccato abstinendi ad hebdomadam, ad mensem, ad annum; in certis quibusdam solummodò circumstantiis minùs urgentibus; certo duntaxat in loco ubi quis notus est, non autem ubi ignotus. Nec tamen idcircò necessarium est, imò neque expedit ut Pœnitens sibi animo repræsentet rerum adjuncta quædam inusitata, vel tentationes aliquas planè singulares atque extra consuetum ordinem positas, quarum vim & impetum propulsare distinctè vividèque constituat. Hujusmodi enim difficultatum species menti objecta, gravissimas tentationes iis afferret, in quibus ferveret imaginandi vis acrior; ideòque ipsis magnum indè emergeret periculum. Aliis autem minùs fervidâ imaginatione præditis indè aliud periculum nasceretur, dum sibi falsò persuaderent se propterea eximiè justos esse, quòd Deo fideles, etiam in gravissimis ejusmodi tentationibus, permanere constituerint; quibus tamen animo exhibitis tunc leviter commoverentur, quandoquidem eas languidissimè imaginarentur:

VI°. Ut Pœnitentiæ virtute includatur *offensæ Dei compensandæ propositum* seu *voluntas.* Qui rem alienam iniquè abstulit, eum sic animo comparatum esse oportet ut restituat cùm possit: ita etiam peccator, qui nempè contra Dei voluntatem justissimam atque optimam egit, ut pro-

(*i*) *Matth.* 27. 26.

priæ, injustæ ac perversæ voluntati obsequeretur, sic debet esse affectus, ut Dei honorem quem peccato violare ausus est, pro viribus deindè compenset: quod quidem obtinebit, si tandem, inverso agendi ordine, suam propensionem exequendæ divinæ voluntati postponat. Illa autem compensatio multimodis fieri potest. 1°. Si omnes corporis animique molestias nobis obvenientes, in pœnitentiæ spiritu, & tanquam pœnales suscipiamus. 2°. Si, eodem movente spiritu, actus exerceamus virtutum, quantumvis naturæ corruptæ repugnantium. 3°. Si, illo pariter motu incitati, ea exequamur quæ nobis ex officio præstanda sunt, quantumlibet gravia atque amara videantur. 4°. Si in omnibus sive exequendis sive omittendis sic nos geramus, ut, cùm est aliqua iis adjuncta molestia, contra propensionem nostram & juxta divinæ voluntatis beneplacitum viriliter agamus. 5°. Si quæcumque Domino accepta sunt, totâ mente amplectamur, hoc scilicet fine ut ejus offensam obsequii magnitudine compensemus; maximèque, si, profligato vitio per quod potissimùm Deus à nobis antehàc offensus fuerit, per oppositæ virtutis actus quotidianum Deo sacrificium offeramus animi totum se ad illius voluntatem nutumque convertentis.

Hæc est Pœnitentiæ virtus, sine qua nullus unquam apud Deum justificatus fuit; de qua nempè cùm jam dixisset Christus Dominus: *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis* (*k*), huic posteà sensibile gratiæ restitutæ signum adjungere constituit, atque auctoritatem remittendi peccata, quam ipse in mulierem peccatricem aliosque complures exercuerat (*l*), Religionis suæ Ministris participandam tribuere.

Ac primùm quidem Ecclesiæ, in persona Petri, hoc Sacramentum sic prænuntiavit ac pollicitus est: *Tibi dabo claves regni cælorum; & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis; & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis* (*m*). His deindè verbis idem omnibus Apostolis confirmavit: *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo; & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo* (*n*). Postremò, à mortuis redivivus, ut, quibus jam inerat Dominici Corporis & Sanguinis consecrandi facultas, iis jam absolutum inesset Sacerdotium, *in illis posuit verbum reconciliationis* (*o*); &, in virtute *omnis potestatis quæ sibi data fuerat in cælo & in terra* (*p*), cùm insufflasset in eos, *Accipite*, inquit, *Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt* (*q*). « Quo tam insigni » facto & verbis tam perspicuis, po» testatem remittendi & retinendi

(*k*) *Luc.* 13. 3. 5.
(*l*) *Luc.* 7. 47. 48. *Matth.* 9. 2. & *seq. Joan.* 8. 1.
(*m*) *Matth.* 16. 19.
(*n*) *Matth.* 18. 18.
(*o*) 2. *Cor.* 5. 19.
(*p*) *Matth.* 28. 18.
(*q*) *Joan.* 20. 22. 23.

» peccata ad reconciliandos Fideles » post Baptismum lapsos, Apostolis & eorum legitimis successoribus fuisse communicatam, universorum Patrum consensus semper intellexit (*r*). »

Pœnitentiam, ut verum novæ Legis Sacramentum, unanimi consensu, ante Lutheri Calvinique novitates, admittebat Ecclesia Occidentalis atque Orientalis. Variæ autem Græcorum aliorumque Orientalium societates, tam inter se quàm à Latinis odio infensissimo disjunctæ, & quæ unitatem sciderant, aliæ seculo V, aliæ sequentibus, dogma illud certissimè jam seculo IV tenuerunt, nec à se invicem, nec ab Ecclesia Romana mutuatæ sunt: ipsum proindè ante Schismatis tempora, id est, non tantùm IV seculo, verùm etiam tribus superioribus omnes admiserunt. Porrò quod seculorum istorum, utique PURISSIMORUM, credidit Ecclesia, id à Christo & Apostolis Ecclesiæ traditum fuisse procul dubio existimandum est, adeòque ab omnibus Christianis amplectendum; nisi, Salvatoris inconcussam Ecclesiæ firmitatem pollicentis frustrato oraculo (*s*), *portæ inferi adversùs eam* penè adhùc nascentem *prævaluisse* supponantur.

Neque verò cum Baptismo promiscuè habendum est Pœnitentiæ Sacramentum: multiplex enim inter hæc duo Sacramenta diversitas occurrit. Nam, præterquàm quòd materia & forma planè diversæ sunt, prout ex inferiùs dicendis patebit, Baptismus insupèr, cùm semel susceptus est, non potest iterari; potest verò Pœnitentia. Publica quidem, quæ ob graviora quædam scelera olim agebatur, iterari non solebat; sed rigore disciplinæ tantùm, neque defectu potestatis in Ecclesia. Deindè in Sacramento Baptismi nullum exercetur judicium: exercetur autem in Sacramento Pœnitentiæ; siquidem ad Sacerdotis tribunal tanquam reos sistere se debent quicumque post Baptismum lapsi sunt. « Alius est præterea Baptismi, alius » Pœnitentiæ fructus. Per Baptismum Christum induentes, nova » prorsùs in ipso efficiuntur creatura, plenam & integram peccatorum remissionem consequentes: » ad quam tamen novitatem & integritatem per Sacramentum Pœnitentiæ (in quo, dimissâ pœnâ » æternâ, persolvenda plerumque » superest temporalis) sine magnis » nostris fletibus & laboribus, divinâ id exigente justitiâ, pervenire » nequaquam possumus; ut meritò » Pœnitentia laboriosus quidam Baptismus à sanctis Patribus dicta » fuerit (*t*). »

Soli igitur novissimorum temporum Hæretici, pro Legis novæ Sacramento quod *Pœnitentiam* vocamus, somniare potuerunt vel ipsum Baptismum, vel meram ipsius memoriam, seu, ut loquuntur, *refricationem*, vel, quod adhùc absurdius, verbi Dei prædicandi Evangeliique annuntiandi potestatem (*u*). Procul dubio enim divinæ bonitati

(*r*) *Conc. Trid. Sess.* 14. *cap.* 1.
(*s*) *Matth.* 16. 18.
(*t*) *Conc. Trid. sess.* 14. *cap.* 2.
(*u*) *Ibid. cap.* 1. & *can.* 3.

consentaneum fuit ut adversùs actualia peccata remedium aliquod humanæ infirmitati suppeditaret. Remedium autem hujusmodi nullum aliud esse potest præter Pœnitentiam, seu gratiæ restitutæ signum sensibile, quod Deus & Salvator noster adjunctum esse voluit Pœnitentiæ virtuti, sine qua nullus à peccatis actualibus liberari unquam potuit: signum utique efficax, per quod delicta quæcumque & quantumvis repetita *ex opere operato* deleri, si nullum obstet impedimentum, sancto Spiritu afflata semper credidit & docuit Ecclesia. Undè efficitur ut Pœnitentia tanquam verum proptièque dictum Evangelicæ Legis Sacramentum necessariò agnoscenda sit.

Itaque Sacerdotes non simpliciter peccatorum remissionem annuntiant, sed per merita Christi verè peccata dimittunt. Neque enim dixit Christus: *Quibus remissionem peccatorum annuntiaveritis;* sed, *Quorum remiseritis peccata.* Ex quo facilè intelligitur quantùm inter se discrepent veteris & novæ Legis Sacerdotes. « Scilicet corporis lepram » purgare, seu, veriùs dicam, non » purgare quidem, sed purgatam » probare, Judæorum Sacerdotibus » solis licebat. At verò nostris Sa- » cerdotibus, non corporis lepram, » verùm animæ sordes, non dico » purgatas probare, sed purgare » protsùs concessum est (*x*). » Cùm autem Jesus Christus, qui Legem ad Cæremonias pertinentem abrogaturus venerat, ei quem mundaverat leproso dixerit: *Vade, ostende te Sacerdoti* (*y*); hoc certè multò magis denuntiat leprâ interiore laborantibus. Frustrà enim & otiosè potestatem Clavium, quibus peccata solverentur aut ligarentur, Ecclesiæ tradidisset, nisi peccatores huic potestati subjectos esse voluisset.

Quod autem ad præsens institutum pertinet, duplex est Clavium usus. Primus in eo positus est, ut Pœnitentes, confessis peccatis, absolvantur, si videantur ad Absolutionem cum fructu suscipiendam ritè dispositi, neque illis modus expiationis & satisfactionis imponatur. Alter est, ut iis Absolutio denegetur, cùm judicantur eâ suscipiendâ prorsùs indigni; vel suspendatur, cùm eam, dato præparationis intervallo, certiore utilitate suscepturi existimantur. Quæ quidem duplex peccata remittendi vel retinendi auctoritas, pulcherrimâ translatione, ex ipsius Domini verbis, *ligandi & solvendi potestas* convenientissimè dicitur: » tot quippè » funibus (peccator) tenetur astric- » tus, quot sceleribus prægravatur; » tantisque spiritualibus compedi- » tus est vinculis, quantis caducis » rebus immoderato inhæret affe- » ctu (*z*). » Geminam verò hujusmodi potestatem in incestum Corinthium exercuit Apostolus, cùm Satanæ traditum, annique solidi

(*x*) *S. Chrys.* de Sacerd. *l.* 3. *c.* 6.
(*y*) *Matth.* 8. 4.
(*z*) *S. Laur. Just.* de spir. resurr. animæ.

pœnitentiâ functum absolvit (*a*). Et sanctus Joannes Evangelista, ubi juvenem à se ad fidem perductum, qui deindè in latrocinia & scelera omnia prolapsus fuerat, quasi ovem perditam requisitum invenit, pœnitentiæ lacrymis expiatum Deo Ecclesiæque in gratiam reconciliavit (*b*).

Ex quibus exemplis illud etiam apertè consequitur, nullum esse peccatum, quantumvis atrox & repetitum, quod Pœnitentiâ tolli non possit. Deus *nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti* (*c*), nemini pœnitenti claudit viscera misericordiæ; quinimò clamat per Prophetam: *Lavamini, mundi estote, quiescite agere perversè; si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur; & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt* (*d*). Hinc præcipiunt sancti Canones, ut peccatores, quicumque illi sint, ad pœnitentiam admittantur, solique abjiciantur impœnitentes omninòque desperati (*e*). Nonnulla quidem peccata difficiliùs remittuntur; si quis præsertim *contra Spiritum sanctum* locutus fuerit (*f*), id est, veritati cognitæ aut evidenter demonstratæ cum blasphemia restiterit (*g*). Hoc verò peccatum, sicut alia quæcumque, tunc solùm spem veniæ nullam relinquit, cùm in eo usque ad mortem perseveratur; sola enim impœnitentia finalis non dimittitur (*h*). Hinc Montanistæ secundo seculo (*i*), & Novatiani tertio, ubique pro Hæreticis habiti, Romæ præsertim à sancto Cornelio, & in Africa à sancto Cypriano, ac demùm à Concilio Nicæno I° Œcumenico solemniter condemnati sunt (*k*); sive Ecclesiæ concessam negarent potestatem remittendi peccata per Pœnitentiam; sive misericordiam divinam certis quibusdam limitibus circumscribentes, graviora quædam scelera, ut homicidium, adulterium, apostasiam, Ecclesiæ clavibus dissolvi non posse contenderent. Nunquam igitur voluit pia mater Ecclesia (*l*) denegatam Absolutionem ulli ad Pœnitentiam confu-

(*a*) 1. *Cor.* 5. 3. 4. 5. 2. *Cor.* 2. 10.
(*b*) *Euseb.* Hist. *l.* 3. *c.* 23.
(*c*) 2. *Petr.* 3. 9.
(*d*) *Is.* 1. 16. 18.
(*e*) *Can. Apost.* 51. *Conc. Nic. I œcum. an.* 325. *can.* 8. *Laod. c. an.* 368. *can.* 2. *Carth. III, an.* 397. *can.* 35. *S. Petr. Alex. can.* 4. (*f*) *Matth.* 12. 32.
(*g*) *S. Ambr.* de Spir. *S. l.* 1. *cap.* 3. (*al.* 54.) *S. Hier. Ep.* 148. (*al.* 5.) *critic. tom.* 4.
(*h*) *S. Chrys. Hom.* 42. in Matth. *S. Aug. Ep.* 50. *c.* 11. (*al.* 185. *c.* 49.)
(*i*) *Conc. in Phryg. cont. Montan. c. an.* 172.
(*k*) *Icon. & Synad. in Asia, an.* 235. *Rom. sub S. Cornel. an.* 251. *Antioch. an.* 252. *Nic. I, suprà. Vide S. Cypr.* cont. Novat. *Euseb.* Hist. Eccl. *l.* 6. *c.* 38. *Socrat.* Hist. *l.* 4. *c.* 28. *S. Epiph.* Hær. 59. *Conc. Trid. sess.* 14 *cap.* 1.
(*l*) *S. Ign. Ep.* ad Philad. *S. Dionys. Cor. ap. Euseb.* Hist. *l.* 4. *c.* 23. *Zephyrin. P. apud. Tert.* de pudic. *cap.* 1. *S. Petr. Alex. can.* 3. *ap. Euseb.* Hist. *l.* 3. *cap.* 23. *tom.* 1. *Conc. S. Basil. can.* 5. *S. Leo* ✓ *Ep.* 79. (*al.* 129.) *cap.* 6. *Const. Apost. l.* 2. *c.* 40. *Conc. Carth. IV, an.* 398, *&c.* In quibusdam Africæ locis, *contra adulteria clausus* erat *pœnitentia locus;* (S. Cypr. Ep. 52. ad Ant. [al. 55.] §. 12.) sed hæc fuit paucorum Præsul. inconsiderata severitas,

gienti,

gienti, commissaque sincero animo plangenti; neque ipsismet *viris sanguinum* (*m*), aut latronibus, in quos publica Legum vindicta extremo supplicio animadvertit. Nec enim obsolescere potuit exemplum latronis illius in quo primitiæ Redemptionis consecratæ sunt; qui nempè cùm in Cruce patienti Domino JESU liberrimum tribuisset innocentiæ testimonium, eique se animo pœnitenti commendasset, statim è patibulo ad Paradisi gaudia transferri meruit (*n*). Cruciariis tamen, apud diversa loca, reconciliationem denegavit sequioris ævi barbaries. Scilicet contendebant quidam Theologi, hominem Absolutionis beneficio à peccatis suis liberatum, morte etiam liberandum esse (*o*): quod cùm abnuerent Judices seculares, capite damnatos malebant inabsolutos perire, quàm absolutos impunitatem adipisci. Quem usum falso argumento nixum, & contra Ecclesiæ mentem in Gallias invectum (*p*), desinente jam propemodùm quarto-decimo seculo (*q*), tandem è medio sustulit Carolus VI, Edicto constituens ut in posterum ad fontes capite damnatos inducerentur Pœnitentiæ Ministri, à quibus, ritè confessi, absolverentur (*r*).

JAM verò inter conditionem accedentis ad Pœnitentiam, & conditionem adulti Baptismum suscipientis, quid intersit, sedulò animadvertendum est. Quantumcumque peccaverit homo adhùc infidelis, minimè compellitur ad peccata sigillatim ante Baptismum confitenda, eique pœna expiationis omninò nulla imponitur, quam præcepti religione vel Sacramenti necessitate subire debeat; sed, positâ Pœnitentiæ virtute, originalis peccati omniumque actualium remissionem plenissimam in aquis regenerantibus accipit. Pœnitentia verò eâ duntaxat lege conceditur, ut, dimissâ pœnâ æternâ, pœna temporalis, pro ratione peccati, sustineatur: undè sequitur Confessionis necessitas, & quidem distinctæ, sine qua utique præscribi non posset justa & legitima ejusmodi compensatio. Et certè rationi

---

non verò Ecclesiæ disciplina ullo decreto sancita. Erga fidei desertores flagitiis perditissimos, qui, nisi morientes, Pœnitentiam non poscebant, quidnam olim observatum fuerit, non consentiunt Ecclesiasticæ antiquit. periti. *Vide S. Cypr. Ep.* 52. §. 13. *Conc. Arel. I, an.* 314. *can.* 22. *Inn. I, Ep.* 3. *cap.* 2. *Morin.* de Pœnit. *l.* 10. *c.* 1. *n.* 8. *Tillem. tom.* 4. *p.* 99. & *tom.* 10. *p.* 643. *Nat. Alex.* in secul. III. *dissert.* 7. *aliosque Theol.* Quod pertinet ad Canones Eliberitanos 2um. 6. &c. disputatur an, *Communionis* nomine, Absolutionem, an Eucharistiam certis peccatoribus in ipsa morte denegandam pronuntient hujus Concilii Patres, *omnium rigidissimi.* (Morin. sup. c. 8. n. 1. & l. 6. c. 5. n. 6.) *Vide Nat. Alex. dissert.* 21. in sec. III, *& alios passim Theol.*

(*m*) *Ps.* 138.

(*n*) *Luc.* 23. 40. 41. 42. 43.

(*o*) *Pullus, seculo XII. l.* 6. sent. *c.* 53. *Vide Nat. Alex. tom.* 3. *p.* 665.

(*p*) *Conc. Mogunt. an.* 848. *can.* 27. *Tribur. an.* 896. *can.* 31. *Vienn. œcum. an.* 1312. *Clem. V, l.* 5. *tit.* 9. *cap.* 1. *Conc. Nogar. in Prov. Ausc. an.* 1315.

(*q*) 2. *Febr. an.* 1396.


(*r*) *Ordonn. du Louvre, t.* 8. *p.* 122.

summoperè consentaneum est ut, in gratiam susceptæ Religionis, omnimodâ facilitate gaudeant qui adultâ ætate baptizantur, qui nempè ignorantes, nec tam copioso gratiæ auxilio ad refrænandam concupiscentiam roborati, in incredulitate peccaverunt; severiùs autem tractari eos, qui, in Baptismo *illuminati*, *sancti Spiritûs* in Confirmatione, & *doni cœlestis* in Eucharistia *participes facti* (*s*), in lethalia nihilominùs prolapsi sunt: perfidi, qui pactum cum Deo initum fregerunt; ingrati, qui *Filium Dei*, cujus sanguine abluti fuerant, *rursùs* quodammodò *crucifixerunt* (*t*).

Porrò æquissimum erat ut, nisi summo animi conatu, in gratiam cum Deo offenso non rediremus (*u*). Neque enim forsan aliter id sentiremus quod populo suo prævaricatori suggerit Deus per Prophetam: *Scito & vide quia malum & amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum, & non esse timorem meî apud te* (*x*). Exigit severæ justitiæ disciplina ut peccator *totâ tribulatione animæ suæ quærens Dominum* à quo recesserat (*y*), admissa plangat scelera, & pro ipsis convenienter satisfaciat.

Ex dictis, Pœnitentia sic definiri potest, ut sit *Sacramentum per quod homini contrito, confesso, & saltem ad satisfaciendum parato, Absolutionis virtute remittuntur peccata post Baptismum commissa*. Peccatum detestari, atque ab ejus non solùm actu manum sensusque compescere, sed ab ipso etiam affectu mentem abducere; coram Sacerdote confitendi verecundiam subire; condignâ pœnitentiâ id in se plectere, quod malesano quodam animi furore commissum atque adamatum fuerat: hæc est *laboriosi Baptismi* (*z*), scilicet Pœnitentiæ, austera conditio. » Labor » verò iste paucorum est, qui post » casum resurgunt, qui post vul» nera convalescunt (*a*). » Pœnitentia donum Dei est, Dei offensi, nihilque peccatori debentis; & qui, cùm veniam pœnitentibus promiserit, nemini pœnitentiam pollicitus est. Nemo igitur de venia præsumat; quippè inter majora Dei beneficia computatur gratia veræ Pœnitentiæ: nemo tamen desperet; Deus enim infinitè summèque misericors non *mortem peccatoris*, *sed ejus conversionem*, *vitam* & salutem *velle se* testatur (*b*).

(*s*) *Hebr.* 6. 4. 5.
(*t*) *Ibid. v.* 6. *Vide Conc. Trid. Sess.* 14. *cap.* 8.
(*u*) *Ibid. cap.* 2.
(*x*) *Jerem.* 2. 19.
(*y*) *Deut.* 4. 29.
(*z*) *Conc. Trid. sup.*
(*a*) *S. Pacian. Ep.* 3.
(*b*) *Ezech.* 33. 11.





CAPUT II.

De Pœnitentiæ materiâ generatim.

Pœnitentiæ materia duplex. Quænam proxima, *quænam* remota. Materia *circa quam*, alia *necessaria*, alia *sufficiens. Pœnitentiæ partes duæ necessariæ, una integrans. Trium Pœnitentiæ partium nexus atque ordo necessitatis.*

Duplex est Pœnitentiæ materia: alia videlicet *remota*, alia *proxima*. Materia *remota*, sunt peccata actualia post Baptismum commissa, Confessione *orali*, aliove signo manifestata. Quemadmodùm enim lignum materia ignis idcircò dicitur, quòd lignum absumit ignis; sic etiam peccata, cùm per Pœnitentiam deleantur atque destruantur, nonnullam materiæ similitudinem in Pœnitentia gerunt. Quasi materia *proxima* sunt tres actus Pœnitentis, scilicet cordis Contritio, oris Confessio, & operis Satisfactio: « qui » (actus), quatenùs in Pœnitente ad » integritatem Sacramenti, ad ple» namque & perfectam peccatorum » remissionem ex Dei institutione » requiruntur, hac ratione Pœniten» tiæ partes dicuntur (*a*). »

Quia verò tres illi actus à Concilio Tridentino non præcisè *materia*, sed *quasi materia* hujus Sacramenti denominantur; illæsâ Concilii definitione, sentiunt quidam Theologi ipsam Pœnitentiæ materiam esse *manuum impositionem*, quo pacto in Confirmationis Ordinisque Sacramentis hæc ipsi est proprietas. Undè in praxi, cùm olim absolutoriæ sententiæ prolationem comitaretur manuum impositio (*b*), ita nunc hujus loco residua extensio dexteræ in Pœnitentem, quandò absolvitur, nunquam est omittenda (*c*). Hinc scilicet, quemadmodùm *Jesus extendens manum, tetigit* (*leprosum*), *dicens: Volo, mundare; & continuò lepra discessit ab illo* (*d*); sic Sacerdos pariter extensâ manu Absolutionem pronuntians, immundissimam peccati lepram Pœnitentis animâ excutit.

Materia verò Pœnitentiæ *remota* duplex distinguitur, sicut & peccatorum species geminatur. Peccata enim alia *mortifera* sunt, quæ videlicet *uno ictu animam perimunt*; alia levia & *minuta*, quæ hominis cum Deo amicitiam per se non dissolvunt, nec possunt omnia in tota vita, etiam à Sanctis & Justis, devitari (*e*), *nisi ex speciali Dei*

(*a*) *Conc. Trid. Seſſ.* 14. *cap.* 3.
(*b*) *Carth. IV*, *an.* 398. *can.* 76.
(*c*) *Mediol. V*, *an.* 1579. *Aquense*, *an.* 1585.
(*d*) *Luc.* 5. 13.
(*e*) *S. Aug. Serm.* 181. (*al.* 29.) de verb. Ap. *c.* 6. & *Serm.* 278. (*al.* 34.) de divers. *n.* 12. *Conc. Trid. seſſ.* 6

privilegio, quemadmodùm de Beata Virgine tenet Ecclesia (*f*), de qua utique præcellentissima Deipara S. Augustinus, *propter honorem Domini, nullam prorsùs, cùm de peccato agitur*, vult *haberi quæstionem* (*g*). Itaque, positâ illâ peccatorum distinctione, duplex etiam agnoscitur *materia* Pœnitentiæ *remota*, seu circa quam versatur: alia nempè *necessaria*, alia *sufficiens*. Peccata lethalia post Baptismum admissa, cùm remitti non possint nisi per hoc Sacramentum in re vel in voto susceptum, materiam præbent *necessariam*; venialia verò *sufficientem* subministrant (*h*), eamdemque liberam; possunt enim aliis quoque remediis expiari (*i*): quanquam horum utilissima est Confessio Sacramentalis, ideòque à Confessariis & Pastoribus suadenda.

Illa autem distinctio materiæ *remotæ*, quæ, juxta culparum diversitatem, fit modò *necessaria*, modò *sufficiens*, locum non habet in materia ex qua componitur hoc Sacramentum, quæ etiam *proxima* dicitur, & *quasi materia*, ipsisque constat Pœnitentis actibus, Contritione nimirùm, Confessione & Satisfactione. Contritio enim semper, & Confessio in ordine communi, ipsaque Satisfactio acceptata, seu Satisfactionis propositum quod includit vera Contritio, necessaria sunt ut partes ad Sacramenti essentiam pertinentes; Satisfactio verò actualis, seu Satisfactionis propositum actu completum, ut pars *integrans*. Ea Sacramenti Pœnitentiæ natura est, ut Sacerdos, tanquam judex atque mediator *ministerialis* Deum inter & hominem à Christo Domino constitutus, cordis à Deo aberrationem, ejusque ad Deum conversionem æquâ lance ponderare debeat, nec judicium reconciliationis proferre, nisi cognitâ causâ, simulque introspectâ Pœnitentis immutatione, pronâque ad satisfaciendum voluntate. Qui ergò Pœnitentem nulla doloris signa exhibentem idcircò absolveret, quòd venialia, quæ sola esset confessus, non sint materia Sacramenti necessaria, hic non minùs à recto ratiocinio atque ab officio recederet, quàm si Eucharistiæ Sacrificium sine vino celebrare se ideò posse contenderet, quòd ad celebrandum nullo tunc præcepto adigeretur.

INTER se autem ita connexæ & concatenatæ sunt tres Pœnitentiæ partes, ut in omni vero Pœnitente, includat Contritio propositum confitendi atque satisfaciendi, Confessionem antecedant Contritio & satisfaciendi voluntas, Satisfactioni communitùs præeant Contritio & Confessio; nam Satisfactio, cùm olim, ut plurimùm, Absolutionem anteverteret, nunc sæpiùs eam sequitur; & Pœnitens in mortis articulo, cùm jam defecit sensuum exteriorum usus, nullâ injunctâ satisfactione, validè absolvitur. Adeò necessaria

(*f*) *Ibid. can.* 23.
(*g*) *S. Aug.* de nat & grat. *c.* 36. *n.* 42.
(*h*) *Conc. Trid. sess.* 14. *c.* 5.
(*i*) Scilicet *Oratione Dominicâ, Aquâ benedictâ, Pane-benedicto, Benedictione Episcopi vel Presbyteri*, aliisque id genus, quibus comes esse debet virtus Pœnitentiæ.

est Contritio, ut nullo in casu, ne ipsâ quidem in morte, suppleri possit. Cui suppetit confitendi facultas, ei necessaria est Confessio; hæc autem in mutis per nutus & signa suppletur. Quibus morbi vis acrior vocem præclusit, his, cum Absolutione, sufficit Contritio, etiam imperfecta. Quibus deest Confessarius, ii per Contritionem perfectam cum voto Sacramenti, misericordiam consequuntur. Ii Satisfactionem debent, quibus est Satisfactio possibilis; nec quisquam satisfaciendi voluntate carens Absolutionis beneficio donandus est. Sapiens autem decernat Confessarius quæ & quanta Satisfactio Absolutionem præcedere vel sequi debeat.

His expositis, tria ex parte Pœnitentis in reconciliationis Sacramento requiri manifestum est, Contritionem videlicet, Confessionem & Satisfactionem: de quibus ex ordine disserendum.

CAPUT III.

De Contritione: quàm sit necessaria, & qualis esse debeat.

Contritionis excellentia, definitio, necessitas. Qualis esse debeat Contritio. Contritionis donum obtineri quomodò possit.

Tres inter Pœnitentis actus primum locum obtinet Contritio, ut potè cæteris excellentior atque efficacior. Confessionem & Satisfactionem supplere aliquandò potest; ipsa verò, nec per eleemosynam, orationem, jejunium, nec per Confessionem, Satisfactionem, Indulgentiam aut Jubilæum, neque in vita, neque in morte suppletur.

Sic autem definitur, ut sit *Animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero* (*a*). Nomen à *conterendo* accepit, eò quòd hominis animum peccato rigidum quodammodò emolliat, *conterat* atque comminuat. In ipsius autem rei naturâ duo includuntur, scilicet veteris vitæ odium, & novæ propositum. Ejus necessitatem ipso Evangelio anteriorem apertè docet Scriptura sacra, quæ Davidem, Ninivitas, aliosque complures exhibet, spontè afflictato corpore, animo in Dei ultoris flagella parato, fusis ubertim lacrymis, & quod omnium maximum est, corde contrito & humiliato verè pœnitentes, neque aliter cum Deo offenso reconciliatos (*b*). Ad eam passim gravissimis verbis excitant & cohortantur sancti Patres; simulque admonere

(*a*) *Conc. Trid. Sess.* 14. *c.* 4.

(*b*) *Jon.* 3. 5. 6. *&c.* 2. *Reg.* 12. 13. & 24. 10. *Ps.* 50. *&c.* Pœnitentiales. *Luc.* 7. 37. 38. *Matth.* 26. 75.

non omittunt ipsam gratuitum Dei donum esse, quod per animi gemitus, Christi meritorum virtute, obtinetur.

His in antecessum notatis, in quo posita sit Contritionis veritas, accuratè investigandum est. In ore plurimorum sonat Contritio; in corde verò paucissimorum sedet: veram igitur à falsa internoscere permagni refert. Dolorem de peccatis, & quidem vehementissimum, gesserunt Caïn, Saül, Antiochus, Judas, Simon Magus; nec tamen justificationis gratiam consecuti sunt. Alii simulatè doluerunt, alii ex malorum temporalium sensu, alii sine spe veniæ. Gemitus, lacrymæ, pectoris percussio, & si qua sunt alia hujusmodi, quibus animi dolor exteriùs manifestetur, externa doloris signa existimanda sunt, minimèque contemnenda; non autem semper indubitata genuinæ veræque Contritionis indicia. Hæc videlicet, cùm sit laudabilis *in fletu, & in planctu* (c), *in jejuniis* (d), cæterisque laboriosis operibus, *animas* tamen *affligere* potiùs debet, quàm *facies exterminare* (e).

Itaque vera & genuina Contritio has in suo conceptu includit proprietates, ut esse debeat *supernaturalis, summa, interior, universalis* & *efficax*.

Sit I°. *supernaturalis* ex parte motûs divinæ gratiæ, juxta illud Prophetæ: *Converte nos, Domine, ad te; & convertemur* (f). « Si quis » (enim) dixerit, sine præveniente » Spiritûs sancti inspiratione atque » ejus adjutorio, hominem pœnitere posse sicut oportet ut ei justificationis gratia conferatur; » illi anathema dicit sacrosancta Tridentina Synodus (g). Ad principium supernaturale accedat simile incentivum, fide scilicet revelatum. Peccata commissa defleantur, vel propter immensam Dei bonitatem quæ peccati malitiâ summopere læditur; vel propter bona supernaturalia, quæ nobis adimit peccatum, & ejusdem generis mala quæ ex illo in nos gravissima redundant. Vera non esset Contritio, quam eliceret naturalis pudor, vel temporalis rei amissio.

II°. *Summa* sit Contritio, id est, super omnem dolorem sit dolor qui per Contritionem in animo excitatur. Summum utique malum est peccatum, quoniam per illud & summa Deo injuria, & summum nobis detrimentum affertur (h); *summum igitur peccati odium nos capiat* (i), illudque *supra omne detestabile* detestemur necesse est. Non autem requiritur ut dolor de peccato conceptus sensu omnium vividissimo mentem afficiat: quod scilicet nequaquam in hominis potestate est. Sufficit

(c) *Joel*, 2. 12.
(d) *Dan.* 9. 3.
(e) *Levit.* 16. 29. 31. *Matth.* 6. 16.
(f) *Thren.* 5. 21.
(g) *Sess.* 6. *can.* 3.
(h) Duplex hoc mali genus, *malum culpæ*, & *malum pœnæ* vocant Theologi. *Malum culpæ*, est injuria Deo per peccatum illata: *malum pœnæ*, est ingens damnum è peccato ad hominem proveniens: dum ipse gratiam sanctificantem amittit, jure ad cœlestem hæreditatem spoliatur, æternisque ignibus addicitur.
(i) *Cat. Trid. part.* 2. de Sacram. Pœnit. *n.* 35.

ut ille apud voluntatem cæteris dominetur, sitque, prout loquuntur Theologi, *appreciativè summus;* undè Pœnitens amissam Dei gratiam plus doleat, quàm si pretiosissima & charissima quæque amisisset. Quòd si tamen alicui Pœnitenti hoc divinitùs contingat, ut hic dolor ipsam inferiorem animæ partem occupet, ac, præ divini amoris suavitate, *divisiones aquarum deducant ipsius oculi* (*k*); positâ doloris interni veritate, donum sancti Spiritûs, *à quo sunt lacrymæ Pœnitentium* (*l*), cum gaudio excipiendum est. Uno verbo, gradus ille perfectionis optandus quidem, sed non pro necessario habendus.

Illud etiam hìc animadvertendum occurrit, eâ peccati super aliud quodvis malum detestatione non requiri ut animo proponantur mala omnia sigillatim, qualia sunt probra, tormenta, mors ipsa; sed satis esse ut generatim concipiantur. Et quidem mala singula inter cogitandum revolvi non expedit; ne, objectâ specie terribili, mens in proposito vacillet, aut leviùs & confidentiùs quidquam sibi appromittat, quod, datâ occasione, non exequatur, quemadmodùm Principi Apostolorum contigit; qui, postquàm sese cum Domino JESU *in manus peccatorum tradito* (*m*) *& in carcerem & in mortem ire paratum* esse fuisset audacter professus, derepentè ad unius mulierculæ vocem perterritus, summam illam, quam præ se tulerat, constantiam excelsique animi magnitudinem ita oblitus est, ut Dei ejusdem ac Domini sui discipulum se esse palàm negaverit (*n*).

III°. *Interior* sit Contritio; *vera enim conversio in ore non accipitur, sed in corde* (*o*). Peccata omnia *de corde exeunt* (*p*): *cor novum faciat* dolor Contritionis (*q*). In corde consummatur peccatum: in corde per sinceram Pœnitentiam expietur (*r*).

IV°. *Universalis* sit Contritio, id est, ad omnia peccata, saltem lethalia, extendatur, Deo nimirùm sic præcipiente: *Agite pœnitentiam ab OMNIBUS iniquitatibus vestris* (*s*): *Convertimini ad me in TOTO corde vestro* (*t*). Deum inter aliumque ascititium finem ultimum ne sit divisus cordis affectus (*u*): quod nempè fieret, si cui adhùc lethali peccato adhæreret Pœnitens, undè nullum verè & ex animo detestaretur, Deique omninò remaneret inimicus. Omnia siquidem peccata lethalia gratiæ sanctificanti æquè repugnant, nec seorsim condonari possunt. Et certè *peccatum quod diligitur, confitendo minimè deletur* (*x*).

V°. *Efficax* demùm sit Contritio, id est, melioris vitæ includat

(*k*) *Thren.* 3. 48.
(*l*) *S. Leo*, de Pentec. *serm.* 1.
(*m*) *Luc.* 24. 7.
(*n*) *Luc.* 22. 33. 57.
(*o*) *S. Greg. l.* 2. *in* 1. *Reg. c.* 3.
(*p*) *Matth.* 15. 18.
(*q*) *Ezech.* 18. 31.
(*r*) *Orig. Hom.* 24. in Num. *Conc. Cabil. II*, *an.* 813. *vel* 815. *can.* 56.
(*s*) *Ezech.* 18. 30.
(*t*) *Joel.* 2. 12.
(*u*) *Osée* 10. 2.
(*x*) *S. Greg.* in 1. Reg. 15.

propositum, ita *ut violentia pœnitendi cedat consuetudo peccandi* (*y*). Et quidem ille Deo mentitur, qui se peccata sua detestari asseverat, nec tamen ab iis omninò cessare paratus est. Neque verò satis est conceptum sanctiùs vivendi desiderium; sed firma & inconcussa requiritur sic reipsâ vitam instituendi voluntas. *Pœnitentia* enim *est*, *mala præterita plangere*, *& plangenda non committere* (*z*).

Hinc falsam gerit Contritionem, falsam proindè ostentat pœnitentiam, si quis non recedat à munere quod sine peccato exerceri non possit; si offenso cuilibet non satisfaciat, aut si offendenti offensus non indulgeat (*a*); si quis detrectet aliena injustè retenta vel malè parta restituere, aut peccati occasionem proximam relinquere. Hi, & si qui sunt eorum similes, nedùm iniquitatem horreant, ei potiùs addictos se ostendunt; &, quantumvis contritos sese affirment, absolvendi non sunt (*b*), quin priùs id omne fecerint, aut saltem (si Absolutionis dilationem non ferant circumstantiæ) id omne facturi meritò præsumantur, quod ad probandam illius, quam sibi vindicant, Contritionis veritatem necessarium fuerit.

Prætereà includere debet Contritio divinæ misericordiæ fiduciam (*c*). Quo quidem nomine haudquaquam intelligitur nuda spes quæ in peccatoribus, etiam nondùm contritis aut conversis, nec firmum conversionis propositum habentibus, inesse potest; sed alia quædam & firmior animi habitudo, quâ scilicet peccator, jam verè pœnitens, & infinitâ Dei clementiâ fretus erectusque, ita fore confidit, ut plenam delictorum omnium condonationem, modò ea simpliciter integrèque confessus fuerit, per Absolutionem sacerdotalem consequatur. Qui quidem talis esse intelligitur, ut jam sincerè ad Dominum reversus, admissa scelera odio habeat ac detestetur, proptereàque intimum animi dolorem Dei causâ concipiat, & pravam anteactæ vitæ consuetudinem corruptosque mores firmo stabilique proposito emendare constituat.

Ut autem à Deo eximium illud veræ Contritionis donum obtineat peccator, eum invocet gratiæ Spiritum à quo sunt gemitus animæ Deum offensum vehementer sentientis (*d*). Tum sese laboriosis Pœnitentiæ operibus exerceat; &, quod omnium primum est, *quiescat agere perversè*, *discat benè facere* (*e*). Quantâ demùm cordis perversitate aversus à Deo fuerat, tanto fervore ad illum resuspiret. Ad quam internam renovationem maximum sibi comparabit adjumentum, si selecta quædam Scripturæ loca meditetur, undè sincerum peccati dolorem concipiat. Fœcundum præ cæteris adeat pie-

(*y*) *S. Aug tract.* 49. in Joan. Ev. §. 19.
(*z*) *S. Greg Hom.* 24. in Ev.
(*a*) *Conc. Later. II œcum. an.* 1139. *can.* 22.
(*b*) *Regula Sacram. S. Car. Borr.* de observ. in ministr. Sacram. Pœnit.
(*c*) *Conc. Trid. sess.* 14. *cap.* 4.
(*d*) *S. Leo*, de Pœnit. *Serm.* 1.
(*e*) *Is.* 1. 16. 17. *Vide Prov.* 16. 5.

tatis

tatis fontem, Psalmos Davidicos, qui à S. Augustino jure ac meritò nuncupantur » deliciæ mentium, » medicina vulnerum, thesaurus » Spiritûs sancti; iisque studiosiùs immoretur, quibus vividissimos Pœnitentiæ sensus commisit Rex Propheta, post agnitum adulterii & homicidii geminum flagitium Deo reconciliatus. Hic scilicet *à facie peccatorum suorum* turbatus (*f*), gemit & suspirat; » non aves solitariæ flebiliùs sonant; nec modus » lacrymis; his cibos, his lectum » irrigat: versi in fontes oculi, ex» cavatæ propemodùm genæ; de» ductique in sinum rivi ne ipsâ » quidem veniâ inarescunt. Quis » non exardescat ad tantos Davidis » ignes (*g*)? » Quis non amet tales profundere lacrymas, » quarum ope » occurrunt sibi mutuò in osculo san» cto Deus & pœnitens anima (*h*)? » O dulces lacrymæ, quæ voluptatis sensum omnem exsuperant! Cui verè pœnitenti non benè sit cum eis (*i*)?

(*f*) *Ps.* 37.
(*g*) *Bossuet*, de grandiloq. & suavit. Psalm.
(*h*) *De imit. Chr. l.* 3. *c.* 52. *n.* 5.
(*i*) *S. Aug.* Conf. *l.* 9. *c.* 10. *n.* 2.

CAPUT IV.

De Contritione, tum perfectâ, tum imperfectâ; & de praxi Contritionis in ordine suscipiendi Sacramenti.

Contritio duplex. Effectus Contritionis perfectæ. Sit in Attritione charitas initialis. Quibusnam gradibus soleat peccator ad justificationem pervenire. Timor simpliciter servilis. *Timor* naturalis. *Timor* filialis. *Attritio cum Sacramento sufficiens. Timor* serviliter servilis. *Praxis Contritionis. Quibusnam motibus & gradibus Pœnitentes amore divino inflammandi. Observatio.*

Duplex distinguitur Contritio: altera perfecta, altera imperfecta, quæ etiam *Attritio* dicitur.

Contritio perfecta, est *Affectus animi pœnitentis, ex Dei amore vehementi, peccatorumque ingenti detestatione conceptus, quo quidem peccatum, velut offensam Dei propter se dilecti, penitùs exhorrescit.* Positâ igitur eâ Contritione, super omnia, summusque est ille amor; id est, propter Deum super omnia saltem *appreciativè* dilectum concipitur; ita ut Pœnitentis voluntas peccatum super omne malum propterea detestetur; ipsaque malum quodli-

bet vel gravissimum, imò extrema quæque perpeti potiùs parata sit, quàm Deum offendere. Hujus Contritionis excellentiæ respondet effectus eximius. Nam « sicut ignis, omne » animæ vitium perurit & excoquit; » & quantacumque in eâ repererit » mala, abstergit universa & peni» tùs delet (*a*), » hominem scilicet Deo reconcilians, antequàm Sacramentum actu susceperit. *Ipsi* tamen *Contritioni, sine voto Sacramenti, quod in ea includitur, non est ascribenda* illa quam modò diximus, anticipata reconciliatio (*b*).

Contritio imperfecta, seu *Attritio, vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehenna & pœnarum metu communiter concipitur* (*c*). Quam quidem, « si volun» tatem peccandi excludat, cum spe » veniæ, declarat (sacrosancta Tri» dentina Synodus) Dei donum esse, » & Spiritûs sancti impulsum, non » adhùc quidem inhabitantis, sed » tantùm moventis, quo Pœnitens » adjutus viam sibi ad justitiam pa» rat. Et quamvis, sine Sacramento » Pœnitentiæ, per se ad justificatio» nem perducere peccatorem ne» queat; tamen eum ad Dei gra» tiam in Sacramento Pœnitentiæ » impetrandam disponit (*d*). »

Pœnitentes autem suos, juxta Cleri Gallicani doctrinam, admoneant Confessarii, « ne se putent se» curos in Sacramenti Pœnitentiæ » perceptione, si, præter fidei & » spei actus, non incipiant diligere » Deum, tanquam omnis justitiæ » fontem. Neque verò satis adim» pleri potest isti Sacramento ne» cessarium vitæ novæ inchoandæ » ac servandi mandata divina pro» positum, si Pœnitens primi ac » maximi mandati, quo Deus toto » corde diligitur, nullam curam » gerat, nec sit saltem animo ita » præparato, ut ad illud exequen» dum, divinâ opitulante gratiâ, » sese excitet ac provocet (*e*). » Scilicet propriè dictæ charitatis initium cum Attritione esse debere, unanimiter docent potioris notæ famæque Theologi, nostrates maximè; ut potè qui existimant eo modo intelligendum esse Concilium Tridentinum, cùm inter actus qui peccatores ad consequendam Justificationis gratiam disponunt, hunc recenset, ut *Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiant* (*f*). Et certè (ut Scripturæ & Patrum verbis utamur) *initium* quidem *sapientiæ timor Domini* (*g*); & *qui sine timore est, non poterit justificari* (*h*): *qui* verò *non diligit, manet in morte* (*i*). *Tantùm quisque peccatum odit, quantùm justitiam, qui Deus est, diligit* (*k*): quinimò *pœnitentiam certam non facit nisi odium peccati & amor Dei* (*l*), saltem initialis, qui tandem, accedente Sacramenti gratiâ,

(*a*) *S. Chrys.* de compunct. cord. *l.* 2, *cap.* 3.

(*b*) *Conc. Trid. sess.* 14. *c.* 4 de Cont.

(*c*) *Ibid.*

(*d*) *Ibid.*

(*e*) *Declar. Convent. Cleri Gall. an.* 1700.

(*f*) *Sess.* 6. *cap.* 6. de Justif.

(*g*) *Ps.* 110.

(*h*) *Eccli.* 1. 27.

(*i*) 1. *Joan.* 3. 14.

(*k*) *S. Aug. Ep.* 145. (*al.* 144.) *n.* 4.

(*l*) *Id. serm.* 7. de temp. *Vide S. Chrys. Hom.* 1. in Ep. ad Rom. *&c.*

vehementer ignescit ac dilatatur (*m*). Hùc accedit quòd, etiamsi daretur, dissidentibus inter se Theologorum placitis, aliquod hac de re dubium superesse, tamen ptopter hoc ipsum quòd eâ de re dubitatur & controvertitur, non satis magnam salutis suæ curam gerere censendus esset, qui, ad Pœnitentiæ Sacramentum accessurus, ita soli timori ultrò inhæreret, ut ad diligendum super omnia Deum quem peccando contempsit, non modis omnibus annitetetur.

His autem gradibus solet peccator ad justificationem pervenire. Omnium primum, *credere oportet accedentem ad Deum* placandum *quia est* (*n*), & inquirentibus se per sincerum animi dolorem placabilis. Hinc fides germen Contritionis est. Qui Deum credit, hunc summè potentem, & peccati summè inimicum necessariò cogitat. Metum Dei ultoris excipit aliqua in Deum misericordem fiducia: sequitur initium dilectionis Dei, ac denique cordis immutatio vitæque novitas. Rarò siquidem conversio incipit à sufficienti, longè rariùs à perfectâ Contritione. Quorum *multiplicata sunt prævaricationes & confortatæ aversiones* (*o*), ii non facilè ad justitiæ amorem reducuntur. Cujus vita *lapsa est in lacum* peccati profundissimum (*p*), hic non indè primo impetu, sed per longos ac difficiles conatus vix tandem emergit. » Spiritus quidem non modò » ubi vult, sed quandò vult spirat; » nec ei difficile est desubitò per» fectam dare Contritionem cordis, » quam vix multo tempore alii con» sequuntur (*q*). Est tamen iste » communis & consuetus cursus ju» stificationis, ut, Deo movente » interiùs animam, homo conver» tatur ad Deum, primò quidem » conversione imperfectâ, ut postmo» dùm ad perfectam deveniat (*r*); » quia charitas inchoata meretur au» geri, ut aucta mereatur perfici » (*s*). »

Sæpè initium ducit Contritio à timore servili, eo scilicet, cujus

---

(*m*) Hinc meritò à Cleri Gallicani Comitiis generalibus, anno 1700, condemnatæ sunt tres subjectæ propositiones, assignatâ singulis Censurâ propriâ, ut sequitur:

1ª *Prop.* Probabile est sufficere Attritionem naturalem, modò honestam.

Hæc propositio est hæretica.

2ª *Prop.* Attritio ex gehennæ metu sufficit, etiam sine ullo ad Deum offensum respectu; quia talis honesta & supernaturalis est.

Hæc propositio quâ à dispositionibus necessariis ad Absolutionem excluditur quilibet ad Deum offensum respectus, temeraria est, scandalosa, perniciosa, & in hæresim inducit.

3ª *Prop.* Concilium Tridentinum adeò expressè definivit Attritionem quæ non vivificet animam, quæque supponatur sine amore Dei esse, sufficere ad Absolutionem, ut anathema pronuntiet adversùs negantes.

Hæc propositio falsa est, temeraria, Concilio Tridentino contraria, & in errorem inducit.

Abr. des Mém. du Clergé (1764), *pag.* 12.

(*n*) *Hebr.* 11. 6.
(*o*) *Jerem.* 5. 6.
(*p*) *Thren.* 3. 53.
(*q*) *S. Bern. Serm.* 75. de div.
(*r*) *S. Thom.* 1. 2. *q.* 113. *a.* 10.
(*s*) *S. Aug.*

impulsu abstinetur quidem à peccato, tanquam pœnam æternam promerente, sed exclusâ peccandi voluntate ac proposito, si abesset ejusmodi pœna; isque timor vulgò *simpliciter servilis* nuncupatur: & quamvis ad reconciliationem in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam non sufficiat, bonus tamen atque utilis est, cùm restænet concupiscentiam, & peccatorem à culpa retrahat. Qui peccato abstinent quia pœnam metuunt corporalem, ii se ipsos diligunt, non justitiam; homines timent, non Deum. Prodesse quidem potest hic timor; cùm autem sit omninò naturalis, non est Contritionis incitamentum sufficiens. *Timendus* ille nimirùm, *qui potest & animam & corpus perdere in gehennam* (*t*). Hic timor à fide originem sumit, dat spei locum, viam sternit charitati; quo nimirùm in sensu à Sapiente dicitur: *Timor Dei, initium dilectionis ejus* (*u*). Hinc timor ille, principium conversionis est, atque ad laudabilem mandatorum Dei observantiam conducit: quinimò in ipsismet justis perseverat innocentiæ custos (*x*), ut potè qui *expellit peccatum* (*y*).

Est alius timor, *filialis* nempè & castus; quo movente, hominem justificatum sic *delectat invisibilis, pulchra, sancta justitia, ut non ad eam timore* servili *cogatur* (*z*), sed peccare idcircò metuat, quòd Dei gratiam, Deumque, supremum videlicet bonum, nolit amittere. Hinc timor iste semper adjunctam habet charitatem, imò est ipsa *charitas, foràs mittens timorem* servilem (*a*), quo impulsus animus *pœnâ terretur, non justitiâ delectatur* (*b*); quo proindè si quis erga Deum affectus sit, *non est perfectus in charitate* (*c*). Perfecta verò charitas (saltem juxta plurium Theologorum sententiam Nobis probatam) ea est, 1°. Quâ Deus ita propter se diligitur, ut nullum aliud præmium extra ipsum desideretur, nullaque timeatur alia pœna, quàm *faciem ejus* non *videre, & ejus gloriâ* non *satiari* (*d*). *Quæritur præmium, sed quod amatur* (*e*); timetur pœna, sed privatio ejus quod amatur. 2°. Eâ charitate præditus, tam ignito erga Deum sensu afficitur, ut ad ipsum totâ mentis intentione contendat, totoque cordis impetu suspiret. Hunc verò tantæ excellentiæ affectum certò dijudicare, *scrutantis corda* solius *Dei* est, cujus inter optima dona meritò computatur.

Itaque *timor* ille *Domini sanctus* (*f*), qui charitate perfectâ non excluditur, & qui in justis *viam mandatorum Dei dilatato corde currentibus* non deficit, Contritioni perfectæ admisceri potest; comitemque

(*t*) *Matth.* 10. 28.
(*u*) *Eccli.* 25. 16.
(*x*) *S. Cypr. Ep.* 2. (*al. lib.* ad Donat.)
(*y*) *Eccli.* 1. 27.
(*z*) *S. Aug. serm.* 159. (*al.* 17.) de verb. Apost.
(*a*) 1. *Joan.* 4. 18.
(*b*) *S. Aug. Ep.* 120. (*al.* 53.) *c.* 21.
(*c*) 1. *Joan. sup.*
(*d*) *Ps.* 41. & 16.
(*e*) *S. Bern.* de dilig. Deo, *c.* 7. (*al.* 17.)
(*f*) *Ps.* 18.

habet ingenui filii pium ac liberalem affectum, quo patrem à se offensum uberrimis lacrymis prosequitur: cui nempè quòd displicuerit, summi instar mali sibi esse arbitratur; & cui ne ulteriùs displiceat, tantùm metuit, quantùm & ipsum diligere, & ab ipso diligi se concupiscit.

Porrò Attritio cum Sacramento sufficiens, licèt motu fructuque inferior, voluntatis immutationem peccatique odium nihilominùs complectitur. Etenim, cum spe veniæ, voluntatem non peccandi includens, haud dubiè adjunctum habet propositum observandi omnia Dei mandata, ideòque primum de charitate mandatum; quod quidem propositum sine amore Dei (saltem inchoato) neque esse, neque concipi potest.

Est gehennæ timor infimi generis, *serviliter servilis* vulgò dictus, quo nempè ita animus afficitur, ut ad peccandum paratus esset, si sibi liceret impunè peccare. Timor ille manum quidem à peccato cohibet; sed *veteris vitæ odium*, prout tamen requiritur (*g*), non includit: animum non immutat, neque à creatura ullomodò ad Creatorem reducit. Atque idcircò peccator in eo statu remanens, ad consequendam peccatorum veniam nequaquam est idoneus; quæ certè iniquitatem diligenti, ac Deum quasi tyrannum suis cupiditatibus infensum, sine ulla cordis ad ipsum conversione, reformidanti minimè conceditur.

Jam verò Confessarius, postquàm hìc summatim exhibita recognoverit quæ circa Contritionem perfectam & imperfectam, circa timorem Dei *filialem* & *servilem* necessaria aut utilia esse possunt, majorem in modum suadeat ut, posthabitis inanibus argutiis *quæ quæstiones præstant magis quàm ædificationem* (*h*), hæc in praxi fideliter observentur.

Studeant Pœnitentes Contritionem non solùm imperfectam, sed & perfectam assequi. Timorem Domini, ejusque amorem ab eo suppliciter efflagitent, modò dicentes cum Propheta: *Confige timore tuo carnes meas, à judiciis enim tuis timui* (*i*); modò cum eodem: *Diligam te, Domine, fortitudo mea*, &c. (*k*). Presbyteri autem excipiendis Confessionibus præpositi, *gratiæ multiformis* (*l*) impulsum in Pœnitentium animis sedulò investigent, suaque illi monita atque hortamenta saluberrimum in modum attemperent. Nunc suaviter exhibitâ virtutis honestate alliciant; nunc ad vivum objectâ peccati fœditate percellant; nunc judiciorum Dei æternique ignis tremorem incutiant; nunc delicias ineffabiles veris atque sinceris Pœnitentibus promissas, immensamque ac perennem exigui & momentanei laboris mercedem exhibeant. Quid plura?

(*g*) *Conc. Trid. sess.* 14. *cap.* 4.
(*h*) 1. *Tim.* 1. 4.
(*i*) *Ps.* 118.
(*k*) *Ps.* 17.
(*l*) 1. *Petr.* 4. 10.

gratiæ motibus & singulorum ingenio sese accommodet Confessarius, ea cuique proponens pœnitentiæ incitamenta, quibus eum vehementiùs commovendum prudenter judicaverit. Meminerit autem nullum amore divino efficacius peccati remedium esse, nullum pariter eo nobilius atque utilius Contritionis incentivum. Quamobrem, ut illius votis obsequatur, qui cœlestem hunc *ignem venit mittere in terram* (*m*), præcellentis & sacræ dilectionis faces Pœnitentium cordibus vividissimas subdere conetur.

Quoniam verò (ut jam præmonuimus), juxta consuetum ordinem, non à sublimioribus incipit conversio peccatoris, quò faciliùs ad Contritionis perfectionem per quosdam veluti gradus assurgat anima peccatrix, omnium primum, suadente Sacerdote, videat & sentiat qualis anteà fuerit, cùm *Panem Angelorum* comederet (*n*), qualis autem facta sit, ex quo *siliquas porcorum*, turpissimam videlicet peccati saturitatem, ignobiliter concupivit (*o*): è sponsa Christi, subjecta satanæ; è templo Spiritûs sancti, spirituum immundorum spelunca; è liberta Dei, rursùs captiva in servitute peccati; è sorore Angelorum, socia dæmonum; è columba in Dei sinum volante, reptile fœdissimum, limoque turpiter infixum. Tum videat & sentiat homo divinæ Legis violator, quantum sibi malum ex peccato consciverit. Qui scilicet, pro momentaneæ voluptatis fructu, pro caduci honoris fumo, pro miserrimæ ultionis dulcedine, pro vilissimi lucri mercede, Dei gratiam ultrò perdiderit; undè & divinâ filiorum adoptione & spe incorruptibilis hæreditatis spoliatus, Deum patrem Christumque fratrem & cohæredem habere desierit, infernum sibi reseraverit & cœlum clauserit.

Deindè exponatur quantæ sit indignitatis, ut ausus fuerit homo, qui *pulvis & cinis* est (*p*), adversùs Deum recalcitrare, *jugum ipsius confringere* (*q*), & quasi rebellionis arroganti verbo dicere: *Non serviam* (*r*); quantæ cæcitatis, ut *dereliquerit Deum factorem suum, & recesserit à Deo salutari suo* (*s*); quanti furoris, ut benignissimum patrem contumeliâ affecerit, ut *Filium Dei conculcaverit* (*t*), ut Spiritum sanctum à se depulerit. Subindè animo revolvat, cùm *in abominationibus suis Deum ad iracundiam provocaret* (*u*), quantâ *bonitate*, quantâ *patientiâ & longanimitate ad pœnitentiam expectaretur* (*x*); quanta fuerit divina misericordia, quæ impœnitentem non deseruerit, sed frequenter admonuerit conscientiæ stimulis, visitaveritque *tribulationibus*, quasi virgâ paternâ filium errantem corripiens; quique spargens pœnales amaritudines super illicitas voluptates, *sicut*

(*m*) *Luc.* 12. 49.
(*n*) *Ps.* 77.
(*o*) *Luc.* 15. 16.
(*p*) *Gen.* 18. 27.
(*q*) *Jerem.* 2. 20.
(*r*) *Ibid.*
(*s*) *Deut.* 32. 15.
(*t*) *Hebr.* 10. 29.
(*u*) *Deut.* 32. 16.
(*x*) *Rom.* 2. 4.

vulneratum in sepulcro dormientem excitaverit (*y*). Dies enimverò illos reminiscatur infelices, quibus injustam peccati jucunditatem malesanus consectabatur. *Quem fructum habuit tunc in illis, in quibus nunc erubescit* (*z*)? Nonne suâ *ligatus ferreâ voluntate suspiravit* (*a*)? Nonne, *lassatus in via iniquitatis* (*b*), in hæc verba interiùs erupit: « Fecisti nos ad te, Domine, & irrequietum est cor nostrum, donec requiescat in te (*c*)? Væ animæ audaci, quæ speravit, si à te recessisset, se aliquid melius habituram (*d*). » Nonne profundissimo quodam sensu expertus est promissa mundi futilia, voluptates occultâ spinâ pungentes, *cuncta* denique *vanitatem & afflictionem spiritûs* (*e*)?

Tum verò, ut plenam dulcissimæ consolationis fiduciam Pœnitenti suggerat, luculenter ostendat Confessarius, Deum non modò clementem esse Dominum, qui parcere sciat aliquandò, ut potè amans hominem quem fecit & refecit, sed etiam tenerrimum Patrem, qui filium errantem, ut primùm ad se revertitur, benignè suscipit (*f*), & *super uno peccatore pœnitentiam agente* maximum in cœlo vult esse Angelis suis gaudium (*g*).

His gradibus cùm mentes terrenis affectibus depressas paulatim ad cœlestem divini amoris affectum sustulerit, opus suum compleat, suavissimè revocatâ Christi patientis memoriâ: cujus divini Redemptoris vulnera, sanguis, mors denique crudelissima, & odium peccati JESUM crucifigentis, & amorem JESU propter peccatum crucifixi, eloquio quodam significantissimo præcipiunt.

Superest ultimus atque inter cæteros perfectissimus Contritionis gradus, ubi hæc scilicet ex amore Dei concipitur, quatenùs in se infinitè boni & perfecti, modoque omnium absolutissimo quidquid in creaturis amabile occurrit, in seipso continentis: cujus nempè solius amor beatos facere nos potest, nostraque implere desideria; qui se à nobis amari exoptat, imò etiam imperat; ac demùm sine cujus amore in cordibus nostris dominante, nulla speranda est salus, nulla felicitas.

Talia Contritionis incitamenta, non quidem promiscuè, sed prout occasio Pœnitentisque dispositiones tulerint, cum multa pietate atque unctione suggerant Confessarii. Et quò certiùs hunc finem assequantur, seipsos primùm *ignito Dei eloquio* succendant (*h*), seque in Dei sanctâ dilectione jugiter exerceant. Charitatem facilè infundit qui charitate fervet: de amore divino frigidè loquitur, cujus in corde non factus est ille amor *quasi ignis exæstuans* (*i*).

(*y*) *Ps.* 87.
(*z*) *Rom.* 6. 21.
(*a*) *S. Aug.* Conf. *l.* 8. *c.* 5. (*al.* 10.)
(*b*) *Sap.* 5. 7.
(*c*) *S. Aug.*
(*d*) *Idem.* (*e*) *Eccle.* 1. 14.
(*f*) *Luc.* 15.
(*g*) *Luc.* 15. 10.
(*h*) *Ps.* 118.
(*i*) *Jerem.* 20. 9.

CAPUT V.

DE Confessione.

CONFESSIONIS definitio explicata. Confessionem, tanquam à Domino institutam, astruit Ecclesiæ Traditio. Confessio Jure divino necessaria. Quàm malè Confessionem explodat Hæresis. Auricularis *Confessio nunc sola in usu est. Præter Confessionis annuæ præceptum, quænam circumstantiæ ad confitendum urgeant. Officium Pastorum in audiendis, non modò periclitantium, verùm etiam cæterorum Parochianorum Confessionibus. Pœnitentialis ministerii fructus.*

CONFESSIO sic intelligitur, ut sit *Accusatio propriorum delictorum, ab ipso peccatore apud Sacerdotem approbatum emissa, ad eorum remissionem, virtute Clavium, scilicet Absolutione sacramentali, obtinendam.*

Hæc est Confessionis definitio: quam quidem per singula capita breviter explicabimus.

Ac primò, *non declinet cor* Pœnitentis *in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis* (*a*). Confessio enim *accusatio* est, non excusatio; nec verò tanquam *lætantis cùm malè fecerit, suumque peccatum, Sodomæ instar, prædicantis* malesana jactatio (*b*); nec veluti rem gestam otiosè referentis vana quædam narratio. Accusatorio animo peccata enumeranda sunt; sic videlicet ut Pœnitens speciem gerat hominis sibi meritò displicentis, atque in malorum operum accusatione quodammodò frementis (*c*).

Est *propriorum* delictorum accusatio, non autem alienorum. De his quippè in Confessione omninò silendum est, nisi aliter fieri compellat necessitas: si v. g. scelus quantum sit, tacito sceleris consorte, innotescere nequeat; si propria delicta declarari aliter non possint; vel si aliena quoquomodò sint Pœnitentis propria, sive quòd iis locum dederit, sive quòd eorum particeps fuerit, scandalo v. g., jussione, consilio, auxilio, conniventiâ; cùm scilicet ea impedire debuerit ac potuerit, nec tamen impedierit. His & similibus casibus exceptis, peccati socium nullus debet in Confessione detegere (*d*); semper autem, si fieri possit, alius

(*a*) *Ps.* 140.
(*b*) *Prov.* 2. 14. *Is.* 3. 9.
(*c*) *Ezech.* 6. 9. & 20. 43. & 36. 31. *S. Aug. Tract.* 49. in Joan. §. 19.
(*d*) *S. Thom.* opusc. 12. *q.* 6.

adeundus

adeundus est Pœnitentiæ Minister, cui sit ignotus peccati socius: sin aliter, cum multa prudentia detegatur.

Ab ipso peccatore emittenda est hujusmodi accusatio. Et quidem, apud sacrum Tribunal, Deus in persona Sacerdotis reum habet ultrò fatentem, ut absolvatur; non, quemadmodùm in foro humano, alienâ declaratione accusatum, ut, postquàm admissi sceleris convictus in Judicio fuerit, condemnetur. Jam verò tenetur Pœnitens, verbis, non litteris, per se, non per alium confiteri. Tunc solummodò licita est Confessio per interpretem, cùm ille nisi linguâ Confessario ignotâ loqui non potest.

Apud Sacerdotem confitenda sunt peccata. Primùm quidem summo *Legislatori & Judici* Domino *suam* quemque *injustitiam confiteri* oportet (e): quæ nimirùm Confessio, saltem generalis, sub ipsa Lege Mosaïca in usu fuit ad peccatorum expiationem, quatenùs peccata expiari per legales observantias poterant (f). Insupèr autem, novâ sub Lege, emittenda est commissorum declaratio apud Sacerdotem, cui à supremo Judice collata fuit ligandi & solvendi potestas. Cujus in rei typum, manente veteri Testamento, lex posita erat leprosis ut se Sacerdotibus ostenderent: quo genere lepræ infecti essent, dijudicabant Sacerdotes; posteà verò, an mundari, an non, cognitâ causâ, declarabant; & quorum dubia erat curatio, eos temporis experimento explorabant (g). In lepra corpus maculante, expressa quædam agnoscitur figura peccati, animas fœdâ contagione polluentis. Tenentur peccatores delicta Sacerdotibus per Confessionem aperire: Sacerdotum autem prærogativa est *inter lepram & lepram* (h), inter peccatum & peccatum discernere, convenientia vulneribus ostensis remedia præscribere (i), curationem denique, vel maturam cautè impertiri, vel immaturam considerata tarditate suspendere.

Neque verò apud quemlibet Sacerdotem, sed *apud Sacerdotem approbatum* emitti debet Confessio. Ut enim seculares validè absolvere possit sive Secularis sive Regularis Presbyter, Jure communi necesse est Parochiale Beneficium ab eo possideri, vel Diœcesani Pontificis Approbationem fuisse impetratam; nisi mortis immineat periculum, & nullus præstò sit Sacerdos approbatus.

Finis demùm Confessionis est *delictorum remissio per absolutoriam sententiam impetranda* (k). Quòd si igitur, propter verecundiam, Confessio gravis utcumque videri potest, maximo fructu ac dulcissimâ consolatione sublevatur hæc difficultas (l). » Omnia namque in Confessione » lavantur; conscientia mundatur,

---

(e) *Jac.* 4. 12. *Ps.* 31.
(f) *Levit.* 16. 21. & c. 26. 40. *Num.* 5. 6. 7. 1. *Esdr.* 9. 2. *Esdr.* 9. 2. 3. & *seq.* *S. Aug.* Hom. 12. n. 1.
(g) *Levit.* 8.
(h) *Deut.* 17. 8.
(i) *S. Chrys. Hom.* 33. in Joan.
(k) *S. Ambr.* de Pœnit. *l.* 2. *c.* 6. *Vide S. Cypr.* de lapsis.
(l) *Conc. Trid. Sess.* 14. *c.* 5. de Conf.

» amaritudo tollitur, peccatum fugatur, tranquillitas redit, spes reviviscit, animus hilarescit (*m*). »

« NEQUE satis fuerit (inquiunt Patres Concilii Parisiensis) de peccatis conteri, & ea apud sese Deo confiteri, nisi Sacerdoti quoque sacramentali Confessione detegantur. Ea quippè nec humanum, nec recens inventum esse potest, quæ tot & tantis fulcitur Scripturarum oraculis. Ad hanc enim, præter multas Mosaïcæ Legis figuras, propiùs manu duxisse videtur, primùm ille Christi præcursor, à quo qui baptizabantur, *confitebantur peccata sua:* tum Christus ipse, dum suscitatum Lazarum ab Apostolis solvi jubet; & ei quem à lepra curaverat, præcipit ut sese Sacerdotibus ostendat. At tum demùm *hujusmodi Confessionem instituit & præcepit, cùm, postquàm in Apostolos insufflasset, *Accipite*, inquit, *Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.* Nam quomodò remittere quæ sibi cognita non fuerint? aut quo pacto eorum judex esse poterit, quæ prorsùs ignota sint? Oportet itaque, quem antiquus ille serpens occultè momorderit, abstrusissimum quodque vulnus medico detegere; pudorem, in satisfactionis partem, de quovis errato pati; ne, dum occultis peccatorum vinculis sese teneri dissimulat, horrendæ tandem sub omnium oculis æternæ damnationis laqueo constringatur. Proindè statim ab ipsis Ecclesiæ nascentis incunabulis sacer ille confitendi ritus, de interioribus, nedùm de exterioribus tantùm, inolevit. Rectè igitur hanc exomologesis legem à Christo institutam, per Apostolos ad nos usque deductam, & ab universali Ecclesia observatam, à cunctis Christi Fidelibus sectandam esse, & contravenientes auctoritate Concilii Constantiensis & aliorum complurium damnatos declaramus (*n*). »

Nec quisquam existimet Confessionem sacramentalem usque ad Concilii Lateranensis quarti tempora ignotam in Ecclesia fuisse, ab ipsoque tum demùm institutam (*o*). Neque enim statuit sacer ille conventus ut Christi Fideles confiterentur, quod Jure divino necessarium & institutum esse intellexerat; sed tum primùm generaliter sanxit ut præceptum Confessionis, saltem semel in anno, ab omnibus & singulis, cùm ad annos discretionis pervenissent, impleretur (*p*): undè discernerentur Catholici à novis Manichæis (Albigensibus præsertim) illâ ætate grassantibus, quibus solemne erat, inter cætera divinæ gratiæ instrumenta, Pœnitentiæ Sacramentum respuere; quique contendebant se posse per solam manuum impositionem peccata dimittere. Et verò Ec-

(*m*) De domo inter. *ap. S. Bern. c.* 21.
(*n*) *Conc. Parif. an.* 1528, Decr. fidei 10, *art.* de Confess.
(*o*) *Conc. Trid.* sup.
(*p*) *Ibid.*

clesia Confessionem sacramentalem tanquam ex ipsa CHRISTI JESU institutione profectam, summâ Religione semper observavit. Quod quidem perpetuæ traditionis testimonio evincitur, dum, inter Patres, alius affirmat *necessariò iis peccata aperiri debere, quibus credita est dispensatio Mysteriorum Dei* (*q*); alius autem significantiùs explicat, Confessionem *de omnibus delictis, seu carne, seu spiritu, seu facto, seu voluntate commissis* emittendam (*r*); alii denique, sub *exomologesis* & *exagoreusis* nominibus (*s*), eam ut *evangelicam, fontem justificationis* (*t*), *vitamque peccatoris, sine qua peccator mortuus reputatur* (*u*), amplectendam esse, unâ eademque sententiâ declarant.

Et certè divinam Confessionis institutionem nemo non agnoscat, cui comperta sit ipsius Pœnitentiæ institutio. Frustrà enim Christus Apostolis, atque in illorum persona Sacerdotibus, legitimis eorumdem successoribus, ligandi atque solvendi potestatem contulisset, si peccatores, secluso Sacerdotum ministerio, reconciliari potuissent, & nisi delicta sua Clavibus Ecclesiæ per Confessionem subjiciendi imposita eis fuisset necessitas. Uno verbo, sublatâ Confessione, otiosa manet peccata remittendi & retinendi potestas; in hac siquidem divini judicii novâ formâ, nullus, præter ipsum ultrò confitentem reum, accusator est, nullus testis. Meritò igitur « ex institutione Sacramenti Pœnitentiæ universa Ecclesia semper » intellexit, institutam etiam esse » à Domino integram peccatorum » Confessionem, & omnibus post » Baptismum lapsis Jure divino ne» cessariam existere (*x*). » Hinc, licèt perfectâ Contritione deleatur peccatum, quia tamen in ipsa includitur votum Sacramenti, tenetur peccator sese ad Confessionis Tribunal sistere. Tantæ ac tam ineluctabilis (in consueto rerum cursu) necessitatis est Confessio!

Huic autem Religionis dogmati Hæresim refragari quàm pronum esset, facilè intelligitur. Cùm enim quidquid sanctitatis, quidquid pietatis & Religionis apud Ecclesiam summo Dei beneficio conservatum est, id magnâ ex parte sit Confessioni tribuendum; piorum nullus miratur quòd generis humani hostis infensissimus, dum fidem Catholicam funditùs evertere cogitaret, per impietatis suæ ministros & satellites hanc veluti Christianæ virtutis arcem totis viribus oppugnaverit. *Erubescant & confundantur* Pseudo-evangelici (*y*), qui apud gentes malè blandienti errore circumventas è medio tollere non reformidaverunt Confessionis praxim *à sanctissimis & antiquis-*

(*q*) *S. Basil.* in Reg. brev. resp. ad interr. 288.
(*r*) *Tert.* de Pœnit. *c.* 4. *Vide Conc. Cabil. II*, *an.* 813. *can.* 32.
(*s*) *S. Cypr.* de laps.
(*t*) *S. Ambr.* de Abel & Caïn *l.* 1. *c.* 9. (*al.* 34.)
(*u*) *S. Bern. Serm.* 40. de div. *Vide Tert.* de Pœnit. *c.* 10. *Orig. Hom.* 2. in Levit. *Paulin.* vit. S. Ambr. *S. Chrys.* de Sacerd. *l.* 3. *c.* 5. & de muliere Samar. *S. Aug. Serm.* 353. *S. Leo*, *Ep.* 82.
(*x*) *Conc. Trid.* sup.
(*y*) *Ps.* 6. *Is.* 41. 11.

simis Patribus tanto tamque unanimi consensu commendatam (z), tot ac tantis fructibus tamdiù in Ecclesia Dei fœcundam, præcipuum hominis Deo reconciliandi perfugium, animarum sub peccati mole gementium levamen & consolationem, salutarium consiliorum fontem, frænum licentiæ necessarium, disciplinæ robur, morum tutelam, omnis denique virtutis atque honestatis præsidium.

Videant & sentiant quàm impium sit « Confessionem impossibi» lem dicere, aut *carnificinam* illam » *conscientiarum* appellare. Constat » enim, nihil aliud in Ecclesia à » Pœnitentibus exigi, quàm ut, » postquàm quisque diligentiùs se » excusserit, & conscientiæ suæ si» nus omnes & latebras exploravе» rit, ea peccata confiteatur, qui» bus se Dominum & Deum suum » mortaliter offendisse meminerit; » reliqua autem peccata quæ dili» genter cogitanti non occurrunt, » in universum eadem Confessione » inclusa esse intelliguntur; pro » quibus fideliter cum Propheta di» cimus: *Ab occultis meis munda » me, Domine*. Ipsa verò hujus» modi Confessionis difficultas, ac » peccata detegendi verecundia, » gravis quidem videri posset, nisi » tot tantisque commodis & conso» lationibus levaretur, quæ omni» bus dignè ad hoc Sacramentum » accedentibus per Absolutionem » certissimè conferuntur (a). »

Atque hæc modò dicta verecundia penitùs evanescet, nec quemquam id confiteri pudebit quod committere non puduit, si paulisper attento animo recogitet confitendum sibi esse apud unum hominem suî similem & peccatorem, qui proindè non is sit *qui non possit compati* humanis *infirmitatibus*; apud hominem denique inviolabili lege obstrictum ut illud omne altissimo ac perpetuo tegat silentio, quod in sacro Tribunali vices Dei gerens audierit; ita ut nullo unquam tempore, nullâ de causa, nullo prætextu, neque directè, neque indirectè possit cuiquam mortalium id revelare quod ex sola Confessione sacramentali compertum habuerit.

Gravissimè autem & periculosissimè errant, qui certa peccata in solo mortis articulo Sacerdotibus aperienda esse animo fingunt: undè ipsi reverà usque ad metam vitæ ultimam criminosissimum quodque in Confessione occcultant; cùm tamen, utrùm eo tempore confitendi facultatem sit habiturus, nemo divinitùs revelatum acceperit. Si deprehendat Confessarius quemquam exitioso hujusmodi errore decipi, eum in charitate Domini nostri JESU CHRISTI oret atque obtestetur, ne ulteriùs in tremendo hujusmodi negotio, ubi nimirùm de æterna salute agitur, seipsum voluntariâ cæcitate agat præcipitem.

OLIM Pœnitentes, quibusdam in locis, publica peccata publicè con-

(z) *Conc. Trid.* sup. (a) *Ibid.*

fitebantur (*b*) : imò ad Confessionem coactos legimus sceleris alicujus manifestos, ipsisque graviorem quàm iis qui spontè confessi essent, impositam fuisse pœnitentiam (*c*). Occulta verò peccata nunquam nisi occultè declarari præcepit Ecclesia (*d*). Nunc, sive publicorum, sive occultorum Confessio in usu nulla est, præter secretam & *auricularem* (*e*) : cujus præcepto, juxta œcumenici Lateranensis Concilii Decretum (*f*), semel per annum obstringuntur Fideles. Sed, Jure divino, urget Confessionis præceptum (positâ lethalis culpæ conscientiâ), 1°. Sacerdotes qui Missam celebraturi vel aliquod Sacramentum administraturi sunt : 2°. (Juxta potiorum Theologorum sententiam) Diaconos & Subdiaconos cùm sacra Ordinum suorum munia solemniter obituri sunt : 3°. Fideles quibus suscipiendum est quodlibet *vivorum* Sacramentum, gratiam utique sanctificantem requirens : 4°. Eos omnes qui longinquum iter, præcipuè maritimum, vel in regiones non Catholicas arripiunt : 5°. Periculosè decumbentes, aliterve in probabili vitæ discrimine constitutos : quales sunt milites in pugnæ procinctu, mulieres prægnantes, multò magis in prima graviditate, vel cùm difficilem jam anteà partum expertæ sunt. Hi, & si qui sunt eorum similes, cùm suppetit confitendi facultas, confiteri tenentur. Et quamvis Ecclesiastico præcepto divini executionem determinanti satisfaciat is qui semel in anno confitetur; quotiès tamen in peccatum lethale quispiam lapsus est, quicumque ille sit, consultissimum procul dubio & quasi necessarium est, ut tam salutare mox adhibere satagat remedium; ne in statu damnationis, in quem se miserrimè conjecit, cum tanto suo periculo sciens perseveret. Quin etiam ii, nullâ interpositâ morâ, sese Confessionis præsidio munire debent, quibus, propter insitam fragilitatem iterandæ culpæ probabiliter causa esset dilata Confessio : undè scilicet in multis, experientiâ teste, invalescunt pravæ consuetudines; *peccatum enim quod per Pœnitentiam non deletur, suo pondere in aliud trahit* (*g*).

Itaque moneantur omnes cujuslibet sexûs & conditionis Fideles, in consueto vitæ curriculo etiam robustissimâ valetudine gaudentes, ut à periculoso peccati statu resurgere, invocato divinæ gratiæ auxilio, festinent; *non adjiciant peccatum super peccatum; non tardent converti ad Dominum, & ne differant de die in diem* (*h*) : *qui enim pœnitenti veniam spopondit, diem crastinum non promisit* (*i*). Præterquàm quòd frequentem peccatorum Confessionem vehementer suadet quæ plurima sæpè occurrit venialia à lethalibus discernendi difficultas, atque insupèr ingens fructus qui ex frequenti Confes-

(*b*) *Tert.* de Bapt. *c.* 20.
(*c*) *Conc. Elib. c. an.* 304. *can.* 76. *S. Greg. Thaum. Neoc. Episc.* Epist. Canon. *can* 8. & 9.
(*d*) *S. Leo, Ep.* 80. (*al.* 136.) *c.* 2.
(*e*) *Conc. Trid. Sess.* 14. *cap.* 5. de Confess. (*f*) *Can.* Omnis utriusque sexûs.
(*g*) *S. Greg. Hom.* 11. in Ezech.
(*h*) *Eccli.* 5. 8.
(*i*) *S. Greg. Hom.* 12. in Ev.

ſione percipitur. Scilicet pravi habitus ſenſim extirpantur; atque opportunis remediis à prudenti Sacerdote præſcriptis, tentationibus efficaciter obviatur. Quæ quidem cauſa eſt cur homines in timore Domini ambulantes, ſuæque ſalutis curam debitam gerentes, hoc ſaluberrimum vitii devitandi atque in virtute proficiendi ſubſidium frequentare aſſueverint.

Jam verò Paſtores nomine ac titulo juſtitiæ tenentur periclitantium Parochianorum Confeſſiones audire, ſæpiùſque illos viſitare & ad confitendum inducere; etiamſi, ob contagionem, propriæ vitæ periculum immineat: omni tamen adhibitâ curâ, ac diligentiâ ut populis, quibus in afflictione gementibus & ſolatium afferant & ſubſidium, ſeipſos, ſi Deus adjuvet, ſoſpites conſervent. Nec cæteris quidem temporibus, tutâ conſcientiâ, poteſt ullus Parochus quemquam ſuorum ad Pœnitentiæ Tribunal venientem repellere. Reliquis autem Confeſſariis pro lege eſſe debet charitas, & inflammatum ſanctificandi proximi deſiderium. Quotiès igitur poſtulati fuerint, ſereno vultu multâque affabilitate ſermonis quoſlibet ſuſcipiant; & nedùm cuiquam ſuſpicandi locus detur ſe minùs libenter admitti vel audiri, quin potiùs tam benignam atque univerſam præ ſe ferant charitatem, ut manifeſtum cuique faciant dulciſſimam conſolationem & ſingularem animi voluptatem ſibi ex eo naſci, quòd in curandis ſublevandiſque animabus aliquid laboris atque ſollicitudinis impendant. Abſit autem ut Paſtor officio functus ſibi videatur, ſi Parochianos, urgente duntaxat Paſchali præcepto, pridiè nuptiarum, & in mortis periculo, ſi pueros ante primam ſolummodò Communionem, aut ſemel per annum confitentes audierit. Nihil etiam actum reputabit, ſi quoſcumque Pœnitentes monitis generalibus inſtructos, qualicumque impoſitâ Pœnitentiâ, promiſcuè abſolvat, de vitiorum extirpatione, de ſpirituali ovium ſuarum profectu minimè ſollicitus, nec quidquam aliud in animo habens, niſi ut, quod omninò detrectare non poſſit, quàm maximâ celeritate & quàm minimo labore adimpleat. *In agro* hujuſmodi *hominis pigri* nulla virtutum ſeges, nulla meſſis animarum; ſed *totum replent urticæ, & operiunt ſuperficiem ejus ſpinæ* (*k*), ſcilicet vitiorum & ſcandalorum fœdiſſima plantatio.

Itaque caveant omnes Parochi, ne, quibus temporibus frequentiores eſſe ſolent Confeſſiones, imprimìſque ab initio Quadrageſimæ, multò magis à Dominica Paſſionis ad Dominicam *in albis depoſitis*, quin etiam Dominicis Adventûs, inſtante præſertim Feſto Natalis Domini, hoc munus in ſuis Eccleſiis ſine evidenti neceſſitate prætermittant, vel plus æquo differant. Singulis prætereà Dominicis Feſta ſolemnia præcedentibus, Fideles ſibi creditos plurimùm cohortentur ut Pœnitentiæ Sacramentum adeant,

(*k*) *Prov.* 24. 30.

propositis ejusdem fructibus, traditisque insupèr dispositionibus ad illud ritè fructuosèque suscipiendum requisitis; quâ quidem Confessionis adhibitâ præparatione, digniùs celebrentur ejusmodi Festivitates, si potissimùm, de spiritualis moderatoris consilio, ad sanctissimam Dominici Corporis Communionem accedatur (*l*). Pastores autem in earum Solemnitatum Vigiliis, & ipso manè, quinimò (saltem in locis populosis, ac præcipuè in urbibus) horis Sabbati cujusque pomeridianis & ipso manè Dominicæ, ad sedem Confessionum assidui sint. Nec minorem in exercendo Pœnitentiæ ministerio diligentiam adhibeant cæteri sive Seculares sive Regulares Confessarii.

Nec verò se quidquam egisse putent, cùm ingentem paucis horis multitudinem expeditam dimiserint; sed cùm non ita plures tamdiù discussos idoneisque hortamentis formatos, quamdiù res & persona quæque tulerit, ad fugiendum peccatum suamque salutem curandam suaviter impulerint. Quantacumque igitur frequentiâ Confessionis Tribunal obsideatur, nunquam ita festinet Confessarius, ut Pœnitens, quicumque ille sit, liberrimè loqui prohibeatur quidquid sublevandæ conscientiæ aut accipiendi consilii causâ loquendum constituerit, vel ut imperfectè negligenterque tanti momenti & ponderis opus absolvatur.

Et quidem pro certo tenendum est opportunissimam lucris animarum occasionem in audiendis Confessionibus præberi, atque uberrimam sollicitudinis Pastoralis benedictionem & consolationem ex hoc ministerio, ut par est, adimpleto, efflorescere. Nusquam faciliùs quàm in Pœnitentiæ Tribunali poterunt Sacerdotes divinum amorem cordibus afflare; nusquam certiùs & studium virtutis & vitii fugam suggerere; nusquam efficaciùs Deo cultores, Regi subjectos, Patriæ cives instituere. Ut demùm non longo temporis intervallo renovetur facies Parochiæ, quantumvis anteà neglectæ atque adeò in vitiorum luto demersæ, sufficit unus, qualis infrà exhibebitur, Pœnitentiæ Minister vitæ integritate, scientiâ, prudentiâ, igneo salutis animarum studio, cæterisque necessariis dotibus instructus. Quod quidem insigni præ cæteris experientiâ compertum est in duabus hujusce Diœcesis Parochiis, quas olim rexit, Sacerdotii decus, Religionis præsidium, humanitatisque patientis auxiliator sanctus Vincentius à Paulo.

(*l*) *Conc. Senon. cui aderat D. Guill.* Chartier, *Paris. Episc. an.* 1460, *art.* 4, *c.* 1.



CAPUT VI.

De conditionibus legitimæ Confessionis.

SINCERITATEM in confitendo quid potissimùm suggerat. Ut integra sit Confessio, declaranda sunt peccatorum species, numerus, & circumstantiæ. Explicatur versus technicus : Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodò, quandò. *Quibusnam in casibus concedi possit Absolutio, licèt generalis tantùm Confessio fuerit. Circumstantiæ imminuentes.*

HÆ sunt Confessionis præcipuæ conditiones, ut sincera & integra esse debeat : alioqui, Minister Pœnitentem audiens confitentem, certo judicio de statu ejus pronuntiare, spiritualibusque ipsius languoribus remedium conveniens afferre non posset. *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur (a)*; & nedùm ullius peccati remissionem obtineat, cætera etiam peccata sacrilegio cumulabit. Nec verò Sacerdotem, at seipsum infelix decipit, qui delicta in Confessione occultat; *neque homini, sed Deo mentitur.*

Quod malum omni exitio pejus diligenter vitarent Fideles, gratiæque fontem in damnationis causam non converterent, si triplicem, quam gerit Confessarius, personam attento paulisper animo vellent considerare. Ipso *Patris* nomine, quo sepiùs eum compellant, plurima suggeritur fiducia. Medicus est insupèr, ad curandos animæ morbos charitate plenus. Sed ea fortasse quam pariter sustinet, Judicis persona legitimè impedit ne nos ad ejus Tribunal sine aliquo timore sistamus. Vanum terrorem abigit ratio manifesta. Cùm enim Judex secularis ideò tantùm scelera inquirat ut sontes addicat supplicio; è contrario, in hoc sacro Tribunali, delictorum Confessionem non audit spiritualis Judex, nisi ut ea confitentibus absolutoriâ sententiâ dimittat. Incredibilis quædam est cæcitas, peccata confiteri nolle apud unum hominem, *cujus ori ostia & seras facit* silentii lex inviolabilis (*b*); cùm tamen ea, si minùs in Pœnitentiæ Tribunali declarata fuerint, olim & Angelis & hominibus palàm revelanda sint *in die cùm judicabit Deus occulta hominum (c), & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.* Qui nullum gerit delicti pudorem, hic

(*a*) *Prov.* 28. 13.
(*b*) *Eccli.* 28. 28.
(*c*) *Rom.* 2. 16. 1. *Cor.* 4. 5. *Vide S. Aug.* in Ps. 66.

verè

verè pœnitens existimari nequaquam potest; hæc enim dicit Dominus Deus per Ezechielem Prophetam: *Confundimini, & erubescite super viis vestris* (*d*); & per Jeremiam eos corripit, qui, postquàm *abominationem fecerunt, confusione non sunt confusi, & erubescere nescierunt* (*e*): neminem verò sic pudore affici oportet, ut confundatur peccata sua confiteri (*f*). Leprosus à Christo mundari se cupiens, » in faciem procidit (quod » humilitatis est & pudoris), ut » unusquisque de suæ vitæ maculis » erubescat; sed confessionem ve- » recundia non repressit. Ostendit » vulnus, remedium postulavit: & » ipsa Religionis & fidei plena Con- » fessio est (*g*). »

Sit autem Confessio simplex, brevis, clara, & intellectu facilis: non involuta, non verbosa, non obscura & ambigua, qualem sæpiùs emittunt juvenes & fœminæ. Tanto studio compositæ Confessiones, ad tegenda potiùs quàm aperienda peccata idoneæ sunt: tam prolixæ atque intricatæ, plerumque inter optimas haudquaquam sunt numerandæ; pretiosum tempus Confessario demunt, ejus attentionem gravant, moramque injucundam iis pariunt, qui, ut confiteantur, expectant. Resecandæ accusationes vagæ & inanes, querimoniæ domesticæ, aliena vitia, superflua ratiocinia, quorum formulas ex consuetudine recitant plurimi, ac demùm scrupuli, quorum perpetuo circulo eadem centiès iterantur. Prætereà verò, si Pœnitens, quia tectis verbis quædam perstringat, de industria efficiat ne à Confessario intelligatur; vel si sentiat, peccatum quantum sit, à Confessario non intelligi, nec illud ab eo intelligi curet; peccatum celare voluisse meritò censetur: tuncque ipsius Confessio, propter deficientem sinceritatem, irrita & sacrilega non temerè judicatur.

Nullus autem sincerè confiteri potest, nisi integrè confiteatur: quæ quidem integritas in eo sita est, ut, post diligentem disquisitionem, peccatorum lethalium *species, numerus & circumstantiæ* declarentur.

Species quidem; neque enim sufficit ut confiteatur Pœnitens Deum à se graviter offensum, multa se commisisse peccata, se lethaliter peccasse, vel certa quoad numerum delicta lethalia perpetrasse; etiamsi, quotiès cogitatione, locutione, opere, omissione deliquerit, discriminet. Nec satis est ut peccatorum genus declaret (*h*), se v. g. dicens impudicum fuisse; at verò impudicitiæ speciem exprimat necesse est. In quo plurimùm errare solent rudiores personæ, quæ, nisi generali accusatione, se peccasse non confitentur; & quæ, dum obturatæ conscientiæ latebras scrutatur Confessarius, ad interrogata vix aliquid certi & specialis delicti agnoscunt.

(*d*) *Ezech.* 36. 32.
(*e*) *Jerem.* 6. 15.
(*f*) *Eccli.* 4. 31.
(*g*) *S. Ambr.* in Luc. *l.* 5. *Vide ejusd.* Enarr. in Ps. 37. *&* de Caïn & Abel. *l.* 2. *cap.* 9.
(*h*) *Conc. Trid. Sess.* 14. *cap.* 5. de Confess.

Nec solùm exprimi debent quæ exteriùs perpetrata, sed ea insupèr quæ commissa interiùs fuerint solâ consentientis animi cogitatione, vel desiderio, vel proposito, licèt minimè ad effectum perducto (*i*).

Declaratæ speciei addendus est actuum *numerus*, quantùm in memoriam revocari potest, verus & certus (*k*): aliàs irrita & sacrilega esset Confessio. Causa enim longè diversa est, si quis semel, si quis deciès, si quis frequentiùs blasphemaverit, si quis nihil ferè præter blasphemias locutus fuerit. Quòd si non occurrat numerus omninò certus; alius declaretur, qui ad verum, præmisso diligenti examine, accedere videatur. Tunc pro certo sit, qui ut minimùm incertus judicetur. Si autem constituere apud se nequeat Pœnitens quotiès, etiam circiter, in aliquâ specie peccaverit; exprimat saltem quanto tempore in ejusdem peccati consuetudine & occasione vixerit; & quotiès (probabili æstimatione) per mensem, per hebdomadam, per diem, ejusmodi peccatum eo intervallo perpetrare assueverit; an certis temporibus rariùs aut sæpiùs deliquerit: quod ut faciliùs dignoscat, reminiscatur occasiones, personas, animi æstus, aliaque id genus incentiva quibus ad peccandum illectus fuerit. Cujus *iniquitates super capillos capitis multiplicatæ sunt* (*l*), qui scilicet diù & cum supina salutis incuria iis maximè fuit peccatis obnoxius, in quæ potissimùm lapsus lubricus est & frequens, qualia sunt peccata carnis, solâ præsertim cogitatione admissa, juramenta, & similia, quæ solent ex consuetudine non retractatâ obrepere, voluntatem, intellectum, memoriam, oculos, linguam, sensus omnes, corpus & animam perpetuò conscelerare; is ne circiter quidem enuntiare potest quotiès intrà diem, intrà hebdomadam vel mensem, hujusmodi culpas commiserit; frustràque, ut plurimùm, aliquam eâ de re fidem sciscitanti Confessario facere tentaret. Id saltem ab eo exigitur, ut, priùs agnitâ consuetudinis vetustate, respondeat quamdiù vitiosam illam gesserit animi propensionem, per quam, omni datâ occasione, quasi unum & idem sibi fuerint tentatio & lapsus. Neque enim aliter intelligere potest spiritualis medicus quantùm *in limo* iniquitatis *infixus sit* hujusmodi peccator, nec de animæ illius miserrimæ statu quidquam certi constituere, ut vulnerum ejus profunditati congruam medelam attemperet.

Postremò exponendæ sunt peccatorum *circumstantiæ*: 1°. Quæ primam actui speciem moralem conferunt, id est, quæ actum naturâ bonum vel indifferentem, lethaliter malum efficiunt: v. g. (ubi agitur de carnium esu) indictæ abstinentiæ dies: prava in actibus etiam honestis intentio. 2°. Quæ peccatorum speciem mutant, seu novam distinctæ speciei malitiam lethalem peccato conferunt; quæ scilicet nova malitia diversæ repugnet virtuti: qualis est in furto circumstantia loci

(*i*) *Ibid.* (*k*) *Ibid.* (*l*) *Ps.* 39.

Deo sacri; furtum enim justitiæ, & furti locus Religioni repugnat. Si apertâ vi res aliena auferatur, duplex erit injustitia: si furetur persona Religiosa, furtum non modò justitiæ, sed & paupertatis Voto adversabitur. Sic nempè accidere potest ut peccatum è simplici multiplex fiat, & pluribus æquivaleat. Pariter, si quis cum muliere se peccasse confiteatur, explicare tenetur an soluta, an Matrimonio juncta esset, an consanguinea, an Voti alicujus religione Deo consecrata; vel enim fornicationis, vel adulterii, vel incestûs, vel sacrilegii reus evasit. 3°. Quæ notabilem ipsimet lethali peccato gravitatem adjiciunt, vel peccatum ex veniali lethale efficiunt in eadem specie; si quis, v. g. quemquam leviter percusserit, cùm tamen illum occidere, aut saltem graviter vulnerare intenderet: vel quæ eamdem intrà speciem consuetum peccati modum nimis excedunt, ut longa facinoris meditatio, diuturna occasionis consectatio, consanguinitatis gradus propior in incestu, mora longè productior, quàm quæ soleat in facinus declaratum impendi. In quo plurimùm errant, qui ab actûs mali duratione repetendum arbitrantur an lethale, an veniale sit peccatum. Prava enim cogitatio, adjunctum habens liberum voluntatis consensum, etsi temporis puncto effluxerit, lethalis est, & *morosa* meritò dicitur, quamvis nullam ferè traxerit moram. Si autem voluntas obnitatur, quantocumque intervallo temporis in mente versetur cogitatio, non lethalis hæc censetur, sed tantùm venialis; quandò scilicet, propter levem repellendi negligentiam, mentem delibavit leviterque perstrinxit.

Circumstantias aggravantes aperiendas esse, non quidem disertè pronuntiavit Concilium Tridentinum. Cùm verò docuit sancta Synodus teneri unumquemque ad se ipsum, qualis reverà sit, manifestandum, ita ut delictorum malitiam & gravitatem, uno verbo animæ statum facilè introspiciat Sacerdos (*m*); tunc satis superque declaravit aperiendas esse in Confessione circumstantias aggravantes, non minùs quàm eas quæ speciem mutant: quæ certè & Catechismi Tridentini, & S. Caroli expressa doctrina est (*n*). Quæcumque igitur circumstantiæ notabilem peccato lethali gravitatem adjiciunt, ex Sacerdoti necessariò sunt exponendæ.

Porro delictorum circumstantiæ omnes ad septem capita facilè revocantur, sequenti versiculo comprehensa: *Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodò, quandò.*

Quis, eam quæ peccavit, personam designat: utrùm sit Deo sacra, an laïca; utrùm publica, an privata; an officio, voto, juramento ad aliquid faciendum vel omittendum obstricta, quod aliàs præceptum sit vel prohibitum. Deindè personam peccati sociam: an consanguinea sit, &c. Personam deni-

(*m*) *Ubi suprà.* (*n*) *Cat. Trid. part.* 2. de Pœnit. *n.* 63. *S. Car.* Inst. ad Confessar.

que peccato impugnatam : an , qui percussus est vel calumniatus , pater sit , vel mater , Superior , Clericus , &c.

Quid , illius rei quæ peccati materia est , quantitatem & qualitatem significat : an ingens , an exigua res ; an sancta , an profana : quænam injuria illata ; quæ juramenta prolata ; quid scandali evenerit ex delicti gravitate , ex tali colloquio , actione , omissione ; quid detrimenti ex furto passus fuerit proximus. Ea nempè delictorum habenda ratio est , ut eorum gradus justo examine inter se conferantur. Aliud est irasci , aliud convicia effundere ; aliud baculo , aliud gladio ferire : qui totidem sunt iracundiæ gradus inter se distincti. Aliud furtum , aliud rapina , aliud peculatus , aliud latrocinium. Aliud ex Ecclesiæ possessionibus , aliud è thesauro divitis , aliud è peculio mediocris , aliud è substantia pauperis auferre : aliud pecuniam otiosam , aliud quæstu legitimo profuturam subripere. Et quidem delicti malitia in uno actu augeri , quin etiam multiplex fieri potest. Si quis , exempli causâ , alium occiderit ut ejus bona sibi vindicaret , prætereàque ut ejusdem uxore frueretur ; certè homicidii pravitas ex hoc duplici fine duplicatur. Duplo similiter gravius est violentum stuprum vel adulterium , propter injuriæ superadditæ circumstantiam : & vicissim , aut levius , aut nullum est vim patientis mulieris peccatum. Qui centum nummos furatus est , centiès quidem egit criminosiùs , quàm si nummum duntaxat unum subripuisset ; ac multò magis , si personæ cui tale detrimentum intulerit , nihil aliud suppeteret quo res suas tueretur & familiam sustentaret. Scandalo pariter eò magis augetur peccatum , quò plures numerantur personæ scandalizatæ. Quæ omnia in Confessione sigillatim aperienda sunt , ita ut culparum modus innotescat , quarum malitia , pro quantitate *objecti* , materiæ & effectuum , crescit vel decrescit. Interdùm peccati quantitas per additam circumstantiam leviter augescit ; cùm videlicet nihil addit circumstantia præter novam peccati venialis speciem , aut ejus materiam. Ipsum naturâ lethale peccatum , nonnunquam veniale efficitur ; eò quòd scilicet incompletus sit actus ; vel quòd deficiat libertas aut plena deliberatio : cùm v. g. motu primo , vel per ignorantiam non graviter culpabilem committitur. Eumdem effectum parit materiæ levitas : si , exempli gratiâ , quidquam vile subripiatur , neque adjuncta sit mortifera circumstantia. Sed , vice versâ , peccatum ex genere suo veniale in lethale excrescit , propter lethalem ei superadditam circumstantiam. Quod quidem contingere potest. 1°. Ex conscientia erronea aut incertâ , quâ quis peccatum ex genere suo veniale admittens , mortiferum esse arbitratur , vel de eo dubitat. 2°. Ex nimio erga illud animi affectu ; cùm quis videlicet ita in aliquo veniali peccato delectatur , ut paratus esset illud committere , etiamsi lethale foret , aut propter hoc non dubitaturus esset aliquod violare præceptum

cujus foret lethalis violatio : id quod nempè aliis verbis dicitur, *finem suum ultimum in aliquo extra Deum ponere*. 3°. Ex fine vel intentione lethifera : si quis, exempli causâ, verba otiosa proferens, in adulterii consectationem venire intendat : si quis teruntium auferens, aureum velit nummum furari. Atque his tribus modis in peccatum lethale convertitur opus etiam indifferens, imò ex genere suo bonum : si quis v. g. Sacro intersit, *mulierem visurus ad concupiscendum eam* (o). 4°. Denique, cùm notabile aliquod malum, consideratis rerum adjunctis, ex levi delicto secuturum probabiliter metuitur : si v. g. vile quidquam ei surripiatur, qui indè ad sævum furorem aut gravem blasphemiam concitandus esse verisimiliter existimetur.

Ubi, locum denotat in quo scelus commissum fuit : utrùm sacer ille sit, an profanus ; publicusne, an secretus.

Quibus auxiliis : instrumenta, cæteraque patrando sceleri adjuncta subsidia. Utrùm aliquis veneno, an ferro, an insidiis de industria positis occiderit : utrùm vi adhibitâ virginem oppresserit, an lenociniis promissisve seductam corruperit : utrùm rebus bonis ad malè agendum abusus fuerit, orationibus v. g. Oleo sancto, Aquâ-benedictâ, ad maleficium ; an malis ad benè agendum, an, exempli causâ, maleficio sibi vel aliis sanitatem restituere tentaverit : utrùm arte magicâ, an fraude, an mendacio facinus adjutum fuerit : utrùm facinoris participes adhibiti sint liberi, famuli, &c.

Cur, finem extrinsecum, id est, ab ipso operis fine diversum designat : an v. g. cum intentione adulterii, aut furti, vel utriusque simul, commissum fuerit homicidium : an aliquis ensem propter homicidium, pecuniam propter luxuriam sit furatus : utrùm ridendi, an potiùs nocendi causâ quispiam de proximo detraxerit : utrùm fallere, an calumniari, an blandiri intenderit qui mentitus est.

Quomodò, admissi peccati modum significat : utrùm spontè & liberè ; an consultò & cogitatò : utrùm violenter, an malitiosè ; multùmne an parùm injuriosè.

Quandò, tempus designat : utrùm aliquis die abstinentiæ carnem comederit ; an jejunium solverit certò diei annexum : an Dominico die, aut Festo, servile opus exercuerit, vel exerceri præceperit : an hujusmodi sacro die ludo ultra modum indulserit ; quæ nempè diei circumstantia, propter insigniorem Solemnitatis profanationem, declaranda est : an aliquis, jejunii die, immodico potu vel cibo usus fuerit, undè dupliciter uno actu deliquerit, scilicet contra temperantiam & contra jejunii præceptum.

Quidam tamen sunt casus, in quibus ritè ac legitimè concedi potest Absolutio, licèt peccatorum neque species, neque numerus, neque circumstantiæ declarata fue-

(o) *Matth.* 5. 28.

rint, ideòque integritate caruerit Confessio. Sic videlicet, imminente naufragio, vel prælio, captâ urbe, medio incendio, cùm integrè confitendi tempus deficit, satis est ut generali Confessione se simul omnes accusent, Contritionisque actum emittant, firmo comitante proposito sigillatim confitendi, si quandò se dederit opportunitas; & tunc generali sententiâ dicat Sacerdos: *Ego vos absolvo ab omnibus Censuris & peccatis.* Erga infirmos loquelæ usu destitutos, vel qui cum Sacerdote soli esse nequeunt (*p*), tum erga illos qui peste afflati sunt (*q*), quid sit observandum, propriis locis exponetur. Extra hujusmodi supremæ necessitatis casus, requiritur Confessionis integritas, qualis fuit superiùs descripta.

Quod ad circumstantias pertinet, quemadmodùm *aggravantes*, ita etiam & *imminuentes* esse aliquandò possunt: si, exempli causâ, mulier, vel metu vel egestate impellente, adulterium commiserit; lethale quidem nihilominùs, non verò tam grave censebitur delictum, quàm si ultrò & sponte suâ connubii fidem violasset. Cæterùm hujusmodi circumstantias nemo prætermittit, cùm sæpè in inveniendis excusationibus plus æquo ingeniosi sint peccatores.

(*p*) *Vide infrà, Divis. IX, cap.* j.
(*q*) *Vide infrà, Instit. Extr. Unctionis Sacram. prævias, Cap. II.*

CAPUT VII.

De Satisfactione.

Quid sit satisfactio, & quomodò peragatur. Dei misericordia & justitia. Necessitas imponendæ, suscipiendæ & exequendæ satisfactionis. De pœnitentiæ omissione & commutatione. Pœnitentia per modum commutationis vel dispensationis Voti. Satisfit per orationem, jejunium & eleemosynam. Operum pœnitentiæ utilitas. Satisfactiones sacramentales: Satisfactiones voluntariæ. Temporalium flagellorum acceptatio satisfactoria. Læso proximo satisfaciendum.

Satisfactionis nomine in Ecclesia Catholica intelligitur *Compensatio injuriæ quæ per noxas post Baptismum commissas Deo illata est.* Ea verò adimpletur per opera laboriosa atque pœnalia: quæ si à Sacerdote in Pœnitentiæ Tribunali injungantur, Satisfactio sacramen-

talis dicitur; si extra illud, vel ultrò suscipiantur, vel divinitùs immissa pœnitenti animo tolerentur, Satisfactio quidem ea erit, sed non sacramentalis.

Scilicet » firmiter tenendum est, » culpâ per Pœnitentiam abolitâ, » frequenter superesse temporalis » pœnæ reatum, velut superstites » quasdam peccati reliquias, quæ » per dignos Pœnitentiæ fructus ve» niant expiandæ; adeò ut iniqui» tate & culpâ peccari dimisâ, pec» cator adhùc pœnæ temporali sit » obnoxius (*a*). » Per Absolutionem dignè susceptam deletur peccati macula, simulque dimittitur pœna æterna; sic Deus misericordiam exercet: pœna verò æterna in pœnam temporalem, sive in hoc seculo, sive in futuro subeundam commutatur; sic Deus quod suæ justitiæ est, illæsum tuetur. Statim atque David, ad vocem Nathan Prophetæ, geminum adulterii homicidiique scelus verè pœnitens agnovir, in gratiam cum Deo reconciliatus est (*b*): illi tamen acerbissima quæque in pœnam dimissi utriusque sceleris perferenda idem Propheta denuntiavit (*c*). Flagellis à Deo inflictis, ac pœnitenti animo susceptis, voluntarias adjecit corporis afflictationes: *lacrymis stratum suum rigavit, indutus est cilicio, humiliavit in jejunio animam suam, cinerem tanquam panem manducavit, & potum cum fletu miscuit* (*d*). Ninivitæ, ad prædicationem Jonæ, ut divinam flecterent misericordiam, *vestiti sunt saccis à majore usque ad minorem* (*e*): & comminatur Christus Dominus perituros esse eos qui pœnitentiam suam ad Ninivitarum exempla non composuerint (*f*). Hinc « sancta (Tridentina) Synodus declarat falsum om» ninò esse & à verbo Dei alie» num, culpam à Domino nun» quam remitti, quin universa » etiam pœna condonetur; perspi» cua enim & illustria in sacris » Litteris exempla reperiuntur, qui» bus, præter divinam traditionem, » hic error quàm manifestissimè re» vincitur. Neque verò securior ulla » via in Ecclesia Dei unquam exi» stimata fuit ad amovendam im» minentem à Domino pœnam, » quàm ut hæc pœnitentiæ opera » homines cum vero animi dolore » frequentent (*g*). »

Quanquam « non ita nostra est sa» tisfactio hæc quam pro peccatis » nostris exsolvimus, ut non sit » per CHRISTUM JESUM, in quo » meremur, in quo satisfacimus, » facientes fructus dignos pœniten» tiæ, qui ex illo vim habent, ab illo » offeruntur Patri, & per illum ac» ceptantur à Patre (*h*). » Nostra igitur satisfactio sine illa Redemptoris satisfactione nihil quidquam nobis prodesse poterat: voluit tamen Redemptor nos sibi conformes effici,

(*a*) *Conc. Parif. an.* 1528. decr. fidei 12.
(*b*) 2. *Reg.* 12. 13.
(*c*) *Ibid. v.* 10. 11. 12. 14.
(*d*) *Ps.* 6. 34. 68. & 101.
(*e*) *Jon.* 3. 5.
(*f*) *Matth.* 12. 41. *Luc.* 11. 32. & 13. 3. 5.
(*g*) *Conc. Trid. sess.* 14. *cap.* 8. de satisfac.
(*h*) *Ibid.*

atque ad profectum nostrum, saluberrimamque cautelam, pœnitentiæ actibus operam dare, quos per ipsum offeramus æterno Patri, conjunctos ei satisfactioni quâ nobis abundantissimè Dei Majestatem offensam propitiavit.

Itaque graviter erraret, qui de peccatorum remissione sibi gratularetur, ab iis in posterum abstinere contentus, nec ea Pœnitentiæ operibus expiare satagens (*i*). Etenim Christus, non modò solvendi, sed etiam ligandi potestatem Apostolis eorumque successoribus tradidit: ligandi verò potestas non solùm in eo posita est ut indignis Absolutionem denegent; sed etiam, ut, dum Absolutionis beneficium impertiuntur, simul pœnam injungant convenientem, per quam scilicet divinæ justitiæ satisfieri legitimè possit (*k*). Indè, ut cum Theologis loquamur, Satisfactio *in voto*, seu satisfaciendi propositum, Pœnitentiæ pars *essentialis* est; & Satisfactio *in re*, seu ad **effectum** perducta, illius est pars *integrans*. Nec verò semper necessarium est ut Absolutioni præmittatur expiatio delictorum; valdèque improbanda esset eorum agendi ratio, qui Pœnitentibus ritè dispositis, nullo habito delectu, & quibuslibet in casibus, Absolutionis beneficium ante peractam vel etiam inchoatam Satisfactionem denegarent (*l*); quasi divinum sit præceptum, aut lex à peccati & Pœnitentiæ natura necessariò fluens, ut Absolutioni præire nunquam non debeat vel tota Satisfactio, vel pars aliqua Satisfactionis. Et quidem ad rationem Sacramenti sufficit Pœnitentiæ, acceptio, cum satisfaciendi voluntate. Sed quoniam differenda sæpè est Absolutio Pœnitentibus, prout suadet eorum status variaque rerum adjuncta, iis imponi debet aliqua medicinalis probatio, antequàm reconcilientur. Præterea omnibus confitentibus, illis etiam qui statim absolvuntur, præscribenda est aliqua Satisfactio; ipsis quoque infirmis, etiamsi pauca duntaxat verba pronuntiare jubeantur, vel Deo humiliter offerre pium affectum cordis contriti, atque immissa flagella in pœnam delictorum suscipientis.

Quæ cùm ita sint, tenetur omnis Confessarius condignas, pro delictorum numero & gravitate, imponere **satisfactiones**, « non tantùm » ad novæ vitæ custodiam & infir» mitatis medicamentum, sed etiam » ad præteritorum vindictam & ca» stigationem (*m*) » ita ut Pœnitens injuriam Deo per peccatum illatam aliquatenùs resarciat; nec solummodò, quemadmodùm adultis baptizandis præcipitur, vitiosos habitus destruat, sed præterea per illas pœnâ legitimâ plectatur. « Di» vinæ (quippè) justitiæ ratio exi-

(*i*) *S. Greg. Hom.* 26. in Ezech.

(*k*) *S. Thom.* in suppl. *q.* 12. *a.* 3. *Cat. Trid.* de Sacram. Pœnit. *n.* 85.

(*l*) *Condemn. Petr.* de Osma *in Conc. Complut. confirm. à Sixto IV*, *an.* 1478. *Propos. damnata ab Alex. VIII*, *an.* 1690. *Censura sacra Fac. Paris. advers.* Brachet, *an.* 1644.

(*m*) *Conc. Trid. Sess.* 14. *cap.* 8. de Satisf. *Vide Inn. I*, *Ep.* ad Decent. *S. Aug. tract.* 24. in Joan. *S. Greg. l.* 3. in c. 7. l. 1. Reg. *c.* 5. *n.* 13.

» gere

» gere videtur, ut aliter ab eo in » gratiam recipiantur qui ante Baptismum per ignorantiam deliquerint, aliter verò qui semel à peccati & dæmonis servitute liberati, » & accepto Spiritûs sancti dono, » scientes templum Dei violare, & » Spiritum sanctum contristare non » formidaverint. Et divinam clementiam decet, ne ita nobis absque » ulla Satisfactione peccata dimittantur, ut, occasione acceptâ, peccata leviora putantes, velut injurii » & contumeliosi Spiritui sancto, » in graviora labamur, *thesaurizantes* nobis *iram in die iræ* (*n*). »

Porro tenetur omnis Pœnitens injunctam sibi justam Satisfactionem humiliter sincerèque accipere (*o*), eamque diligenter ac fideliter adimplere (*p*). Quam si legitimâ sine causa detrectet, nullamque omninò accipere velit, non absolvatur, etiamsi sola venialia confessus fuerit. Nam, deficiente verâ Contritione, quæ nempè satisfaciendi propositum necessariò includit, irrita prorsùs, nullaque esset Absolutio. Impositam sibi Pœnitentiam per se quisque exequatur. Quamvis enim aliorum bona opera, virtute *Communionis Sanctorum*, peccatoribus utilia esse possint, peccatores tamen per ipsa propriè satisfacere nequeunt. Satisfacere etiam quemque in hac vita oportet; neque absolvendus foret is, qui, eò quòd malle se diceret in Purgatoriis ignibus satisfacere, condignam sibi Pœnitentiam injungi non pateretur.

Qui acceptam Pœnitentiam consultò & sine justa causa nec per oblivionem prætermitteret, lethalis peccati reus constitueretur, si gravis, adeòque pro peccatis lethalibus, fuisset injuncta satisfactio. Si autem levissima & pro peccatis tantùm venialibus imposita fuerit, lethalis non censetur hæc omissio: quinimò peccati expers esse potest; si quis v. g. citra negligentiam, exequendæ Pœnitentiæ oblitus fuisset. Atque hic unum observare juvat, quòd, ubi occurrit Pœnitens qui injunctam Satisfactionem supinâ incuriâ & sine causa legitima implere neglexit, post auditam ejus Confessionem ei præcipiendum est ut illam ex toto, si possit, vel ex parte, antequàm ad sacrum Tribunal redeat, exequatur. Ipse verò non sine gravibus causis absolvatur, nisi priùs illam omninò peregerit. Nec se quisquam acceptâ Pœnitentiâ eo ipso immunem fieri putet, quòd illius omissionem in sequenti Confessione declaraverit. Ejus adimplendæ lex remanet integra, nisi Sacerdos in sacro Tribunali eam, cognitâ causâ, commutandam vel mitigandam prudenter censeat (*q*). Scilicet quivis Confessarius Satisfactiones commutare vel mitigare potest, non modò quas ipse injunxit, verùm eas etiam quas alii, vel Superiores, & pro Casibus reservatis imposuerunt; ad quod tamen descendere non debet, nisi causa urgeat æqua & gravissima.

(*n*) *Conc. Trid. sess.* 14. *cap.* 8. de satisf.
(*o*) S. Bonav. *in* 4. *dist.* 16. §. 1. *dub.* 6.
(*p*) Conc. Later. IV. gen. an. 1215. can. *Omnis utriusque sex.*
(*q*) *Vide S. Raim. de Pegnaf.* Summ. *l.* 3. *tit.* 34. §. 66.

Causæ autem propter quas Pœnitentiam ab alio Sacerdote injunctam commutare licet, hæ sunt præcipuæ: si novus Confessarius hanc malè impositam evidenter agnoscat; si Pœnitens, ex quo imposita illi fuerint jejunia, tam infirmus evaserit, ut sine gravi suo incommodo jejunare non possit; si, propter rationes ex improviso subortas, indictam Pœnitentiam adimplere prorsùs nequeat, vel non sine magna difficultate aut periculo possit; si denique alius satisfaciendi modus ipsi utilior ejusque saluti accommodatior futurus esse judicetur. Ut autem prudenter immutetur Pœnitentia ab alio Sacerdote imposita, non sufficit inquiri quam ob causam Pœnitens eam immutari postulet; prætereà investigandum est quænam sint eæ noxæ propter quas expiandas imposita fuerit: undè scilicet innotescat an merè pœnalis ea sit, an etiam medicinalis. Si enim merè pœnalis esse inveniatur, satis erit aliam æquè satisfactoriam in delictorum expiationem imponi: si verò medicinalem eam esse comperiatur, aliam profectò subrogari oportebit, quæ ad sanandas Pœnitentis infirmitates spirituales, eumque à culpæ iteratione incolumem servandum non minùs proficiat.

Quod ad Pœnitentiam attinet per modum commutationis vel dispensationis Voti impositam, cùm non sit Pœnitentia propriè dicta, sed Voti nova materia, ei nempè Voto suffecta, cujus vinculo exolutus est Pœnitens, ipsa quidem non obstringit simpliciter quatenùs à Confessario injuncta, sed potiùs virtute illius Voti, cujus materia facta est. Quamobtem, ad commutandam vel tollendam ejusmodi Pœnitentiam, eadem potestate opus est quæ ad commutandum Votum vel super eo dispensandum requiritur. Quòd si Votum aliquod ex iis quæ summo Pontifici reservata sunt, ejus auctoritate in jejunia aliave non illi reservata commutatum fuisset; hujusmodi Pœnitentiæ commutandæ facultas à Præsule Diœcesano concedi posset (*r*).

Jam verò ad tria capita refertur Satisfactio, nempè ad orationem, jejunium & eleemosynam: quæ quidem triplici malo concupiscentiæ opponuntur. Jejunio cæterisque corporis afflictationibus refrænanda atque expianda est ea carnis voluptas, quæ tota in illicitis sensuum oblectamentis versatur. Eleemosynâ deindè purganda est avaritia, & ista quam progenetaret, fœdissima soboles, furtum, rapina, cæteraque omnis iniquitas ex fame divitiarum, ceu venenatâ scaturigine, defluens. Postremò oratione domanda est superbia; ut peccator *suam videns paupertatem* & miseriam (*s*), *Dei qui dat velle & perficere* (*t*) auxilium humiliter imploret, Dei ter sancti, ter maximi, quem penès est gratia illa pretiosissima, ut homo *captivatus in lege peccati & mortis* (*u*), seipsum vincat & suas cupiditates. Hoc scilicet triplici operum pœnitentialium adjumento, caro

(*r*) *Navar. l.* 5. consult. 25. *n.* 2.
(*s*) *Thren.* 3. 1.
(*t*) *Phil.* 2. 13.
(*u*) *Rom.* 7. 23. & 8. 2.

ſpiritui, ſpiritus autem Deo ſubjicitur.

Oratione comprehenduntur omnes pietatis & Religionis exercitationes: quales ſunt preces, ſeu *mentales*, ſeu *vocales*; Miſſæ ac divinorum Officiorum, Catecheſium ſacrarumque Concionum frequentatio; piæ lectiones & meditationes; Confeſſio; laboris, actuum & affectuum oblatio. Jejunii nomine intelligitur, non modò ſubtracti cibi potûſque temperantia, ſed univerſæ corporis afflictationes, vigiliæ, piæ peregrinationes, aliaque his ſimilia; ipſummet jejunium ſpirituale, quæ eſt ſenſuum & cupiditatum coërcitio, voluptatum (etiam licitarum) privatio, cujuſcumque rei noxiæ vel periculoſæ abſtinentia (*x*), proprii judicii propriæque voluntatis abnegatio. Eleemoſynâ continetur quæcumque in proximum beneficentia, id eſt, opera miſericordiæ, non ſolùm corporalia, cujus generis ſunt *facultatum diſtributio in cibos pauperum* (*y*), cura infirmorum, vinctorum & hoſpitum; ſed & ſpiritualia, qualia ſunt injuriarum condonatio, dilectio inimicorum, inſtitutio ignorantium, mœrentium conſolatio. Hæc ſcilicet duplex *eleemoſyna*, ipſa eſt per quam *omnia munda ſunt nobis* (*z*), *quæ purgat peccata, & facit invenire miſericordiam & vitam æternam* (*a*).

Porrò, docentibus Parochis, Concionatoribus & Confeſſariis, intelligant Fideles quantâ ſpirituali utilitate opera ſatisfactoria exercere poſſint. Ante Abſolutionem, ſinceræ converſionis gratiam illorum ope aſſequuntur, ſibique ad conſequendum juſtificationis donum viam aperiunt. Poſt Abſolutionem, ſi ſatisfactiones in ſtatu gratiæ ſanctificantis adimpleant, iis vitæ germine vigentibus per quod Deo acceptæ ſint, pœnarum temporalium condonationem promerentur; & Christo Jesu qui pro peccatis noſtris ſatisfecit, conformes effecti, *certiſſimam indè arrham habent*, quòd, *ſi paſſionum ſocii fuerint, ſic & gloriæ participes futuri ſunt* (*b*). « Magnoperè (etiam) à peccato revocant, & quaſi fræno quodam coërcent hæ ſatisfactoriæ pœnæ; cautioreſque & vigilantiores in futurum Pœnitentes efficiunt. Medentur quoque peccatorum reliquiis, & vitioſos habitus malè vivendo comparatos contrariis virtutum actionibus tollunt (*c*). »

Cæterum nullæ ſunt Satisfactiones ſacramentales, quàm quæ à Confeſſario in Tribunali imponuntur; ideòque efficaciâ & merito eas exſuperant, quas quiſque Pœnitens propriâ electione amplectitur. Cùm enim *partis integrantis* nomine ac titulo ad Sacramentum pertineant, uberiorem conciliant benedictio-

(*x*) *S. Aug. ſerm.* 207. in Quadrag. 3. *edit. Ben.* §. 2. (*al. ſerm.* 71. de div.) *S. Leo, Serm.* 4. de Quadrag. *cap.* 1. *Conc. Mediol. I*, *an.* 1565. *part.* 2. *tit.* 7. de Jej. *Mediol. V*, 1579. *part.* 1. *tit.* 3.

(*y*) 1. *Cor.* 13. 3.

(*z*) *Luc.* 11. 41.

(*a*) *Tob.* 12. 9.

(*b*) 2. *Cor.* 1. 7. *Rom.* 8. 17. *Conc. Trid. Seſſ.* 14. *cap.* 8. de Satisf.

(*c*) *Ibid.*

nem & gratiam; præterquàm quòd, excluso propriæ voluntatis arbitrio, sublimes exercentur humilitatis obedientiæque virtutes. Eæ tamen satisfactiones quas Pœnitens sibi aliquandò spontè suâ imponit, quamvis non ad Sacramentum, sed ad pœnitentiæ virtutem duntaxat pertineant, maximè utiles atque salutares, imò sæpiùs necessariæ sunt, ut nimirùm suppleantur sacramentales Pœnitentiæ, peccatis vulgò impares.

Quinimò, tanta est divinæ mu» nificentiæ largitas, ut non solùm » pœnis spontè à nobis pro vindi» cando peccato susceptis, aut Sa» cerdotis arbitrio pro mensura de» licti impositis, sed etiam, quod » maximum amoris argumentum » est, temporalibus flagellis à Deo » inflictis, & à nobis patienter to» leratis, apud Deum Patrem per » Christum Jesum satisfacere va» leamus (*d*). » Hinc optimè Deo satisfacit, si quis animo pœnitenti laborem sustineat, egestatem, morbos, infirmitates, bonorum jacturam, corporis & animi tribulationes, quæ, in pœnam originalis delicti ac scelerum propriâ voluntate admissorum, ex omnibus vitæ conditionibus indefinenter pullulant, famæ detrimentum, contemptus, derisiones, injustitias, contumelias, opprobria, persecutiones; Christoque patienti adunatus, id omne quod patitur, divinæ justitiæ ex toto corde offerat. Omnia denique flagella, *mors, & luctus, & fames* (*e*), cæteræque, tum publicæ, tum privatæ calamitates quæ in peccati vindictam divinitùs immittuntur, *humiliatis sub potenti manu Dei* (*f*) voluntarièque accipientibus, in delictorum purgationem imputantur; ità ut per illud ipsum quod vitare non possunt, iis in promptu sit quo peccata redimant, ac meritorum pondus immensum thesaurizent. Itaque Pœnitentes, admonentibus Confessariis, tantæ clementiæ memores, quæ non *percutit* nisi *ut sanet* (*g*), non *sævit* nisi *ut misereatur* (*h*), oblatum sibi ex iis malis bonum eruere per patientiam studeant.

Quoniam verò non solùm Dei, sed & proximi offensi injuriam compensandam atque resarciendam præcipit æquissima disciplina Christianæ Legis, quæ Dei & proximi dilectione ceu gemino cardine tota vertitur; » illud in primis à Sacerdoti» bus observari oportet, ut, auditâ » peccatorum Confessione, ante» quàm Pœnitentem à peccatis ab» solvant, diligenter curent ut, si » quid ille fortè de re aut de exi» stimatione proximi detraxerit, cu» mulatâ satisfactione compenset » (*i*). » Si quis igitur aliena injustè retineat, absolvi eum non oportet, nisi restitutionem polliceatur (*k*), vel potiùs nisi eam reipsâ peregerit, aut saltem incœperit; si præsertim, cùm posset, jam anteà non steterit promissis. Nemo denique absolvendus

(*d*) *Ibid. cap.* 9.
(*e*) *Apoc.* 18. 8.
(*f*) 1. *Petr.* 5. 6.
(*g*) *Job*, 5. 18.
(*h*) *Habac.* 3. 3.
(*i*) *Cat. Trid.* de Pœnit. Sacram. *n.* 113.
(*k*) *Ibid.*

est, quin priùs calumnias retractaverit, proximi existimationem maledicentiâ læsam, ut potuerit, integraverit, pro contumeliis illatis veniam rogaverit, ac demùm cuique pro læso honore, ut par est, satisfecerit; aut saltem id bonâ fide, nec anteà deceptor, pollicitus fuerit.

Sed de satisfactione proximo debitâ inferiùs ex professo dicetur (*l*).

(*l*) *Divis. VII, cap. 2.*

CAPUT VIII.

De Pœnitentiæ formâ; *seu* de Absolutione.

ABSOLUTIONIS varia nomina. Absolutionis forma, alia deprecativa; *alia* indicativa. *Quibusnam verbis constet Absolutio: preces huic adjunctæ. De Absolutione conditionali. Effectus Absolutionis. Merita rediviva.*

FORMA Sacramenti Pœnitentiæ est Absolutio, quam veteres aliis quoque nominibus dixerunt *pacem, communionem pacis, communioni reconciliationem, aut reconciliationem* simpliciter, *reconciliationis gratiam, reconciliatoriam manuum impositionem* (*a*); semper enim, ut jam suprà diximus (*b*), Absolutioni comes erat manuum impositio (*c*). Itaque Sacerdos Absolutionis verba pronuntiat tanquam Judex personam Christi sustinens (*d*); ideòque in sacro Tribunali sedet operto capite, dum Pœnitens, quacumque dignitate præfulgeat, flexis genibus, nudoque ac demisso capite, *humiliat Presbytero animam suam* (*e*). *Quamvis dux quispiam sit, quamvis præfectus, etiam is qui diademate redimitur;* Dei judicium exercens Pœnitentiæ Minister, *majorem tu, quàm ille, potestatem habes* (*f*).

(*a*) *Celest. P. Ep. 2. cap. 2. S. Cypr. Ep. 52. (al. 55.) Vide Ep. 12. 53. (al. 17. 56.)* & de lapsis. *Conc. Elib. c. an. 304. can. 47. & 72. Neoc. an. 314. can. 2. Siric. P. Ep. 1. cap. 5. Conc. Carth. II, an. 390. can. 3. Carth. III, an. 397. can. 32. Carth. IV, an. 398. can. 76. Tolet. XI, an. 675. can. 12. Vide Arausf. I, an. 441. can. 3.*

(*b*) *In hac Divis. Cap. II.*

(*c*) *Carth. IV, sup. Arausf. I, sup. Gerund. an. 517. can. 9. S. Leo, Ep. 79. (al. 129.) c. 6. Vide S. Cypr. Ep. 12. (al. 17.) Conc. Carth. III, can. 32. Arel. II, an. 452. can. 28. Agath. an. 506. can. 15. Barcin. c. an. 599.*

(*d*) *Trid. Sess. 14. cap. 6. & can. 9.*

(*e*) *Eccli. 4. 7.*

(*f*) *S. Chrys. hom. 83.* in Matth.

QUIBUS verbis constaret Absolutio, Ecclesiæ constituendum permisisse videtur is qui facultatem absolvendi Ecclesiæ impertitus est. Hinc, illæso Sacramento, prout locorum temporumque suasit opportunitas, varia esse potuit Absolutionis forma. In universa Orientis Ecclesia, hæc ab omni ævo usurpata fuit, etiamnùmque usurpatur absolvendi ratio: scilicet preces funduntur, quibus à Deo postulatur ut Pœnitentem absolvat, nullo adjuncto vocabulo per quod significetur actus Sacerdotis absolventis (*g*): non minùs tamen est actus verè judicialis. In Ecclesia Occidentali, hæc eadem Absolutionis forma *deprecativa* in usu fuisse videtur usque ad seculum XIII (*h*); de quo tamen inter se non consentiunt Ecclesiasticæ antiquitatis periti (*i*). Utcumque se res habeat, omninò certum est Absolutionis formam in toto passim Occidente ab illo tempore *indicativam* esse, neque ab ullo citra peccatum immutari posse. Et quidem hæc eo duplici nomine ac titulo potior censeri potest, quòd multò expressiùs designat personam Judicis quam sustinet Sacerdos, & actum judicialem quem in sacro Pœnitentiæ Tribunali exercet (*k*).

« Docet porrò sancta Synodus » (Tridentina), Sacramenti Pœni» tentiæ formam, in qua præcipuè » ipsius vis sita est, in illis Ministri » verbis positam esse: *Ego te al» solvo à peccatis tuis, in nomine » Patris, & Filii, & Spiritûs » sancti* (*l*). » Etsi verò communiter sentiunt Theologi sola hæc tria vocabula, *Ego te absolvo*, ad Absolutionis essentiam pertinere, cùm tamen diversa sit quorumdam inter Catholicos Doctorum sententia, prætereàque in omnibus, tum Sacramentalibus, tum Ritualibus Libris, tota, qualem modò descripsimus, formula reperiatur; graviter peccaret Confessarius, si, extra casum extremæ necessitatis, in quo non suppeteret tempus omnia proferendi, vel minimum quidquam ex ea prætermitteret.

Huic formæ adjunguntur preces, quæ Sacramenti substantiam non attingunt (*m*); quæ tamen, ex Ecclesiæ præcepto, ad conciliandam Pœnitenti gratiam & misericordiam distinctè pièque recitandæ sunt. Cùm verò turba confitentium plurima est, vel auditur paucorum dierum Confessio, omitti possunt *Misereatur*, *Indulgentiam*, & *Passio Domini*, &c. Quin etiam, vehementer urgente mortis periculo, dici breviter potest: ***Ego te absolvo ab omnibus Censuris & peccatis.***

SI quis autem Sacerdos, propter mentis evagationem, aliamve ob causam, incertus hæreat an verba

---

(*g*) *Vide Euchol.*

(*h*) *Orig. Hom.* 24. in Num. *S. Leo*, *Ep.* 80. (136.) *c.* 2. & *Ep.* 91. (*al.* 83.) *c.* 2. *Vide* Sacramentarium Ecclesiæ Romanæ, *ap. Thomasium*, *edit. Romæ*, *an.* 1680.

(*i*) *Vide* Ord. Rom. *ab Amal. cit. Manuscr. Rem. ap. Menard. S. Thom.* Opusc. 22. *Morin. l.* 8. *c.* 8. & *Theolog. passim.*

(*k*) *S. Thom. in* 4. *dist.* 18. *q.* 1. *a.* 4. 2. *ad* 4. *Conc. Trid. Sess.* 14. *c.* 6. & *can.* 9.

(*l*) *Ibid. cap.* 3. *S. Thom. sup.*

(*m*) *Conc. Trid. sup.*

essentiam Absolutionis constituentia protulerit; quibusdam Theologis videtur eam ab ipso iterari posse sub hac conditione, *Si non es absolutus, ego te absolvo.* Quod tamen de Sacerdotibus non anxiè religiosis intelligitur. Qui enim, ratione scrupulorum, id quod modò dixerunt, statim obliviscuntur, monendi sunt, idcircò legitimum non esse dubium an forma prolata fuerit, quòd se eam protulisse non meminerit Minister; si præsertim ad verba illa devenerit, quæ, ex Ritualis præscripto, nisi prolatâ formâ recitari non solent. Undè ipsi, neque Absolutionem, neque ullius Sacramenti formam iterare debent, cùm ad verba sequentia devenerunt; sed quod superest, continuâ prolatione exequi.

Si quandò verò dubitetur an adhùc vivat qui absolvendus occurrit, dici potest: *Si vivis, ego te absolvo,* &c. In alio autem quocumque casu, quidquid in contrarium afferant quidam recentiores Theologi, adhiberi sola debet formula consueta; nunquam verò conditionalis, hæc, v. g. *Si tu es Absolutionis capax, si verè dispositus;* scilicet propter dubias Pœnitentis dispositiones, quemadmodùm in periculoso morbo sæpè contingit. Multò minùs sub conditione absolvendus est Pœnitens incolumis. Neque enim, aut Ecclesiæ praxis, aut ratio sinit ut unquam ulla ejusmodi conditio adjungatur; nullumque talis conditionis vestigium in quoquam Rituali Libro invenitur, neque per sexdecim secula fuit usquam usitata. Et verò Judicis est sedulò perpendere quæ & qualis sit absolutè ferenda sententia, quinam idonei sint, aut ritè dispositi, quibus demùm oporteat reconciliationis gratiam impertiri. Præstereà, si semel in praxi admitteretur forma ista conditionalis, pronum indè maximè factu esset ut sensim quibuslibet, nullo adhibito delectu, ejusmodi impenderetur Absolutio, quasi nullus jam, ex parte suscipientium, obstaret sacrilegii aut irreverentiæ metus. Hùc accedit quòd privato sensu nihil quidquam in Sacramentorum ritu & administratione innovandum est. Si ergò timendi locus sit, ne, vel non sufficientes, vel dubiæ sint Pœnitentis dispositiones; is, juxta regulas inferiùs constituendas (*n*), dilato Absolutionis beneficio, probandus est.

Atque hæc de Pœnitentiæ *formâ conditionali* expressiùs dicenda erant, præter ea quæ generatim de Sacramentorum *formâ conditionali* suo loco dixeramus (*o*).

JAM verò Sacerdos, Absolutionis verbis in Pœnitentem ritè dispositum prolatis, hunc justificatum dimittit in potestate Domini JESU CHRISTI, qui paralytico aliisque pluribus dixit: *Confide, fili; remittuntur tibi peccata tua* (*p*); atque in virtute meritorum ejusdem, qui *mortuus est pro peccatis nostris* (*q*). Verba enim Absolutoriæ Sententiæ id efficiunt quod significant, plenam scilicet delictorum condonationem, perfectamque cum Deo recon-

(*n*) *Divis. VI. Cap.* 1. 2. 3. 4. & 5.
(*o*) *De Sacram. in gen. Cap. III*, *in fine.*
(*p*) *Matth.* 9. 2.
(*q*) 1. *Cor.* 15. 3.

ciliationem. Per Absolutoriam Sententiam, remittitur culpa, seu Dei offensa, & condonatur pœna æterna. Quinimò, si quis eximias afferat dispositiones, & Contritione perfectâ vehementissimoque Dei amore succensâ doleat (quod quidem rarissimum, Deoque soli discernendum); ipse omni pœnâ temporali exolvitur (*r*): qui enim multùm diligit, hic Deum in misericordia multùm divitem experitur. Cùm igitur Pœnitens Absolutionem dignè suscipit, ablutis in Sanguine Christi Jesu vestimentis Baptismi, quæ peccato inquinata fuerant, tota hominis interioris pulcritudo per gratiam sanctificantem reducitur; anima quæ peccando vitam suam supernaturalem amiserat, reviviscit, simulque in jus ad cœlestem hæreditatem restituitur; ac demùm (quæ secundaria Pœnitentiæ gratia est) concessis ad perseverandum auxiliis actualibus, homo in recuperata Dei amicitia magis ac magis consolidatur. Ex his autem omnibus sequitur pax animæ Deo suo placentis, exoneratæ conscientiæ sereniras, atque uberrima inhabitantis Spiritûs sancti consolatio: quæ quidem si peccator verè in se reversus experiri velit, non poterit quin fateatur fructus è Pœnitentia quantumvis amarâ germinare suavissimos.

His Absolutionis effectibus id accensent vulgò Theologi, ut *justitiæ* quæ priùs in nihilum redactæ *oblivioni*que à Deo *traditæ* fuerant (*s*), ipso misericorditer agente, exsuscitentur atque integrentur. Illa autem bonorum operum *reviviscentia* quonam sensu accipienda sit, breviter exponemus.

Certum quidem est nihil unquam homini, etiam postmodùm justificato, ad consequendam gloriam profutura esse bona opera in statu peccati lethalis facta, ut potè quæ nunquam viva fuerint, sed ab initio mortua. Sed inter veræ Pœnitentiæ fructus profectò numerandum est, quòd merita quæ quis anteà in statu gratiæ sanctificantis consecutus fuerat, tametsi subsecuto crimine tantisper extincta, & (ut loquuntur) *mortificata* fuerint, resuscitentur & reviviscant, vimque recipiant, eum, in quo extiterant, ad vitam æternam perducendi; quippè quæ tanquam mercede & præmio dignum quid in acceptatione divina remanserint. Contrà verò, post impetratam scelerum veniam, reatus hominis *ad vomitum revertentis*, ob ingrati animi vitium aggravatur quidem; sed, cùm *sine pœnitentia* sint *dona Dei* (*t*), quæ delicta semel remissa fuerunt, non patitur divina benignitas ea rursùs imputari.

An verò bona opera & merita per peccatum *mortificata*, postmodùm verò per gratiam resuscitata, ad alium extollantur gratiæ & meriti gradum quàm qui resurgentis dispositioni præsenti respondeat, inter se non consentiunt Theologi. Quem autem gratiæ gradum consequi possit peccator per Pœnitentiam justi-

(*r*) *S. Thom.* suprà.
(*s*) *Ezech.* 33. 13.
(*t*) *Rom.* 11. 29.

ficatus;

ficatus, sic exponit Angelicus Doctor: » Contingit intentionem motûs Pœ- » nitentis quandoque proportiona- » tam esse majori gratiæ quàm illa à » qua exciderat per peccatum; quan- » doque autem æquali, quandoque » verò minori : & ideò Pœnitens » quandoque resurgit in majori gra- » tia, quandoque autem in æquali, » quandoque verò in minori (*u*). » Atque ex hac doctrina id potest utilitatis colligi, ut quisque vigilantiùs caveat de sanctificantis gratiæ statu excidere: si quis autem, pro humanæ conditionis fragilitate, exciderit, quàm ferventissimè resurgere studeat; *inardescat in amorem Dei, sesequ in magnis virtutibus exerceat* (*x*); undè in ipso verè adimpleatur illud Prophetæ: *Sicut fuit sensus vester ut erraretis à Deo, deciès tantùm, iterùm convertentes, requiretis eum* (*y*). » Qui (autem) » pœnitentiâ facti sui, qui pudore » delicti, plus & virtutis & fidei » de lapsûs sui dolore conceperit; » exauditus & adjutus à Domino, » quam contristaverat, lætam fa- » ciet Ecclesiam; nec jam solam Dei » veniam merebitur, sed & coro- » nam (*z*). »

(*u*) *S. Thom.* q. 89. art. 2.
(*x*) *S. Greg.* in Luc. *Hom.* 34.
(*y*) *Baruch* 4. 28.
(*z*) *S. Cypr.* de lapsis.



DIVISIO II.

DISSERETUR in hac Divisione, 1°. De præparatione Pœnitentis ad sacrum Tribunal accessuri; ac primùm de examine conscientiæ: 2°. De cæteris Pœnitenti exequendis, ut ad Sacramentum reconciliationis ritè suscipiendum disponatur, utque illud cum debita animi pietate atque exteriore modestia suscipiat.

CAPUT PRIMUM.

DE præparatione Pœnitentis ad sacrum Tribunal accessuri; ac primùm de examine conscientiæ.

QUÆDAM prænotanda. Necessitas examinis conscientiæ. Circa quæ versari illud debeat. Quid & quotuplex sit peccatum: quid lethale, *quid* veniale: *utriusque distinctio non temerè statuenda. Distinctio peccatorum* specifica *&* numerica. *Peccata omissionis. Radices peccatorum. Septem peccata* capitalia: *singulorum definitio & soboles. Aliena peccata novem modis nostra fieri possunt. Sex peccata adversùs Spiritum sanctum. Quatuor peccata vindictam in cœlum clamantia. Circumstantiæ peccatorum. Ante examen conscientiæ implorandum cœleste lumen. Diligentia in hoc requisita, certis tamen limitibus coërcenda.*

QUISQUIS ad reconciliationis Tribunal accessurus est, Parochi documentis imbutus, id omne apprimè teneat sibique diligenter exequendum noverit, quod de natura Sacramenti Pœnitentiæ, de Contritione & ejus praxi, de Confessione & de conditionibus legitimæ Confessionis, ac de Satisfactione superiùs diximus. Nihil quippè in Religione Christiana majoris est momenti, quàm ut omnis Fidelis post Baptismum lapsus, Sacramentum Pœnitentiæ cum requisitis dispositionibus suscipiat; ne, ubi salutem & vitam quærit, ibi exitium mortemque miser inveniat. Itaque Pastores, cæterique Presby-

teri Pastoralis oneris partem gerentes, populos sibi commissos ad Dei gratiam in Pœnitentiæ Tribunali recuperandam omni studio ac diligentiâ præpatent. Unusquisque autem Fidelis, ad legitimam fructuosamque Confessionem quid sit necessarium plenè absolutèque edoctus, prætereàque omninò *in se reversus* (*a*), hæc fideliter observare studeat.

Ac primùm quidem à Domino gratiam supplex efflagitet dignè ad fontem novæ quasi regenerationis, ad Baptismum scilicet Pœnitentiæ & lacrymarum, accedendi. Deindè, cùm excitari in animo debeat sincerus dolor sinceraque detestatio peccatorum omnium lethalium, hæcque singulatim in Confessione exprimenda sint, ut possit Absolutionis beneficium percipi; profectò ad Pœnitentiæ Sacramentum ritè suscipiendum necesse est ut præmittatur examen conscientiæ, cujus ope, quid dolere & confiteri debeat, singulatim sit cuique perspectum.

Jam verò peccatum, cujus in investigatione versatur illud examen, est *Legis, sive divinæ, sive humanæ, prævaricatio libera.* Quæ cùm gravis esse possit, vel levis, hinc duplicis generis distinguitur peccatum: *lethale* scilicet, ac *veniale. Lethale* sic dicitur, eò quòd animæ lethum spirituale afferat, vitam ejus destruens, quæ in gratia sanctificante consistit, hominemque constituens pœnis æternis obnoxium. Tunc autem perpetratur, cùm divina Lex in gravi aliquâ re consultò & cogitatò, seu, ut exprimere solent, *deliberatè* violatur, adeò ut morali quadam æstimatione Creatori anteponatur creatura; undè peccatum ejusmodi, propter summi atque infiniti boni contemptum (saltem interpretativum), malitiam habere dicitur aliquatenùs infinitam, cui proindè respondet pœna, aliquatenùs etiam (nempè secundùm durationem) infinita. *Veniale*, ideò sic appellatum quòd ipsi venia facilè concedatur, illud est quod divinæ Legi adversatur quidem, sed in re omnimodis levi; vel quod non satis deliberatè admittitur. Id quidem hominis cum Deo amicitiam non dissolvit: periculosum tamen est, neglectumque ad graviora disponit; *qui* enim *spernit modica*, inquit Sapiens, *paulatim decidet* (*b*). Porrò committi posse delicta quæ non ex sola Dei misericordiâ, sed etiam ex natura sua venialium rationem habeant, neque omne delictum pœnam mereri æternam, omninò certum est.

Utrùm verò peccatum aliquod lethale sit, an veniale, non humano plerumque sensu, sed divino judicio definiendum est. Neque enim rarò contingit ut peccata quædam, ubi in consuetudinem versa sunt, vel à pluribus passim frequentantur, parva videantur, aut nulla; quæ tamen, justo judice Deo, tanquam gravissima damnantur, sempiternoque sunt punienda supplicio. Si quid igitur præcepto Legis in re gravi contrarium deliberatè perpe-

(*a*) *Luc.* 15. 17. (*b*) *Eccli.* 19. 10.

tretur, dubium nullum est quin sit lethale. Idem profectò erit, si cui peccato gravissimæ cujuslibet pœnæ genus atque æternum *væ* Scriptura sacra interminetur; vel si commune Patrum judicium communisque Fidelium sensus aliquod peccatum grave esse constituat, divinæque amicitiæ penitùs adversum. Cæterùm evenire aliquandò potest ut delictum quod ex genere suo & re circa quam versatur, lethale est, veniale fiat; sive propter materiæ parvitatem, sive propter deficientem in actu deliberationem. Contrà verò potest nonnunquam accidere ut noxa quæ ex genere suo & re circa quam versatur, venialis tantummodò foret, lethalis efficiatur: scilicet propter adjunctas circumstantias, scandali v. g., expressi contemptûs Legis aut Legislatoris, conscientiæ erroneæ, periculi, ac præsertim finis perversi. Sed de his jam suprà, & quidem enucleatiùs dictum est, ubi *de conditionibus legitimæ Confessionis.*

Circa distinctionem verò delictorum *specificam* & *numericam*, hæc summatim animadvertenda sunt.

Præcipuè desumitur peccatorum distinctio *specifica*, vel à diversitate præceptorum, aut virtutum quibus adversantur, vel à diversitate modorum quibus contra unum & idem præceptum eamdemve virtutem perpetrantur. Sic 1°. blasphemia differt ab homicidio; quia nempè alio præcepto vetatur blasphemia, alio autem homicidium. Sic 2°. peccata adversùs Fidem, Spem & Charitatem, diversæ speciei sunt, quia inter se discrepant tres modò dictæ virtutes. Sic 3°. magia, blasphemia & sacrilegium, licèt uni præcepto Dei colendi adversentur, specie tamen sunt inter se diversa, quia modi sunt diversi quibus violatur Dei colendi præceptum. Sic 4°. calumnia, furtum, homicidium, diversæ sunt speciei peccata; quia, licèt uni eidemque virtuti (scilicet charitati in proximum) adversentur, diversè tamen ei repugnant. Fieri autem potest ut in uno eodemque pravo actu concurrant plures delictorum species diversæ; cùm videlicet uno eodemque actu violantur plura præcepta diversa. Furtum v. g. rei Deo sacræ, unus quidem omninò est actus, & tamen duas peccatorum species diversas complectitur; eò quòd simul adversetur & Justitiæ quæ furtum prohibet, & Religioni quæ rem Deo sacram vetat subripi.

Numerica autem peccatorum distinctio desumitur à *pluralitate*, vel actuum voluntatis, vel rerum quæ sunt materia peccati. Pravi actus voluntatis totidem sunt peccata distincta, quotiès inter illos occurrit interruptio *moralis*. Sic ubi inter duos odii motus in proximum intercedit modò dicta interruptio, hi duo motus duo sunt peccata. Si verò, dum aliquis diù proximi odium animo versaret, pluribus consensit odii motibus; hi motus omnes unum tantummodò esse delictum censentur, quia ex eadem cogitatione proficiscentes, inter se *moraliter* connectuntur. Tunc verò declarare tenetur Pœnitens quanto tempore odium proximi in mente gesserit, & quàm sæpè intereà istius odii motibus consenserit; ut

ſcilicet Confeſſarius peccati gravitatem intelligat. Porrò multiplicantur actus peccati, cùm eos *ſucceſſivè* poſuit voluntas. Sic qui animo conſtituit per totam Quadrageſimam non jejunare, iſto quidem propoſito unum duntaxat peccatum admittit, quia hujuſmodi propoſitum uno contuitu omnes Quadrageſimæ dies complectitur, & uno eodemque præcepto indicitur jejunium: ipſe nihilominùs totiès lethaliter delinquit, quot diebus à jejunio abſtinet; eò quòd ſcilicet, præter generale non jejunandi propoſitum, ſingulis diebus iſtud innovat, cùm ſolvit jejunium.

Ex rebus autem quæ peccati materia ſunt, peccatum *numericè* non creſcit (licèt gravitate creſcat), cùm uno actu voluntas circa plura verſatur, quæ uno eodemque præcepto prohibentur. Sic qui pecudum gregem uno actu abigeret, unius tantùm peccati reatu obſtringeretur. Si autem pecudes ſingulatim furaretur, tot ſe delictis commacularet, quot actus fuiſſent perverſæ voluntatis *moraliter* interrupti: ſique illæ pecudes ex Eccleſiæ poſſeſſionibus fuiſſent, duo eſſent in uno actu delicta, propter duorum præceptorum violationem. Quòd ſi verò plurium eſſent pecudes, ſentiunt plerique non ideò multiplicatum fore peccatum, niſi peculiari lege alicui parcendum fuiſſet; ſed augeri duntaxat furti malitiam & gravitatem ex numero perſonarum quæ damnum furto patiuntur.

Porrò, inter varias peccatorum ſpecies, ea cæteris perículoſiora eſſe ſolent, quæ, cùm ſæpè committuntur, plerumque tamen culpabiliter ignorantur. Ejuſmodi ſunt peccata omiſſionis, quæ videlicet nobis totiès imputantur, quotiès ea negligimus quæ noſtri ſunt muneris, ſive ad generalia hominis Chriſtiani, ſive ad ſingularia conditionis officia pertineant. Commune eſt, exempli causâ, Chriſtianis omnibus ut in Fidei, Spei, Charitatis & Orationis actibus ſe frequenter exercere debeant: propria autem ſuſcepti inſtituti munia ſunt, quibus adimplendis, pro ſua quiſque parte, obſtringuntur Sacerdotes, Religioſi & Religioſæ; Superiores & inferiores; mariti & uxores; patres & matres; filii & filiæ-familiâs; domini & dominæ; famuli & famulæ, &c. Circa utriuſque generis officia diligenter excutiendi ſunt conſcientiæ ſinus atque introſpiciendæ latebræ, ut debito cum fructu Confeſſio inſtituatur, vitæque tenor in melius immutetur.

Nec minùs dedito ſtudio ſcrutandæ ſunt peccatorum radices, quarum maximè generalis eſt inordinatus ſuî amor, qui trinam includit concupiſcentiam ex qua profluit omne peccatum. Nam, teſte S. Joanne Apoſtolo, *omne quod eſt in mundo* (corruptum ſcilicet ac depravatum), *concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ* (c): id eſt, voluptatum, divitiarum atque honorum immoderata cupiditas. Referri etiam poſſunt radices peccatorum ad illa

(c) 1. *Joan.* 2. 16.

ſeptem, quæ *peccata capitalia* dicuntur, eò quòd ex iis, ceu capitibus & fontibus, derivari cætera ſoleant. Sunt autem *ſuperbia*, *avaritia*, *luxuria*, *gula*, *ira*, *invidia*, *acedia*: quæ quidem breviter deſcribi operæ pretium eſt.

Superbia eſt inordinatus præcellendi appetitus, ſive in animo deliteſcat, ſive ſe exteriùs prodat. Vitium eſt *Deo & hominibus exoſum* (*d*). Superbia quidem, etſi vitiorum ferè omnium mater eſt, præcipuè tamen infelicem hanc ſobolem gignit, inobedientiam, jactantiam, hypocriſim, contentionem, pertinaciam, diſcordiam, curioſitatem (*e*).

Avaritia eſt inordinata divitiarum cupiditas; cujus propago eſt proditio, fraus, fallacia, perjurium, rapina, furtum, cordis duritia, inhumanitas, immiſericordia in pauperes (*f*). Hoc vitium à S. Paulo Apoſtolo *radix omnium malorum* appellatur (*g*).

Luxuria eſt inordinatus impuræ ac libidinoſæ voluptatis appetitus. Ex ſe autem generat, præter corporis morbos, ſtuporem intellectûs, mentis cæcitatem, incogitantiam, nimium ſuî ipſius amorem, Dei odium, Religionis faſtidium, impenſiſſimam fragili huic vitæ adhæſionem, mortis futurique judicii horrorem, felicitatis æternæ deſperationem.

Gula eſt intemperata cibi potûſve appetentia; cujus quidem ſpecies ſunt *comeſſatio & ebrietas*, duo vitia quibus homo ſuapte naturâ longè beſtiis excellentior, iis ſe abjectiorem vilioremque ſpontè conſtituit, ſuas & familiæ fortunas miſerrimè profundit, nocet valetudini, ſæpiùſque vitam infeliciter abrumpit. Progenerat gula ineptam lætitiam, officiorum neglectum, multiloquium, ſcurrilitatem, ſenſuum ſpurcitiem, & mentis hebetudinem (*h*).

Ira eſt ardor immodicus de eo ultionem ſumendi, à quo læſum ſe quiſpiam arbitretur. Ex illa naſcitur deteſtanda ſoboles, mentis perturbatio, præceps in agendo inconſiderantia, tumentis animi efferveſcentia, clamoſa indignatio, blaſphemia (*i*), rixæ, contumeliæ, pugnæ, homicidia.

Invidia eſt triſtitia ex bono alterius concepta, & odium alienæ felicitatis, habito reſpectu, ſive ſuperiorum, quia invidus non iis æquatur; ſive inferiorum, quia ipſi æquantur; ſive parium, quia ipſi præponuntur. Progeniem habet invidia, ſimultates, odia, malignam inſuſurrationem, detractionem, in proximi adverſitate lætitiam, in ejus proſperitate mœrorem (*k*).

Acedia eſt remiſſi animi languor, ac triſtis inertia circa res ad Dei cultum æternamque ſalutem perti-

(*d*) *Eccli.* 10. 15. 18. 21. *Job*, 4. 14. *Jacobi*, 4. 6.

(*e*) *S. Greg. moral. l.* 31. *c.* 32.

(*f*) *Ibid. c.* 31.

(*g*) 1. *Tim.* 6. 19. *Vide Eccli.* 19. 9. 10.

(*h*) *Vide S. Baſil.* Or. contra ebrioſos. *Et S. Chryſ.* ſerm. contra luxum & crapul.

(*i*) *Vide S. Baſil.* Or. contra iraſcentes. *S. Chryſ.* Hom. 29. ad pop. Ant. *S. Greg. ubi ſuprà.*

(*k*) *S. Baſil.* de invidia. *S. Chryſ.* Hom. 44. ad pop. Ant. *S. Aug.* de Gen. ad litt. *l.* 2. *c.* 14. *S. Greg. ubi ſuprà.*

nentes. Ex hoc vitio originem ducunt pusillanimitas, desperatio, torpor animi erga res præceptas, ejusque in res illicitas evagatio (*l*).

Præterea, in disquisitione conscientiæ, non ad propria tantùm, sed etiam ad aliena peccata intento est opus animo. Quæ enim delicta aliorum manibus vel operâ perficiuntur, nobis quandoque, & meritò quidem, imputantur, nosque coram Deo *renes & corda scrutante* obnoxios æternæ damnationi constituunt. Quod quidem variis modis, præsertim verò sequentibus, potest accidere: 1°. Si quis peccati cujuspiam committendi mandatum dederit; etsi alienâ operâ perpetratum illud fuerit, tamen mandanti, præ cæteris, justissimè imputatur: 2°. Si suasor & auctor sceleris sit, modumque exequendi sedulò præscribat: 3°. Si alienis delictis consensum præbeat: 4°. Si blanditiis atque adulatione foveat peccantes, ita ut scelus admissum minùs agnoscant: 5°. Si facinorosos tectis ac sedibus suis recipiat, iisque auxilium ac tutelam subministret, quò securiùs facinorosi esse perseverent: 6°. Si scelerum fructum sciens & volens participet: 7°. Si dictis factisve æquo & recto minùs consentaneis scandalum & offendiculum ponat proximo, ei occasionem indè suppeditans in aliquod scelus prolabendi: 8°. Si, cùm obstando aut manifestando possit aliorum facinora impedire, id præstare negligat: 9°. Denique, si proximum, suæ præsertim sollicitudini creditum, quem corripiendo emendare posset, corripere omittat.

Sunt insupèr quædam peccata quæ specialiter *adversùs Spiritum sanctum* committi dicuntur; ea nempè, quibus oblata Dei munificentia & gratia, quæ Spiritui sancto, ceu fonti bonorum, tribui specialiter solet, contemptim abjicitur. Sex autem sequentia recensentur: 1°. Divinâ misericordiâ confidenter abuti: 2°. De gratia Dei, vel de salute sua prorsùs desperare: 3°. Religionis veritati cognitæ, reclamante conscientiâ, pertinaciter obluctari: 4°. Tristi invidiâ concitari ob alienæ salutis & fraternæ virtutis prosperum eventum: 5°. Obfirmato animo in scelere scienter persistere: 6°. Demùm, cum proposito non pœnitendi, perversæ vitæ finem nullum facere. Hæc sunt illa crimina quæ non ex infirmitate aut ignorantia, sed ex mentis corruptissimæ malignitate & pervicaciâ proficiscuntur; quibus qui implicici sunt, Dei gratiam, aut nunquam, aut raro & ægrè admodùm consequuntur.

Ad extremum sunt peccata, quæ propter suam immanitatem, *vindictam in cœlum clamare* dicuntur. Hæc autem quatuor è sacris Litteris colligere est: 1°. Homicidium voluntarium (*m*): 2°. Peccatum Sodomiticum (*n*): 3°. Oppressionem pauperum (*o*), viduarum ac pupillo-

(*l*) *Vide S. Bern.* serm. 7. & 9. *Matth.* 20. 6. & 25. 30.
(*m*) *Gen.* 4. 10.
(*n*) *Ibid.* 18. 20.
(*o*) *Job*, 34. 28. *Ps.* 9.

rum : 4°. Fraudationem mercedis operariorum (*p*).

Quod pertinet ad peccatorum circumſtantias, quarum diſquiſitio ad accuratam conſcientiæ perſcrutationem requiritur, animadvertendum eſt potiſſimùm qualis vel quanta ſit perſona quæ deliquit; quânam in dignitate, quonam in munere conſtituta, quibus divinæ miſericordiæ donis præventa : quod & quale ſcelus admiſſum; qualis & quanta res ablata; cui perſonæ contumelia irrogata, &c. quo in loco perpetratum ſacinus, ſacro, an profano; publico, an privato : quibus inſtrumentis, quâ ratione & viâ patratum ſcelus fuerit; num per ſe flagitioſâ, necne : quo fine aut ſcopo : quomodò; crudeliter, violenter, an fraudulenter, &c. quo demùm tempore, divino cultui, an Pœnitentiæ conſecrato, &c. Sed de his fuſiùs ſuo loco dictum eſt (*q*).

Hæc ſunt circa quæ verſari debet examen conſcientiæ. Ne quid autem à ſinceris Pœnitentibus diligentiæ circa Confeſſionem neceſſariæ omittatur, ita ſe quiſque ad ſacrum Tribunal acceſſurus præparet, ut, quaſi canente ſupremi Judicii tubâ, ſeſe ad ultimam vitæ Confeſſionem accingere ſibi videatur. Ideò nimirùm ſæpiùs irritæ ſacrilegæque emittuntur Confeſſiones, *quia nullus eſt qui recogitet corde* (*r*), *dicens : Quid feci* (*s*)? Quoniam autem nemo ſibi relictus, conſcientiæ rationem à ſeipſo, prout requiritur, exigere, commiſſaque agnoſcere poteſt, Deum obteſtetur Pœnitens ut *ſuas illuminet tenebras* (*t*), ut, *quantas habeat iniquitates & peccata, ſcelera ſua & delicta*, ſe denique ſibimetipſi, qualis reverà ſit, dignetur *oſtendere* (*u*). Itaque, priùs invocato ſancti Spiritûs auxilio, ſeſe ipſe ad Dei & Eccleſiæ Mandatorum propriæque conditionis officiorum normam attentiſſimè collatum interroget. Conſcientiæ ſuæ latebras altiſſimo contuitu ſcrutetur; ut malum quod admiſit, & bonum quod omiſit, quidquid in Deum, in proximum, in ſeipſum deliquit, clarâ luce perſpiciat; ne pravo ſuî ipſius amore deceptus, in ea diſquiſitione cæcutiat, & quaſi velo oculis obducto, non ſe, quantùm ſatis ſit, manifeſtum præbeat divinæ miſericordiæ ſimul & juſtitiæ Miniſtro.

Illa autem ſuî recognitio, pro varia perſonarum qualitate & conditione, magis aut minùs debet eſſe operoſa. Hòc enim diligentiorem & profundiorem inſtitui oportet ſuî diſquiſitionem, quò longiùs à præcedenti Confeſſione exiſtit temporis intervallum, & quò intricatior eſt cujuſque conſcientia. Iis nempè magis diuturno examine opus eſt, qui raro confitentur, quàm qui ſæpiùs animam ſalutari Pœnitentiâ expiare ſolent; iis qui inter mundi tumultum negotiorumque implicationes verſantur, quàm qui vitam agunt

(*p*) *Jacobi*, 5. 4.
(*q*) *Suprà*, *Div. I*, *Cap. VI.*
(*r*) *Jerem.* 12. 11.
(*s*) *Jerem.* 8. 6.
(*t*) *Pſ.* 17.
(*u*) *Job*, 13. 23.

privatam

privatam & quietam. Sed omni Fideli tanta in hoc tam grave negotium conferenda est cura ac diligentia, quantam solent viri prudentes in maximi momenti rebus temporalibus adhibere. Attento animo revolvenda ipsi sunt loca, tempora & occasiones in quibus Deum offendere & graviter delinquere potuit; scrutandæ peccatorum radices, ut in posterum exscindantur; disquirendæ pariter circumstantiæ, quippè quæ dilecti gravitatem augere possunt vel minuere. Quæ quidem omnia quo faciliùs discutiantur, cùm propè est ut sit confitendum, nihil utilius, nihil consultius excogitari potest, quàm si quisque singulis diebus vesperi ad examen revocet, quid opere, quid verbo, quid cogitatione, quid omissione per diem deliquerit. Atque hujusmodi exercitatio id præthereà utilitatis conjunctum habet, quòd vehementer à peccato retrahit, quòd profundiorem ingerit suî ipsius cognitionem, quòd pravos habitus sensim evellit ac destruit, quòd denique magnam affert conscientiæ teneritatem atque integritatem.

Quod si, examinis defectu, lethale peccatum in Confessione prætermittatur, irrita nonnunquam & sacrilega est Confessio, cùm nempè gravis extitit negligentia. Quod malum ut vitetur, plurima quidem in recognoscendis vitæ maculis ponenda est animi attentio, verumtamen justis circumscripta limitibus. Procul arceatur nimia sollicitudo & anxia religio. Neque enim ad torquendam, sed ad sublevandam conscientiam; non ad scrupulos ingerendos, sed ad pacem in animos reducendam instituta Confessio est (*x*). Nec Deus instar habeatur tyranni cujusdam impossibilia jubentis; sed patris benignissimi, qui gemitum cordis contriti *suamque plagam agnoscentis* potiùs attendit, quàm operosam illam atque interminatam inutilium disquisitionem & enumerationem. Aliquandò quidem, instigante humani generis hoste infensissimo, ea Fidelium animos decipit fraus pessima, ut ad solam suî recognitionem cogitandam excitentur, & sine Contritione, ideòque incassùm confiteantur. Itaque, monentibus Pastoribus, Vicariis, cæteris Confessariis, Concionatoribus & Catechistis, noverint Fideles id unum ad Confessionis integritatem requiri, ut, sedulò excussis conscientiæ latebris, peccata lethalia cuique diligenter exploranti agnita deponantur apud Sacerdotem; certa, ut certa; dubia, ut dubia: cætera verò quæ memoriâ exciderint, comprehensa in hujusmodi Confessione omninò censeri (*y*); & si posteà menti recurrant, satis esse ut in sequenti Confessione declarentur.

(*x*) *Conc. Trid. Sess.* 14. *cap.* 5. de Confess. (*y*) *Ibid.*



CAPUT II.

De cæteris Pœnitenti exequendis, ut ad Sacramentum reconciliationis ritè suscipiendum disponatur, utque illud cum debita animi pietate atque exteriore modestia suscipiat.

Postulandum à Deo Contritionis donum, hacque vehementer in corde excitanda. Quid insupèr ante Confessionem, quid in ipsa Confessione, quid post Confessionem sit observandum.

QUANTACUMQUE sit perscrutandæ conscientiæ necessitas, minimè tamen expedit totum in illa suî ipsius disquisitione hærere Pœnitentem; sed prætereà in adipiscendam Contritionem summoperè est ei animus defigendus. Motus enim Contritionis, quæ primum inter Pœnitentis actus locum habet, seu animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero, » fuit quovis tem- » pore ad impetrandam veniam pec- » catorum necessarius; & in homine » post Baptismum lapso ita demùm » præparat ad remissionem peccato- » rum, si cum fiducia divinæ mise- » ricordiæ & voto præstandi reliqua » conjunctus sit, quæ ad ritè susci- » piendum hoc Sacramentum requi- » runtur (*a*). » Fideles igitur Pastorali curâ præformati, cùm sese ad Pœnitentiæ Tribunal adeundum præparant, hæc diligenter observent.

QUONIAM sine Dei gratiâ speciali ac sancti Spiritûs impulsu de peccatis suis nemo sic dolere potest, ut justificationis donum consequi mereatur, profundè humiliatus, Deum roget atque obtestetur Pœnitens, ut sibi *cor contritum*, quod nunquam despexit, propitius largiri dignetur. Atque in hoc imprimis immoretur, ut vehementem de peccatis admissis dolorem in semetipso excitet; qui dolor » non solùm cessationem » à peccato, & vitæ novæ proposi- » tum & inchoationem, sed vete- » ris etiam odium (contineat), jux- » ta illud : *Projicite à vobis omnes » prævaricationes vestras, & facite » vobis cor novum & spiritum no- » vum* (*b*). Jam pridiè Confessionis, ipsoque die in matutinis precibus, atque ad Missam præsens, eximium illud sinceræ Contritionis donum enixè à Domino postulet; coneturque ipsam supernaturalibus incentivis, ac præsertim divini amoris facibus inflammare: quâ quidem intentione aliquid boni operis exerceat. Posteà hujusmodi dolorem interiùs conceptum offenso Deo signi-

(*a*) *Conc. Trid. Sess.* 14. de Pœnit. *cap.* 4. (*b*) *Ibid.*

ficet Actibus ferventissimis. Actus insupèr emittat absolutissimæ in divinam misericordiam fiduciæ ex intuitu meritorum CHRISTI JESU, qui *lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo* (c); cujus virtutem sibi confidat uberrimè applicandam, ut sanentur prævaricatricis ac tandem pœnitentis animæ vulnera. Tum verò suæ reconciliationis opus commendet Virgini Deiparæ, quæ nempè *mater* est *misericordiæ* & *refugium peccatorum;* atque etiam Angelo suo custodi, tum Patrono suo, propriisque loci Patronis: quibus potenti intercessione subvenientibus, sit Deus in ipsius animo, ut omnia peccata sua cognoscat; sit in corde, ut illa detestetur; sit in ore, ut ipsa ritè confiteatur, eorumque condonationem obtineat.

CUM sic præparatus fuerit, ad sacrum Tribunal accedat collectâ mente, silens & modestus; timens quidem, atque interno pudore suffusus, sed animosâ fiduciâ erectus; uno verbo, perindè ac si Christum ipsum, qui tantâ animi bonitate peccatores ad pœnitentiam alliciebar, reconciliationis Ministrum esset habiturus. Accedat Rei instar, sese Judici suo sistentis: terrorem autem judicis temperet amor patris, qui scilicet parcere magis quàm sævire delectatur. Accedat filii instar prodigi, ad patrem offensum, sed benignissimum, revertentis (d); aut Publicani, divinam sibi peccatori misericordiam implorantis (e). Delicta priùs recognita sibi revocet in memoriam; &, quâ jam debuit compungi, Contritionem in seipso vehementissimam renovet. Accedat autem cum vestitu simplici: quondàm Pœnitentes lugubri, sordidâ & lacerâ veste utebantur. Sit mulieris pœnitentis vultus, oculi, totiusque corporis habitus ad modestiam atque humilitatem compositus. Sit caput velo denso & usque ad supercilia demisso coopertum. Nullum genibus pulvinar supponatur: absint digitalia, villosæ manicæ; ipsi quoque libri dimittantur, saltem in ipso Tribunali. Gladio præcincti, gladium deponant (f). Clerici Superpelliceum aut Albam exuant; neque enim decet ab eo geri symbolum niveæ puritatis, qui se peccato inquinatum confessurus est.

Confessarii pedibus advolutus Pœnitens in alterutro Confessionalis sedis latere, non intueatur Sacerdotis faciem; ut meminerit non sibi rem esse cum homine suî simili, sed eum Deo altissimo, cujus ille supremâ legatione fungitur, cujus misericordiam & judicium exercet. Multò minùs faciem Sacerdoti obvertat mulier, sed tantùm cancellis aurem admoveat; sic tamen ut Sacerdos confitentem non difficilè audiat. Utriuslibet sexûs & cujusvis conditionis Pœnitens distinctè pièque totum observet confitendi ordinem. Se primò in modum salu-

(c) *Apoc.* 1. 5. *Ezech.* 18.
(d) *Luc.* 15. 18.
(e) *Luc.* 18. 13. *Vide Conc. Mediol V*, & *Narb. an.* 1609. *cap.* 16. de Sacram. Pœnit.
(f) *Burdig. an.* 1624. *cap.* 5. de Sacram. *num.* 8.

tiferæ Crucis consignet; Sacerdotis Benedictionem petat; generali formulâ confiteatur, dicens: *Confiteor Deo*, &c. usque ad *meâ culpâ*. Deindè peccata declaret sigillatim, integrè, sincerè & fiducialiter. Tum dicat: *Meâ culpâ*, &c. Ipse autem reconciliationis Ministro in omnibus obtemperet. Si sibi differatur Absolutio, non conqueratur, non ægrè ferat, non disceptet; quod quidem indicium foret arrogantiæ, non humilitatis; impœnitentiæ, non Contritionis: sed, exhibitis sinceræ pœnitentiæ fructibus, se tanto beneficio dignum præbeat. Confessarii hortamenta & monita attentè reverenterque, tanquam Christo per os ejus loquente, audiat, nihil tunc de peccatis cogitans quæ potuisset silentio prætermittere. Dum Sacerdos Absolutionis formam pronuntiabit, emittet Pœnitens Contritionis Actum excitatissimo doloris sensu præcipuum; summâque veneratione & inflammato amore suscipiat Sanguinis & meritorum divini Salvatoris applicationem abluendæ peccatrici animæ impertitam.

Post Confessionem, de Sacramenti effectibus emisso Actu fidei, supremum Judicem deprecetur ut ratam habeat in cœlo sententiam Absolutionis à Sacerdote prolatam. Gratias Deo plurimas agat, piè recitans Psalmum 102. *Benedic, anima mea, Domino, & omnia*, &c. cujus ex verbis ferè singulis tenerrimum grati animi sensum experietur, ob eximium, quod, Deo miserente, assecutus est justificationis donum. Emendationis vitæque novæ propositum de integro emittat. Delictorum causas & occasiones prævideat, quas abscindere & vitare firmiter constituat; illius præsertim delicti, in quod priùs ex consuetudine, ex malitia, ex infirmitate faciliùs prolabi solebat. In animum sibi reducat, altèque in eum infigat illud omne quod sibi à spirituali medico ad perfectam vulnerum curationem injunctum fuerit. Impositam sibi Pœnitentiam exequi non moretur; locumque & diem, si sint specialiter indicta, religiosè observet: suam denique satisfactionem Christi satisfactionibus conjunctam studeat meritis locupletissimam efficere. De cætero *videat* etiam atque etiam *quomodò cautè ambulet* (g), ne se rursùs peccato illaqueari patiatur. Ea scilicet fugiat omnia diligenter, quæ sopitos ignes exsuscitare, quæ vitiorum imagines refricare, quæ fragilem possent mentem vulnerare.

(g) *Eph.* 5. 15.



DIVISIO III.

In hac Divisione agetur, 1°. De Pœnitentiæ Ministro, & de hujus potestate: 2°. De potestate Confessarii circa Reservata: 3°. De potestate Confessarii circa Dispensationes in Votis & Juramentis.

CAPUT PRIMUM.

De Pœnitentiæ Ministro, & de hujus potestate.

POTESTAS Ordinis, potestas Jurisdictionis. Jurisdictio duplex. Ad quos pertineat Jurisdictio ordinaria. Jurisdictio delegata: quænam sint hujus conditiones necessariæ. Limites Approbationis generaliter concessæ. In vagos, in peregrinos & hospites quænam Jurisdictio requiratur & sufficiat. Jurisdictio ad excipiendas Sanctimonialium Confessiones. Superiorum Regularium Jurisdictio. Circa Regularium Approbationem disciplina sancitur. Videndum Sacerdoti, an, & qualem habeat Jurisdictionem. Utrùm aliquandò suppleatur Jurisdictio deficiens. Quomodò cesset Jurisdictio. Ad absolvendum Fidelem periclitantem, nulla necessaria Jurisdictio.

LIGANDI & solvendi potestatem quo tempore & quo modo Christus Apostolis tradiderit, jam suprà dictum est (*a*). Quæ quidem potestas ex Apostolis in legitimos eorum successores dimanavit, atque indeficiens in Ecclesia perseverabit. Primis Ecclesiæ seculis, reconciliationis ministerium sibi vulgò reservabant Episcopi (*b*); illudque Presbyteris in necessitate concedebant (*c*). Quod Presbyteris extra necessitatem

(*a*) *Div. I. Cap.* 1.

(*b*) *Conc. Carth. II, an.* 390. *can.* 3. *Agath. an.* 506. *can.* 44. *Worm. an.* 770. (*al.* 868.) *can.* 8. *Vide Carth. III, an.* 397. *can.* 31. *Milev. an.* 402. *can.* 23. *Ilerd. an.* 524. *can.* 9. *Mogunt. I, sub Rab. an.* 847. *can.* 26. *Salegunst. an.* 1022. *can* 20. *C.* 26. *q.* 6. *c.* 1. & 3.

(*c*) *Conc. Ticin. an.* 860. *can.* 7. *Vide Carth. II, can.* 4.

interdicunt multi Canones (*d*), id eis absolutè permittunt alii (*e*), ut scilicet Pœnitentes absolvant. Quidam etiam hoc ipsum Diaconis adjudicant (*f*): non tamen Sacramentalis erat Absolutio quam impertiebantur, sed tantùm Absolutio ab Excommunicatione, & in foro externo.

DUPLEX autem in Pœnitentiæ Ministro requiritur potestas: *Ordinis* nempè, & *Jurisdictionis*. Ordinis potestas in sacra Ordinatione Sacerdoti collata expressè designatur, cùm Episcopus, impositis ejus capiti manibus, eum sic in persona Christi alloquitur: *Accipe Spiritum sanctum: quorum remiseris peccata, remittuntur eis; & quorum retinueris, retenta sunt.* Hæc est potestas intrinseca, supernaturalis & *radicalis*, sine qua Jurisdictio ad forum internum obtineri nequit; & quæ, sine Jurisdictione, ad actum reduci nec licitè nec validè potest (*g*). Jurisdictio verò Sacerdoti extra Ordinationem à Prælato suo confertur: cujus virtute assignantur subjecti, in quos Presbyter hactenùs ligatam Ordinis potestatem exerceat; sicque, non modò Claves, sed & Clavium usum habeat. Itaque potestas Jurisdictionem, sed Jurisdictio potestatis exercitium antecedit.

Porrò duplex est Jurisdictio: *ordinaria* nempè, & *delegata*. Jurisdictionem ordinariam obtinent ii omnes in quos ex officio, vel titulo Beneficii, incumbit animarum cura: quales sunt Episcopi in sua quisque Diœcesi; Prælati Regulares, seu Abbates Episcopali Jurisdictione immunes, in suis Monasteriis; Religionum Superiores-generales, aut Provinciales, in subjectos sibi Religiosos; Parochi in suos Parochianos. Ordinarii etiam Pastores quodammodò habentur Eleemosynarii Navium & Exercituum in sua quisque Navi aut suo militari Agmine; ipsique Jurisdictionem accipiunt, vel ab Episcopo illius portûs ex quo solvitur anchora, vel ab Episcopo cujus finibus exit militare præsidium. Et jure Pastorum gaudent Presbyteri qui ad regendas Parochias vacantes, aut ministerio Pastorum destitutas, à Diœcesano Pontifice delegantur. *Parochi* autem *primitivi* solis fruuntur juribus honorificis; & ipsi, quemadmodùm Archidiaconi, Officiales, cæterique dignitatibus quidem Ecclesiasticis ornati, non verò ad animarum regimen assumpti, Jurisdictionis ordinariæ expertes sunt.

Quod pertinet ad Parochos, licèt ordinariâ Jurisdictione polleant, alios tamen Sacerdotes minimè approbatos nequeunt ad audiendas Parochianorum Confessiones delegare. Hinc à sacra Facultate Parisiensi, anno 1665, ut *falsa & Concilio Tridentino contraria*, damnata est hæc Amadæi Guimenii propositio: *Post Concilium Tridentinum, potest Parochus Sacerdotem simplicem, non*

(*d*) *Worm.* sup. *Hispal. II*, *c. an.* 619. *can.* 7.

(*e*) *Tolet. III*, *an.* 589. *can.* 12. *S. Basil* reg. brev. 110. 229. 288. *Conc. Mogunt. sup. Vide Trid. Sess.* 14. *c.* 6. *can.* 9. 10.

(*f*) *Can. Ap.* 51. *Conc. Elib. can.* 32. *S. Cypr. Ep.* 13. 14. (*al.* 18. 19.)

(*g*) *Idem*, *Ep.* 40. (*al.* 43.) §. 2. *Conc. Trid. sup. cap.* 6. 7. *can.* 9. *Bonif. VIII*, *l.* 5. *t.* 10. *c.* 2. *in* 6.

approbatum ab Ordinario, exponere ad audiendas suorum Parochianorum Confessiones. Pastoribus igitur, & Sacerdotibus Pastorum loco ad tempus constitutis id unum competit, ut Parochos, aliosve Presbyteros ab Ordinario approbatos, ad Parochianorum Confessiones audiendas sibi subsidiarios admittant, modò tamen, quatenùs ad delegatos pertinet, quoad locum & tempus valeat horum Approbatio.

Jurisdictio delegata ut precarium quid obtinetur. Eâ potiuntur Presbyteri ad excipiendas Confessiones approbati; sive Sæculares, ab Episcopis; sive Regulares, à suis Superioribus-majoribus. Ad solos enim Episcopos pertinet ut Jurisdictionem, sive ordinariam Pastoribus per Institutionem Canonicam, sive delegatam Vicariis cæterisque Sacerdotibus per Approbationem conferant: solique Superiores-majores Regularium Episcopali Jurisdictione immunium, Presbyteros Regulares approbare possunt, ut sibi subjectos confitentes audiant. « Quamvis igitur Presbyteri in sua Ordinatione » à peccatis absolvendi potestatem » accipiant; nullus tamen, etiam » Regularis, potest Confessiones sæ» cularium, etiam Sacerdotum, au» dire, nec ad id ullomodò ido» neus reputari, nisi aut Parochiale » Beneficium obtineat, aut ab Epis» copo idoneus judicetur, & Ap» probationem obtineat (*h*). »

Jam verò ad sufficientem & validam Jurisdictionis delegationem requiritur ex parte Superioris delegantis consensus *formalis* & expressus, isque signo aliquo externo manifestatus; nec sufficit præsumptus, tacitus, vel interpretativus. Nulla igitur esset Jurisdictio quam sibi arrogaret Sacerdos pro certo tenens concedendam fuisse, si postulata esset, absolvendi facultatem. Nec sufficit Absolutionis ratihabitio futura; consensus enim futurus non potest Jurisdictionem ad præsens conferre. Undè Jurisdictionis defectu irrita esset Absolutio quam impertiretur Sacerdos, eam confidens à Prælato suo approbatum iri, cùm is hanc eamdem impertitam esse novisset.

In Superioris autem arbitrio est, ut eorum de quibus approbandis agitur, scientiam prævio examine discutiat, totièsque illud examen iteret, quotiès postulabitur Approbationis renovatio. Potestas verò quæ per Approbationem confertur, non est simplex doctrinæ testimonium, sed vera Jurisdictionis potestas.

Prælato etiam integrum est, ut concessæ Approbationi eum quem velit, quoad tempus & locum, quoad personas & peccata limitem constituat. Quinimò, ante tempus in Approbationis instrumento præfinitum, illam revocare potest ob causas sibi cognitas, de quibus nulli mortalium rationem reddere tenetur.

Approbatio verbis generalibus concessa, neque ad Casus reservatos, neque ad Sanctimonialium Confessiones extenditur. Sanctimonialibus

(*h*) *Conc. Trid. Sess.* 23. de Ref. *c.* 15. Idem posteà, quoad Regulares, solemni Decreto confirmavit S. Pius V.

Pœnitentiæ Minister esse nemo potest, nisi ad hoc specialiter ab Ordinario sit approbatus. Sic enim statuit Gregorius Papa XV (*i*): « Confessarii, sive Seculares, sive Regulares, quomodocumque exempti, tam ordinarii quàm extraordinarii, ad Confessiones Monialium, etiam Regularibus subjectarum, audiendas nullatenùs deputari valeant, nisi priùs ab Episcopo Diœcesano idonei judicentur, & Approbationem, quæ gratis concedatur, obtineant. » Atque hanc propositionem, *Religiosas exemptas absolvere potest Sacerdos, sive Secularis, sive Regularis, ab Episcopo non approbatus*, in generalibus Comitiis (*k*) damnavit Clerus Gallicanus, ut falsam, temerariam, à Concilii Tridentini mente alienam, Jurisdictioni Episcoporum & Ecclesiasticæ Disciplinæ contrariam. Itaque ad excipiendas cujuslibet Instituti Sanctimonialium, etiam Episcopali Jurisdictione immunium, Confessiones, requiritur specialis, expressa & *formalis* Ordinarii Approbatio (*l*): quâ deficiente, quivis Presbyter, etiam pro universa Diœcesi approbatus, etiam facultate pollens absolvendi à Casibus reservatis, etiam à Regularium Superiore-majore ad subjectarum sibi Sanctimonialium regimen designatus, eas confitentes in irritum audiret. Qui pro uno ipsarum Conventu approbatus est, non idcircò censetur pro alio, etiam ejusdem Ordinis, multò minùs pro diversi Instituti Communitate approbatus. Qui semel *extraordinarius* ad illas missus fuit Pœnitentiæ Minister, eas sive *extraordinariè*, sive *ordinariè* confitentes, sine nova missione iterùm audire non potest.

Ipsa Parochorum Jurisdictio, licèt ordinaria, suis limitibus circumscribitur. Præterquàm quòd enim, nisi expresso Diœcesani Antistitis permissu, non possunt à Casibus Censurisque reservatis absolvere, insupèr nequeunt vi solius Pastoralis muneris & citra peculiarem facultatem, Confessiones excipere Sanctimonialium, etiam earum quæ intrà Parochiæ suæ fines continentur. Hùc accedit quòd ipsis ex Beneficii titulo non competit alios confitentes audire præter solos Parochianos, & eos qui ad tempus in Parochia commorantur. Laudabilis tamen hacce in Diœcesi obtinuit consuetudo, ut, nisi specialiter illi derogaverimus, possint alios Diœcesis Parochos, ex *charitate fraternitatis* (*m*), in Pœnitentiæ ministerio adjuvare. Quamobrem nullâ cujusquam licentiâ opus habent, ut alienæ Parochiæ Fideles ad suum Tribunal bonâ fide & sine ulla fraude venientes audiant. Idem de cæteris Confessariis dicendum, si eorum Approbatio nullam quoad loca & personas limitationem contineat.

In duabus, sive ejusdem, sive diversarum Diœceseôn Parochiis qui sic habitat, ut apud unamquamque magnâ soleat anni parte commorari, is facultatem habet alterutri Parocho, ut libuerit, confitendi. Cùm enim

(*i*) *Bullâ* Inscrutabili, *an.* 1622.
(*k*) *Anno* 1700.
(*l*) *Clem. X. Constit.* Superna. *Bull. tom.* 5. *pag.* 444. (*m*) *Rom.* 12. 10.

utraque

utraque in Parochia, licèt divisum, tamen fixum verumque domicilium habere censeatur, utriusque Parochi habendus est ex æquo Parochianus; & alterutrum sibi conscientiæ moderatorem adhibens, etiam annuæ Confessionis præcepto satisfacere censetur.

Imò, qui in aliena Parochia, licèt minùs diuturno tempore, & sine constituendi domicilii proposito, negotiationis v. g., militiæ, valetudinis, studiorum causâ commoratur, is quoque ab istius loci Pastore ordinario potest absolvi. Hoc enim ipsi permittit consuetudo, tacitusque saltem Superiorum consensus; ne quis, cùm Pœnitentiæ Sacramento opus habuerit, eo privetur.

Si quis Parochianum suum in Parochia utrique prorsùs alienâ confitentem audire velit, eum quidem, ut potè sibi subjectum, validè potest absolvere: decet tamen quàm maximè, ad vitandum scandalum, ut à loci Pastore aut Superiore priùs licentiam obtineat. Quamvis enim ordinaria fori interni Jurisdictio, cùm exercetur in subjectos, nullis territorii limitibus coërceatur, atque adeò Parochus ubicumque inventis, aut secum adductis Parochianis suis validè possit Absolutionis beneficium impertiri; ut tamen licitè Jurisdictionem illam exerceat, accedere debet consensus Pastoris aut Superioris penès quem loci Jurisdictio est, & cujus in Ecclesia, vel territorio, Parochiani etiam sui Confessionem excipit.

Cæteri verò Confessarii, quibus scilicet non competit nisi delegata Jurisdictio, neminem extra fines Diœcesis pro qua fuerint approbati, possunt absolvere.

Potest Ordinarius loci Pontifex quemlibet Sacerdotem, etiam ex aliena Diœcesi, neque ab Episcopo suo approbatum, delegare ad excipiendas suorum Diœcesanorum Confessiones. Et si exteri bonâ fide accedant, non in fraudem Casûs in propria Diœcesi reservati, non ut justam scelerum pœnitentiam declinent, non ut faciliùs in peccati consuetudine vel occasione proxima ignoti perseverent (fraus enim & dolus nemini debent patrocinari); validè ac licitè potest quivis Sacerdos à Diœcesano Pontifice approbatus, eorum Confessiones in Diœcesi excipere, confessisque Absolutionem (si nihil aliundè obstet) impertiri.

Vagi similiter & peregrini, quia nullibi certam habent sedem, certumve domicilium, absolvi possunt à Confessariis locorum in quibus pro tempore commorantur. Quod pertinet ad hospites, quibus nempè alibi domicilium, atque idcircò Parochia est: si ad alium locum, vicum, oppidum, seu ad aliam Diœcesim, ob Festi alicujus ibidem occurrentis celebritatem, piamve peregrinationem, aut propter aliam pietatis occasionem venientes, confiteri cupiant & sacrosanctam Eucharistiam suscipere; peregrinorum instar absolvi poterunt, modò tamen illùc non se in fraudem legis contulerint. Positâ eorum bonâ fide, ne quis suæ pietatis fructu careat, ex tacito Ordinariorum consensu, passim recepta est meritòque approbata illa consuetudo.

Quod pertinet ad Regularium Confessiones: quandoquidem Episcoporum Approbatio, nisi ad au-

diendos seculares, nullâ de Regularibus factâ mentione, à Tridentina Synodo requiritur; possunt Superiores Ordinum Episcopali jurisdictione immunium Confessarios Regulares ab Ordinario loci Antistite non approbatos delegare subjectis sibi viris Religiosis. Decernit prætereà Clemens X (*n*), » in Monasteriis, ac etiam Collegiis ubi » juxta Regularia instituta vivitur, » posse tam Prælatos Regulares quàm » Confessores Regularium eorumdem » Monasteriorum seu Collegiorum, audire Confessiones illorum » secularium qui inibi sunt » verè de familia, & continui com» mensales; non autem illorum qui » inibi tantùm deserviunt. » At verò secularem Monasterio vel Communitati suæ alienum audire confitentem nullus potest Regularis, nisi fuerit à Diœcesano Pontifice approbatus (*o*). Nec sufficeret Approbationis postulatio: eam scripto, aut saltem verbo disertè concessam obtineri necesse est. Ad nihilum valeret postulatio, si, vel sine causa, denegaretur Approbatio; nulli enim, nisi summo æternoque Pastorum Principi, tenetur Episcopus de gratiosæ & voluntariæ Jurisdictionis suæ usu rationem reddere.

Ut verò quoad Regulares Disciplinam hìc obiter sanciamus: eorum Superiores, pro sua pietate ac religione, nullum nisi spectatâ morum integritate atque intemeratâ virtutis famâ commendabilem Nobis ad hoc ministerium suscipiendum offerent. Et verò non solùm necesse est ut omnium qui ad Confessiones in nostra Diœcesi excipiendas admitti cupiunt, scientiam & doctrinam prævio examine discutiamus; verùm etiam permagni momenti est ad Religionis decus & animarum salutem, ut de ipsorum moribus Nobis constet quàm fieri poterit certissimè. De omnibus igitur & singulis pro unoquoque Monasterio approbandis scriptum testimonium Nobis exhiberi curabunt Regularium Superiores, sine quo nullum ex eorum subjectis ad audiendas secularium Confessiones admittemus. Declaramus prætereà Regularem deinceps à Nobis approbatum iri neminem qui recèns in nostram Diœcesim advenerit, nisi à suo Superiore offeratur, simulque doctrinæ, vitæ & morum testimonia Nobis exhibeat ab Antistite illius Diœcesis in qua fuerit ultimò commoratus; nec satis fore si à Regularibus exhibeantur Approbationis Litteræ apud alienam Diœcesim impetratæ.

Cum igitur Confessario tam necessaria sit potestas, ut eam in illo supplere nullomodò possit, nec præstabilis eminensque virtus, nec summa scientia; omnium primum cogitet Sacerdos an Jurisdictionem habeat, & qualis sit ea

(*n*) *Constit.* Superna.

(*o*) *S. Pius V*, *Bullâ* Romani Pontifices, *an.* 1571.
Greg. XIII, *Bull.* In tanta, *an.* 1573.
Greg. XV, *Bull.* Inscrutabili.
Urb. VIII, *Bull.* Circumspecta, & Cùm, sicut accepimus, *an.* 1628.
Hac postremâ revocantur & abrogantur quæcumque privilegia audiendi Confessiones sine Approbatione Ordinarii, quibuslibet Collegiis, Capitulis, Religionibus, Societatibus, Congregationibus & Ordinibus concessa.

Jurisdictio; an hæc ipsa Casus vel Censuras Pontifici maximo vel Diœcesano Præsuli reservatas complectatur; an ipse demùm, nullâ temporum & locorum, personarum & peccatorum distinctione factâ, nullâque appositâ limitatione, absolvendi jure polleat.

Hactenùs de utraque Jurisdictione, tum de hujus exercitio, variisque limitationibus. Nunc dicendum superest an aliquandò suppleatur, & quomodò cesset: postremò de Absolutione in articulo mortis.

Jurisdictio, sive ordinaria, sive delegata, etsi secundùm se irrita, validè tamen exerceri potest ratione erroris verè publici & inculpati; quo nimirùm omnes, aut ferè omnes, eo in loco ubi quis pro Confessario se gerit & Jurisdictionem exercet, hanc ei veram competere, falsò quidem, sed bonâ fide arbitrantur. Huic errori insupèr accedere oportet titulum coloratum; qui scilicet non suppositirius, aut fraude confictus, sed à legitimo Superiore collatus, occulto impedimento vitiatur, quo fit ut non valeat, alioqui valiturus. Quotiès igitur cum supradicto errore concurrit hujusmodi titulus coloratus, Ecclesia, ne quid detrimenti, alioquin imminentis, capiat animarum salus, latentem suppler defectum; modò tamen ex solo Jure Ecclesiastico, non autem naturali aut divino, proveniat inhabilitas ad suscipiendam Jurisdictionem. Hinc simonia, irregularitas, excommunicatio, delegationis revocatio, si occulta sint, Jurisdictionis exercitium in eo non perimunt qui titulum contulit aut accepit: illud autem in eo perimunt defectus Ordinis Sacerdotalis, rationis, necessariæ intentionis, quamvis occulti maneant. Ratio est quia illos potest Ecclesia supplere, hos verò non potest.

Quòd si autem non verè publicus, sed privatus, seu paucorum duntaxat sit error; ad Jurisdictionem validè exercendam nihil conferre potest, ne titulo quidem colorato adjunctus.

Præterea Confessarius, post adeptum Beneficii Parochialis titulum, vel obtentam Approbationem, Irregularitate, Excommunicatione, vel Suspensione ligatus, Jurisdictionis usu excidit, si sit nominatim & expressè ab Ecclesiastico Judice denuntiatus. Tunc irrita esset apud illum emissa Confessio; ipsi enim Ecclesia priùs concessam subtrahit Jurisdictionem. Si autem generatim lata fuerit Censura; quamvis in eam ille speciatim inciderit, ipse quidem, donec sua ei ritè denuntietur condemnationis Sententia, tanquam Minister adhùc ab Ecclesia toleratus, validè absolvit, sed illicitè, peccatque lethaliter; ac prætereà Irregularitatem incurrit, si sit excommunicatus vel suspensus.

Jam verò cessat Jurisdictio ordinaria, cùm deserit Sacerdos Officium aut Beneficii Titulum cui annexa est animarum cura; vel cùm eo, sive Officio, sive Beneficio spoliatur. Hinc Parochi, abdicato Pastorali munere, Ordinarii Approbatione indigent ad excipiendas Confessiones in Parochiis quas anteà regebant.

Cessat Jurisdictio delegata, 1°. Per Approbationis revocationem, sive ad certum tempus limitata fue-

rit, sive non limitata. Ea tamen revocatio cessationem facultatis non priùs efficit, quàm ad delegatum pervenerit ejus notitia. 2°. Temporis lapsu, seu per facultatis expirationem, cùm scilicet expletum est tempus in Approbatione constitutum: ad quam cessationem nulla requiritur ex parte Superioris declaratio. Attamen, etiam elapso Approbationis termino, potest Sacerdos (nisi aliud constituerit Diœcesanus Antistes) incœptas ante hunc terminum Confessiones perducere ad ultimum exitum & ad ipsam Absolutionis concessionem. Idem foret, si non temporis lapsu, sed per Approbationis revocationem cessaret Jurisdictio delegata: quæ scilicet revocatio (in consueto rerum cursu, nec aliud statuente Ordinario) anteà concessam facultatem non perimit, nisi rebus integris, id est, nisi ante incœptam Confessionem. Iis autem in casibus videndum est cautissimè ne quid scandali oriatur. Provideant etiam delegati ut tempestivè Approbatio renovetur, priusquàm ad finem vergat ultimum.

Porrò delegatio, sive generalis, nempè ad Confessiones in Diœcesi vel Parochiâ excipiendas generaliter concessa, sive specialis, nempè ad aliquot personas restricta, non cessat (etiam rebus integris, id est, nondùm incœptâ ullâ Confessione) per delegantis mortem, vel à Jurisdictione discessionem. Est enim hujusmodi concessio, ut loquuntur, *gratia facta*, ideòque mansura. Utraque modò dicta delegatio, sive perpetua sit, sive ad tempus concessa, suum sortitur effectum, nisi eam limitetur vel revocet Capituli Cathedralis, Episcopali Sede vacante, Vicarius-generalis, aut Episcopus, mortui vel Jurisdictione excidentis successor; hoc enim utrique jus competit. Et si Vicarius-generalis delegationem concesserit, hæc pariter, illo (etiam ante incœptas Confessiones) moriente, non interit. Nam Vicarii-generalis potestas in hujus auctore Præsule tota subsistit.

Similiter, cùm ipsi Pœnitenti ea conceditur facultas ut apud Sacerdotem aliàs necessariâ Jurisdictione carentem confiteatur, vel Casûs aut Censuræ reservatæ Absolutionem accipiat, vel in Voto, in Irregularitate, in Matrimonii Impedimento Dispensationem consequatur; hujusmodi facultas Ordinario, sive morienti, sive abdicanti, aut aliàs Jurisdictionem amittenti, superstes maneret, quamvis prædictus Sacerdos illum sive mortuum, sive Jurisdictione jam non pollentem, etiam rebus integris, didicisset.

Jam verò, ut quis in mortis articulo vel probabili periculo constitutus absolvatur, nulla Jurisdictionis potestas, etiam ad Reservata, requiritur, si desit alius Presbyter qui legitimâ facultate polleat (p). Sufficit in hac necessitate potestas Ordinis; & cuique Sacerdoti Jurisdictionem supplet tacita Ecclesiæ concessio. Scilicet pia Fidelium mater Christi Sponsi magisterio edocta, qui *pro omnibus mortuus est* (q), Sacramentorum defectu perire vult neminem; utque omnes quos sinu

(p) *Conc. Trid. Sess.* 14. *cap.* 7. de Cas. reserv. (q) 2. *Cor.* 5. 15.

tenerrimo ad beatam immortalitatem parturit, salvi fiant, velle se denuntiat favores ampliari, omnimodamque facilitatem offerri. Et quidem mortis articulus non solùm hominis extremum spiritum exhalantis status esse intelligitur; verùm etiam ad grave & manifestum undecumque imminens mortis periculum extenditur. Eo igitur in casu versari censentur qui pestilentiâ afflati sunt, qui gravissimâ febri continuâ, aliove morbo *responsum* proximæ *mortis* ferente conflictantur; qui tam periculosè vulnerati sunt, ut in supremum transitum vergere meritò judicentur; fœminæ tum primùm parturientes, vel difficili partu laborantes; uno verbo illi omnes quos prudens Minister in periculo moram nullam patiente constitutos probabili conjecturâ existimat. Idemque dicendum, quotiès de istiusmodi periculo dubium occurrit legitimo fundamento nixum. Id quippè Ecclesiæ menti consentaneum prorsùs est; quæ scilicet velle non censetur ut, occurrente tali dubio, quisquam Fidelium periculo objiciatur è vita migrandi sine Sacramento ad salutem necessario.

Itaque Infirmum in vero aut probabili periculo constitutum, modò pœnitens & contritus videatur, deficiente Sacerdote ad reconciliationis ministerium approbato, quilibet sive Secularis, sive Regularis Presbyter, etiam non approbatus, imò suspensus, excommunicatus, irregularis, depositus, absolvere potest ac debet à Censuris & peccatis cuicumque reservatis, ipsisque Censuris *ab homine* & per Sententiam latis (*r*). Quod tamen non ita generaliter intelligendum videtur, ut nullam patiatur exceptionem. Etenim, juxta mentem Concilii Tridentini, ad hoc tantùm in mortis periculo cessat quæcumque Reservatio criminum & Censurarum, ut nemo, Sacramentorum defectu, æternæ salutis exors fiat (*s*): Suspensio autem, sive ab Ordine, sive ab Officio aut Beneficio, neque Sacramentorum susceptionem, neque Regni cœlestis introitum intercludit: undè non immeritò colligitur, nulli Presbytero, sine speciali facultate, id competere, ut moribundum in Sacris constitutum à cujusvis generis Suspensione absolvat; & eos quibus deest hujusmodi licentia, Censuras, urgente necessitate, alias tollere non posse, quàm quæ Sacramentorum susceptionem prohibent, nempè Excommunicationem, & Interdictum personale.

Cæterùm nulla, licèt gravissima & periculosissima infirmitas, Reservationem tollere potest, aut supplere defectum Approbationis ad peccata, sive reservata, sive non reservata dimittenda necessariæ, cùm accersiri potest Presbyter ad id muneris obeundum ritè approbatus. Quo quidem in casu, integris adhùc rebus, id est, nondùm incœptâ Confessione, ab ea excipienda abstinere debet qui prior adfuit non approbatus: nisi tamen videatur Infirmus confitendi moras non æquo animo laturus; tunc enim modò dictus Presbyter Confessionem excipere, & Absolutionem impertiri potest.

(*r*) *Conc. Trid.* sup. (*s*) *Ibid.*

Si quis autem in extremis absolutus sit à Presbytero nominatim excommunicato, vel denuntiatam Hæresim palàm profitente, vel deposito, qui nempè tunc solus adfuerit; ne quid incertum in tanti momenti negotio relinquatur, superveniens alter Sacerdos approbatus, aut saltem in Ecclesiæ Communione constitutus, moribundum illum ad Contritionem de peccatis suis generatim excitet, eique tutiorem Absolutionem impertiatur, & quidem priùs novam ab eo, si possit, Confessionem eliciat. Quòd si Pœnitentem, & loquela, & sensuum usus jam omninò defecerint; Absolutionem ei supplere nihilominùs poterit, vel consuetâ *formâ*, vel sub hac conditione, *Si non es absolutus, ego te absolvo*, &c.

Quòd si Infirmus ex morbo convalescat, & fuerit à solis peccatis, sive non reservatis, sive reservatis absolutus; nihil exequi tenebitur præter ea quæ sibi à Confessario, & ad legitimam satisfactionem, & ad rectiorem vivendi disciplinam injuncta fuerint. Si verò ab aliqua Censura reservata fuerit absolutus; quid insupèr Sacerdos eum admonere, quid ipse, receptâ valetudine, exequi debeat, proximè sequenti Capite edisseremus.



CAPUT II.

De potestate Confessarii circa Reservata.

QUÆDAM prænotantur. Quàm antiqua sit Casuum Reservatio. Quorsùm hæc eadem instituta. Casus sibi reservare quinam possint. Absolutio à Reservatis, sine speciali ad hanc Approbatione, omninò irrita. Locum non habet Reservatio, nisi quinque positis rerum adjunctis. Ea insupèr ad legis apicem accipienda. Rerum status quatuor, in quibus potest Confessarius simpliciter approbatus à Reservatis absolvere. Quandonam Casus Pontifici maximo reservati ad Ordinarium pertineant. De facultate absolvendi à Casibus & Censuris Sedi Apostolicæ reservatis. Pro certis circumstantiis & personis conceditur potestas ad Reservata Diœcesana. De Casu reservato cui est annexa Censura. Seorsim dimitti nequeunt Reservata & non reservata. A Reservatis absolvendi licentia non leviter postulanda, nec sine delectu exercenda. Approbationis ad Reservata limites iidem ac simplicis Approbationis. De potestate à Reservatis absolvendi, prout conditionalis est, prout certas ad personas, certos ad Casus restricta. Absolutio ab Hæresi, & à Censuris ab homine, *specialissimè reservata. An cum Ordinarii vita vel Jurisdictione desinat, sive generalis, sive specialis delegatio ad Reservata. Confessarium, non verò Pœnitentem afficit Casuum reservatio: Consectaria.*

PRIMÆVIS Ecclesiæ temporibus, Pœnitentiæ ministerium, ut jam antè diximus, soli propemodùm exercebant Episcopi; iisque reservata erat publicè pœnitentium reconciliatio; nec poterant secundi ordinis Sacerdotes, nisi absente Præsule, vel de hujus licentia, vel instante mortis periculo, à delictis Pœnitentiæ publicæ obnoxiis absolvere. Posteà cujusque Diœcesis Antistes *Pœnitentiarium* Presbyterum instituit, in quem illius curæ pars multa recumberet. Passim denique Ecclesiastici regiminis multiplici sollicitudine prægravati Pontifices, crebrescente insupèr, cum numero Fidelium, sacri Tribunalis frequentatione, Presbyteros in prædicti ministerii societatem adhibuêre, sibi nihilominùs reservatis Casibus nonnullis, quorum Pœnitentiam ii soli

decernere atque Absolutionem impertiri possent: nec ullum Ecclesiæ tempus extitit, quo Presbyteris sine speciali Episcoporum concessu licuerit immaniora quædam scelera condonare. Cùm nempè in desuetudinem abiisset Pœnitentia publica, Præsules tamen sibi potestatem reservârunt de quibusdam criminibus cognoscendi; & facultatem à Reservatis absolvendi non sine distinctâ concessione Presbyteris communicârunt.

Itaque, positâ Casuum Reservatione, non indè imminuta existimanda est Presbyterorum jurisdictio; quandoquidem Pontifices nihil aliud sibi per eam vindicant, nisi quòd exercendam illius ministerii partem sibi retinent, cujus universitatem ii ferè soli, & per se ipsi, plurium seculorum spatio, nemine reclamante, exercuerunt. Undecimo seculo, consentientibus Episcopis, id moris inductum est, ut qui facinora quædam perpetrassent, ad summum Pontificem mitterentur, quò scilicet, ex majore Absolutionis difficultate, vehementiorem hujusmodi scelerum horrorem conciperent. Nec multò post, ea Juri Canonico inserta fuerunt, tanquam summo Pontifici reservata; triaque hujusmodi in vicinis eorum temporum Statutis Parisiensibus enuntiata occurrunt, scilicet *injectio manuum in Clericos, vel quoscumque Religiosos, incendia, simonia* (a). Multò verò antiquiùs, prout ex dictis intelligi facilè potest, constitutum fuit, ut quidam Casus Episcopis Diœcesanis reservarentur. Et quidem « magnoperè ad Christiani populi disciplinam pertinere sanctissimis Patribus nostris » visum est, ut atrociora quædam » & graviora crimina, non à quibusvis, sed à summis duntaxat » Sacerdotibus absolverentur (b).

Enimverò potiores medicos requirunt morbi graviores; valdèque ad tuendum disciplinæ nervum & robur expedit, ut, nisi per Sacerdotii plenitudinem ii non reducantur, qui pleniore atque scelestiore mentis pravitare *sese à Deo elongaverunt* (c). Hùc accedit quòd, intellectâ ejusmodi scelerum immanitate, ab iis metus pudorque illæsam Fidelium innocentiam custodiunt; vel, si quis ea commiserit, cumulatiorem pro ipsis agit Pœnitentiam, cujus non minima pars habetur Confessio apud Superiorem emissa, ut ille hujus monita atque hortamenta suscipiens, incusâ eminentioris auctoritatis reverentiâ, pleniorem experiatur spiritualium remediorum efficaciam. Cujus nimirùm prudentis œconomiæ habitâ ratione, sic præcipiunt vetera eadem hujus Ecclesiæ Statuta Synodica: *Sacerdotes majora reservent majoribus, in Confessionibus* (d).

A QUIBUSDAM Casibus absolvendi facultatem sibi reservare soli possunt, summus Pontifex in tota Ecclesia, Episcopus in sua Diœcesi, Ordinum Generales & Provinciales

(a) *Sat. D. Odonis* de Sully, *Parif. Episc. Syn.* 1. *c. an.* 1198. Capitul. circa Confess. *in Synodico, pag.* 6.

(b) *Conc. Trid. Sess.* 14. *c.* 7. de Cas. reserv.

(c) *Ps.* 72. (d) *Synodic.* sup.

erga

erga Religiosos sibi subjectos. Quam quidem *reservationem, consonum est divinæ auctoritati, non tantùm in externa politia, sed etiam coram Deo vim habere* (*e*). Et id quidem non solùm declaravit, verùm etiam, propositâ anathematis pœnâ, definivit sacrosancta Tridentina Synodus his verbis : » Si quis dixerit Episcopos non habere jus reservandi sibi Casus, nisi quoad externam politiam, atque ideò Casuum Reservationem non prohibere quominùs Sacerdos à reservatis verè absolvat; anathema sit (*f*). » Itaque non modò illicita, sed & prorsùs irrita esset Absolutio à Reservatis, quam impertiretur quilibet Confessarius Secularis, etiam Pastor, ad Reservata non specialiter ab Ordinario loci Pontifice approbatus. Idem dicendum de cujuslibet Ordinis, Congregationis vel Instituti Regularibus ad audiendas sæcularium Confessiones delegatis, quantalibet immunitate & quocumque privilegio gaudentibus. Eorum enim privilegia, tum à Concilio Tridentino, tum deinceps à multis summis Pontificibus hac in parte rescissa omninò fuerunt atque abrogata (*g*). Scilicet, cùm Ecclesiæ à Christo concessa ideò fuerit ligandi atque solvendi potestas ut illam sapienter administrari curaret, eam consequenter Ministris ita communicare potest ac debet, ut, pro Christiani regiminis utilitate, aliis ampliorem, aliis arctiorem conferat Jurisdictionem; & quos sciret facultatem sibi concessam prætergredi, eos viis Juris compescere atque in officio continere posset.

Si quis autem, eò quòd ordinariâ polleat Jurisdictione, salutaris hujus disciplinæ observantiam subterfugere contendat; is videat etiam atque etiam an non salutem animarum leviùs tractet quàm negotia quælibet temporalia, in quibus tutiorem partem semper eligi debere, nec immeritò, arbitratur. Porrò ubi de remissione peccatorum, & de hominis cum Deo reconciliatione agitur, ad quam utique omninò requiritur certa potestas certaque Jurisdictio, nihil ambigui, nihil incerti relinquendum clamat Religio ipsaque conscientia. Scilicet in tanti momenti negotio quidquam ex præjudicata opinione statuere impium est : atque opinio de qua disputatur, malè ac scelestè cum tanto periculo in praxim redigitur, postquàm præsertim, ut jam diximus, inflicto anathemate, pronuntiavit Ecclesia.

Porro nullus est Reservationi locus, 1°. nisi delictum post annos pubertatis commissum fuerit (*h*). Nullus enim Casus, nulla Censura reservatur, in quæ inciderit puer ante annum ætatis quartumdecimum completum, puella verò ante duodecimum; etiamsi, cùm

(*e*) *Conc. Trid. suprà. Vide Bonif. VIII, l. 5. tit. 10. c. 2. in 6. Paul. II, an.* 1468, Estì Dominus, *de Pœnitentiis & remiss. l. 5, cap.* 3.

(*f*) *Sess.* 14. *can.* 11.

(*g*) *Conc. Trid. Sess.* 23. de Ref. *c.* 15. *Clement.* Religiosi. *Declar. sacræ Congr. Episc. & Regul.* 17 *Nov.* 1628.

(*h*) *Decret. l.* 5. *tit.* 39. *c.* 60.

impuberes aliàs Reservata commiserint, ea tamen, nisi adultâ pubertate, non confiteantur.

II°. Nisi delictum in specie reservata sit lethale. Si ergò ob materiæ levitatem, ob ignorantiam vel imprudentiam, ob defectum pleni & liberi consensûs (ut fit in motu primo), veniale prudenter censeatur; illud pro reservato minimè habendum est. Si autem reipsâ lethale sit & reservatum, non ideò à Reservatione eximitur, quòd eam Reus ignoraverit. At verò, si peccatum non sit reservatum nisi propter aliquam circumstantiam quâ mutetur peccati species, illudque insupèr cum talis circumstantiæ ignorantiâ inculpabili commissum fuerit, Reservationi subjacere non censetur. In hujusmodi casu versatur is qui cum puella peccavit, quam affinitate intrà secundum gradum attingebat, & quam se nesciebat eo gradu attingere.

III°. Nisi actus fuerit exterior. Scilicet peccata cogitationis aut desiderii nunquam sunt idonea Reservationi materia. Sufficit autem actus exterior, neque ullomodò necesse est ut publicus fuerit. Homicidii perpetrandi voluntas nequaquam censetur Casus reservatus; sed Reservationi subjacet homicidium voluntarium, quamvis nullo teste perpetratum.

IV°. Nisi actus peccati fuerit completus & consummatus, in specie per Reservationem expressâ. Hinc, licèt Reservationi subjaceat homicidium voluntarium, si quis tamen aliquem de industria graviter vulneraverit cum intentione illum occidendi, non ille Reservationem incurrit, nisi mors ex inflicto vulnere sequatur.

V°. Nisi certum sit peccatum. Nulla quippè est Reservatio in dubio *facti* (*i*), quandò videlicet prudenter & legitimè dubitatur an commissum fuerit peccatum, an reverà exterior & completus fuerit actus peccati, an lethale sit peccatum, an non præcedenti Confessione dimissum, an post annos pubertatis admissum fuerit. In dubio *Juris*, si nempè dubitet Confessarius an peccatum, aliàs certum, in lege Reservationis includatur; cùm ad Legislatorem pertineat legis interpretatio, suadet prudentia ut consulatur Pontifex Diœcesanus, aut ejus Vicarius-generalis. Ad quos recurrere cùm Sacerdos sine magno incommodo non potest, consulat Collegas doctrinâ & experientiâ graves; & Pœnitens, de ipsorum consilio, si locus sit, absolvatur. Hæc autem Absolutio valebit; etiamsi posteà deprehendatur Casum verè esse reservatum, eique adjunctam Excommunicationem. Porrò in dubio *Juris*, Sacerdotem nihil proprio judicio definire sæpiùs expedit, ne quid dubium malè habeatur. Si enim Sacerdos, ex imperitia vel supina incuria, quempiam à Casu reservato, quasi dubio, licèt vero ac certo, absolvit; peccat ipse graviter, atque irrita, Jure communi,

(*i*) *Mandat. D. Lud. Ant. Card.* de Noailles, *de Casib. reserv. &c. an.* 1709. *in Synodico, pag.* 397.

est Absolutio. Quòd si tamen Pœnitens bonâ fide egerit, scilicet Casûs reservationem nesciens, Jurisdictionem quæ in Confessario defuerit, & quæ ad Nos pertinuerit, suppletam haberi concedimus; ne, propter Sacerdotis negligentiam, salus cujusquam sincero & benè præparato animo accedentis in periculum adducatur.

Casus prætereà, qualiter enuntiatur, accipiendus est, atque intrà limites propositionis coërcendus. Neque enim potest Reservatio ultra legis apicem, sive per ratiocinium, sive per comparationem extendi. Hìc non valet argumentatio *à pari*, neque etiam *à fortiori*. Et quidem ii soli Reservationem incurrunt, qui peccatum reservatum physicè perpetrant; non verò qui, adhibito jussu, auxilio, favore, aut consensu, illius participes fuêre, nisi hoc disertis verbis in Lege expressum inveniatur.

Etiamsi verò peccatum certissimè sit reservatum, ne quis tamen, Reservationis occasione, detrimentum animæ suæ patiatur, sunt quædam rerum adjuncta, in quibus ab eo potest absolvere Confessarius simpliciter approbatus:

I°. Cùm *Bulla* Jubilæi potestatem facit à Reservatis absolvendi, eaque à Diœcesano Antistite, sine ulla quoad hanc partem restrictione, promulgata est. Qui tamen, Jubilæi tempore, Casus reservatos esset confessus, sed irritam ex defectu culpabili, sive integritatis, sive Contritionis necessariæ, Confessionem emisisset, is, post Jubilæum, ministerio indigeret Sacerdotis ad Reservata pollentis, ut eorum condonationem, ritè confessus & verè contritus, obtineret; neque à simpliciter approbato Sacerdote posset absolvi (*k*).

II°. Cùm aliquis apud Sacerdotem pro Reservatis pollentem confitens, Reservata silentio prætetiit ex solo memoriæ lapsu, non verò per negligentiam lethaliter culpabilem. Tunc enim peccata non confessa pariter cum confessis dimittuntur. Itaque hujusmodi Pœnitens, omissionis posteà memor, Sacerdotem adire non tenetur qui ad Reservata Jurisdictionem habeat: satis est ut ea quæ priùs omisit peccata, in proximè sequenti Confessione declaret ordinario conscientiæ moderatori, si ad eum cui priùs confessus fuerit, non possit facilè regredi (*l*).

III°. Cùm Pœnitens, priùs confessus apud Sacerdotem ad Reservata pollentem, Reservatorum Confessionem iterat, eò quòd prior Confessio deprehendatur invalida fuisse, quamvis non sacrilega, propter obicem ab illo non advertente allatum, qui scilicet bonâ fide existimaverit nihil ex parte sua defuisse. Hujusmodi Pœnitens Reservationis legi satisfecit; & Absolutio quam suscepit, Reservationem abstulisse meritò censetur (*m*). Si autem de industria & culpâ suâ irritam effecisset

(*k*) *Decr. Alex. VII*, 24 *Sept.* 1665. *Decr. Innoc. XI*, 2 *Mart.* 1679. *Prop.* 53. *Comit. Cleri Gall. an.* 1700. *Prop.* 71. & 75.

(*l*) *Mandatum Emin. Card.* de Noailles, *sup. cit.*

(*m*) *Cabassut. l.* 3. *c.* 12.

Absolutionem, non posset Sacerdos, sine speciali potestate, à Reservatis eum absolvere (*n*).

Hìc tamen observandum est, quòd si quis apud Sacerdotem pro Casibus Censurisque reservatis pollentem, peccatum confiteatur cui sit annexa Censura reservata, & Confessionem emittat culpâ suâ irritam, non quidem remittitur peccatum, sed aufertur Censura; nec tenetur Pœnitens novam Censuræ Absolutionem obtinere, nisi in foro externo, si Censura sit juridicè publica.

IV°. Cùm in extremis versatur Pœnitens. Scilicet, ut declarat Tridentina Synodus, » piè admodùm, » ne hac ipsâ (Reservationis) occa- » sione aliquis pereat, in Ecclesia » Dei custoditum semper fuit, ut nul- » la sit Reservatio in articulo mortis, » atque ideò omnes Sacerdotes à qui- » busvis peccatis & Censuris absol- » vere possint (*o*). » Itaque, si desit Confessarius ad Reservata delegatus, Pœnitentem in mortis articulo, vel in probabili, aut etiam dubio (ut Capite superiore dictum est) periculo constitutum, modò contritus videatur, potest ac debet quivis Sacerdos sive Secularis sive Regularis, etiam ne simpliciter quidem approbatus, imò suspensus, excommunicatus, interdictus, irregularis, depositus, absolvere à quibuscumque peccatis & Censuris, cuicumque reservatis, & ab ea ipsa Censura quæ foret *ab homine* & per Sententiam lata; non tamen à Suspensione, quæ (ut jam observavimus) intellectâ mente Concilii Tridentini, non immeritò videtur excepta.

Qui à Presbytero simpliciter approbato, vel solam Ordinis potestatem habente, sic in mortis periculo Absolutionem susceperit delicti reservati, sed cui nulla esset annexa Censura reservata, is quidem, si periculum evaserit, non tenebitur apud Superiorem, ejusve ad Reservata delegatum rursùs confiteri (*p*). Presbyter autem sic in necessitate absolvens, Superioris munus erga Pœnitentem diligenter impleat, eum scilicet admonens, ut condignè, si ex morbo convaluerit, satisfaciat, moresque in melius immutet. Ei præsertim Pœnitentiæ loco sit, ut, integratâ, si Deus annuerit, valetudine, ad sacrum Tribunal accedat, quò pleniùs atque consideratiùs huic ipsi suggerantur *monita salutis* & leges vitæ sanctioris.

Si autem annexa peccato sit aliqua Censura reservata, eaque occulta, jubeat Sacerdos Infirmum periclitantem, si ex morbo sospes evaserit, reum se Superiori, ejusve ad Reservata delegato, quamprimùm sistere, ut ipsius mandata, modum nempè Satisfactionis cum salutaribus monitis accipiat (*q*).

Quòd si verò annexa peccato Censura reservata, juridicè publica esse inveniatur; sive Censura sit *à Jure*, eaque publicè denuntiata, vel ad forum contentiosum deducta; sive sit *ab homine*, & per Sententiam specialem, aut etiam per Mo-

(*n*) *Ibid.*
(*o*) *Sess.* 14. *cap.* 7. de Pœnit.
(*p*) *De sent. Excomm. in* 6. *cap.* 22. *Mandat. Emin. Card.* de Noailles.
(*q*) *Ibid.*

nitorium lata; Infirmum in vitæ discrimine confitentem hortabitur Sacerdos, ut publico testimonio significet quàm verè & ex animo eam quæ locum Censuræ dederit, culpam doleat, pariterque scandalum quod per suam inobedientiam & contumaciam Fidelibus intulerit. Curabit insupèr Confessarius, cùm erunt aliena restituenda, vel damna resarcienda, ut continuò Infirmus, si possit, læso cuique satisfaciat: sin minùs, eum jubebit sua in hunc finem bona oppignerare, & per Testamentum aut Codicillos suam eâ de re voluntatem declarare. Si verò non sit constitutum quanta esse debebat restitutio, vel damni compensatio; inducetur Infirmus ad eam suis hæredibus imponendam, hac diligenter appositâ clausulâ, ut persona prudens, quamcumque Testamento designare voluerit, restitutionis vel compensationis quantitatem definiat. Cæterùm nemo ab ulla Censura, etiam moriens, absolvatur, nisi ad debitum Ecclesiæ obsequium exhibendum, iisque omnibus quorum interfuerit, pro facultate satisfaciendum, ac denique ad ea omnia quæ ratio, justitia, & disciplina exegerint, præstanda expeditum se atque erectum profiteatur.

Præcipiet quoque Sacerdos Infirmo ejusmodi, Censurâ videlicet juridicè publicâ irretito, ut ipse, si convaluerit, reum se, non Diœcesano Pontifici, ejusve ad Reservata delegato, sed Ecclesiastico Judici quamprimùm sistat; à quo, expletis iis quæ sibi injuncta fuerint, in foro externo absolvatur, atque in bona spiritualia cæteraque commoda per Censuram adempta restituatur. Quod quidem si nolit promittere, non absolvatur.

Quoniam verò existimant non mediocris famæ Theologi, Sacerdotem excommunicatum, vel qui Hæresim denuntiatam publicè profiteatur, non inter eos recensendum esse, quos, aliàs necessariâ Jurisdictione carentes, in extremis absolvere posse declarat Concilium Tridentinum; idcircò, si quis hujusmodi Sacerdos periclitantem Infirmum absolverit, & superveniat alius Presbyter saltem in Ecclesiæ Communione constitutus, hic prudenter aget, si illud observet quod pro simili casu dictum est Capite superiore.

Jam verò, si periculum non urgeat, tempusque Sacerdoti suppetat deficientis sibi facultatis ab eo qui illam concedere possit, obtinendæ; hanc priùs obtineat, quàm Infirmum in Confessione auditum à Reservatis absolvat; nisi tamen Infirmus, aliàs ritè dispositus, Absolutionis moram non æquo animo laturus videatur, vel oriturum præsumatur scandalum, si differatur sacri Viatici administratio.

Porrò Censura, sive non reservata, sive reservata, sive occulta, sive publica, si qua tollenda occurrat, consuetâ tollitur Absolutionis formâ, in qua nempè dicitur: *Absolvo te primùm ab omni vinculo Excommunicationis (Suspensionis) & Interdicti*, &c. nihilque ex ea necesse est immutari.

Meminerit autem quivis Presbyter, etiam ad Reservata latissimè approbatus, se non posse cum ullo Pœnitente, etiam moribundo, dispensare in Votis, in Irregularitati-

bus, in Matrimonii Impedimentis, etiam occultis, nisi specialem ad hæc licentiam acceperit. Ratio nempè est, quòd eæ Dispensationes, neque ad suscipienda Sacramenta, neque ad æternam salutem consequendam necessariæ sunt.

Si quis Excommunicatus denuntiatus è vita excederet postquàm à Sacerdote simpliciter approbato, vel solam Ordinis potestatem habente, fuisset in extremis absolutus; posset ipse Ecclesiasticâ sepulturâ cum usitatis cæremoniis honestari. Si verò inabsolutus, sed tamen editis pœnitentiæ signis obiisset; Absolutionis Sententia priùs esset ab Ecclesiastico Judice obtinenda, quàm ille in terra sancta sepeliretur.

Extra mortis articulum, tresque modò expositos rerum status, « Sacerdotes, cùm nihil possint in Casibus reservatis, id unum Pœnitentibus persuadere nitantur, ut ad Superiores & legitimos Judices pro beneficio Absolutionis accedant (*r*). » Videat tamen Confessarii prudentia num aliquandò suadeat animarum utilitas ut licentiam postulet à Reservatis absolsolvendi, sine qua non potest ea dimittere, quamvis, pro tempore, nequeat Pœnitens ad Superiorem vel ad ejus delegatum se conferre, nisi perpetua futura sit illa impotentia; quâ quidem positâ, cessat omnis Reservatio (*s*). Sed neque ulla Confraternitas Reservationem tollit (*t*), neque Missio, neque Indulgentia, solo Jubilæo excepto; nisi aliud præter solitum constituatur.

A Casibus summo Pontifici reservatis, si sint occulti, absolvere potest Ordinarius (*u*), iique Sacerdotes quibus hæc ab ipso collata fuerit facultas. Occultum autem hìc intelligimus, quod *Juris* aut *facti publicitate* non est publicum : quod nempè nec in Judicio probatum est aut confessum, nec ita cognitum & famâ pervulgatum, ut nullâ tergiversatione in tota vicinia celari possit (*x*).

Ab iisdem Casibus, etiam publicis, Diœcesanus idem Pontifex, vel per se, vel per delegatos, similiter potest absolvere, tum Regulares & Sanctimoniales; tum fœminas Matrimonio junctas, viduas, & puellas; tum filios-familiâs, senes, famulos & ancillas; tum pauperes, & infirmos; tum incarceratos, & capite damnatos : eos denique omnes qui sui Juris non sunt, quibusve, incolumi vitâ, valetudine, libertate, famâ, domesticâ pace, vivendi instituto, re familiari, vel sine alio quovis gravi incommodo aut periculo, Romam petere non licet (*y*)

Quotiescumque autem alicui Presbytero facultatem absolvendi à nostris Casibus reservatis concesseri-

(*r*) *Conc. Trid. Seff.* 14. de Pœnit. *c.* 7.

(*s*) *Gibert*, Instit. Eccl. *pag.* 270.

(*t*) *Clem. VIII*, *Bullâ* Quæcumque à Sede Apost. *an.* 1604.

(*u*) *Conc. Trid. Seff.* 24. de Ref. *c.* 6.

(*x*) *Concordat*, *tit.* 13. *Stat. Syn. D. Henr.* de Gondy, *Paris. Episc. an.* 1608. *n.* 38. *in Synodico.*

(*y*) *De sent. Excomm. cap.* 2. 6. 11. 13. 26. 33. 58.

mus, totiès eidem concessam intendimus facultatem absolvendi à Romani Pontificis Casibus, quorum Absolutio ad Nos quacumque ex causa pertinebit; quamvis hæc postrema facultas per se non includatur in generali à nostris Casibus reservatis absolvendi facultate, nec specialiter in concessionis diplomate exprimatur.

Cuicumque Sacerdoti à Romano Pontifice concessa facultas ut à Casibus huic reservatis absolvat, facultatem includit absolvendi à Censuris sub eadem Reservatione constitutis. Tolli autem potest Censura, quamvis suspendatur Absolutio à delicto; &, sublatâ Censurâ, potest omnis Confessarius simpliciter approbatus, absolvere à delicto. Neque enim ulla sunt delicta summo Pontifici reservata, nisi propter Censuram reservatam; atque idcircò, sublatâ per eum Censurâ, tollitur simul delicti Reservatio, nisi fortè delictum ipsi etiam Ordinario sit reservatum. Hinc utique intelligitur quid inter summi Pontificis & Ordinarii Reservationem intersit. Enimverò Casus Ordinario reservatus, Censuramque annexam habens, hac sublatâ, nequaquam Reservationi obnoxius esse desinit. Hujus nempè discriminis causa est, quòd non modò ratione Censuræ, sed & ratione delicti, Casum sibi reservat Ordinarius.

Præterea (quod quidem sedulò notandum), quibus, sive Secularibus, sive Regularibus Presbyteris indulsit Apostolica Sedes facultatem à Casibus sibi reservatis absolvendi, illi non ideò, sine Ordinarii concessu, à Casibus Diœcesanis quemquam possunt absolvere. Quinimò facultatem, Indultum aut privilegium sibi Româ transmissum pro Casibus aut Censuris Sedi Apostolicæ reservatis, exercere omninò nequeunt, nisi priùs Apostolicum Diploma recognoverit Diœcesanus Antistes, annueritque ipsum, tanquam genuinum & validum, in sua ditione executioni mandari; exceptis tamen Romanæ Pœnitentiariæ Indultis secretis, quæ specialibus in Casibus obtinentur (z): quanquam hujusmodi Indulta nullus Sacerdos exequi potest, nisi sit ab Ordinario ad audiendas Confessiones approbatus. Quæ quidem omnia de ipsis Regularibus, quantalibet immunitate & quocumque privilegio gaudentibus, intelligenda sunt. Qui autem hujusmodi immunitatibus aut privilegiis usus fuerit, ut, virtute facultatis absolvendi à Casibus Pontificimaximo reservatis, absolvat etiam à Casibus Censurisve Diœcesanis, hic noverit se omni Jurisdictione & absolvendi facultate sibi à Nobis concessâ *ipso facto* exutum. Porrò, quibus indulta sunt ejusmodi privilegia, ii, cùm sint delegati, subdelegare non possunt (a).

A Casibus Ordinario reservatis validè absolvere nullus potest sive Secularis sive Regularis Confessarius, nisi expressam ad hoc facultatem ab ipso, vel ejus auctoritate acceperit.

(z) Cap. Quoniam. *de pot. Jud. deleg.* *Gibert*, Instit. Eccl. *part.* 1. *tit.* 34.

(a) *Ordin. Regul. in Comit. Cleri Gall. an.* 1645. *art.* 7.

Liceat tamen, I°. Rectoribus Parochiarum quæ ab Urbe distant leucarum ampliùs trium intervallo, absolvere puellas, & quascumque fœminas, modò illorum Parochianæ sint, non solùm à Casibus, ut anteà, verùm etiam à Censuris reservatis quæ non fuerint per Sententiam vel per Monitorium latæ. Eorum autem prudentiæ dijudicandum relinquimus, num aliquandò expediat ut ex mulieribus graviora confitentibus aliquam non absolvant, sed nostro Pœnitentiario ream sistere se jubeant (*b*).

Parem facultatem iis concessam intendimus Presbyteris, quibus aliquandò Parochiarum regimen, mortuo, absente, aut legitimè impedito Pastore, commiserimus (*c*).

Eam verò facultatem non impertimur ullis Vicariis, etiam in Ecclesiis quas *Succursales* vocant; nec aliis quibuslibet Confessariis; neque etiam vicinarum seu aliarum Ecclesiarum Rectoribus erga mulieres suis Parochiis alienas; ad quos utique nec poterunt ipsi proprii Pastores mittere suas Parochianas à Casibus reservatis absolvendas (*d*).

Liceat II°. Pastoribus, Vicariis, cæterisque, tum Secularibus, tum Regularibus Sacerdotibus per Nos simpliciter approbatis, absolvere ab omni Casu & Censurâ Nobis quomodocumque reservatâ, sed non juridicè publicâ, eos omnes quos in Pœnitentiæ Tribunali, sive ad Confirmationem, sive ad primam Communionem, sive ad Matrimonium proximè disponunt. Minimè verò intendimus modò expressæ concessionis virtute simul impertitam censeri facultatem dispensandi in quocumque Matrimonii Impedimento, quantumvis occulto; ad quod nempè requiritur specialiter facta potestas.

Liceat III°. iisdem, positis ejusdem generis Casibus & Censuris, absolvere, 1°. Fœminas vicino partu laborantes, atque etiam nutrices: 2°. Carceribus inclusos, & capite damnatos: 3°. Eos omnes qui anteactæ totius vitæ, seu diuturni temporis (trium saltem annorum) Confessionem iteraverint; quam quidem iterationem Confessarius necessariam aut valdè utilem ad Pœnitentis salutem prudenter judicaverit; sine qua necessitate vel magna utilitate hanc licentiam non concedimus: 4°. Ægros in mortis periculo, tametsi nondùm in mortis articulo propriè dicto constitutos, quibus ministranda erunt extrema Sacramenta; qui scilicet morbo affecti erunt ex natura sua gravi & periculoso, quem talem existimaverit, vel de quo legitimè dubitaverit prudens Minister: 5°. Sacerdotem, qui ex officio & urgente necessitate, hìc & nunc Missam celebrare, vel aliquod Sacramentum administrare tenetur, si desit alius Presbyter necessariâ facultate instructus, neque aliter scandalum vitari possit. Præsens tamen concessio non illi Sacerdoti suffragetur, qui, de industria & in fraudem legis, ad

(*b*) *Mandat. Emin. Card.* de Noailles.
(*c*) *Ibid.*
(*d*) *Ibid.*

tales

tales temporis angustias confiteri distulerit; de quo erit ipse à Confessario interrogandus : idemque, ut & cæteri, non absolvetur, nisi piè dispositus verèque contritus esse videatur.

Concedimus denique ut, positâ bonâ fide, non modò Confessarii Reservationem non advertentis, & simul Pœnitentis eam nescientis, verùm etiam Pœnitentis solius, valeat Absolutio ab omni Casu Nobis quomodocumque reservato. Neque enim æquum censemus ut cuiquam piè disposito noceat imprudentia Confessarii, aut etiam hujus improbitas, si quis sit, qui, spretâ Reservationis lege, absolvere præsumat; qui nempè coram supremo Judice de suo facto rationem reddet.

Ab hac tamen concessione exceptum intendimus *Crimen Confessarii cum utriuslibet sexûs Pœnitente; & Parochi cum Parochiano, vel Parochiana*, quantacumque positâ bonâ fide, sive ex parte Pœnitentis, sive ex parte Confessarii, si circa hujusmodi rem possibilis in hoc esset bona fides; inviolatèque id observari volumus, quod inter Casus Diœcesanos constitutum occurrit Art. III, n°. 2. Scilicet, ut animarum periculis, quantùm possumus, occurramus, efficiamusque ne ministerium Sacerdotale ac verendum reconciliationis Tribunal cuiquam turpitudini occasio sit aut velamen; utque debita Sacramentis reverentia servetur, & Ecclesia nulli pateat injuriæ : si quis sive Secularis sive Regularis Presbyter (quod Deus malum avertat) cum suo vel suâ Pœnitente, vel si quis Parochus cum suo Parochiano vel suâ Parochianâ nefariè egerit, aut per solum etiam tactum ex natura sua impudicum peccaverit, ex quo sacrum ministerium exercet; is, quamcumque priùs obtinuerit, vel posteà obtinere possit, seu generalem, seu specialem à Casibus reservatis absolvendi potestatem, nunquam (ne ipso quidem Jubilæi tempore) nec licitè, nec validè poterit delicti participem ab eo delicto & cæteris in eadem Confessione declarandis absolvere. Hujusmodi Confessario, quicumque ille sit, circa illud peccatum ita omnem facultatem *ipso facto* subtrahimus, ut reddita censeri nunquam possit; solumque excipimus mortis articulum, aut verum periculum.

Casus & Censuræ reservatæ, communiter quidem sunt duo distincta : undè potestas à Casu reservato absolvendi, per se non includit potestatem absolvendi à Censura reservata, etiam Casui annexâ; nec vicissim. Sacerdos igitur cui concessa est facultas absolvendi à Casibus reservatis, potest quidem à Censura non reservata, si qua hujusmodi occurrat declarato peccato annexa, Pœnitentem absolvere; non autem à Censura reservata, nisi pariter illi expresè concessa fuerit à Censuris reservatis absolvendi potestas : quâ nimirùm deficiente, Pœnitentem mittere debet ad Superiorem, qui eum à Censura (ordinarièque ab ipsa Suspensione, licèt Sacramentorum susceptionem non

impediente) priùs absolvat, quàm ei solitus Confessarius delictorum Absolutionem impertiatur (*e*). Nos tamen, quotiescumque specialem concesserimus facultatem circa delictum cui annexa sit aliqua Censura reservata, & Sacramentorum susceptionem impediens, totiès utramque modò dictam potestatem simul concessam haberi intendimus, etiamsi tollendæ Censuræ facultas expressè concessa non fuerit (*f*). Et quamvis in generali à Reservatis absolvendi licentiâ minimè includatur facultas super ullo Matrimonii Impedimento dispensandi; quotiès tamen ea cuilibet Confessario indulta fuerit potestas, ut Pœnitentem absolvat ab incestu quem cum conjugis intrà primum vel secundum gradum consanguineâ personâ commiserit, totiès eidem facta censebitur dispensandi potestas, ut Pœnitens in jus Matrimonii ex crimine amissum restituatur (*g*).

QUANDOQUIDEM Confessio, Jure divino, integra esse debet, non licet eam dimidiare, ita ut Pœnitens Superiori sola Reservata confiteatur, non reservata verò apud Sacerdotem simpliciter approbatum deponat. Nec potest ipse Superior sola Reservata dimittere, cæteraque Confessario simpliciter approbato dimittenda relinquere: nec potest Reservata delere per unam Absolutionem, non reservata verò per alteram condonare. Non enim magis licet Absolutionem dimidiare, quàm Confessionem. Seorsim dimitti nequeunt peccata lethalia: vel omnia simul, vel nulla delentur. Omnia æqualiter & singula gratiam sanctificantem excludunt; quæ quidem, vel tota simul, vel omninò non confertur. Itaque Confessarius pro Reservatis non approbatus, si peccatum aliquod reservatum in Pœnitentis Confessione deprehenderit, illum salutaribus monitis imbutum, neque ab ullo peccato absolutum, sese ad Superiorem conferre jubeat; qui eum, integrâ Confessione auditâ, ab omnibus peccatis absolvat; vel ei, non auditâ Confessione, indulgeat ut possit à suo Confessario absolvi.

Expendat autem Confessarius diligenter, quibusnam in circumstantiis expediat, ut, non misso Pœnitente ad Superiorem ejusve pro Reservatis delegatum, necessariam ad dimittenda Reservata licentiam ipse à Superiore postulet. Si enim, quotiès in Pœnitentium Confessionibus Reservata occurrunt, totiès Confessarii facultatem postulent atque obtineant ea dimittendi; elusa atque irrita jacebit intentio Ecclesiæ; quæ quidem, ut jam innuimus, non alio fine Casuum Reservationem instituit, nisi ut graviorum scelerum horror ingens per molestiam pudoremque adeundi Superioris, uno verbo per Absolutionis difficultatem incuteretur. Quamobrem, ut salutaris disciplinæ robur illæsum permaneat, non debent Confessarii à Casibus reservatis absolvendi licentiam postulare, nisi causis addu-

(*e*) *Mandat. Emin. Card.* de Noailles.
(*f*) *Ibid.*
(*g*) *Rit. Parif. ed. an.* 1777, *p.* 113 & 114.

cti gravissimis : quam tamen petenti cuique, de hujus prudentiâ non dubitantes, facilè concedemus. Et ii quidem ipsi qui Jurisdictione pollent ad Reservata, prudentiùs forsan acturos se perspicient, si quandò Reservatis inplicitos ad nostrum Pœnitentiarium conferre se jubeant, recidivos præsertim, & eos omnes qui scelerum admissorum quanta sit immanitas, non aliter intellecturi videntur. Sic nempè vehementiùs sentire atque efficaciùs detestari tandem poterunt ea quæ vindictam ad Deum clamant, facinorum portenta. Quicumque verò ad Reservata pollentes, neminem ab hujusmodi Casibus absolvant, nisi eorum gravitatem altâ mente concipiat, spesque sit eum, acceptâ convenienti pœnitentiâ, à culpæ iteratione futurum esse incolumem.

A Reservatis absolvendi potestas, sive specialiter, sive etiam generaliter ei concessa Presbytero, cujus Approbatio, sive quoad tempus, sive quoad personas, sive quoad loca restringitur, iisdem circumscribitur limitibus, quibus ipsamet Approbatio; neque illa potestas per Approbationis renovationem vel extensionem renovatur aut extenditur, nisi expresse renovetur aut extendatur.

Cùm alicui Presbytero specialis conceditur à Reservatis absolvendi facultas; si sit apposita conditio in concessione, hæc, nisi illâ servatâ, non valet. Nec licet Confessario conditionem, inconsulto Superiore, tollere, nisi excuset ejus implendæ vera impotentia, aut summa difficultas.

Præterea non valet illa peculiaris facultas nisi erga personarum numerum & Casuum species in concessione designatas: nec illa extendi potest ad alias personas, tametsi eorumdem criminum participes; neque ad diversæ speciei Casus reservatos, licèt ab iisdem personis commissos.

Si quis autem Confessarius specialem obtinuerit licentiam ut unum Pœnitentem vel aliquos Pœnitentes à Casibus reservatis absolvat, non expressis Casuum speciebus, nec numero (quod quidem observari plerumque necesse est, ne quid detrimenti capiat sigillum Confessionis;) tunc poterit eum Pœnitentem, vel eos Pœnitentes, ab omnibus Casibus absolvere, quos usque ad terminatam Confessionem declaraverint, etiamsi in aliquos hujusmodi Casus post concessam Presbytero facultatem inciderint. Ea siquidem facultas in gratiam Pœnitentis conceditur, neque ad ullum Casum restringitur.

Cùm indulta erit Confessario specialis facultas aliquem à certo ac definito Casu reservato absolvendi, eam similiter valere annuimus erga eumdem Pœnitentem circa ejusdem speciei delicta, non modò quæ priùs commiserit, sed quæ post concessionem facultatis & ante impertitam Absolutionem denuò perpetraverit.

Peculiares autem hujusmodi facultates semel duntaxat circa illa peccata & erga singulos Pœnitentes valebunt; easque revocatas haberi intendimus statim atque iis utendum duxerit Sacerdos, & re ipsâ usus fuerit. Quòd si Pœnitentes, etiam post breve temporis intervallum, in Casus

reservatos rursùs incidant, non poterunt à Confessario absolvi, nisi priùs specialem facultatem denuò impetraverit.

Etiamsi verò latissima obtineatur à Casibus & Censuris reservatis absolvendi potestas, tamen excepta censetur Absolutio publica ab hæresi; tum Absolutio à Censuris *ab homine* & per Sententiam aut per Monitorium latis; atque etiam ab ipsismet Censuris *à Jure*, quæ ad forum contentiosum deductæ fuerint. Sed de Absolutione à Censuris fusiùs suo loco dicetur, post præsentem de Pœnitentiæ Sacramento Tractatum(*h*).

Parochus, aliusve Sacerdos generaliter delegatus ut in certa Parochia, in certo territorio, in tota Diœcesi à Casibus Censurisque reservatis absolvat, ut in Votis, in Irregularitatibus, in Matrimonii Impedimentis dispenset, talem potestatem, etiam rebus integris, non amittit, cùm Ordinarius à quo delegatus est, vitâ decedit, vel suâ Jurisdictione excidit. Nam Jurisdictio delegata pro iis quæ non ad justitiam, sed ad gratiam pertinent, superstes deleganti permanet: verumtamen successor Pontifex indultas à Decessore facultates limitari aut revocare potest (*i*). Similiter peculiaris delegatio ad aliquem à certo Casu reservato absolvendum, ad commutandum Votum, aliamve Jurisdictionis functionem obeundam concessa, non interit cum Ordinario, vel cum Ordinarii Jurisdictione, etiamsi Confessarius eâ delegatione uti nondùm cœperit. Hæc enim, sicut & prioris generis delegatio, gratia est, non verò mandatum.

Casuum Reservatio, cùm sit limitatio potestatis Confessarii, Confessarium afficit, non verò Pœnitentem, nisi quatenùs hic sese Reservationis legi subjicere tenetur. Reservatio forum judicis sequitur, ejusque Tribunali annexa est. Hinc, si quis peccatum in aliena Diœcesi non reservatum, atque etiam in ea commissum, confiteatur apud hanc Diœcesim, in qua subjaceat Reservationi, absolvi non poterit nisi à Sacerdote qui pro Reservatis auctoritate nostrâ polleat. Quilibet autem nostræ Jurisdictionis Sacerdos simpliciter approbatus, peregrinum aut viatorem absolvere poterit à peccato apud suæ commorationis Diœcesim reservato, quod in hac sit commune, licèt etiam in illa perpetratum fuerit in qua sit reservatum; modò tamen præfatus Pœnitens non venerit *in fraudem legis*, nempè ad declinandam sui Prælati Reservationem; quod quidem sedulò investigandum est: in hujusmodi enim casu sine Absolutione dimittendus foret subdolus advena; quæ nempè incassùm daretur, non quidem defectu Jurisdictionis in Confessario, sed defectu dispositionis in Pœnitente.

Cùm igitur, de Præsulum consensu, cunctis Fidelibus liberum sit ut cuivis Presbytero approbato etiam extra Diœcesim confiteantur;

(*h*) *Append.* de Censuris, *Cap. VII.* (*i*) *Cabassut, lib.* 3. *c.* 8. *n.* 14.

quilibet Confessarius facultate sibi à loci Ordinario Antistite concessâ uti potest erga Pœnitentes extraneos bonâ fide ad suum Tribunal venientes; ideòque, si, eo concedente, circa Casus reservatos polleat, tam erga extraneos pollebit, quàm erga Diœcesanos. Scilicet eo ipso quòd illum sibi Confessarium eligunt extranei, sese ipsius Jurisdictioni obnoxios constituunt: dumque annuit eorum Episcopus ut alienæ ditionis Presbytero confiteantur, hoc ipso tacitè annuit ut ille erga eos potestate suâ circa Casus reservatos utatur, quasi ipse potestatem ei contulisset.

CAPUT III.

De potestate Confessarii circa Dispensationes in Votis & Juramentis.

Quid & quotuplex sit Votum. Quandònam rescindatur, & à quibus rescissum declarari, vel commutari possit. Circa Votorum dispensationem & commutationem variæ observationes practicæ. De Votis ante pubertatem emissis. In adultis Vota irrita fuisse non leviter pronuntiandum. Vota in gratiam alterius emissa. Vota Juramento confirmata.

QUANDOQUIDEM sæpè accidit ut de Votis consulantur Pœnitentiæ Ministri; quò faciliùs consulenti cuique respondere possint, & Fideles hujusmodi sponsionum religione obligatos tutiùs dirigere, de illis hìc breviter differendum censuimus.

VOTUM sic definiri potest, ut sit, *Potioris & respectivè possibilis boni, cum deliberatione ac libertate, Deo nuncupata promissio.* Duplicis autem generis Vota distinguuntur: aliud *solemne*, aliud *simplex*. Votum *solemne* illud est quod per approbatæ Religionis professionem, atque etiam, juxta plurimos, per Ordinis sacri susceptionem emittitur (saltem Voto solemni, quoad præcipuos effectus, æquivalet Ordini sacro annexa sponsio castitatis). Aliud Votum quodlibet, sive publicè, sive privatim emissum, pro Voto *simplici* habetur.

Duplici præsertim modo irritum esse potest Votum, etiam solemne: 1°. Ex errore circa ipsam rei votæ substantiam: si quis v. g. omninò ignoraverit paupertatem eâ quam professus est Religione imponi. 2°. (Jure saltem positivo) ex metu gravi, quo scilicet malum grave certò aut probabiliter imminens timetur, si modò à causa libera & extrinseca metus ille ad extorquendum Votum injustè fuerit incussus. Sic irrita esset Religiosa Professio virginis, quæ mortem aut aliud grave malum minitantis patris solo metu

Vota solemnia emisisset. Est autem aliter de illo Voto sentiendum, quod suggesserit metus gravis, à causa incussus naturali; sive intrinsecâ, qualis est morbus periculosus; sive extrinsecâ, cujusmodi est incendium, naufragium. Votum enim talis metûs impulsu emissum, ratum nihilominùs firmumque haberetur.

Votum, quotiès ratum validumque est, tum ex Religione, tum ex fide quæ Deo ab homine debetur, voventem obstringit; illudque Jure naturali ac divino, sub culpa gravi aut levi, pro materiæ gravitate aut levitate, est adimplendum, ideòque non temerè à Superioribus relaxandum. Attamen ea sæpè contingit circumstantiarum immutatio, ut, quod voveri operæ pretium anteà fuerit, maximèque tempori consentaneum, posteà, inversis rerum adjunctis, minùs utile, vel prorsùs inutile, vel majori bono contrarium, quinimò noxium aut impossibile factu evaserit: undè hujusmodi vinculum, exigente rei naturâ, vel permittente lege, aut ex seipso intercidit, aut legitimæ auctoritatis indulgentiâ solvendum est. Id autem multiplici modo fieri potest: 1°. Voti irritatione, quam efficere ad eum pertinet, cui vovens ipse aut res votiva subjicitur: 2°. Juris renuntiatione ab eo emissâ, cujus in gratiam vovetur. 3°. Dispensatione propriè dictâ, seu remissione totali, Ecclesiasticæ Potestatis ministerio indultâ. 4°. Denique commutatione, seu operis melioris in votivi locum substitutione, vel ab Ecclesia, vel ab ipso vovente constitutâ. Cùm igitur graves legitimæque causæ suboriuntur, cùm urgens necessitas aut magna utilitas postulat, possunt ac debent qui pro Christo in terris legatione funguntur, Fidelium infirmitati ac necessitati subvenire; sive irritum aut minùs firmum esse Votum acceptæ auctoritatis prærogativâ declarando, sive illius vinculum in Dei nomine & potestate dissolvendo: quod quidem si absolutè pronuntietur, Voti Dispensatio concedi; si quid boni operis, votivi loco, imponatur, Votum commutari dicitur (a).

Itaque dispensationis vel commutationis causæ legitimæ à necessitate aut etiam ab utilitate hauriuntur. Tunc adesse judicatur necessitas, cùm Voti sponsor jam non sine peccato, sine salutis, scandali, alteriusve cujuslibet gravis incommodi periculo Votum exequi potest; vel cùm res votiva, aut factu impossibilis, aut saltem difficillima evasit. Tunc affulget utilitas, cùm Ecclesia ex dispensatione vel commutatione aliquid ingentis commodi perceptura est, vel is qui Votum nuncupavit, incremento boni spiritualis augendus. Quamobrem irrita coram Deo est omnis Votorum dispensatio vel commutatio, quæ citra causam legitimam conceditur: atque idcircò dispensationes vel commutationes per fraudem & sub falsa rei expositione impetratæ, non Voti cujusquam vinculum relaxant: quod quidem, tum à Pastoribus, tum à Confessariis diligenter edoceantur Fideles.

(a) S. Tom.

Nemo, præter summum Pontificem aut Diœcesanum Præsulem, in Votis dispensare vel ea commutare potest; nullique Sacerdoti, etiam Regulari, præterquàm erga Regulares, id competit, nisi hanc specialem obtinuerit facultatem: quæ quidem in ulla, sive generali, sive speciali Approbatione, etiam Jubilæi tempore, inclusa minimè censetur, nisi expressis verbis concedatur.

Quinque sunt Vota, in quibus summo Pontifici reservatur dispensatio & commutatio: scilicet Votum castitatis perpetuæ, Votum profitendæ Religionis approbatæ, Votaque trium inter cæteras insignium peregrinationum, id est, Jerosolymitanæ (non solius pietatis causâ, sed ad subsidium Christianis incolis ferendum), Romanæ ad limina Apostolorum, & Compostellanæ ad S. Jacobum. In his tamen quinque Votis dispensat vel ea commutat Ordinarius: 1°. Si dubium sit Votum, id est, si, habitâ investigatione diligenti, non satis constet an reipsâ, an debitè emissum fuerit; vel si, ob quasdam circumstantias vel emissionis tempori adjunctas, vel præsenti tempore occurrentes, vel executionis tempore adfuturas, legitimè dubitetur an adhùc perseveret eadem Reservatio, vel reservata sit Voti materia. 2°. Si Votum in genere actûs humani non sit perfectum, id est, si sufficiens in illo emittendo non adfuerit ætas, deliberatio, animi libertas, intentio, aliudve quodlibet ad Voti validitatem requisitum; vel si hæc incerta videantur. 3°. Si Votum sit conditionale, id est, si emissum fuerit sub conditione nondùm impletâ; vel etiam sub conditione jam impletâ, cùm res Voto promissa pœnæ rationem habuit. 4°. Si, positis legitimis, vel dispensationis, vel commutationis postulandæ causis, non sit facilis ad summum Pontificem recursus; aut si ex Apostolicæ Dispensationis dilatione immineat offensæ Dei, vel etiam gravis detrimenti periculum; aut si indè secuturum timeatur scandalum. 5°. Si Votum, imminente periculo, nuncupatum fuerit ad obtinendum ut ex ipso evadere liceret, v. g. in morbo qui mortem velut præsentem intentasset; non enim rei votivæ amor, sed vitæ desiderium talem animo injecit sponsionem: porrò ut Vota Pontifici maximo reservata censeantur, rei votivæ amorem in suo conceptu includant necesse est (*b*). 6°. Si Votum non sit *formale*; id est, si non expressè voveatur illud cujus Votum est reservatum: exempli causâ, Votum nunquam ineundi Matrimonii, vel sacros Ordines suscipiendi, summo Pontifici nequaquam reservatur; solum autem *formaliter* expressum Votum castitatis perpetuæ, seu virginitatis; nisi tamen, etiam eo non formaliter expresso, præcipua voventis intentio fuerit castitatem perpetuam vovendi.

In cæteris Votis dispensat, vel ea commutat Diœcesanus Pontifex. Itaque ad Nos, seu Vicarium nostrum generalem aut Pœnitentiarium, à Confessariis mittantur Pœnitentes,

(*b*) *Ducass. part. 1. c. 10. sect. 3. n. 2.*

qui, justis de causis, Votorum Dispensationem ad Nos pertinentem expoposcerint; vel potestatem ad hoc necessariam à Nobis obtineant Confessarii, qui, cùm illâ utentur, injunctas conditiones diligenter observari curent. Sæpiùs autem decet, imò quandoque necessarium est ut ad Diœcesanum Episcopum mittantur Pœnitentes, licèt ferè non dubitetur quin Vota Pontifici maximo sint reservata. Sic nempè tutiùs accipient quomodò possit à Sede Apostolica obtineri necessaria facultas.

Ubi conceditur Vota commutandi vel super iis dispensandi licentia, nunquam simpliciter & absolutè dispensandum est, nisi cum iis qui planè atque ex toto scrupulosi sunt, aut in Votis manifestè irritis. Erga cæteros, & cùm rata validaque sunt Vota, non abolendum est totum, sed commutandum in aliud pietatis opus Deo gratius & voventi utilius; saltem in aliud æquæ bonitatis; nunquam verò in aliud inferioris generis, nisi aliter agendi suborta gravis causa fuerit. In quibus dijudicandis, plurima ratio habeatur sumptûs, laboris & fatigationis, cæterorumque incommodorum quæ perpessuri fuissent Pœnitentes, si, quod piè voverant, ipso effectu adimplevissent (c). Quod quidem semper, neque excepto Jubilæi tempore, ab omnibus Confessariis observandum est; ita ut eleemosynis redimantur impensæ ex Voto suscipiendæ, jejuniis autem aliisque carnis afflictationibus acerbitates molestiæque tolerandæ; cuncta demùm religiosâ æstimatione, quasi Deo judice, compensentur. Id quidem præsertim in Votorum commutatione animadvertendum est, ut pro votivis injungantur ejusmodi opera, quibus pietas & certiùs foveri, & faciliùs accendi possit; qualia sunt frequens Confessio, piæ lectiones, meditationis exercitatio, erga eos videlicet quibus mente orare divinitùs conceditur.

Quotiès Votum commutat Confessarius, summam in substituti operis delectu prudentiam adhibeat. Sexum, ætatem, conditionem, vivendi modum multâ circumspectione attendat; ne, per illius operis executionem, scandalum vel domesticæ dissensiones oriantur; ne Votum occultum in vulgi collocutionem erumpat; ne gravior, ideòque periculosior fiat subrogati operis executio.

Votum à se nuncupatum proprio quisque motu & judicio commutare potest in aliud opus evidenter melius Deoque acceptius, non autem in aliud æquæ bonitatis. Cùm tamen evenire facilè possit ut melius Deoque acceptius existimetur opus quod reverà sese aliter habeat; si, exempli gratiâ, operis alioquin utilissimi substitutione lædatur jus alteri ex Voto acquisitum; Pœnitens, ne in periculosum errorem labatur, multò aget prudentiùs, si à delecto sibi conscientiæ moderatore consilium petat, cui tutus obtemperet.

(c) *Conc. Mediol. III*, *an.* 1573. de his quæ ad Pœnit. Sacram. pertin.

Quibus

Quibus Confessariis à Superiore concessum est ut in Votis dispensare valeant, ii quidem ad ea commutanda pariter idonei sunt: quibus autem facta est Vota commutandi potestas, non ideò super illis dispensandi facultate pollent.

Quoad unam Voti alicujus partem, alterâ intactâ, dispensari potest: quoad jejunium v. g. ita ut maneat abstinentia; aut vice versâ: quoad Votum castitatis, propter unum duntaxat Matrimonium, ita ut Votum post mortem conjugis reviviscat, neque ad secundas nuptias valeat Dispensatio; ita ut etiam actus, sive in conjugio illiciti, sive extra conjugium contra castitatem commissi, totidem nihilominùs Voti infractiones habeantur. Et certè fieri potest ut ratio pro una parte valens, pro altera non valeat. Ii proindè quibuscum super Voto castitatis perpetuæ dispensatum fuerit ut Matrimonium contrahere licitè possint, prudenter monendi erunt, legitimum quidem præsentis Matrimonii usum, concessâ Dispensatione, fuisse permissum; carnis verò peccata omnia, etiam inter conjuges, & quæcumque Votum castitatis læserint, præter legitimum Matrimonii usum, velut quodammodò sacrilega, & tanquam Voto contraria, in Confessione declarari oportere: præterea non ignorent se ad castitatem, soluto Matrimonio, teneri, nec posse ad novas nuptias sine nova Dispensatione convolare.

JAM verò, tametsi *contingit in aliquibus, licèt paucis, accelerari* eum *rationis usum* qui ad Voti validitatem requiritur, tuncque *puerum vel puellam ante pubertatis annos posse, quantùm in ipsis est, se obligare*; tamen ab aliquo ex iis impuberibus *qui ob hoc dicuntur doli capaces*, emissum *Votum*, potest per Dispensationem absolutam & sine ulla compensatione remitti (*d*). Quanquam ea Vota Confessario negligenda non sunt quasi omninò irrita; sed, tanquam in nondùm adultâ ætate, minùs firma judicanda. In his igitur non semper absolutè dispensari expedit, verùm ea plerumque commutari, faciliùs quidem, & in leviora minùsque diuturna opera; ac ne similia Vota inconsultò in posterum à pueris aut puellis emittantur, prudenter est inhibendum.

Itaque, ut innumeris occurramus dubiis & conscientiæ stimulis juvenilem præsertim ætatem pungentibus, cuivis Sacerdoti approbato facultatem impertimur commutandi in nostra Diœcesi atque intrà Pœnitentiæ Tribunal, omnis Voti ad Ordinarii Jurisdictionem pertinentis, & ante pubertatis annos emissi, quamvis posteà tantùm confessi; nec præcipimus ut ad summum jus exacta imponatur compensatio: quinimò, si res ita postulet, absolutè dispensare liceat. Si verò ante pubertatem emissum Votum, deinceps, quasi rebus integris, in adulta ætate renovatum fuerit, & cum intentione sese obligandi confirmatum;

(*d*) *S. Thom. 2. 2. q. 88. art. 9.*

quæ de Votis omninò ratis & firmis exposuimus, diligenter observentur.

In iis autem qui pubertatis annos prætergressi fuerint, desuisse deliberationem, aliaque ad imponendam Voti religionem necessaria, ne leviter pronuntietur. Ut certò constet Votum *efficaciam* obligandi *habere*, sufficit ea *deliberatio animi, quâ quis*, cognitâ causâ, *se obligare intendit* (*e*). Quo quidem modo si quid vovisse se declaret quispiam Pœnitens, huic fides adhibenda est, nisi mentis inops vel scrupulosus meritò judicetur. Si tamen prudenter existimet Confessarius, eum, antequàm voveret, non satis maturo consilio deliberasse; ipsum nihilominùs conferre se ad Superiorem jubeat, cujus nempè est de istis Casibus pronuntiare; quique, perpensis omnibus, cum eo indulgenter benignèque, si locus sit, agere non dubitabit (*f*).

Monendi autem sunt Parochiani, rudes præsertim ac mulieres, maximèque juniores, ne Vota leviùs emittant; sed, antequàm voveant, propositi sui firmitatem experiantur: quid velint & possint, consideratè secum etiam atque etiam reputent: *fine consilio nihil faciant, ne post factum ipsos pœniteat* (*g*), vel eos, in grave animarum suarum periculum, promissa infringere contingat (*h*): liberum cuique esse ut Votum non voveat; si autem Deo aliquid voverit, jam penès eum non esse ut reddere moretur (*i*), quia nimirùm *Domino displicet infidelis & stulta promissio*; ideòque *multò melius esse non vovere, quàm post votum promissa non reddere* (*k*).

Itaque Vota perpetua, maximè verò castitatis, nunquam exigat Confessarius, imò nec facilè permittat, præsertim junioribus (*l*). Concedere quidem non ita difficilè poterit ut quædam probatæ virtutis personæ Vota emittant ad breve temporis intervallum, v. g. ad aliquot menses, non verò ultra unius anni limitem: quæ quidem Vota, cùm effluxerit tempus præfinitum, renovari poterunt, modò tamen Sacerdos id Pœnitenti expedire prudenter judicaverit. Identidem verò in publicis Concionibus aut Catechesibus admonendi erunt Fideles, ne Vota, imprimìs perpetua, sine spiritualis moderatoris consilio & assensu emittant (*m*). Sed qui alterius potestati subjacent, ipsi quidem obligare se Voto nequeunt, dissentientibus iis quorum interfuerit, in rebus videlicet quæ hos attingunt. Sic non licet mulieri nuptæ longam peregrinationem, nisi annuente marito, vovere. Votis hujusmodi nemo tenetur obstrictus, nisi sub ea duntaxat conditione, quòd ab iis ad

(*e*) *Ibid.*
(*f*) *Ibid. art.* 10. *ad* 2.
(*g*) *Eccli.* 32. 24.
(*h*) *Stat. Syn. D. Eust.* du Bellay, *an.* 1557. *can.* 21. *in Synodico*, *p.* 199.
(*i*) *Deuter.* 23. 21. 22. 23.
(*k*) *Eccli.* 5. 3. 4.
(*l*) *Conc. Camer. II. an.* 1586. *tit.* 8. *cap.* 10.
(*m*) *Conc. Colon. an.* 1280, *can.* 8.

quos pertinuerit, rata habeantur. Ea nempè irrita efficere pro jure suo possunt, ipsorum executionem vetare se declarantes.

Confessarii quibus indulta erit Vota commutandi facultas, diligenter advertant, se, vel ipso Jubilæi tempore, non posse Vota in gratiam alterius emissa commutare, si præsertim ab illo rata habita fuerint; nam citra ejus consensum æquitati repugnat ea commutatio. Nec sine speciali facultate commutari possunt Vota Juramento confirmata; siquidem juramenti accessione novum innectitur vinculum, juxta illud Scripturæ: *Non perjurabis, reddes autem Domino juramenta tua* (*n*). Quod quidem, etiam Jubilæi tempore, locum habet.

Quemadmodum Vota quinque superiùs exposita, sic & Juramenta quibus ipsa confirmata fuerint, summo Pontifici reservantur. Si verò hujusmodi sit Votum, ut eâ quam diximus ratione fiat Casus Episcopalis; & ipsum Juramentum Voti confirmativum inter Casus Episcopales referetur.

Juramenta in gratiam alterius promissiva, præsertim ab illo acceptata, resolvi communitet nequeunt nisi per liberam ejus condonationem, vel de ipsius consensu. In aliis, quemadmodùm in Votis, dispensat Episcopus. In Juramentis autem dispensandi facultas nunquam, vel medio Jubilæo, indulta censetur, nisi expressè indulgeatur. Jam verò in illis, sicut in Votis, non sine gravi causa dispensent ii quibus hæc facta fuerit potestas. Juramenta de rebus illicitis emissa debet Confessarius omninò irrita existimare; sed tamen confitentibus imponenda est justa Pœnitentia propter illud quod malè juraverint. Qui autem ex metu, etiam gravissimo, juravit, si adfuerit ea libertas animi, quæ ad lethale peccarum requiritur & sufficit, sicut juravit Domino, Votum quod vovit diligenter exequatur.

Ea denique Votorum & Juramentorum similitudo est, ut eadem auctoritate iisdemque modis irrita declarari valeant, aut eorum executio suspendi. Porrò de ipsis ad Diœcesanum Pontificem referri plerumque tutius est; ne quandò inaniter aut illicitè irrita declarentur, vel eorum executio suspendatur.

(*n*) *Levit.* 19. 12. *Matth.* 5. 33.



DIVISIO IV.

DISSERETUR in hac Divisione, 1°. De præcipuis summatim Confessarii dotibus & officiis : tum de pluribus circa locum & modum excipiendi Confessiones ab eodem observandis : 2°. De virtutibus Confessario necessariis : 3°. De scientia Confessarii.

CAPUT PRIMUM.

DE præcipuis summatim Confessarii dotibus & officiis : tum de pluribus circa locum & modum excipiendi Confessiones ab eodem observandis.

QUEM ad finem dirigatur præsens Caput. Necessaria Pœnitentiæ Ministro eximia virtus, scientia & prudentia. Confessarius, animarum Judex simul & Medicus. Quid, ut Judex, præstare debeat ; quid, ut Medicus. Quid prætereà sit illi noscendum, quid observandum. Ubinam excipiendæ Confessiones. Confessionum sedes, extra quam nullus ordinariè audiendus. Confessarii habitus. Præparatio Confessarii sacrum Tribunal ingressuri. Quomodò se componere & quid observare debeat Sacerdos Confessiones excipiens. Quædam notanda. Auditis Confessionibus, quid sit Pœnitentiæ Ministro exequendum.

PRÆTER Jurisdictionem, sive ordinariam, sive delegatam, quâ deficiente, Sacerdos (extra necessitatem) Pœnitentiale munus exequi non minùs sacrilegè quàm inaniter attentaret, ei perquàm necessariæ sunt egregiæ dotes, sine quibus id ministerium, aut nullo fructu, aut etiam cum proprio, aliorumque detrimento exerceret.

Documenta igitur quæcumque ad Confessarii dotes & munia pertinent, singulatim tractaturis, visum est hujus argumenti summam sub uno velut contuitu collectam exhibere, præcipuasque regulas ad

ipsum attinentes in antecessum perstringere; quæ, tum perspicuitate præviam animis lucem intromittant, tum brevitate ac paucitate in memoriam stabiliter infigi, & si fortè elapsæ fuerint, facilè revocari possint.

Quamobrem, si piè rectèque, ut Christi Ministrum decet, munere suo fungi exoptat Confessarius, hæc ei sedulò advertenda sunt.

Ac primùm quidem necessaria ipsi est eximia virtus, & quasi Angelica puritas, sine qua tremendos in suo ministerio scopulos inveniret. Contendat igitur, divinâ auxiliante gratiâ, *de virtute in virtutem* procedere (*a*). *Ambulet coram Deo*, sitque in ejus amore & in omnis fugâ peccati quodammodò *perfectus* (*b*).

II°. *Ars est artium regimen* & curatio *animarum* (*c*), *onus Angelicis humeris formidandum*, ministerium arduum, laboris plenum & periculi; suscipiendum tamen, ubi adest à Superiore missio canonica, sicque legitimè præsumpta vocatio divina. Nempè humilem fiduciam bonamque voluntatem confirmabit atque adjuvabit Deus *amans animas*, à quo utique descendit sapientia, charitas, cæteræque dotes in dirigendis animabus necessariæ.

III°. Requiritur ad hoc ministerium scientia, eaque amplior quàm vulgò existimatur, maturaque prudentia. Videndum scilicet quo pacto & quâ potissimùm arte alii à pravitate retrahantur, alii autem in bono proposito confirmentur, & ad meliora semper excitentur; sicque infringatur vitiosa illa naturæ proclivitas ad peccatum impellens, & à virtute abducens. Non hoc humanum, sed divinum est opus: non hoc terrenum, sed cœleste Tribunal: non hìc de fluxis periturisque utilitatibus agitur, sed de immortali felicitate animarum, quas pretioso Sanguine redemit Christus in acquisitionem hæreditatis incorruptibilis.

IV°. Meminerit Sacerdos se in hoc sacro ministerio duplicem *Judicis* & *Medici* personam sustinere, seque ministrum divinæ justitiæ simul & misericordiæ esse constitutum; ut, tanquam arbiter Deum inter & homines, honori divino & animarum saluti temperatâ per mansuetudinem firmitate consulat.

Itaque, ut rectum ferre judicium possit, ac, periti instar medici, morbos spirituales appositè curare, & cuique apta remedia subministrare, scientiam & prudentiam ad hoc quantam maximam sibi comparare studeat, tum assiduè fusis ad *Patrem luminum* & *sapientiæ fontem* precibus, tum etiam probatissimorum Auctorum lectione, & consilio virorum qui pietate usuque ministerii plurimùm valeant.

Quatenus *Judex*, causæ cognitione opus habet, ut justam dicat Sententiam. In hoc verò Tribunali

(*a*) *Ps.* 83.
(*b*) *Gen.* 17. 1.
(*c*) *S. Greg. Past. p.* 1. *c.* 1. *initio.*

causæ cognitio esse nulla potest, nisi reus semetipsum accuset. Id igitur Pœnitentibus inculcandum est, necessarium omninò esse ut sua ipsimet delicta secundùm speciem & numerum sincerè & verecundè confiteantur; aliorum autem peccata, quoad fieri poterit, non attingant. Inquirere plerumque oportebit de ignoti Pœnitentis conditione & vitæ genere; non tamen ipse de suo nomine vel domicilio percontandus erit, multò minùs de nomine sibi consortis in peccato; nec sinendum ut Pœnitens eum revelet: quod quidem si ultrò fecerit, corripiatur.

Pœnitentes, præsertim rudiores, sæpè juvandi atque interrogandi sunt, parcè verò, castè & prudenter circa vitium carnis, à minoribus ad majora, si detur occasio, factâ progressione.

Rerum quæ *necessitate medii* aut *præcepti* credendæ vel sciendæ sunt, frequentior ignoratio est quàm passim existimari solet. In ea detegenda ac depellenda versari plurimùm debet vigilantia Confessarii, cui fixum in animo esse oportet validè absolvi neminem posse, qui Religionis capita *necessitate medii* ad salutem credenda ignoret. Quam utique ob inscitiam non rarò contingit anteactas Confessiones esse iterandas; id quod etiam alias ob causas, imprimìsque si defecerit legitima Contritio, justumve emendationis propositum, sæpè fieri necesse est.

Prætereà diligenter investigandum Sacerdoti erit quonam modo Pœnitens interiùs sit affectus; an commissa verè doleat, & quodnam sit concepti doloris incitamentum. Deindè ipsum anniti oportebit, ut ille piis considerationibus excitetur ad Contritionem ex amore Dei super omnia diligendi, tanquam boni supremi & finis ultimi. Quem autem viderit Sacerdos offensam Dei non seriò dolere, & sincero emendationis proposito carere, eum non absolvat, sed ad tempus dimittat salutaribus monitis imbutum: id quod etiam observandum est (ut hìc de cæteris sileamus) erga eos qui propriæ conditionis officia negligunt, vel ea perfunctoriè tantùm exequuntur (*d*).

Nec minore solertiâ explorandum est, num fortè Pœnitens in alicujus sceleris *occasione proxima per se* vel *per accidens*, scienter perseveret. Utrilibet occasioni sit ille obnoxius, si sine peccato, vel majore aut æquali periculo peccandi, eam deserere potest, & renuit; Absolutionis beneficio indignus, lege ordinariâ, censeatur; nisi fortè occasio *per accidens proxima* oriatur ex re de se honesta ac licita, & quæ sine gravi incommodo deseri non possit: quo quidem in casu satagendum Confessario est, ut quæ per fragilitatem Pœnitentis *proxima* erat peccati occasio, in *remotam* per consentanea remedia vertatur. Sed de his alio loco opportuniùs atque enucleatiùs (*e*).

Persuasum quoque Ministro Pœnitentiæ esse debet, eorum emen-

(*d*) *Cæteras denegandæ vel differendæ Absolutionis causas vide inferiùs, Div. V, cap.* 1. (*e*) *Infrà, Divis. VI, cap.* 4.

dationem qui gravioris alicujus flagitii consuetudine irretiti sunt, difficilem plerumque & operosam fore; ideòque, lege ordinariâ, non eos priùs esse absolvendos, quàm vitæ in melius immutatæ signa exhibuerint, quibus fidere ipse prudenter possit. De his autem aliàs uberiùs.

Porrò, si Pœnitens, vel in occasione proxima deserenda, vel in exequendis remediis sibi ad destruendam peccati consuetudinem injunctis, vel in restitutione præstanda, promissam fidem aliquandò fefellerit; absolvi deinceps, lege ordinariâ, non debet, antequàm id actu compleverit, quod verbo promiserit.

Quatenus *Medicus*, tenetur Pœnitentiæ Minister cognitas habere origines causasque vitiorum, & providere ut, per idonea remedia, peccatorum radices exscindantur, pravi habitus corrigantur, ac denique Pœnitentes adversùs relapsum efficaciter muniantur. Quapropter, tum *generalia*, tum *specialia* delictorum cujusque speciei remedia in promptu habeat necesse est; ut, cùm opus fuerit, oleum vinumque animarum vulneribus infundat (*f*), *quod confractum est, alliget, quod infirmum consolidet* (*g*).

Ad hanc quoque *medicinam spiritualem consiliumque salubre animarum* (*h*) pertinet curatio scrupulorum, eorum scilicet animi anxietatum quæ, etsi futili ratione nituntur, magnam tamen, circa plurima, conscientiæ ingerunt formidinem & perturbationem. Quæ quidem tametsi peccata non sunt, morbum nihilominùs animo afferunt periculosum æquè ac molestum; in quo scilicet curando, plurimâ prudentiâ & patientiâ opus est. De variis autem scrupulorum causis, & eorum curatione dicemus ex professo (*i*). Hìc præmonuisse sufficiat, generale atque utilissimum hujus morbi remedium esse, tum sibimetipsi, tum suo judicio & ingenio prorsùs diffidere; Deoque & Sacerdoti ejus ministro cum humili subjectione obtemperare.

Confessarius demùm, quæcumque de administratione Sacramenti Pœnitentiæ infetiùs differentur, frequenti lectione sibi studeat in mentem ac memoriam defigere; ut hæc ipsa, & ad Pœnitentium salutem, & ad propriæ animæ liberationem, accuratè, fideliter constanterque observet.

Si quandò verò anceps hæreat circa ullam gravis momenti quæstionem, v. g. circa restitutionem, Casum reservatum aut Censuram, Votum, aut Matrimonii Impedimentum; nihil præcipiti judicio definiat, sed rem expendat maturiùs, librosque consulat, vel homines peritos: id quod scilicet eum totiès observare oportebit, quotiès à Pœnitente consultus, nihil certi habebit quod statim respondeat.

His præmissis, quædam circa locum & modum excipiendi Confessiones observanda subjungemus.

(*f*) *Luc.* 10. 34.
(*g*) *Ezech.* 34. 10.
(*h*) *Conc. Aquisgr. II. an.* 836. *c.* 2. *can.* 3.
(*i*) *Infrà*, *Divis. VIII*, *Cap.* 3.

JUXTA veterrimam eamdemque sapientissimam omnium locorum, speciatimque hujus Diœcesis disciplinam, «ad audiendum Confessiones, communiorem locum in » Ecclesia sibi eligant Sacerdotes, » ut communiter ab omnibus vi- » deri possint : & in locis abditis, » aut extra Ecclesiam, nullus reci- » piat Confessiones, nisi in magna » necessitate vel infirmitate (*k*). »

Itaque Fideles peccata confitentes in Ecclesiis audiantur ad Tribunalia, quæ ad hoc in singulis esse oportet (*l*). Ea verò maximè decet ad majorem cujusque Ecclesiæ januam esse constituta. Cùm enim Pœnitentes, ob delicta sua, loco sancto, ut quondàm fieri solebat, ejici meruerint, æquum est eos, instar *Publicani à longè stantis* (*m*), coram Deo ejusque Ministro sese humiliter in extremo Templi loco peccatores agnoscere. Cæterùm sacra Tribunalia in loco sint quàm fieri poterit commodissimo, ut procul à tumultu atque extra turbam Pœnitentiæ Sacramentum administretur (*n*); semper tamen in loco patenti & obvio, non remoto & obscuro (*o*). Nulla sit ejusmodi sedes in Sacellis Ecclesiarum, nisi apertissimè conspicuis, nec propè Altaria. Sacerdotem in medio sedentem à Pœnitente separent utrimque interjecti asseres; in quibus, ad altitudinem hominis in genua provoluti, fenestella sit, clathris ferreis aut ligneis obsepta, intùs applicitâ mobili foriculâ, quæ, Confessionem incipiente Pœnitente, aperiatur, eo dimisso, claudatur. Prætereà optimum erit ut Confessarii sedes januam anteriorem habeat, in superiore parte cancellatam, velo interiùs obducto; quod quidem non ex veteribus Ecclesiæ Ornamentis, sed è communi linteo vel panno sit confectum. In locis lateralibus ubi genua flectunt Pœnitentes, emineant ex adverso affixæ imagines piæ, JESU præsertim crucifixi, peccata hominum in Sanguine suo abluentis (*p*); cum formulis Actûs Contritionis, vel aliis quæ spiritum compunctionis & sanctiùs vivendi propositum suggerant.

Nunquam (extra necessitatem) sedeat Pœnitentiæ Minister in aliis Ecclesiæ locis, scamnis aut sedilibus (*q*), etiamsi unus tantùm accedat Pœnitens, vel ad simplicem reconciliationem : nunquam in Vestiario, nisi occurrat vir Ecclesiastici Ordinis, vel ex Laïcis quisquam graviter audiens, aliterve infirmus; aut alius, prudenter habitâ ratione temporis aut personæ, extra sedis Confessionalis turbam audiendus vel reconciliandus. De hac verò excep-

(*k*) *Stat. D. Odonis* de Sully, *Parif. Episc. Syn.* 1. *c. an.* 1198, Capitul. circa Confess. *in Synodico*, *pag.* 6.

(*l*) *Decr. Eccl. Gall. in Conv. Melod. an.* 1579, *tit.* de Pœnit.

(*m*) *Luc.* 18, 13.

(*n*) *Constituta D. Henr.* de Gondy, *Card.* de Retz, *Parif. Episc. an.* 1620, *in Synodico*, *pag.* 257.

(*o*) *S. Bonav.* Confession. *c.* 1. *partic.* 1. *Conc. Aquense.*

(*p*) *Apoc.* 1. 5.

(*q*) *Stat. Syn. D. Lud. Ant.* de Noailles, *Parif. Archiep.*, *an.* 1697, *art.* 10, *in Synodico*, *pag.* 356.

tione

tione erga mulieres, proprio loco exponetur (r).

In domo Presbyterali, vel privatis cujuscumque Sacerdotis ædibus, nullæ Confessiones audiantur, exceptis Ecclesiasticorum virorum Confessionibus, si quandò, propter legitimam urgentemque causam, aliquis eorum in Ecclesia aut Vestiario non confiteatur. Quinimò Confessarius infirmus, nec tamen ab audiendis Confessionibus ex infirmitate præpeditus, domi suæ Laïcum nullum confitentem audiat, nisi urgeat vera necessitas.

In privatis Fidelium ædibus nullæ pariter Confessiones excipiantur, nisi quis eorum in infirmitate sit constitutus (s). Pœnitentes infirmi, non lecto decumbentes, ad Ecclesiam tamen accedere non valentes, cùm volent confiteri, audiantur in Sacello vel Oratorio, si domi Sacellum sit, vel Oratorium; aut certè in loco decenti. Erga fœminas quomodò in hujusmodi casu agendum sit, opportuniore loco dicetur (t).

Nullus autem Parochus, aut Presbyter Secularis, Pœnitentiæ ministerium in Ecclesia sine Superpelliceo vel Albâ exerceat. Ad excipiendas verò in domibus privatis Confessiones infirmorum, hujusmodi ornatu nihil opus est. Nullus porrò Sacerdos (nisi excuset improvisa necessitas) cujusvis Confessionem, etiam domi ægrotantis, sine veste talari audiat.

Jam verò, sive Parochus, sive Parocho datus in sacro ministerio adjutor, sive alius quilibet Sacerdos Confessionibus audiendis præfectus, ad hoc tantæ difficultatis ministerium non accedat, nisi præviâ oratione munitus; quâ, & sibi cordis puritatem, animi firmitudinem, patientiam, prudentiamque necessariam, & Pœnitentibus confitendi sinceritatem, veram Contritionem, vitæque seriam emendationem à divina benignitate obtineat. Ubi non vacat descriptas suo loco preces recitare (u), saltem aliquantisper sese mentis ad Deum elevatione præparet, suamque intentionem dirigat. Nec Tribunal unquam ingrediatur, quin priùs brevi meditatione sibi repræsentaverit cujus vices ac personam gerat, quanti sit momenti suscepta dispensatio, quàm terribilem rationem Deo sit redditurus, si *faciat opus Domini negligenter* (x), & quantam sibi *mercedis retributionem in cœlo thesaurizet* (y), si omni studio conatuque contendat suum ministerium uberrimis animarum lucris fœcundum, divinâ auxiliante gratiâ, efficere.

In Pœnitentiæ Tribunali sedeat operto capite; sicque omnes audiat

(r) *Div. VIII*, *cap.* 2.

(s) *Conc. Mediol. V*, *an.* 1579, *part.* 1. *tit.* de iis quæ ad Sacram. Pœnit. pert. *Aquense*, *an.* 1585, *eod. tit. Stat. D. Lud. Ant.* de Noailles, *sup.*

(t) *Loco superiùs indicato.*

(u) *Vide Tom. III*, *ubi describitur* Ordo ministrandi Sacramentum Pœnitentiæ.

(x) *Jerem.* 48. 10.

(y) *Hebr.* 2. 2. Matth. 6. 20.

& absolvat. Totus in illud ministerium incumbat, cui totus vix poterit sufficere. Non mente, non oculis aliò divagetur; sed ad Pœnitentis Confessionem toto sitanimo intentus. Vultum & oculos modestè ac decenter componat : Pœnitentes coràm non aspiciat, ne quis pudore suffundatur; mulieres imprimis, ut debita servetur honestatis ratio (*a*). Atque hinc plurimùm decebit ut, sive alâ Superpellicei, sive linteolo, faciem regat; præsertim si nec januam nec velum habeat sedes Confessionalis. Curet demùm ne signo aliquo, ne motu corporis, ne sono vocis altiore significet astantibus se tædium pati vel molestiam, aut se peccati alicujus gravitate commoveri (*b*). Caveat ne, vel ipse, vel Pœnitens, à circumstantibus audiatur. Ne verò quisquam alterius Confessionem, aut aliquid ex Confessione, auditu furtivo surripiat, Sacerdos Pœnitentiæ Tribunal ingrediens, viciniores rogabit ut aliquo intervallo secedant : quod quidem, si necesse videbitur, etiam inter audiendas Confessiones iterabit. Atque ut velo quodam impenetrabili tegatur id omne quod in vetendo Tribunali geritur, si Confessarius Pœnitenti Absolutionem suspendat, ne quid tale suspicentur astantes, priusquàm eum dimittat, ipsum jubeat Contritionis Actum emittere, illique intereà benedicat, secretò dicens : *Misereatur*, & *Indulgentiam*.

In suo quemque ordine audiat, alterum alteri non præponens, nisi aliud fieri expediat in gratiam infirmorum, mulierum prægnantium aut lactantium, matrum-familiâs, famulorum vel ancillarum, quibus desit tempus expectandi. Quod tamen prudenter fiat, ne offendantur qui priores venerint; quibus, si opus fuerit, ratio sic agendi exponatur. Litigantes quis prior accedat, ultimi admittantur. Nunquam verò, nisi legitima, vel potiùs urgens & necessaria causa suboriatur, dum Pœnitentem audit, aliò vocatus discedat.

CÆTERUM quoscumque erga Pœnitentes semper in charitate Domini nostri JESU CHRISTI pia gerat viscera. Tam plebeiis quàm nobilibus, tam pauperibus quàm opulentis affabilem se & de animarum salute sollicitum præbeat. Nec verò se à spiritualibus ad temporalia sinat unquam divelli. Quod ut certiùs assequatur, non audiat in sacro Tribunali suam enarrantes penuriam; ibi enim de solis animæ miseriis agendum est; aliudque tempus constituendum, quo Sacerdos indigentibus compatiatur. Quinimò nec per se ipse, quantùm fieri poterit, eleemosynam egenis Pœnitentibus eroget; sic enim fortassè locum daret simulandæ pietati, dum pecunia magis quàm pœnitentia sollicitos teneret.

Unum hìc breviter admonendum superest. Qui puram volent coram Deo animam suam, integramque

(*a*) *Stat. Syn. D. Odonis* de Sully, *sup.*
(*b*) *Stat. Syn. D. Steph.* Poncher, *ante an.* 1519. de Sacram. Pœnit. *D. Eust.* du Bellay, *an.* 1563, *art.* 27. *in Synodica*

coram hominibus famam retinere, & simul insidias sibi forsitan struendas declinare, diligentissimè cavebunt Sacerdotes ne inter exequendum Pœnitentiæ ministerium obscuri delitescant. Si quis igitur tam manè vel tam serò confitentes audiat, ut quasi tenebræ sint in Ecclesia, splendeat lumen prope sedem Confessionalem. Quod quidem omissum, & Confessariis & Pœnitentibus maximo nonnunquam detrimento fuit.

Auditis Confessionibus, Pœnitentibusque, vel absolutis, vel ad tempus dimissis, duo sunt Sacerdoti observanda. Primum quidem, ut quos audivit confitentes, iis fervidâ oratione à Deo flagitet seriam simul & stabilem morum mutationem; pro se verò postulet veniam & indulgentiam, si quid in tam arduo ministerio sive per negligentiam sive per errorem deliquerit. Alterum est ut notitiâ quam solâ Confessionis viâ fuerit assecutus, nunquam extra sacrum Tribunal utatur, neque in ipso Tribunali nisi erga easdem personas; & nunquam temerè de ullis rebus in Confessione auditis loquatur, ne generatim quidem, nisi aliud exigat exquirendi consilii necessitas; quâ etiam positâ, solummodò generali consultatione quæri oportebit quid esset agendum, si *talis* casus accideret? Sed *de Confessionis sigillo* inferiùs ex professo differetur (*c*).

(*c*) *Ultimo hujus Tractatûs Capite.*

CAPUT II.

De virtutibus Confessario necessariis.

Sit Confessarius Censuræ omnis, & lethalis peccati expers. Confessarii virtutes. Ut adversùs varias tentationes præmuniatur, quid recogitare debeat. Confessarii zelus, intentio, studium in omnes æquale: terreni commodi oblivio.

Videat imprimìs Sacerdos ad Pœnitentiale Ministerium assumptus, ne ullâ Censurâ Ecclesiasticâ, ullove Canonico impedimento irretitus, vel culpâ lethali inquinatus, ad audiendas Confessiones accedat. Si lethaliter peccaverit, conscientiam priùs abluat salutari piscinâ. Quòd si desit Confessarius, nec tamen possit ministerium suum petenti denegare; quàm perfectissimâ Contritione Sacramentum sibi suppleat, & quamprimùm illud reverâ suscipiat, sacramentaliter confitens. Atque ut munere suo dignè sanctèque fungatur, sese in gratiæ statu

perpetuò conservare ac renovare studeat; alioqui, tot sacrilegiorum reus constitueretur, quot Absolutiones in statu peccati lethalis pronuntiaret.

Sit igitur Pœnitentiæ Minister vehemens in peccati horrore, quem Pœnitentibus suggerat; confirmatus in perfecta vitæ innocentia, in Christianis & Ecclesiasticis virtutibus, in solida pietate, in mortificatione carnis & sensuum; eximius denique in castitate (*a*). Confessarius in quo non perfectè spiritui caro subjecta est, cujus animus non Deo jugiter adhæret per cœlestium meditationem, ex alienis inquinamentis apud se depositis, in perpetuo sese contaminandi periculo versatur. Quàm verò luctuosum esset, quàm miserum, si quis, dum aliorum vulneribus mederetur, se ipse telo peccati mortifero configeret; ac si, dum cæteros educeret de *limo profundi*, ipse demergeretur *in puteum interitûs* (*b*)!

Posito fundamento, quod est *charitas de corde puro & conscientiâ bonâ* (*c*), omnis, quam, auctore Deo, acquisierit, virtutis custodiam sinceræ humilitati committat; cujus instinctu sese interiùs eorum substernat pedibus, qui ad hominis suî similis pedes provoluti, veniam flagitant & misericordiam; iisque pejorem ac viliorem se reputet. Perpensis deindè suscepti ministerii difficultatibus & periculis, non illis usque adeò terreatur, ut fiat pusillanimis: se potiùs ad illud cum fructu adimplendum, invocato divinæ gratiæ auxilio, fortiter accingat. *Constitutus ut evellat & destruat* vitia, *ut ædificet & plantet* virtutes (*d*), sese ad omnem creditæ dispensationis diligentiam accendat, secum ipse interdùm recogitans cujusnam legatione fungatur, quantique ad animarum sanctificationem momenti sit Pœnitentialis administratio. Eam verò tanti faciat, quanti fit apud Deum: omnium utique *divinorum divinissimum est, Dei cooperatorem fieri in conversione animarum* (*e*). Sic munietur contra tædium & impatientiam quæ animas dirigentibus obrepere solent, nisi muneris sui excellentiam, meritum atque utilitatem profundè meditati fuerint. In hoc certè ministerio, si quis illud non persunctoriè, sed bonâ fide, sed religiosè exequi velit, plurimùm difficultatis, plurimùm laboris occurrit: studioso tamen, Deumque præsertim in oratione consulenti, levior paulatim evadit moles: quin etiam animas diligenti labor ipse dulcescit.

His in antecessum perspectis, Confessarius magno salutis animarum zelo incitabitur, sine quo nempè munus suum nullo fructu exerceret. Zelum autem dirigat scientia, temperet mansuetudo, informet prudentia, inflammet charitas, vivificet unctio sermonis. Procul jejuna

(*a*) *Vide Conc. Bitur. an.* 1584. *tit.* 35.
(*b*) *Ps.* 68. *Ps.* 54.
(*c*) 1. *Tim.* 1. 5.
(*d*) *Jerem.* 1. 10.
(*e*) *De Eccl. Hier. c.* 5. *Vide Rich. à S. Vict.* de præp. in Cant. *l.* 1. *c.* 4. *Jac.* 5. 20.

aridaque eorum directio, qui unâ & eadem formulâ obvium quemque Pœnitentem exhortantur. Solius cordis voce cor afficitur: vox memoriæ, aut ipsius ingenii, hæret in auribus. Quotiès igitur Pœnitentem exhortabitur Confessarius, sermonem quasi extemporalem imbuet suavissima charitas. Nec solo nomine, sed ipso affectu pater, quoscumque ad suum Tribunal venientes benignè semper alloquetur, multâ dulcedine ac bonitate leniens remediorum acerbitatem, & charitatem à potestate nunquam sejungens (*f*). Quantò enim charitate erit præcellentior, tantò magis idoneum fiet divinæ misericordiæ instrumentum. Hoc sensu profundissimè affectus, seque illius ministrum esse reminiscens, qui *non venit vocare justos, sed peccatores ad Pœnitentiam* (*g*), cavebit, ac diligentissimè cavebit, ne quemquam tetricâ severitate offendat. Pœnitentes *corripiet ut fratres* (*h*), *considerans seipsum, ne & ipse tentetur* (*i*), ut potè qui eumdem corruptionis fomitem gerat. Neminem verò, quantumlibet inveteratâ peccati consuetudine infixum, quantumlibet curationi sapienti teluctantem, quantumlibet durum & impœnitentem, quantumlibet imparatum, malè confitentem, inscrutabilem, rudem & ignarum, quantumlibet scrupulosum & inquietum, seu quomodocumque aliter molestum, Pharisaïco supercilio rejiciet. E contrario, is erit *qui sciat compati infirmitatibus* humanis, *quoniam & ipse circumdatus est infirmitate* (*k*). Dum tamen *omnibus omnia fieri* cupit, caveat etiam atque etiam à falsa charitate, qui est affectus humanus, deceptor sensuum, quo molle obsequium in peccatores adhiberet, laxioresque opiniones in gratiam cupiditatis amplecteretur. In omnes denique animi verè paterni viscera induat: benignè omnes alloquatur, assentatoriè neminem. Videat ipse diligenter « ne unquam, aut gratiâ, » aut odio alicujus personæ, secùs ju- » dicet quàm quod in Canonibus sa- » cris invenerit, aut quod illi, secun- » dùm sanctarum Scripturarum auc- » toritatem & Ecclesiasticam con- » suetudinem, rectius visum fue- » rit (*l*).

Nec desit in Ministro Pœnitentiæ recta puraque intentio, quâ solam Dei gloriam & proximi salutem sibi proponat. Procul à ministerio tam sublimi curiositas, inanis gloria, æmulatio invidiosa. Procul malesana eorum ambitio, qui, spretis de vulgo Pœnitentibus, solos ad suum Tribunal confluere vellent optimates. Exemplum intueantur Domini Jesu, qui, cùm ad pauperes missus præsertim fuisset, inter plebeios assiduus erat, inter nobiles ac divites rarissimus. Hoc igitur sibi

(*f*) S. *Polyc. c.* 6. *Const. Ap. l.* 2. *c.* 13. 14. 15. 16. *Orig. Hom.* 2. in Ps. 37. *S. Greg. Nyss. or.* in mul. peccatr. *S. Hier. Ep.* 46. *c.* 1. (*al.* 90.) *S. Greg. P. l.* 6. in 1. Reg. *c.* 2. in cap. 15. *n.* 36. *Vide ejusd. Hom.* 33. in Ev. *Can. Ap.* 51. *S. Cypr. Ep.* 52. (*al.* 55.) §. 13. 16. 17.

(*g*) *Luc.* 5. 32.

(*h*) 2. *Thess.* 3. 15.

(*i*) *Gal.* 6. 1. *Vide Eccli.* 8. 6.

(*k*) *Hebr.* 5. 2.

(*l*) *Conc. Cabil. II, an.* 813. *v.* 815. *can.* 54.

à Domino dictum sumant Confessarii: *Nulla erit distantia personarum: ita parvum audietis ut magnum, nec accipietis cujusquam personam; quia Dei judicium est* (*m*). Sunt qui propensiore affectu quibusdam adhærentes, iis libenter totos dies profunderent, dum cæteris breve momentum invident fastidiosi. Qui sic personarum delectum habent, ii certè non charitatis impulsum sequuntur; sed suî ipsorum amore, aut alio quolibet affectu periculoso ducuntur. Pietate & charitate imbutus Pœnitentiæ Minister, neminem dedignatur, neminem repellit, neminem excludit, nisi suam ad omnes curam extendere non possit: nulla ipsi vilis est anima. Quòd si verò aliquod instituit personarum discrimen, hoc cedit omninò in gratiam pauperum, quos plerumque *Deus elegit divites in fide, hæredes Regni quod repromisit diligentibus se* (*n*). Sæpiùs enim in abjectioris conditionis hominibus, in ipsa etiam rusticana obscuritate, vasa domûs Domini pretiosissima delitescunt; animæ scilicet culturam idoneam expectantes, ut virtutum præstantissimarum apicem assequantur.

Procul etiam ab hoc ministerio cujusquam temporalis commodi respectus. In Sacerdote Confessiones excipiente ea sit animi excelsitas quæ terrena omnia transcendat, solaque appetat lucra cœlestia. Nihil quidquam ab ullo Pœnitente accipiat; *munera* enim *excæcant oculos sapientûm, & mutant verba justorum* (*o*). Multò minùs pecuniam, aut aliud quodvis, expressè vel tacitè in Confessione, vel Confessionis occasione postulet. Indignum enim foret atque instar sacrilegii, si quis Pœnitentiæ administrationem cupiditati vectigalem faceret, quasi venalem habens sacram illam Jurisdictionem, *justificans impium pro muneribus, & justitiam justi auferens ab eo* (*p*); vel inopem dedignans, à quo nihil speraret emolumenti, & illum quasi alienum respuens.

(*m*) *Deut.* 1. 17. *Vide Conc. Cabil. II. suprà, & can.* 32. & 38.
(*n*) *Jac.* 2. 5.
(*o*) *Deut.* 16. 19.
(*p*) *Is.* 5. 23.



CAPUT III.

De ſcientia Confeſſarii.

SCIENTIÆ in Confeſſario neceſſitas. Scientia Confeſſarii ad duodecim capita revocatur. Scientiæ gradus varii, pro circumſtantiis requiſiti. Quid ſcientiæ & circumſpectionis omni Confeſſario ſit neceſſarium. Eorum inſipientia, quibus nihil unquam difficile eſt. Scriptura ſacra, ſanæ directionis fons præcipuus. Moralium Auctores cautè ſeligendi. Nullus privato ſenſui aut viis inſolitis plus æquo indulgeat. Neceſſaria inter Confeſſarios unanimitas.

QUOD ſi *labia Sacerdotis ſcientiam cuſtodire* tam neceſſariò debent (*a*), ut, qui *eam repulerit*, ipſum Deus *repellat*, *ne Sacerdotio fungatur* (*b*); hoc de illo potiſſimùm intelligi oportet, cui creditum fuit tremendum Pœnitentiæ miniſterium; in quo videlicet Pœnitentibus judex, medicus & dux conſtituitur, animarumque regiminis partem longè præcipuam atque difficillimam exercet (*c*). Quæ ſententiæ in arcano Tribunali pronuntiantur, eas in cœlo ratas haberi nemo confidat, niſi cum regulis quas ſupponit divina inſtitutio, apprimè conſentiant: à quibus ſi fortè inſcitia vel temeritas declinet, dum in terris abſolvit Miniſter imprudens, in cœlis condemnat Judex æternus (*d*).

QUOD malum ne unquam eveniat, Confeſſario hæc ad amuſſim perſpecta ſint:

I°. Pœnitentiæ natura, parteſque ipſius eſſentiam conſtituentes, cum omnibus conditionibus ad ſingulas requiſitis ut conſtet ratio Sacramenti; quæcumque demùm ad ejus validam & fructuoſam ſuſceptionem legitimamque adminiſtrationem pertinent. Hic pariter Abſolutionis Formam cum antecedentibus & conſequentibus Orationibus memoriâ teneat.

II°. *Scientiam habeat diſcernendi inter ſanctum & profanum, inter pollutum & mundum* (*e*): noverit quid ſit peccatum, quid non; quid lethale, quid veniale. Nec tantùm lethalia à venialibus, ſed lethalia à lethalibus, lepram denique à lepra ſecernat (*f*). *Quæ autem levia, &*

(*a*) *Malach.* 2. 7.
(*b*) *Oſée*, 4. 6. *Conſt. Ap. l.* 2. *c.* 41. 48.
(*c*) *Vide Conc. Aquiſgr. II, an.* 836, *cap.* 2. *can.* 3. *Et Bitur. an.* 1584. *tit.* 35.
(*d*) *S. Greg. Hom.* 26. in Ev. *Conc. Aquiſgr. I, an.* 816. *l.* 1. *c.* 37.
(*e*) *Levit.* 10. 10. (*f*) *Deut.* 17. 8.

quæ gravia peccata, non humano, sed divino judicio æstimet (*g*). Noverit ipse quibusnam in casibus immutetur peccati natura, ita ut ex lethali veniale, aut vicissim ex veniali lethale fiat; quænam circumstantiæ peccati speciem mutent, quæ gravitatem plurimùm augeant, quæ minuant (*h*).

III°. Quænam peccata contra Dei & Ecclesiæ leges committi possint; quænam septem peccatis capitalibus includantur (*i*); quænam in variis hominum conditionibus, ac demùm apud regionem suo Tribunali circumjacentem sint frequentiora.

IV°. Quinam Casus, quænam Censuræ, & summo Pontifici, & Episcopo Diœcesano reservata sint. Quomodò, certis in Casibus, obtinenda & exequenda Romanæ Pœnitentiariæ *Brevia* (*k*). Quinam, & Censurarum, & Irregularitatum sint effectus; propter quæ delicta incurrantur: quomodò erga eos agendum, qui, vel Censuras (*l*), vel Irregularitates incurrerunt (*m*).

V°. Quænam Impedimenta Matrimonium, sive irritum, sive tantùmmodò illicitum efficiant (*n*). Quid sit erga eos constituendum, qui, postquàm Matrimonio juncti sunt, aliquo Impedimento constricti inveniuntur, super quo dispensari opus habent: denique quomodò rata fiant conjugia sive publicè sive occultè irrita (*o*).

VI°. Quibusnam positis conditionibus validum ratumque sit Votum; quomodò dirigendi sint qui Voti alicujus religione obstricti occurrunt: quænam Vota summo Pontifici, quænam Diœcesano Antistiti reservata: quid in Votorum Dispensatione aut commutatione possit ipse Confessarius (*p*).

VII°. Quibusnam in casibus ad restitutionem teneantur Pœnitentes: quisnam sit ordo servandus inter eos, qui restitutionem debent, atque inter eos quibus restitutio debetur: qualis & quanta esse restitutio debeat, ut damnum adæquet: quas ob causas à restitutione fiat immunis, qui aliàs restitutioni fuisset obnoxius. Atque hòc diligentiùs circa hæc omnia edoctos esse oportet reconciliationis Ministros, quòd, præter illam usque adeò terribilem, quam de hujusmodi causis malè judicatis, rationem Deo reddituri sunt, ipsimet ad restituendum tenentur, si, disquisitionis defectu, vel per negligentiam, inscitiamve criminosam; Pœnitentes ad restitutionem malè adegerint, vel à restitutione perperàm exemerint (*q*).

VIII°. Quomodò, juxta casuum diversitatem, resarcienda sit injuria proximo illata, vel huic pro læso honore satisfaciendum (*r*).

(*g*) *S. Aug.* Enchir. *c.* 78.
(*h*) *Vide suprà, Div. II, cap.* 1.
(*i*) *Ibid.*
(*k*) *Vide Tract.* de Sacram. Matrim. *Cap. ult.*
(*l*) *Vide Append.* de Censuris, *ad calc. hujus* de Pœnit. *Tractatûs.*
(*m*) *Vide Append.* de Irregul. *ad calc. Tract.* de Sacram. Ord.
(*n*) *Vide Tract.* de Sacram. Matrim. *Div. III, cap.* 2. & 3.
(*o*) *Ibid. Div. VII, cap.* 1.
(*p*) *Suprà, Div. III, cap.* 3.
(*q*) *Infrà, Div. VII, cap.* 2.
(*r*) *Ibid.*

IX°.

IX°. Quandò concedenda, quandò deneganda, vel differenda sit Absolutio; & quibus potissimùm signis dijudicari possit utrùm Pœnitentes Absolutione digni vel indigni sint (s).

X°. Quomodò discutiendi sint Pœnitentes, ut integrè confiteantur: quâ ratione sapienter instituenda conscientiæ interrogatio erga eos qui nullomodò, qui malè, qui confusè aut ambiguè se accusant (t): quali sermone sit præstandum ut Pœnitentes delictorum gravitatem agnoscant, eaque sincero animo detestentur: erga diversæ indolis peccatores quomodò agendum (u): quibus remediis generalibus & specialibus vitia & pravæ consuetudines curentur (x): quâ peritiâ dulcescat, aut certè non offendat amaritudo curationis (y): quænam Satisfactio, & Pœnitentis, & culparum habito respectu, sit injungenda (z): quænam sit veterum Pœnitentiæ Canonum severitas; & quantâ prudentiâ illi attemperanda sit Satisfactionis impositio, pro ratione temporis, Pœnitentiumque infirmitatis (a): quânam indictâ vitæ disciplinâ, Pœnitentes à delictorum iteratione integri serventur, atque in virtutis exercitatione proficiant (b).

XI°. Quomodò in viis spiritualibus dirigendi sint, qui, singulis in Parochiis, etiam maximè rusticis & agrestibus, sublimioris perfectionis capaces inveniuntur: quàm sapienter, prout ferunt diversæ hominum conditiones, pietatis opera & virtutis exercitationes moderandæ sint, ac semper ad meliora promovendæ.

XII°. Quomodò demùm, cujuslibet generis peccatores, sive absoluti, sive inabsoluti, à sacro Tribunali non dimittantur, nisi congruis imbuti documentis, nisi erga pietatem ipsumque Confessarium suaviter affecti. Profectò « scientia scientiarum animas gubernare, medicinam spiritalem facere; cui scopus est, divinam imaginem, aut manentem conservare, aut periclitantem fulcire, aut dilapsam in pristinum statum revocare, Christumque per Spiritum sanctum in peccatoris domicilium introducere, ac supernam beatitudinem ipsi comparare (c). » Quem scopum adeò multiplicem ut obtineant Confessarii, eos abundare oportet monitis salutaribus vividisque hortamentis, quæ sexui, ætati & conditioni, indoli & captui, statui etiam conscientiæ diligenter accommodent. Plerisque etiam Pœnitentibus quemdam vivendi ordinem, ac diei exigendæ quamdam veluti formam constituere debent, iisque tradere quomodò laborem vitæque munia, tanquam Deo præsente, sanctificare, omnia propter Deum exequi, præcipua Religionis capita nullo conatu, illæsisque suscepti instituti

(s) *Infrà, Div. VI, cap. 1. & seq.*
(t) *Div. V, cap. 1.*
(u) *Ibid. cap. 2.*
(x) *Div. VI, cap. 2. 3. & 4.*
(y) *Div. V, cap. 3.*
(z) *Div. VII, cap. 1.*
(a) *Ibid. cap. 3.*
(b) *Div. VI, cap. 5.*
(c) *S. Greg. Naz. or. 1.*

officiis, meditari possint: præterquàm quòd singulis remedia suggerenda sunt quibus sanentur spirituales languores; consilia ingeminanda, quibus muniatur insita fragilitas; Pœnitentesque ad Contritionem potenter excitandi, & ad Communionem, si Communione digni judicentur, disponendi, iis, inter cætera, propositis, quæ ex Mysteriorum Festorumque celebritatibus ad inflammandam pietatem erui feliciter possunt.

Ne verò illius quam per generalia capita designavimus, scientiæ magnitudine terreantur qui se ad capessendum Pœnitentiæ ministerium accingunt. Nihil quidem periculosius, quàm si quis se exteriùs effundat, antequàm se interiùs repleverit. Nihil damnatorium magis, quàm si Presbytero alicui, non per *clavem scientiæ* (*d*), sed per temeritatem atque arrogantiam pateat ingressus Tribunalis, in quo sedeat supremi hominum Judicis personam gerens. *Divisiones verò gratiarum sunt* (*e*), gradusque scientiæ. Qui à Superiore suo tanquam à Deo vocatus, arduum hoc ministerium primo inceptu aggreditur, is quidem absolutissimâ jam tum eminere scientiâ non potest: omnia tamen quæ modò attigimus, jam aliquatenùs intelligere debet, saltemque mediocriter noscere, pro captu incipientis, habito etiam respectu eorum quos directurus est. Amplior enim populosâ in urbe scientia requiritur, ubi scilicet occurrunt omnium Ordinum & conditionum Pœnitentes, quàm rure; ubi non sunt, ut plurimùm, nisi agricolæ & vinitores, quorum pretiosa simplicitas non tantam parit Casuum varietatem, quantam afferre solet urbium corruptio multiformis. Ubicumque sedeat Confessarius, eum oportet in Casibus frequentioribus judicio pollere sufficienti ut statim eos tutissimè dirimat, utque in difficilibus & insolitis, si nesciat primo aditu nodum solvere, prudenter dubitare noverit; Absolutionem suspendat; optimæ notæ libros, vel collegas scientiam experientiâ firmantes, ac præsertim Diœcesanum Antistitem consulat. Ubi occurrit aliqua difficultas, *sapiens* Confessarius *timet*; temerarius autem (*stulti* instar, de quo meminit Scriptura) *transilit*, & *confidit* (*f*). Sunt videlicet quos nihil unquam in sacro Tribunali remoratur. Plana omnia & facilia, nihil obscurum, nihil ambiguum vident. Nullis præformati sanæ directionis institutis, se nunquam errasse gloriantur; quin etiam errare se posse vix credunt. Qui autem, præviâ doctrinâ imbuti, ad excipiendas Confessiones accessêre, & qui non otiosè & perfunctoriè, sed quasi rationem de animabus reddituri, hoc ministerium gerunt, ii nonnunquam in dirigendis conscientiis hærent ancipites. Et quamvis lectione continuâ simulque peritorum colloquiis necessariam studeant scientiam adaugere; se tamen in multis nescios agnoscunt, seque fatentur senescendo quotidiè discere, atque interdùm

(*d*) *Luc.* 11. 52. (*e*) 1. *Cor.* 12. 4. (*f*) *Prov.* 14. 16.

in illo tanto tamque formidando Ministerio errare. Tam latè patet scientia curationis animarum! Tantæ molis est ut satis *erudiantur qui* in maximè omnium verendo Tribunali *judicant terram* (*g*)!

Vitæ sapienter instituendæ, adeòque regendi animas *in scientia & judicio*, fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est verbum Dei, utriusque Testamenti Libris consignatum (*h*). Ibi Confessarius *Legem Domini scrutetur* (*i*). Hinc deprompta *eloquia in corde suo abscondat*; de cujus plenitudine profluat, & pietate & unctione imbuta gubernatio. Ad illam incorrupti luminis facem omnia in Moralibus dirigat: ab ea nunquam oculos reflectat. In veteri Testamento, *Sapientiales* præsertim Libros meditetur. In Evangelio, sublimes intueatur morum regulas (*k*), exemplum præcepto conjunctum, omnia quæ fecit Jesus & docuit (*l*); ad quod præstantissimum exemplar, & se, & Pœnitentes, quantùm fert humanæ infirmitatis mensura, componere studeat. Cæteros Novi Testamenti Libros non minùs diligenter evolvat, in quibus adhùc spirat dulcedo Apostolicæ prædicationis, mirumque in modum expressa ostenditur celsitudo Evangelicæ perfectionis.

Nec tantùm præcepta & consilia Evangelica, traditamque in Apostolorum scriptis morum disciplinam assiduè recognoscat Pœnitentiæ Minister. Prout malitia hominum increvit, multiplicanda pariter fuerunt documenta, quibus & mala innotescerent, & remedia in promptu essent. Hinc tot libri de Moralibus & de animarum gubernatione conscripti; quos tamen sine delectu nemo amplectatur. *Non omni spiritui credendum, sed probandi spiritus, si ex Deo sint; quoniam multi pseudoprophetæ exierunt in mundum* (*m*), *multi vaniloqui & seductores* (*n*). Videndum etiam atque etiam ut qui consuluntur Scriptores, cum divino eloquio, cum Ecclesiæ doctrina, cum sanctis Canonibus apprimè consentiant. Abjiciendi pariter, & quibus arridet *spatiosa via ducens ad perditionem*, & qui *viam vitæ* plus justo *arctam* faciunt (*o*). Væ utrisque, dicentibus *malum bonum*, & *bonum malum* (*p*). Cavendum igitur à laxiorum opinionum licentiâ, quæ non divinæ Legi, non Ecclesiasticæ disciplinæ, sed cupiditati, sed morum corruptelis potissimùm favet. Fugienda quoque, nec minùs diligenter, in doctrina morum, nimia severitas.

Nunquam autem satis deflendum esset, si quis Confessarius, privato sensui plus æquo indulgens, fictitias sibi directionis leges pro arbitrio strueret, eo prætextu, quòd nemini præter

(*g*) *Ps.* 2.
(*h*) 1. *Cor.* 3. 11. *Conc. Cabil. II*, *an.* 813. *v.* 815. *can.* 34.
(*i*) *Ps.* 118.
(*k*) *Conc. Trid Seff.* 4. *decret.* de Canon. Script.
(*l*) *Act.* 1. 1.
(*m*) 1. *Joan.* 4. 1.
(*n*) *Tit.* 1. 10.
(*o*) *Matth.* 7. 13. 14.
(*p*) *Is.* 5. 20.

Deum, ministerii sui rationem reddere teneatur. *Væ prophetis insipientibus (q)*, qui, in gubernandis conscientiis nullam, nisi cæcum animi impetum, judicandi regulam sequuntur; qui Casus vel inrricatissimos, contemptis probatissimorum Auctorum sententiis, punctim ac cæsim dirimunr; qui temerè, & contra experientissimi cujusque judicium, Absolutionem concedunt vel denegant: qui denique *ipsi sibi sunt lex*. Non sine magno detrimento quisquam in hujusmodi arrogantium manus inciderit. Si enim severitatem eligant, eum malè torquent: si via latiot arrideat; qualem ipsum invenêre, talem perpetuò relinquunt. Quos tenet hic morbus, si sanari velint, minùs *in suo sensu abundent*, doctis & sapienribus dociles se præbeant; nec se solos intelligentiâ præditos, *morituramque secùm sapientiam* existimenr (r). Alii non quidem privatæ auctoritati plus æquo indulgent, sed insolitis addicti sunr viis, easque communi anteponunt & longè tutiori. Qui hoc modo se gerit, *superbus est, nihil sciens (s): ex fructibus suis cognoscetur (t)*.

Ne quid autem in præsenti negotio peccetur, permagni interest ut cuique Confessario perspecti sint optimæ notæ Scriptores, quibus tutissimè in praxi adhæreat. Et quidem, post Scriptutam sacram, primum locum obtinet *de imitatione Christi* aureus Liber. Tum certè maximo in pretio habendæ sunt S. Caroli Borromæi *Institutiones ad Confessarios*: quæ cùm doctrinæ moralis corpus exhibeant quibuslibet animabus dirigendis opportunissimum, præteteàque à Clero Gallicano adoptatæ & promulgatæ fuerint (u); nihil utilius excogitari potest, quàm si Pœnitentiæ Ministrorum animis altè combibantur, tanquam antidotum adversùs novas opiniones Evangelicam morum doctrinam evertentes. Deindè S. Francisci Salesii Opera, cœlestis pietatis sapore imbuta (x), plurimùm adjumenti afferent, ut intelligatur quibus gradibus Pœnitentes ad perfectam cordis puritatem atque ad virtutum omnium consecutionem deducantur; quomodò etiam fructuosè sanctèque Sacramenta frequentari, cæteraque pietatis officia exerceri legitimè possint. Hos si Confessarius diligenter studioseque adeat sanioris doctrinæ fontes, probatissimas in Moralibus sententias ad manum habebit. Sic omnia morborum spiritualium remedia virtutumque incitamenta cognoscens, animas in viam salutis feliciter deducet, propriamque animam salvabit.

QUONIAM autem eæ quas hìc tradimus, Institutiones, nunquam à purissimis Scripturæ Patrumque documentis dissentiunt; nostræ Diœcesis Confessarios, quantùm possumus, in Domino exhortamur, & per zelum sanctificationis animarum

(q) *Ezech.* 13. 3.
(r) *Job*, 12. 2.
(s) 1. *Tim.* 6. 4.
(t) *Matth.* 7. 20.
(u) *An.* 1655.
(x) Introd. à la vie dév. &c.

obsecramus, ut ipsas diligenti studio perdiscant, nec ab ipsis unquam in praxi discedant. Universi, tum Seculares, tum Regulares, pariter *assecuti nostram doctrinam, institutionem, propositum* (y), *in eodem sensu & in eadem sententia* circa Pœnitentiæ administrationem *perfecti sint* (z). Cuncti ad sapientissimæ gubernationis leges sese componant. Quod fuerit ab uno ligatum, id alter non solvat; omnesque & singuli, illæso tamen Sacramenti sigillo, ad extirpanda vitia, ad amplíandas virtutes, ad rectum ordinem promovendum, in sacro Pœnitentiæ Tribunali concordibus studiis incumbant. Si quandò eos circa difficilis cujuslibet Casûs solutionem inter se dissentire contigerit; ne controversia in vulgus erumpat, sed ad Nos referatur, in Dei secreto, ut decet, componenda. Omnes denique in hac Diœcesi Pœnitentiæ ministerium exercentes, æqualiter *solliciti* sint *servare* inter se *unitatem spiritûs in vinculo pacis* (a).

(y) 2. *Tim.* 3. 10. (z) 1. *Cor.* 1. 10. (a) *Eph.* 4. 3.



DIVISIO V.

In hac Divisione dicetur, 1°. Quantâ opus sit Confessario solertiâ & prudentiâ, ut sinceram atque integram à Pœnitente Confessionem eliciat : 2°. Quanta sit Confessario necessaria prudentia, ut convenientem cuique morbo spirituali medelam attemperet, ac Pœnitentes, pro cujusque ingenio, rectè salubriterque dirigat : 3°. De prudentia Confessarii in servando firmitudinis & mansuetudinis justo temperamento : 4°. De prudentia Confessarii in exhortando & corripiendo.

CAPUT PRIMUM.

QUANTA opus sit Confessario solertiâ & prudentiâ, ut sinceram atque integram à Pœnitente Confessionem eliciat.

QUÆDAM pranotanda. Quid circa interrogationes generatim observandum. Quadam in antecessum ab ignoto Pœnitente inquirenda. Quos Religionis inscios suspicatur, qui non sunt doctrinæ capaces, in eos quomodò se gerere debeat Confessarius. Quinam, rebus adhùc integris, anteoccupandi. Qui se malè accusant, qui examinis instituendi modum ignorant, &c. in eos quomodò agendum. Confessio Pœnitentis vulgò non abrumpenda. Eâ peractâ, ipse, ut plurimùm, interrogandus. Quid circumspectionis hac in parte requiratur. Juvenum præsertim ac mulierum occulta peccata quàm difficilè detegantur. Pœnitens in exoneranda conscientia laborans. Pœnitens culpam negans, quam aliundè rescivit Confessarius. De Confessione mutorum & surdorum.

QUOD si ad Confessarii munus ritè implendum satis esset peccatorem taliter cumque se accusantem audire, ei qualemcumque Pœnitentiam imponere, &, nullâ unquam institutâ ulteriore disquisitione, nul-

lo subministrato salutis monito, nullo ad curationem spiritualem adhibito experimento, statim formulam Absolutionis immurmurare; ad excipiendas Confessiones, neque scientiâ, neque prudentiâ opus foret; supervacua redundarent sanctorum Patrum & Canonum eâ de re documenta; ac denique nostra in hocce Tractatu incassùm laboraret sollicitudo. Absit ut quisquam Sacerdos de ministerio tam sublimi tam abjectè sentiat.

Positâ Ministri scientiâ, de qua superiore Capite dictum est, ejus prudentiam sub multiplici rerum personarumque respectu tractandam suscipimus; quæ nimirùm comes adjungenda scientiæ est, tanquam hujus moderatrix & in praxi gubernaculum. Ac primùm quidem, quid sit in Sacerdotis prudentiâ & solertiâ positum, ut Pœnitens quàm absolutissimè confiteatur, exponendum occurrit.

Quicumque ad Sacerdotis Pœnitentiale Tribunal reos se constituunt, ab iis quàm maximè sinceram atque integram elicere Confessionem ipse quidem ex officio tenetur. Sic tandem, cognito eorum statu, qualis verè se habeat, poterit convenientia illis monita subministrare, justamque & salutarem injungere satisfactionem. Ac primùm quidem studeat absolutissimam sibi conciliare Pœnitentis fiduciam omnimodâ animi bonitate ac lenitate sermonis; ut ille efficaciter inducatur ad sua ei, tanquam patri amantissimo, interiora liberrimè manifestanda, nihilque formidet, peccata sua & animæ vulnera detegens, neque ullomodò ab exoneranda conscientia malè timidus aut verecundus avertatur. Non aliter poterit Pœnitentiæ Minister in animum confitentis illabi, ejusque satis profundam cognitionem assequi, ut erga ipsum, sive ut judex, sive ut medicus, prudenter agat & salubriter.

De specie autem, de numero, de circumstantiis peccatorum, si non satis explicentur, diligenter simul & prudenter inquirat; sicque interrogationes instituat, ut neque importunus sit, neque scrupulosus. Hic enim præcipuus est Pœnitentiæ fructus, ut auferatur peccatum, & subsequatur emendatio; ad quam proindè ut adducatur Pœnitens, multò studiosiùs incumbendum est, quàm diutiùs cum anxietate circa interrogationes immorandum. Et certè Confessionis integritas non omnem absolutè possibilem, sive ex parte Pœnitentis in discutienda conscientiâ, sive ex parte Sacerdotis in ea perscrutanda diligentiam requirit. Sufficit diligentia *moralis*, ea nempè quam in gravissimi momenti negotiis adhibere solent.

Quod ad circumstantias pertinet, nullam sinat Confessarius inutilem atque otiosam à Pœnitente exprimi. Multi, ac præsertim plebeiæ fœminæ, tot historias texunt, quot peccata confitentur; aut aliena in medium afferunt, ut sua explicent, vel potiùs excusent. Moneat Sacerdos ne in supervacuis enumerandis tempus consumatur. Si quandò Pœnitens peccata non sua, sine ulla necessitate, quoquomodò detegere velle videatur; id fieri prohibeat Confessarius, ne sit maledicentiæ particeps. Si autem linguæ mobili-

tate præcurrat alienæ culpæ accusatio; ipse imprudentiam confitentis arguat, seque sigilli religione obstringi meminerit. Nihil demùm de socio criminis apud se declarati audiat, nisi quod ad Confessionis integritatem sit omninò necessarium. Multò magis ipse à vaniloquio abstineat. Nec verò inquirat Pœnitentis aut complicis nomen (*a*), domicilium, res domesticas, secreta familiarum, aliaque hujusmodi, in quibus videlicet ejus curiositati satisfacere nemo tenetur. Nihil ergò sciscitetur, quod à morborum spiritualium curatione & Pœnitentis æternâ salute alienum videatur.

Sunt tamen quædam interrogationes aliquandò præmittendæ, ubi accedit ignotus Pœnitens: an sit è Confessarii Parochiâ? quodnam sequatur vitæ institutum? à quo tempore non sit confessus? nihilne in præcedenti Confessione, sive ultrò, sive nullâ suâ culpâ, omiserit? nihilne circa ipsam, vel superiores, animum remordeat? cui confessus fuerit? quid sit quòd mutet Confessarium? an Pœnitentiam in præcedenti Confessione sibi impositam exolverit? an tunc Absolutionis beneficium impetraverit? Denegatâ enim vel dilatâ Absolutione, ad priorem Confessarium remittendus esset, ut potè ligatus, nec facilè ab alio solvendus (*b*). Si tamen ille Pœnitens, justis & gravibus de causis, non ad priorem Confessarium remittatur; ab ipso exigatur nova Confessio delictorum à quibus vel non absolutus, vel malè absolutus fuerit. Causæ verò magis probabiles alienum Pœnitentem ritè dispositum admittendi & absolvendi, hæ vulgò recensentur: si prior Confessarius manifestè erraverit; si Suspensionem incurrerit; si Jurisdictione privatus fuerit: si Pœnitens, interveniente longiore locorum intervallo, commodè ipsum adire nequeat, vel ab eo ulteriùs adeundo nimis abhorreat.

Percunctetur etiam Sacerdos, non modò ab adolescentibus, verùm etiam ab ipsis natu majoribus, quorum inscitia sibi legitimè in suspicionem venerit, num præcipua Religionis Mysteria noverint, & Fidei capita quorum distincta cognitio ad salutem necessaria est (*c*), Symbolum Apostolorum, Orationem Dominicam, Dei & Ecclesiæ Mandata, Sacramentorum (eorum præsertim quæ suscipere tenentur) doctrinam, usum & praxim? Hæc elementa si Pœnitens, vel omninò, vel ferè ignoret, statim incipiet Confessarius eum edocere. Si autem nequeat in præsentiarum; subindè ipsum, vel privatim, die horâque indictâ, per se aut per alium, edoceri curabit; vel injunget ut Catechesibus intervallo sufficienti assiduum se auditorem præbeat, idque ipsi tanquam pœnitentiam aut pœnitentiæ partem constituere poterit. Illum intereà quàm lenissimè in aliud tempus dimittet; nec priùs absolvet, quàm ejusmodi ignorantiam deposuerit. Si tamen ingenii

(*a*) *Stat. D. Odonis* de Sully, *Parif. Episc. Syn.* 1. *c. an.* 1198, Capit. circa Confession. *art.* 12. *in Synodico*, *pag.* 7.

(*b*) De Pœnit. *dist.* 6. *can.* 3.

(*c*) *S. Thom.* 1. 2. *q.* 67. *a.* 2. *in corp.*

sit

sit usque adeò obtusi, ut nihil aut ferè nihil possit intelligere; elementa maximè necessaria discat memoriter, Actumque fidei, suggerente Confessario, de præcipuis Articulis emittat; vel etiam, eodem interrogante num hunc & hunc Articulum credat, credere se toto corde respondeat; ac tandem, si nihil aliundè obstet, in sua simplicitate absolvatur.

Cùm subest aliquis metuendi locus ne Pœnitentem offendat prævia interrogatio; datâ occasione, in Confessionis decursu sagacissimè interrogetur. Ubi autem accedit Pœnitens quem noverit Sacerdos eâ in voluntate perseverantem, eâ causâ implicitum, propter quam non sit Absolutionis capax; ipsum, rebus adhùc integris, anteoccupet, seque ad officium reflectere compellat: abnuentis verò Confessionem non audiat; ne fortè, si confessus obtemperare nolit, & propiereà dimittendus sit inabsolutus, justè conqueratur, & dicat confitentem audiri à Sacerdote non oportuisse, quem non absolvere priùs ipse constituisset.

Præmissis interrogationibus & monitionibus quas prudentia in antecessum instituendas suggesserit, Confessarius Pœnitenti se accusanti patientem attentamque aurem accommodabit. Si nullam aut levissimam conscientiæ disquisitionem præmisisse videatur, cùm nempè delictorum speciem, numerum & circumstantias non luculenter evolvat, sed omnia confusè conglobatimque effundat; eum leniter dimittet Sacerdos, præfixo tempore non longinquo ut redeat paratior. Priùs tamen quibusdam interrogationibus detegendum erit num aliqua subsit peccati lethalis consuetudo vel occasio proxima; num restituendi, aliterve satisfaciendi onus incumbat; ut præmonitus Pœnitens exequenda exequatur, antequàm redeat. Si autem examinis instituendi modum nesciat, eum illi explicabit Confessarius, & quàm facillimum præstare conabitur. Si præ nimiâ tantummodò simplicitate nullam suî recognitionem præmiserit, illum statim interrogationum ope discutiet; ac tandem quàm poterit perfectissimè dispositum atque ad Contritionem excitatum, modò tamen bonæ voluntatis sincerique animi eum esse agnoverit, pro sua prudentia cautus absolvet. Sunt Pœnitentes adeò rudes, ut, sibi omninò relicti, nunquam se profundiùs discussuri, neque rectiùs accusaturi essent. Hi quidem omnimodâ facilitate alliciendi, & plurimâ benignitate perferendi sunt. His maximè necessarius est conscientiæ moderator, cujus benevolâ charitate perlustrentur interiùs caligantes, confirmentur in accusatione laborantes, subleventur animo concepta difficilè & perplexè reddentes, adjuventur memoriæ defectu hæsitantes; sicque integram sensim emittant Confessionem, qui ne dimidiatam quidem emittere aliter potuissent. Si tamen Confessarius aliquem hujusmodi pertentans, ipsius conscientiam multis ac difficilibus Casibus implicitam sentiret; ipsum congruis monitis ac documentis præformatum, deberet quidem ad certum tempus dimittere; quo quidem intervallo, conscientiæ late-

bras sinusque omnes pro suo captu scrutaretur. Si verò non acquiesceret; meritò judicaretur nolle integrè confiteri, detrectans nempè sui disquisitionem in tali casu evidenter necessariam præmittere. Cùm ille ad aperiendam conscientiam potiore studio præparatus redierit, eum Confessarius quàm poterit maximè in hoc tanti momenti negotio adjuvet.

Porrò Sacerdos Confessionem Pœnitentis sese accusantis nunquam interrumpet; nisi fortè, eò quòd delictorum speciem, numerum & circumstantias non satis evolvat, sit ille interrogandus, vel de re maximi momenti admonendus, quam Sacerdos ipse post auditam Confessionem oblivisci facilè posset. Si v. g. inimicitiam, maledicentiam, furtum confiteatur; statim obiter præcipienda est reconciliatio, famæ vel rei ablatæ restitutio, à quibus, silente Confessario, immunes se existimarent imperiti. Auditis Casibus vel Censuris ad quæ relaxanda non polleat Sacerdos, moneatur Pœnitens ut Superiorem conveniat, neque incœptam Confessionem frustrà persequatur; nisi Confessarius licentiam sibi ad hoc necessariam à Nobis aut Vicario nostro generali obtinendam prudenter censeat. Si nihil moræ similis occurrat; Pœnitentem se continenter accusantem audiet silens, ne cogitatum ordinem interturbet, undè alicui omissioni locum præbeat. Quanto tempore se accusat Pœnitens, non ejus peccata verbis exaggeret; multò minùs eum corripiat. Non hoc tempus increpandi; tunc potiùs est suggerenda fiducia, & adjuvanda confitendi sinceritas, interposito, si opus fuerit, aliquo benignitatis alloquio. Si pœnitens, dum peccata confitetur, hæc non satis dolere videatur; non tunc illi exprobranda est cordis duritia, sed finis Confessionis expectandus, ut cor ejus ad Contritionem verbis convenientibus emolliatur.

Peracta Pœnitentis Confessione, si fortè sit suspicandi locus ipsum oblivione aut ignorantiâ peccatum aliquod omisisse, vel metu aut pudore tacuisse, Sacerdos illum de peccatis in sua conditione frequentioribus benignè interrogabit. Quinimò, si utile fore videatur, Dei & Ecclesiæ Mandata percurret, septemque peccata capitalia, &. singula suscepti instituti officia. Pauci quidem sunt qui interrogationibus non indigeant. Sunt qui delicta, etiam gravia, plerumque non confiterentur, nisi sapiens Confessarius in tenebrosæ conscientiæ latebris facem præferret, ut occulta *cordis pravi & inscrutabilis* sibi manifesta fierent (*d*). » Diligens igitur inquisitor, & subtilis » investigator, sapienter & quasi » astutè interroget à peccatore quod » forsitan ignoret, vel verecundè » velit occultare (*e*). Scilicet non» nulla occulta subtiliter sunt scru» tanda, ut, quibusdam signis erum» pentibus, Rector in subditorum » mente omne quod clausum latet

(*d*) *Jerem.* 17. 9.
(*e*) *S. Aug.* de vera & falsa Pœnit. *ap. S. Bonav.* in Confessionali, *cap.* 2.

» inveniat, & ex minimis majora » cognoscat (*f*). »

Nec vulgò ipsi politiores, nempè in civili societate & negotiis versatissimi, ad justam suî recognitionem sibi sufficiunt. *Filii* enim *hujus seculi* in rebus temporalibus quàm in spiritualibus *prudentiores sunt* (*g*); in his etiam non raro cæci inveniuntur. Plerique homines in mundo viventes, dum ea quibus implicantur, negotia & vitæ munia leviter considerant, in ipsis, aut nihil, aut ferè nihil peccari à se commissi, ut plurimùm, agnoscunt. Invictos se atque invulneratos in spirituali acie stetisse arbitrantur: *nesciunt ubi corruant* (*h*), eò profundiùs vulnerati, quòd vulnera sua non sentiunt. *In se, tanquam justi, confidunt* (*i*); superbique illius instar Pharisæi, *Deo gratias agunt, quòd non sunt sicut cæteri hominum, raptores, injusti, adulteri*, homicidæ (*k*): & ipsi, atrocioribus istis carentes flagitiis quæ hominibus ad seculi genium probis commisisse pudor esset, *impletam* à se *omnem justitiam* putant; uno verbo quid confiteri debeant, propemodùm nesciunt. Cæcis hujusmodi voluntariis lux est offerenda; & malè securæ conscientiæ, ut salubriter obturbentur, diligentiùs explorandæ sunt.

Facilè autem evanescet hic præjudicatæ innocentiæ error tam multos Christianos illudens, si præsertim attento paulisper animo cogitent suæ conditionis officia, in quibus se deliquisse pauci ultrò confitentur, quæ tamen latiùs patent quàm plerique suspicantur. Atque hic ipsa etiam generalia intelligimus mariti & uxoris, patris & matris-familiâs, filii & filiæ, heri & famuli nomina. Suam quisque vocationem videat; ejusque munia Religione consecrata investiget, criminosam in iis adimplendis negligentiam recognoscens, quâ fortasse diù vixit contaminatus. In hac verò disquisitione rudiores adjuvet ipse Confessarius; cui nempè, ut sui ministerii finem assequatur, perspectum atque exploratum esse debet quid muneris imponat quæque societatis conditio. Aliud peccat miles, aliud judex, aliud mercator, aliud artifex, &c. Sunt peccata omissionis quæ rarò exprimuntur. Qui dives est, an non pauperibus eleemosynam, pro modo facultatum, largiri omisit? Qui Superior est, an non corripere subjectos neglexit? &c. Sunt peccata quæ quisque solus commisit; alia sunt quibus cooperatus est; alia quæ prohibere debuit, nec tamen prohibuit.

Itaque Sacerdos, postquàm confessi fuerint Pœnitentes, plerosque altiùs exploret; *delicta* enim *quis intelligit* (*l*)? Multi ea sibi dissimulant; multi, pudore, metu aut malitiâ, gravissimum arguentis conscientiæ crimen occultant. *Fili hominis, fode parietem, & vide abominationes* intùs repressas (*m*). Lumen injice in tenebrosam vitiorum

(*f*) *S. Greg.* Reg. Past. *part.* 2. *c.* 10. (*al.* 11.)
(*g*) *Luc.* 16. 8.
(*h*) *Prov.* 4. 19.
(*i*) *Luc.* 18. 9.
(*k*) *Ibid. v.* 11.
(*l*) *Ps.* 18.
(*m*) *Ezech.* 8. 8.

profunditatem ; & quod plerumque homo sibi ipse internâ cæcitate non imputat ad culpam, id, per sapientes interrogationes discussâ caligine, tandem agnoscere quasi compellitur. Quoniam verò sæpè multis simulationum integumentis abditur & quasi obducto quodam velo premitur uniuscujusque natura, ne se, qualis sit, introspiciendum præbeat exploranti ; satis intelligitur summâ non rarò perspicaciâ opus esse, ut qui se nolit nisi obliquâ imagine dimidium cerni, adversâ facie totus manifestusque conspiciatur.

Confessarius igitur tot & tales præmittat, interserat, subjungat interrogationes, quot & quales ad Confessionis integritatem Pœnitentisque salutem necessarias atque utiles prudenter judicaverit. Abstineat autem ab insipienti quæstionum profluvio, quo fatigari vel offendi posset Pœnitens. Abstineat ab interrogationibus ineptis, ac personarum ætati, sexui, conditioni nullomodò convenientibus. Aliter nempè interrogandus vir, aliter fœmina ; aliter nupta, aliter vidua, aliter innupta ; aliter cælebs, aliter familiæ regimine implicitus ; aliter nobilis, aliter plebeius ; aliter dives, aliter inops ; aliter herus, aliter famulus, &c. De criminibus insolitis, aut communiter ignotis minimè interroget, nisi urgeat causa aliqua specialis. Si quandò, confitentium turbis affluentibus, Pœnitentes maximè rudes occurrant, quibus necessariæ sint plurimæ interrogationes & longa disquisitio, undè mora expectantibus molesta traheretur ; ad aliam diem horamve commodiorem dimittendi erunt. Si quis autem eâ mente se postulet à Confessario interrogari, ut non confiteatur nisi ad interrogata respondens ; nequaquam illi obsequendum erit, sed potiùs eum leniter inducere oportebit ad seipsum, præmisso diligenti examine, accusandum. Qui si fortè modum accusationis ignoret, à Confessario edoceatur ; nisi tamen sit persona tam simplex & rudis, ut sine interrogationis perpetuæ subsidio peccata confiteri omninò non posse judicetur.

JAM verò Sacerdotis interrogationes summa dirigat prudentia & singularis verecundia. « Diligenter & » cautè peccata inquirat & cir» cumstantias ; ita ut simplicibus » det materiam confitendi, & sua » peccata detegendi, nec eos di» rectè vel indirectè instruat ad ma» lum (*n*). » Itaque videat, ubi agitur de peccatis contra sextum Decalogi præceptum, ne juvenes, fœminei præsertim sexûs, id quod feliciter ignorant, imprudenter edoceat, sicque ipsis, per incautas interrogationes, scandalo & exitio vertatur fons ædificationis & salutis. Si quis Pœnitens inhonesta quædam obscurè ac timidè confiteatur, circumspectè vulnus detegat Sacerdos ; ne ingentem, quam suspicatur, labem introspicere volens, ignotæ labis afflatu animam hactenùs puram commaculet. Sapienter quidem ager, si in scrutando immunditiæ cœno diutiùs non immoretur ; illi enim & Pœnitenti nocere posset vapor

(*n*) *Syn. Carnot. an.* 1526.

indè emergens. Intellectâ peccati specie & circumstantiis multùm aggravantibus, nihil ulteriùs inquirat. Quomodò commissum fuerit peccatum, quid ante, quid post illud contigerit, non sciscitetur: clara sufficiat finalis actûs accusatio.

Cùm verò humanæ salutis inimicus plurimos tam pudentes in confitendo faciat, quàm protervos in peccando fecerat; si prudenter metuat Sacerdos ne certa quædam peccata texerit Pœnitens malè verecundus, de quibus omninò siluerit, eum de pravis cogitationibus primùm interroget. Si perfectæ innocentiæ opinionem afferat simplicitas responsionis, nihil eâ de re adjiciet. Si non defuerint cogitationes; quærendum erit à Pœnitente an iis consenserit, vel spontè immoratus fuerit? Responsio negativa rem transiget: affirmativa locum dabit cogitationum occasionem & numerum inquirendi. Si ferat ætas, quæri statim poterit an fuerint cogitationes contra castitatem? Si verò cum junioribus agatur, quibus ignotum sit carnis vitium; nec iis illud nominari, sed ab ipsis, quid cogitaverint, elici oportebit: ac demùm haud impuri forsitan generis cogitationes invenientur. Si quid labis (heu! sæpiùs juveniles annos contaminantis) detexerit Sacerdos; per gradus cautissimè progrediatur ad desideria, ad turpia colloquia, ad librorum impudicorum lectionem, ad varia denique *opera tenebrarum* (*o*). Timore & pudore correptum benignè confirmet: se quidem ægrè, sed necessariò interrogationes adhibere; per integram Confessionem utique salvandum esse Pœnitentem, per dimidiatam verò damnandum. Quæstionum diuturnitate laborantem sublevet, ad aliam deflectens materiam, ut posteà sagaciter ad id quod detegendum superfuerit, sermonem retorqueat. Timidos de exterioribus occasionibus interrogari nonnunquam juvabit: an non fortè aliquandò in vitiosorum cœtu interfuerint? an non ex malè actis vel dictis aliquam ceperint voluptatem? an pravum exemplum secuti sint? Datâ ex responsionibus occasione, investigandum erit num inhonesta verba protulerint? num periculosas inierint societates? num paulò liberius quidquam in se vel in alios fecerint, aut in se fieri permiserint? Nec pigebit solertem Confessarium, si, longè petitâ inquisitione, sensim in rem quasi intactam irrepens, pudibundum eò adducat, ut peccatum quod hactenùs patefacere ausus non fuerit, ultrò fateatur. Quinimò, si ferat Pœnitentis indoles, proderit quandoque ut Confessarius in medias res, quasi magna ex parte cognitas, pleno aditu irrumpat, statim quærens quotiès *tale* peccatum admiserit? & numerum ingentem in medium afferens, ne gravetur ille minorem fateri. Quibusdam scilicet non leviorem difficultatem facessit numerus delictorum aperiendus, quàm ipsa speciei gravitas. Videant igitur Confessarii diligenter ut hac etiam in parte, quantùm poterunt, liberrimæ Confessionis sinceritatem eliciant atque adjuvent.

De solitario carnis opere (in puel-

(*o*) *Rom.* 13. 12.

lis præsertim ac fœminis) magna est difficultas ut sine periculo inquiratur, cùm subest aliqua suspicio. Sunt enim qui tristem animum dissimulantes & nimio contractum timore, *abscondunt peccatum suum, & celant in sinu iniquitatem suam* (*p*). Attamen omni ope atque operâ enitendum Sacerdoti erit, ut teterrimam illam corporis animæque pestem *ignominiæque passionem* detegat & reprimat (*q*): quam quidem inter opera illicita contineri quidam fortassè non intelligunt, *traditi* nempè *in desideria cordis eorum in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis* (*r*).

A conjugibus inquiratur, num fortè aliquid jurgii duos in carne una conjunctos diviserit? Si quid hujusmodi fateantur, detegendum erit num eâ occasione debitum conjugale sine justa causa denegaverint? Denique circa usum Matrimonii generatim quæretur, an aliquid fecerint vel in se fieri permiserint undè gravetur conscientia? Multi enim, eò quòd sint conjuges, omnia sibi in præsenti negotio licere arbitrantur. Multæ verò mulieres id quod suæ honestati repugnat, maritis invito animo concedunt, nec suam audent anxietatem conscientiæ moderatori explicare. Timorem hujusmodi periculosum tandem aliquandò excutiant; nec malo pudore coërceantur quominùs edoceri se postulent circa obsequii sui limites, uno verbo circa illud omne quod suæ conscientiæ gravamen afferat legitimum. Illo enim pudore, si non vincatur, scelera sceleribus, sacrilegia sacrilegiis, ut plurimùm, cumulantur. Opportunè igitur admonente sapienti & verecundo Confessatio, id intelligant non licere quod sola suggerat libido; multòque criminosiùs illud attentari, quod sit contra naturam, vel quod Matrimonii finem impedire possit.

Studeat verò Sacerdos in his explorandis sobrium ac decentem prudentiæ modum tenere. Si enim fœda hujusmodi peccata impensiùs exquirat, timendum erit ne suo & Pœnitentium pudori aliquod ponat offendiculum: si, è contrario, vocem præcludat nimiùm timidus pudor, periculum erit ne virus in intimo cordis recessu æternùm delitescat. Multùm ergò « necesse est ut Confessor habeat artem hanc obstetricandi spiritualem, ad educendum colubrum tortuosum ex anima Pœnitentis (*s*). » Oblatâ occasione, & præcognitâ indole, tantùm interroget ac doceat Pœnitentiæ Minister, quantùm necesse videbitur ut statum Pœnitentis ipse intelligat; ut Pœnitens licitum ab illicito facilè discernat; ut demùm posteà connubium honestiùs sanctiùsque tractetur (*t*). Perspicuè loquatur, attamen castè & honestè; nunquam autem curiosè. Eum aliquid in hac materia ignorare satius est, quàm committere ut, si *tetigerit picem* incautus, *inquinetur ab ea* (*u*); dum-

(*p*) *Esther* 15. 8. *Job* 31. 33.
(*q*) *Rom.* 1. 26.
(*r*) *Ibid. v.* 24.
(*s*) *Gerson*, *tom.* 2. *pag.* 448.
(*t*) *Eccli.* 13. 1.
(*u*) *Eccli.* 12. 1. *Vide infrà*, de Sacram. Matrim. *Div. II*, *cap.* 1. *circa med.*

que aliorum fœditates abstergere satagit, ipse aliquam in se reportet fœditatem, si (quod longè absit) altiùs impressæ vitiorum imagines Sacerdotalis animæ candorem afficiant ac serenitatem obnubilent. Quod malum ne cui Sacerdoti eveniat, utque teterrimam illam immunditiæ labem scrutari possit inoffensus, omnis puritatis auctorem vividâ mentis elevatione identidem invocet. Sic nempè, quemadmodùm radii solares in cœnum immersi nullam contrahunt maculam, ita mens Confessarii alienæ iniquitatis contagione illæsa atque incorrupta permanebit.

Ipse verò meminerit, se, nisi adhibitâ singulari industriâ, juvenum imprimìs ac mulierum occulta peccata detegere non posse. Confessarium, seu molestum inquisitorem, formidare solet juventus. Prætereà sexus quem maximè decet pudor, & quem maximè pudet eum violasse, pravi timoris fræno cohibetur, ne se vulneratum ostendat, si quandò evenerit ut incautam animam *serpens momorderit in silentio* (*x*). Tunc certè sagaci & prudenti exploratore opus est, qui *profundos corde* introspiciat (*y*), & latentia vulnera, quibus medeatur, admotâ luce, detegat. Felix utique, si patientiâ, solertiâ, sapientibusque interrogationibus, ex alto malæ verecundiæ puteo veritatem aliquandò extrahat, quam omninò celare constituunt tam multi cujuslibet sexûs, ætatis & conditionis Pœnitentes!

Cùm, inceptâ Confessione, Pœnitentis animum tam vehementer occupant amaritudo & pudor, ut ei vocem præcludere, vel potiùs linguam subitò constringere videantur (quod sæpè fit, quandò scelera & gravitate & numero infanda sunt); cavendum Sacerdoti est ne per ullum sive stuporis sive horroris indicium, verbo aut suspirio editum, augendo timori locum præbeat. Ipse potiùs, sermone ad mansuetudinem & miserationem composito, animam *sicut angustiâ parturientis* laborantem adjuvet (*z*), omnibusque charitatis illecebris liberrimam atque integerrimam Confessionem eliciat. Modò *usque ad cœlos* immensam *Dei misericordiam magnificet* (*a*); modò tetriorem, quam sibi fingit tremefactus animus, criminum suorum imaginem discutiat, ea partim in mali dæmonis astutias, partim in libidinum vehementiam, in fragilitatem, in ignorantiam refundens; quoadusque peccator conscientiam penitùs exoneraverit, flagitiorumque virus absolutissimâ Confessione totum evomuerit. Multùm etiam proderit ut longè omnium gravissimum hoc scelus fore intelligat, si Confessionem emittens, non modò imperfectam atque irritam, sed ita noxiam ut è Sacramento sacrilegium fiat, divinitùs constituto sceleris remedio in suam perniciem abutatur.

Quinimò plurimùm juvabit aliquotiès, si malè verecundo Pœnitenti affirmet Sacerdos plures in cœlo summâ felicitate perfrui, qui olim

(*x*) *Eccl.* 10. 11.
(*y*) *Is.* 29. 15.
(*z*) *Is.* 21. 3.
(*a*) *Ps.* 56.

graviter peccaverunt, & sincerè confessi, justificati sunt. Quòd si adhùc non exeat *dæmonium mutum* (*b*), blandâ & suavi allocutione captet fiduciam: sibi haud ignotam naturæ corruptionem; humanum esse peccare, divinum confitenti parcere: eum qui peccata confitetur, non homini, sed Deo cor suum aperire; nihil denique majori unquàm ei futurum solatio, quàm si ejus in gremio, qui Patris misericordiarum legatus est ac Minister, delictorum onus fidenti animo deponat. Cùm demùm *soluto* præpeditæ *linguæ vinculo* (*c*), accusationem ab eo numeris omnibus absolutam elicuerit, totamque vulnerum saniem altâ egestione expresserit; tum ei scelerum multitudinem, fœditatem atque atrocitatem objiciat, quantùm necesse videbitur ut ad veram Contritionem justæque pœnitentiæ acceptionem possit feliciter adduci.

QUANDOQUIDEM Confessio, ut legitima censeatur, integra esse debet; qui lethale peccatum aut circumstantiam multùm aggravantem, timore, pudore, malitiâ celavit, vel supinâ incuriâ, seu examinis defectu omisit, hic ejusmodi Confessionem ac deinceps eadem malâ fide emissas iterare tenetur, nisi eumdem Confessarium adeat; tunc enim sufficit culpæ celatæ vel omissæ, & sacrilegii vel sacrilegiorum declaratio, cum generali vel summarim perstrictâ eorum omnium accusatione; quæ, tum in Confessione non integrâ, tum in Confessionibus intermediis singulatim expressa fuerint, & quorum sufficiens memoria Sacerdotis animo non exciderit. Secùs autem, si novus sit conscientiæ moderator, vel si apud alium Sacerdotem emissa fuerit intermedia Confessio; quæ quidem iteranda erit. Secùs pariter, si statum Pœnitentis non ita reminiscatur Confessarius, ut sine Confessionis iteratæ subsidio, judicare non possit an ligari, an solvi eum oporteat. Aliis prætereà modis irrita esse potest Confessio; de quibus inferiùs dicetur (*d*).

Sua autem Confessioni deesse non censetur integritas, neque illius necessaria est iteratio, si quis per inculpabilem oblivionem, vel per levem incuriam, aliquod peccatum, etiam lethale, silentio prætermiserit (*e*). Tunc requiritur & sufficit ut peccatum omissum, cæteris generatim declaratis, in sequenti Confessione exprimat (*f*). Quod enim aut nullâ aut levi culpâ omisit, hoc sibi cum cæteris confessis in bona fide sua dimissum confidere meritò potest.

Porrò, licèt Pœnitens ad confitenda venialia aut venialium circumstantias minimè teneatur, si quis tamen, alterutra celans, ex errore sibi fingeret se non venialiter, sed lethaliter peccare, aut sacrilegium committere, vel si etiam de hoc dubitaret; eo ipso, vel peccati letha-lis,

(*b*) *Luc.* 11. 14. (*c*) *Marc.* 7. 33.
(*d*) *Div. VI. cap.* 6.
(*e*) *Conc. Trid. Sess.* 14. *cap.* 5. de Confess.
(*f*) *S. Thom.* in suppl. *l.* 9. *a.* 2. *Alex. VII*, *an.* 1665. *Comit. Cleri Gallic. an.* 1700.

lis, vel sacrilegii reus, id certè exprimere & Confessionem iterare deberet, nisi fortè anxietatem illam peperissent scrupuli, adeò ut vera dubitatio censeri non posset. Qui autem non scrupulosi dubitant utrùm aliquid lethale commiserint, vel utrùm culpa quam admiserunt, lethalis sit aut venialis, id quidem, sub sacrilegii reatu, confiteri tenentur, atque insupèr suam dubitationem Confessario exponere, qui, perpensis circumstantiis, in æquitate judicet.

Cum Pœnitens aliquâ in culpâ se esse diffitetur, quam tamen ab eo commissam aliundè accepit Confessarius; si rumor incertus sit, Pœnitensque nullâ de causâ suspectus videatur, debet Sacerdos Pœnitenti credere, eumque aliàs dispositum absolvere. Si autem ei non immeritò diffidat, sic se gerat, ut Pœnitens hanc diffidentiam ne suspicari quidem possit; sed probabili, si qua sit, adductâ causâ, Absolutionem suspendat, donec rei veritatem perspectam habere potuerit; nisi fortè Pœnitentem urgeat Confessionis terminandæ necessitas: quo quidem in casu, si, celato peccato, sacrilegus esse non perhorrescat, sua illi imputanda erit perditio (g). Officio functus erit Sacerdos; tunc enim Pœnitens, in foro conscientiæ, reus, accusator & testis unus fuit pro se & contra se audiendus. Et quidem fieri potest ut falsum Confessario narratum fuerit, aut certè Pœnitens ab alio Presbytero delicti Absolutionem obtinuerit.

Si autem Confessario indubitata constet celatæ rei notitia, non quia factum ex rumoribus audierit, sed quia, dum ageretur, ipse viderit, aut pluribus & omni exceptione majoribus testimoniis exploratissimè (non tamen Confessionis viâ) resciverit, prætereàque pro certo habeat Pœnitentem nemini fuisse ab illo tempore confessum; tunc poterit apertis interrogationibus eum urgere. Si verò neget pertinaciter, minimè absolvatur, tanquam manifestè indignus. Dei judicium exercens Confessarius, tunc secundùm veritatem sibi evidenter cognitam, non secundùm falsò allegata, reclamante conscientiâ, judicet.

Quòd si delictum à Pœnitente celatum ex aliena duntaxat Confessione Sacerdoti innotuerit, hunc de illo tantâ cautione & dexteritate interroget, ut ne levissimam quidem afferat peccati alienâ Confessione detecti suspicionem. Ad rem non statim deveniat; sed inter alias, quasi obiter, de ipsa inquirat, perindè ac si alterum quemvis exploraret. Si interrogatus negaverit, & aliqua subsit maturandæ Absolutionis causa, eum, alio quolibet cessante impedimento, absolvat. Si autem nulla urgeat necessitas, hominem, arrepto dilationis prætextu legitimo, leniter dimittat, cùm priùs ipsum (modò tamen sinat prudentia) ad diligentiorem suî recognitionem hortatus fuerit. Interim ipse Deum roget ut labia ejus aperiat, eique integrè confitendi gratiam largiatur. Ubi ad sacrum Tribunal redierit, illum, eadem adhibitâ circumspectione,

(g) *Oseæ*, 13. 9.

rursùs interrogabit; qui si negare perseveret, neque aliud quidquam impediat, fieri non poterit quin absolvatur. Nec verò poterit Sacerdos sacrilegam in celando peccato contumaciam huic objicere, ut habeat undè hunc Absolutione indignum pronuntiet; sic enim Sacramenti sigillum obliquè violaret. In hujusmodi casu, quemadmodùm in plurimis, solus in propria causa audiendus est Pœnitens; cùm præsertim fieri possit ut ei falsum crimen alterius Confessione illatum fuerit, vel certè ab alio Sacerdote Absolutionem impetraverit. Ipse quidem, si non sincerè confiteatur, profanati Sacramenti reus est; Confessarius autem, secundùm allegata judicans, *animam suam liberavit*.

Quòd si Sacerdos, præter Confessionis viam, aliâ insupèr viâ vel proprio contuitu delictum resciverit quod à Pœnitente celatur; eâ cognitione (ut superiùs dictum est) circa obturatam ejusmodi conscientiam uti poterit, dummodò cognitionis per alienam Confessionem acquisitæ vel levissima suspicio removeatur. Illa igitur peccati manifestatio exterior, cùm præsertim nullum relinquit dubio locum, falso Pœnitenti reveletur, si nihil aliundè occurrat incommodi: ac tandem, si convictus non fateatur, si pariter constet eum nullâ intermediâ Confessione purgatum, dimittatur inabsolutus & *in misericordia correptus* (*h*).

HACTENUS de Confessione Pœnitentium in quibus integra viget loquendi atque audiendi facultas. Nunc de mutorum & surdorum Confessione quædam sunt breviter exponenda.

Si quis mutus velit confiteri, & scribendi sit peritus, scripto confiteatur; lectamque Confessionem ei reddat Sacerdos. Si autem scribere nesciat, absolvi tamen poterit, etiam extra casum necessitatis, dummodò suam conscientiam, animi dolorem & peccatorum detestationem per nutus & signa Confessario manifestet. Confessionem videlicet tam integram quàm pro sui status difficultate potest, censetur emittere; quod quidem sufficit ut Absolutionis sacramentalis beneficium ei legitimè concedatur. Sed quoniam hujusmodi hominum dispositiones vix unquam satis manifestæ eminent, suggerit debita Sacramento reverentia ut non facilè absolvantur, nisi quandò urget præceptum, aut illud exigere videtur aliqua circumstantia prudenti Confessario dijudicanda.

Quod spectat surdos, vel tam graviter audientes, ut ad ipsos in Confessione alloquendos multâ opus sit vocis contentione: ii quidem, cùm nemo adest in Ecclesia, confitentes audiantur; & si animo contritos se exhibeant, atque impositam sibi Pœnitentiam intelligant, absolvantur. Cùm ejusmodi Pœnitens occurrit adeò rudis & indoctus, ut disquisitione ulteriore certisque documentis indigeat; à Confessario eligatur aliud tempus, quo paulisper eum sono vocis elatiore discutiat atque erudiat. Si multo

(*h*) *Ps.* 140.

labore vix audiatur; utcumque confessum, ac divinæ misericordiæ commendatum absolvat.

Sunt autem aliquandò vel ab ortu surdi & muti plurimo ingenii acumine pollentes, & qui res intellectu difficillimas per signa plerumque attingunt. Quinimò sunt qui malitiam & corruptæ mentis incredibilem ostendunt pravitatem. Diligenter investiget Sacerdos num hujusmodi Pœnitentes de Religione satis edocti sint, & de commissis peccatis satis contriti, ut censeantur Absolutionis capaces. Porrò circa mutos & surdos, extra mortis periculum, consulatur Pontifex Diœcesanus.

CAPUT II.

QUANTA sit Confessario necessaria prudentia, ut convenientem cuique morbo spirituali medelam attemperet, ac Pœnitentes, pro cujusque ingenio, rectè salubriterque dirigat.

NON sufficit morborum spiritualium cognitio: necessaria est insupèr varia medendi ratio, pro delictorum personarumque varietate. Introspicienda cujusque Pœnitentis indoles. Quomodò tractandi impudentes, pusillanimes & dejecti, instabiles, &c. Alii terrendi, alii consolandi. Varii morbi spirituales Confessario curandi. Generalia ipsorum remedia.

MAXIME quidem refert ad suscipiendam ægrotantis curationem, ut priùs certò dignoscatur quid sit illud quod morbum constituat; & hæc procul dubio artis medicæ pars inter cæteras non minimæ necessitatis est. Quomodò enim curari possit is morbus cujus natura ignoretur? Et quàm periculosa esset ea medela, quæ, malè præjudicato morbi statu, adhiberetur! Verumtamen in cognitione morbi si quis hæreat, nullum ægro levamen accedet. Rectè ergò in arte medica instar axiomatis ponitur: *Non interest quid faciat morbum, sed quid tollat* (1). Quantò autem graviores ac difficiliores morbi sunt animi quam corporis, tantò peritiores atque solertiores medicos requirunt.

(1) Cels.

ITAQUE medico animarum non modò scitè exploranda & accuratè dignoscenda sunt humani cordis vulnera, sed etiam eorum varietati sapientissimè attemperanda est medendi ratio. Neque enim omnis morbus uno eodemque modo curatur: & quemadmodùm, in medicina corporum, alia aliis ægrotationibus solent adhiberi remedia, sic in morbis spiritualibus diversâ

& singulis congruâ curatione opus est ad reducendam sanitatem. Scilicet alia superbo, alia iracundo, alia invido, alia impudico, alia vinolento, alia maledico, alia demùm alio animi morbo affectis admovenda est medela. Quot sunt malorum species, tot se veluti formis multiplicem exhibeat ars medendi. Alius aliter admonendus, exhortandus, corripiendus, pœnitentiâ afficiendus: aliter juvenis, aliter senex; aliter puella, aliter nupta; aliter artifex, aliter agricola; aliter forensis, aliter mercator: aliter *optimates, capita populorum* (*a*), ii nempè quorum virtutes aut vitia tantam in mores publicos vim & efficientiam habent, & quorum conscientia non raró cæca & præjudicatis natalium opinionibus laborans, tantam requirit in ea perscrutanda moderandaque solertiam; aliter plebeiorum inopumque multitudo, quorum obscuritate magnæ virtutes magnaque vitia teguntur, & qui, pro varietate conditionum & personarum, variè dirigendi sunt, ut, sive à pristinis vitiis curentur, sive in virtutis assuetudine roborentur, tantòque utiliores cives, quantò perfectiores Christiani efficiantur.

Jam verò ut medico natura & temperatio cujusque corporis apprimè cognoscenda est, ut ei modum curandi accommodet, alioquin, imperitè inopportunèque subministratis remediis, mortem ægro acceleraret potiùs quàm sanitatem restitueret; sic & Confessario dignoscenda est cujusque Pœnitentis indoles animique habitudo. In quâ quidem investigatione plurimùm juvabitur, si diligenter advertat quænam in Pœnitente frequentiores sint causæ peccati: an quis legem violaverit ex inscitia, an fragilitate an corruptæ mentis nequitiâ; repentinæ tentationis impulsu, an præmeditato facinore; abripiente improborum societate, & vincente exemplorum perversitate, an ultrò & præcipiti facilitate animi diligentis iniquitatem: an invidiâ, an vindictâ proximo nocuerit; an levitate, an malignitate maledicentiam exercuerit.

Hæc & similia, pro ingeniorum varietate, si opportunè detexerit Confessarius, poterit quidem, eâ cognitione fretus, consilia, monita, hortamenta, reprehensiones, satisfactiones saluberrimum in modum instituere; « omniumque animos » noscens, tanquam singulorum » mentes suâ mente gestet, prout » cujusque naturam & mores perspexerit, hunc severus, illum » blandus aggredietur (*b*). » Deficiente verò prudentiâ, cujus profundissimo contuitu, Pœnitentis ingenium, verumque statum exploret atque introspiciat, ipsumque, pro variis animi morbis, rerumque adjunctis, cautissimè dirigat; vergent necessariò cuncta in detrimentum: consilia præpostera, remedia inutilia, imò noxia; Pœnitentiæ leviores, aut graviores; Absolutiones cœco impetu concessæ, vel denegatæ; licentia peccandi fota, non repressa; animis timoratis injecti scrupuli, induratis peccatoribus malè suggesta

(*a*) *Amos*, 6. 1. (*b*) *S. Hilar. Arel.* in ob. S. Honor.

fiducia; pro consolatione incussus terror, pro terrore impertita consolatio; pro mansuetudine sæviens duritia, pro rigore blandiens mollities.

Sit igitur in Pœnitentiæ Ministro indagatrix atque consultrix opportunitatum omnium sapientia. Studeat imprimis verum falsumque Pœnitentem internoscere. Fictæ Pœnitentiæ larvam iis detrahat, qui, introrsùm turpes, speciosam sibi virtutis pellem induere contendunt. In aure impii peccatorisque obstinati detonet sonitus terroris: sinceri Pœnitentis aurem demulceat susurrus blandissimæ consolationis. Quòd si verò permagni refert ut nimia retundatur confidentia, non minoris momenti est ut animi dejectio expellatur. Timidum erigat Sacerdos, *ne* à Confessione *avertatur, factus* malè *confusus* (*c*). Ad protervos loquatur verba Dei fortiter; sed in multa lenitate *suscipiat infirmos, consoletur pusillanimes, patiens denique sit ad omnes* (*d*).

Si quis, elatâ fronte, non autem eâ modestiâ quæ reum suî accusatorem decet, ad sacrum Tribunal accedere videatur; in fortitudine simul & mansuetudine Spiritûs Domini exponendum illi erit, quantoperè dedeceat superbia in humilitatis actu profundissimo: ipsum non hominis pedibus advolutum, sed Jesu Christi, supremi vivorum & mortuorum Judicis: ipsum, tanquam læsæ Majestatis divinæ reum & sempiternâ damnatione dignum, instar supplicis esse debere: hìc agi rem infiniti momenti, æternam scilicet animæ salutem: ipsum quidem *nescire quâ horâ Dominus venturus sit*, à mortali ævo in æternitatem vocans (*e*); cùm autem venerit, tunc certè nullam ab ipso reddendam esse rationem magis tremendam, quàm de Confessionibus arroganter, negligenter, inaniter emissis..

Quibus, è contrario, pusillanimis dejectaque conscientia est, si præsertim corporis constitutione melancholicâ laborent, ii quidem plenâ miserationis & mansuetudinis curâ tractandi sunt. Cùm ejusmodi Pœnitens aliquid solito gravius commisit, cavendum est ne *calamus* jam *quassatus confringatur* (*f*), id est, ne animus, jam nimiùm dejectus, fiat ultra modum inquies. Quòd si videatur ob delictorum gravitatem, aut etiam ob quotidianos levesque lapsus, immodicâ tristitiâ premi, atque in desperationem vergere; investigandum primò erit, num fortè peccatum aliquod hactenùs minimè declaratum, vel non satis evolutum, in penetralibus animi, quasi serpentem in sinu, abscondat, undè miserrimum in modum torqueatur ejus conscientia. Quæ quidem suspicio vel solâ responsionis difficultate aut etiam ambiguitate confirmabitur: & tunc multâ dulcedine sermonis eò adducendus erit malè verecundus Pœnitens, ut tandem integrè & libertimè confiteatur, sicque amissam pacem & Spiritûs sancti consolationem recupe-

(*c*) *Ps.* 73.
(*d*) 1. *Thess.* 5. 14.
(*e*) *Matth.* 24. 42. 44.
(*f*) *Is.* 42. 3. *Matth.* 12. 20.

ret. Tum verò, ut penitùs abigatur *desperatio animæ infelicis* (*g*), exponenda illi erit certissima fidei Catholicæ veritas de Sacramenti Pœnitentiæ virtute; quæ nimirùm tanta est, ut, si quis omnia solus omnium hominum peccata commisisset, perfectam nihilominùs eorum remissionem esset consecuturus per Absolutionem Sacerdotis, modò ea simpliciter & quàm posset integerrimè, cum dolore & firmo emendationis proposito confiteretur. Tum illi ad vivum exhibeantur exempla publicani (*h*) mulieris peccatricis (*i*), Zachæi (*k*), latronis (*l*), & cæterorum; qui scilicet cùm multa atque infanda peccassent, plenam à Deo misericordiam verè & ex animo pœnitentes obtinuerunt.

Si verò ejusmodi sint peccata, quæ hominem arguant solummodò instabilem, infirmum, melancholicum & inquietum; docendus erit plus æquo dejectus Pœnitens, inordinatum illum propter quotidianos lapsus dolorem, pusillanimemque perturbationem, sæpiùs ex pravo sui amore & occultâ superbiâ enasci, quâ se quisquam eò virtutis jam provectum sibi tacitè fingit, ut perfectione suâ indignum putet quòd tam sæpè delinquat, & tam frequentibus indigeat remediis. Itaque ad curandum hoc morbi genus plurimùm valebit humilitas, quâ Pœnitens ipse sibi adeò fragilis & infirmus, adeò pauper vilisque videatur, ut non tam miretur quòd sæpiùs cadat, quàm quòd Deus adjutricem sibi manum porrigère dignetur, ne ad pejora deveniat; undè locum sumat non animi despondendi, sed potiùs humiliter ad Deum confugiendi, *sine quo nihil potest facere* (*m*); & quem, si naturæ mobilitate peccaverit, inventurus est sibi verè pœnitenti suavissimâ misericordiâ placabilem.

Hæc illa est *discretio spirituum* (*n*), quæ quidem singularis effectus prudentiæ esse meritò censetur, vel potiùs donum Dei præstantissimum; quod proindè Sacerdos à *patre luminum* enixè debet flagitare (*o*). Sic poterit multiformi curatione *omnibus omnia fieri, ut omnes faciat salvos* (*p*). *Sic diversarum cupiditatum immodicis æstuantes illecebris* (*q*) & *variis criminum febribus* laborantes (*r*) feliciter ad sanitatem reducet. » Febris enim nostra » avaritia est, febris nostra libi» do est, febris nostra ambitio » est, febris nostra iracundia est » (*s*). » Hi & similes morbi sunt animi, cupiditates videlicet eum inflammantes atque exagitantes; quibus qui exeduntur, perpetuâ ægritudine & molestiâ tabescunt; dumque Deo fiunt inimici, sibimetipsis intolerabiles pariter efficiuntur: undè secum ipsi discor-

(*g*) *Eccli.* 27. 24.
(*h*) *Luc.* 18. 10.
(*i*) *Luc.* 7. 37.
(*k*) *Luc.* 19.
(*l*) *Luc.* 23.
(*m*) *Joan.* 15. 5.
(*n*) 1. *Cor.* 12. 10.
(*o*) *Jac.* 1. 17.
(*p*) 1. *Cor.* 9. 22.
(*q*) *S. Ambr.* in Luc. *l.* 4.
(*r*) *Ibid.*
(*s*) *Ibid. n.* 63.

dantes, nihil quietis, nihil puræ solidæque jucunditatis gustare possunt. Adversùs totam febrium spiritualium cohortem exerceri utique debet non remissus Confessarii labor, studiumque & solertia; huicque efficiendum ut homo secum ipse & cum Deo reconciliatus, videat & sentiat quàm bonum sit & quàm jucundum, compresso cupiditatum tumultu, & excussâ vitiorum tyrannide, factori & Redemptori suo in perfecta animi justitiam operantis tranquillitate servire.

Porrò generalia morborum spiritualium, seu delictorum vitiorumque remedia sunt, 1°. Oratio & meditatio; ea præsertim quæ circa Domini Passionem & Mortem, vel circa hominis *novissima* (t), seu quatuor fines ultimos versatur: 2°. Jejunium, cæteræque corporis afflictationes prudenter injunctæ: 3°. Tum corporalia, tum spiritualia misericordiæ opera: 4°. Frequens ac legitimus Sacramentorum usus: 5°. demùm, Sollicita occasionum fuga; & recessus, sive perpetuus, sive temporarius, à tumultuosis vitæ sollicitudinibus, vanisque sensuum oblectamentis & seculi voluptatibus.

Specialia verò remedia adversùs singulas vitiorum species, pleraque ex inferiùs dicendis passim depromi poterunt.

(t) *Eccli.* 7. 40.

CAPUT III.

De prudentia Confessarii in servando firmitudinis & mansuetudinis justo temperamento.

Quædam prænotanda. In Pœnitentiæ ministerio vitanda nimia facilitas & nimia severitas. Firmi & mansueti animi exempla. Invocanda cœlestis sapientia.

Ut prudentia ex parte Confessarii finem suum assequatur, nimiam neque severitatem, neque facilitatem adhiberi oportet, justumque teneri necesse est firmitudinis ac mansuetudinis temperamentum. Hæc prudentiæ laus maxima, hic usus præcipuus; hæc ipsius veluti forma quædam atque ultima perfectio est: in eo quasi cardine tota propemodùm vertitur Pœnitentialis ministerii ratio, fructusque ex illo sperandus.

Itaque Confessarium erga se experiatur Pœnitens, & quo modo si parer, etsi tenerrimus, tamen auctoritate suâ in filium utatur, & *quo modo*

si cui mater blandiatur (*a*). Sic in Pœnitentiæ Ministro fiet quod in Pastorum Principe absolutissimè contigit: sese invicem *osculabuntur justitia & pax* (*b*), id est, *justè consulens misericordia, & piè sæviens disciplina* (*c*). Cujus temperamenti nullâ habitâ ratione, in diversos errores olim impegit mortalium cæcitas. Alii, ceu Novatiani, misericordiæ obliti, & solius justitiæ memores, Pœnitentibus vel sanctissimè dispositis reconciliationem denegârunt; sicque, pro Religionis temperatâ severitate, tetricam fanatici furoris austeritatem jactârunt. Alii, ceu Presbyteri illi contra sanctum Cyprianum tumidè protervi, Dei justitiam parvipendentes, solamque ipsius resonantes misericordiam, violatâ Pœnitentiæ disciplinâ, immaturam pacem & communionem perditissimo cuique ad nutum profuderunt (*d*). Ecclesia, inter abrupta & scopulosa erroris ancipitis, rectam atque illæsam custodiens disciplinam, neque justitiâ misericordiam obsolescere, neque misericordiâ justitiam obliterari unquam passa est: nullum verè pœnitentem abjicit, nullum impœnitentem admittit.

Ad hanc normam se componant nostræ Diœcesis Confessarii. Non sint ex iis qui per ignaviam, per imprudentiam & officiorum incuriam, animas semper in eodem statu relinquunt, inutilem, vel potiùs damnosam Absolutionem cuilibet confitenti festinanter concedentes. Hi sunt, ut Scripturæ veracissimâ locutione utamur, hi sunt *Prophetæ insipientes, ac decipientes populum, ut interficiant animas quæ non moriuntur, & vivificent animas quæ non vivunt* (*e*). Longè à Confessario absit profana facilitas, quæ nervos justæ severitatis remittens (*f*), morum custodem disciplinam evertit, & peccandi licentiam eo ipso fovet, quo reprimi hæc debuisset. Ea ligare non timeat, quæ, pro fide sui ministerii, solvere non potest. Quòd si adversùs eum insurgat peccator, plus æquo severum acerbè conquerens; non tamen ab officii ac disciplinæ lege dimoveri se patiatur. « Quandò (enim) medicus languentium aut quærit aut respicit voluntates, cùm semper contraria desideret & requirat infirmus? Hinc est quòd nunc ferrum, nunc ignem, nunc amara pocula ingerit & apponit invitis; ut curam sani sentiant, quam non poterant sentire ægrotantes (*g*). »

Sic nempè spiritualis medicus « morbis saucios peccatorum & phrenesi criminum laborantes, ad salutem etiam invitos attrahit & nolentes (*h*). » Sedens in verendo Tribunali Sacerdos, judex est & Dei legatus, legem ponens omni humanæ creaturæ, non homo homini cuiquam subjectus (*i*). Nec verò

(*a*) *Is.* 66. 13.
(*b*) *Ps.* 84.
(*c*) *S. Greg. l.* 1. *Ep.* 24. *Vide ejusd.* Pastor. *part.* 2. *c.* 6.
(*d*) *S. Cypr.* de lapsis, *& in Epist.*
(*e*) *Ezech.* 13. 3. 10. 19.
(*f*) *Ep. Cleri Rom. ap. S. Cypr.* 30. (*al.* 36.)
(*g*) *S. Petr. Chrysol. serm.* 50. de paralyt. (*h*) *Id. ibid.*
(*i*) *S. Cypr. Ep.* 55. (*al.* 59.) §. 2. 3. 7.

Sacerdotii

Sacerdotii vigorem caro & sanguis unquam labefactet. Implacatus Aaroni fratri Moyses, Mariam sororem loco sancto prohibuit, donec ipsa culpam expiasset, atque à lepræ maculis fuisset omninò mundata (*k*). Novæ Legis Sacerdos aditum novi Sanctuarii, multò quidem sanctioris, præcludat eadem firmitate animabus nondùm pœnitentibus & probatione indigentibus; etiamsi res agatur cum notis, cum familiaribus, cum potentibus, à quibus vel quoquomodò pendeat, vel quidquam speret. Sese meminerit non proprium exercere judicium, sed Dei viventis, *qui sine acceptione personarum judicat, secundùm uniuscujusque opus* (*l*); apud quem *totius creaturæ dominum* (*m*) dives & pauper, herus & famulus, summus & infimus unum sunt, *pulvis & cinis* (*n*); *vasa iræ* (*o*), si peccaverint; *vasa misericordiæ* (*p*), si pœnitentiam egerint: cujus denique judicium si pravi cujusquam affectûs vitio pervertat, ultor futurus est supremus ipse *Legislator & Judex* (*q*). Itaque *pusillum & magnum similiter* liget aut solvat (*r*); sicque in omnes constanter & æqualiter se gerat, ut, nullius metu aut gratiâ, ad infringendas officii sui leges adducatur. Invictam illam intueatur Sacerdotalis animi magnitudinem, quâ sanctus Ambrosius, Imperii majestatem ac diadematis fulgorem nihil veritus, Theodosium injustæ cædis auctorem Ecclesiæ ingressu publicè prohibuit, Deique misericordiam in Davidem adulterum & homicidam objicienti respondit: *Qui secutus es errantem, sequere pœnitentem* (*s*). Quo tam illustri exemplo discat omnis Confessarius, ne unquam, per indebitum obsequium, per ullum respectum à ministerii sui dignitate degenerem, ea solvat quæ liganda essent. Sit *in columnam ferream & in murum æreum principibus, & populo terræ* (*t*). » Regibus Joannem exhibeat, Ægyptiis » Moysen, fornicantibus Phinees, » Eliam idololatris, Eliseum avaris, Petrum mentientibus, Paulum blasphemantibus, negotiantibus Christum. Divites non palpet, sed terreat: minas principum non paveat, sed contemnat (*u*). »

Procul etiam à Confessario nimia severitas, quâ exasperatus Pœnitens à Sacramentis posset arceri, atque in profundum peccatorum demergi (*x*). Induat Sacerdos viscera JESU CHRISTI, cujus non solam potestatem, sed & misericordiam exercet (*y*). In mente pariter habeat ex æquo lenem magnanimumque illum Ambrosium, qui, » quotiescumque

(*k*) *Num.* 12.
(*l*) 1. *Petr.* 1. 17.
(*m*) *Judith* 9. 17.
(*n*) *Gen.* 18. 27.
(*o*) *Rom.* 9. 22.
(*p*) *Ibid. v.* 23.
(*q*) *Jac.* 4. 12.
(*r*) *Eccli.* 5. 18.

(*s*) *Paulin.* vit. S. Ambr.
(*t*) *Jerem.* 1. 18.
(*u*) *S. Bern.* de Confid. *l.* 4. *c.* 4.
(*x*) *S. Greg. l.* 6. in lib. 1. Reg. *c.* 2. & *in c.* 15. *n.* 36. *Vide n.* 27. 28. 30. 31.
(*y*) *Const. Ap. l.* 2. *c.* 13. *Synod. Trec. an.* 1459.

» illi aliquis, ob percipiendam pœ» nitentiam, lapsus suos confessus » esset, ita flebat, ut & illum flere » compelleret (z). » Ante oculos simul habendus est, Metropolis Remensis decus & ornamentum, sanctus Remigius, magnâ in Pœnitentes clementiâ insignis: *Nec enim*, inquiebat, *nos posuit Dominus ad iracundiam, sed ad hominum curam* (a). Nihil ergò disciplinæ severitati detrahatur; sed eam suavissimè temperet Sacerdotis charitas, patientia, vehementissimum præsertim studium quo Pœnitentis cujusque debet salutem prosequi (b). Sic S. Franciscus Salesius peccatores mirâ dulcedine alliciebat; non eâ tamen quæ remissiori disciplinæ faveret, sed quæ humanam miseratetur infirmitatem, & simul justitiæ divinæ jura illæsa servaret. Postquàm scilicet omnibus mansuetudinis bonitatisque invitamentis *converti* fecerat *peccatorem ab errore viæ suæ* (c), hunc tandem, quò certiùs *salvaret animam ejus à morte, & operiret multitudinem peccatorum* (d), sæpiùs in arctissimas austeræ Pœnitentiæ semitas inducebat.

QUANTÆ verò necessitatis, tantæ difficultatis est nimiam inter severitatem mollioremque facilitatem inoffenso pede incedere. Ut justum temperamentum indeflexus observet Pœnitentiæ Minister, utque illam obtineat sapientiam quâ tutissimè in curandis ac moderandis animabus dirigatur, in hæc verba Spiritu sancto afflata cor suum ante conspectum Domini sæpiùs effundat: *Deus misericordiæ; tu elegisti me judicem filiorum tuorum & filiarum: mitte sapientiam tuam de cœlis sanctis tuis & à sede magnitudinis tuæ, ut mecum sit & mecum laboret; & disponam populum tuum justè* (e). Quis enim, sibi relictus, animarum statum ritè exploratum habeat? Quis, deficiente superni luminis radio, abyssum cordis humani scrutetur, ut, quòd in eo delitescit, & quod ipsummet sæpiùs fugit, introspiciat? ut, quæ sibi vitia dissimulat Pœnitens, ea solers Minister, apertâ luce, palàm objiciat? ut, quas ille sibi virtutes affingit, hic, detractâ larvâ, falsitatis convincat? Quis divino numine non directus & adjutus, duplicem Judicis & Medici personam quæ in sacro Tribunali sustinenda est, rectè dignèque sustineat; ut in absolvendo neque mollior, sit neque difficilior; ut aptam cuique spiritualiter ægrotanti medelam attemperet; ut æquâ lance, pro modo criminum, Pœnitentiæ modum constituat? Quis, sine ea, *quæ desursùm est, sapientiâ* (f), satis caveat ne illudant *doctrinæ variæ & peregrinæ*, morum corruptelis

(z) *Paulin.* vit. S. Ambr. *n.* 39.
(a) *Vita S. Remig.*
(b) *Vide Orig. Hom.* 2. in Ps. 37. *S. Cypr. Ep.* 52. (*al.* 55.) §. 13. 16. 17. *Can. Ap.* 51. *S. Hier. Ep.* 46. *c.* 1. (*al.* 90.) *S. Greg. Hom.* 33. in Ev. & Pastor. *part.* 2. *c.* 6.
(c) *Jac.* 5. 20.
(d) *Ibid.*
(e) *Sap.* 9.
(f) *Jac.* 3. 17.

inductæ (*g*)? ne abducat malè communis opinionis torrens? ne per interpretationum mollitiem Evangelii nervus infirmetur? neve ad ostium divinæ misericordiæ pulsantes immodicus rigor specie pietatis aut justitiæ repellat?

(*g*) *Hebr.* 13. 9.

CAPUT IV.

De prudentia Confessarii in exhortando & corripiendo.

Lenitas in tractandis ingeniis necessaria. In exhortando vel corripiendo quid sit observandum. Quidam graviter increpandi, sed non sine multa circumspectione. Quædam notanda.

Ex ipsa Ethnicorum Philosophia, « Ut corporum, ita animorum molliter vitia tractanda » sunt (1). Præsidem decet, quamdiù potest, verbis mollioribus ingenia curare, ut facienda suadeat, cupiditatemque honesti & æqui conciliet animis, faciatque vitiorum odium, pretium virtutum (2). » Si quis autem est hominum Præses & Rector qui in tractandis ingeniis ita se gerere debeat, is profectò maximè, qui conscientias in sacro Tribunali judicat vice illius divini Judicis, qui *mitem se & humilem corde* Ministris suis non minùs quàm cæteris Discipulis imitandum profitetur (*a*); quique adductam sibi *mulierem in adulterio deprehensam* non asperè arguit, non ad legis apicem condemnat; sed in pace dimittit, leniter admonitam ut non peccet ampliùs (*b*). Quòd si verò interdùm aliqua sit objurgatio in Pœnitentiæ Tribunali adhibenda, quædam Sacerdotibus observanda sunt, ut, juxta præceptum Apostoli, *corripientes & docentes in omni sapientia, exhibeant omnem hominem perfectum in* Christo Jesu (*c*).

(1) Senec. *de benef.* l. 7. c. 30.

(2) Id. *de ira*, l. 1. c. 5.

Confessarius igitur, sive exhortetur, sive reprehendat, verba & sermonis formam ita componat, ut intelligat Pœnitens omnem, sive exhortationem, sive reprehensionem, ex animo verè paterno proficisci. Quinimò, si agatur cum hujusmodi persona quæ sit, vel dignitate, vel solâ ætate venerabilis, non tam reprehensionis quàm obsecrationis formâ uti expedit, modestè ac decenter exponendo quid Pœnitenti emendandum sit;

(*a*) *Matth.* 11. 29. (*b*) *Joan.* 8. 3. 10. 11. (*c*) *Col.* 1. 28.

juxta illud Apostoli: *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem* (*d*). Sunt qui nonnullos apud se confitentes durè rigidèque objurgant, statimque absolvunt, licèt gravissimis ac frequentissimè iteratis delictis oneratos. Præposterè utrumque factum: & leniter corripiendi, & sine Absolutione, si res ita postularet, dimittendi erant.

Fatendum quidem est quosdam ad Pœnitentiæ Tribunal adeò rudes, agrestes & obduratos accedere, ut, nisi graviter corripiantur ac dimittantur inabsoluti, se graviter peccasse non intelligant. Postquàm Sacerdos multam in reprehensione mansuetudinem incassùm adhibuerit, acrioribus subindè verbis hujusmodi Pœnitentes exstimulet. Sic medicus ægrum sibi dilectum aliquandò vehementer objurgat, cùm id quod sapienter injungit ad ipsius curationem, eum perspicit detrectare, & exequi abnuere (*e*). Sic Dominus Jesus, tam *suavis & mitis*, ac tam *multæ misericordiæ*, turbam Judæorum, *generationem incredulam & perversam* appellat, ejusque impatiens videtur: Scribas autem & & Pharisæos in multis Evangelii locis, *cæcos*, *stultos*, *hypocritas*, *sepulcra dealbata*, *progeniem viperarum*, *generationem malam & adulteram* nominat (*f*). Sic ipse mundi Salvator, cùm Petrus ei Passionem suam prædicenti obloqueretur, humano nimis affectu repugnans divinæ voluntati, *Vade*, inquit, *retrò me, Satana, quoniam non sapis quæ Dei sunt, sed quæ sunt hominum* (*g*). Sic Gentium Apostolus, quamvis omnes in Christo Jesu *per Evangelium à se genitos in corde haberet* (*h*), Galatas nihilominùs, propter suam in fide instabilitatem, *insensatos* vocare non dubitat (*i*); idemque Tito discipulo quem Cretensibus Episcopum præfecerat, de his sic præcipit: *Increpa illos durè, ut sani sint in fide* (*k*).

Quemadmodùm verò ad ignem ferrumque admovendum Medicus, sic & Confessarius ad hoc genus increpandi rarò invitusque & quasi ad extrema descendens confugiat; & nunquam omninò nisi cogat necessitas, neque alia, introspecto Pœnitentis ingenio, subsit ratio medendi quæ feliciter adhiberi posse videatur. Prætereà diligenter observandum est eâ objurgationis vehementioris formâ uti non licere, nisi gravitate adjunctâ, sicque adhibitâ severitate, ut procul verbo absit injuria & motus iracundiæ; quæ quidem si tam sancto ministerio admisceretur, nihil jam rectè fieri, nihil fructuosè posset; imò Sacerdos quocumque spirituali morbo laborantes, in posterum à Piscinæ salutaris accessu deterreret ac fugaret. Est enimverò etiam atque etiam videndum ne reprehensio in amaritudinem vertatur; ac si interdùm expedit solito acriorem animis subdi verborum stimulum,

(*d*) 1. *Tim.* 5. 1.
(*e*) *S. Hier.*
(*f*) *Matth.* 12. 39. & 17. 16. & 23. 17. 23. 27. & 12. 34. 39.
(*g*) *Marc.* 8. 33.
(*h*) 1. *Cor.* 4. 15. *Phil.* 1. 7.
(*i*) *Gal.* 3. 1.
(*k*) *Tit.* 1. 13.

semper est aliquâ dulcedine temperanda tristitia acerbitasque sermonis; ita ut facilè sentiat Pœnitens non se nisi amicâ voce charitatis objurgari, atque illud acerbitatis reprehensioni inspersum, ad suam utilitatem ex toto referri. Nec verò unquam oblivifcendum est id quod ait Apostolus: *Nolite quasi inimicum existimare, sed corripite ut fratrem* (*l*). Doleat Sacerdos vicem peccatoris, tanquam hoc ipso miseri, quòd peccator est; eòque miserioris, quò magis excæcatus videtur atque obduratus. Hinc fiet ut plures tantâ benignitate illecti, usu assuescant Pœnitentiæ sibi hactenùs terribilis; sicque paulatim resipiscant & sanentur, quos alioqui nimia inconsiderataque austeritas à frequentatione tam salutaris remedii deterruisset, vel in desperationis profundum præcipites demersisset.

Si igitur Confessarius rudes atque imparatos inveniat aliquos Pœnitentes, caveat illos formans & erudiens, corripiens ac dimittens in aliud tempus, ne severiore verborum formâ ipsorum animos conturbet ac dejiciat; sed Christi mansuetudinem & patientiam in Apostolos eatenùs carnales & *sine intellectu* pro exemplo sibi assumens (*m*), illorum infirmitatibus se, quantùm poterit, accommodet; » quia medicus qui non fert infirmitates, » curare nescit; & qui non fuerit » cum infirmo infirmatus, infirmo » non potest conferre sanitatem (*n*).

Nulli autem peccatori, quantumlibet inveterato, scelesto & perverso, quantumvis turpia atque inaudita confitenti, unquam dicat: *Periisti, damnatus es, jam pedem in Inferno unum habes.* Imprudens ac temerarie Minister, *tu quis es, qui judicas alienum servum* (*o*)? Nescis *quoniam potens est Deus de lapidibus suscitare filios Abrahæ* (*p*), scilicet de peccatoribus maximè obduratis insigniter pios & sanctos? Nescis animam fratris tui posse repentè, illapso cœlestis gratiæ radio, ex lutea auream fieri? Divinæ misericordiæ internuncius, vel flagitiosissimè consceleratis, modò pœnitentes videantur, spem inducat: ipsosmet impœnitentes alloquens, ita sermonem temperet ut formident, sed nunquam ut desperent. Meminerit se personam gerere Domini JESU, qui, cùm violentus duorum discipulorum zelus jam propè ignem cœlo deriperet in civitatem quæ *non receperat eum* (*q*), his eos verbis repressit: *Nescitis cujus spiritûs estis; filius hominis non venit animas perdere, sed salvare* (*r*).

(*l*) 2. *Thess.* 3. 15.
(*m*) *Matth.* 15. 16.
(*n*) *S. Petr. Chrysol.* Serm. 50.
(*o*) *Rom.* 14. 4.
(*p*) *Matth.* 3. 9.
(*q*) *Luc.* 9. 52. 53. 54.
(*r*) *Ibid. v.* 55. 56.

DIVISIO VI.

AGETUR in hac Divisione, 1°. De prudentia Confessarii in concedenda vel differenda Absolutione: 2°. De prudentia Confessarii erga Pœnitentes ex consuetudine peccantes: 3°. De prudentia Confessarii erga vitiosos Pœnitentes quos offendit Absolutionis dilatio; tum erga eos qui, contractâ duritiâ, in peccato perseverant: 4°. De prudentia Confessarii erga pœnitentes in peccati occasione proxima constitutos: 5°. De Prudentia Confessarii erga recidivos: 6°. De prudentia Confessarii circa Confessiones generales.

CAPUT PRIMUM.

DE prudentia Confessarii in concedenda vel differenda Absolutione.

QUIBUSNAM Absolutio statim concedenda. Antequàm ullus Pœnitens absolvatur, dignoscendum 1°. an sincerè & integrè sit confessus; 2°. an verè & ex animo peccata doleat. Quibusnam signis adesse vel abesse judicetur legitima Contritio. Præter Confessionis aut Contritionis vitia, causæ denegandi vel differendi Absolutionem ad tredecim species revocantur. Quid sit observandum, cùm Sacerdos Absolutionem Pœnitenti suspendit: quid, cùm ab eo postulatur auditæ Confessionis testimonium.

QUICUMQUE Pœnitentiæ ministerium susceperunt, hoc sibi dictum à Spiritu sancto existiment: *Videte quid faciatis; non enim hominis exercetis judicium, sed Domini; & quodcumque judicaveritis, in vos redundabit* (*a*). Quemadmodùm scilicet imperitè præposterèque adhibita corpori medicina, nedùm profit, imò nocet plurimùm, & ip-

(*a*) 2. *Paral.* 19. 6.

sius quandoque mortis causam affert; ita Pœnitentiæ remedium, ut suum effectum sortiatur, animabus opportunè administrandum est (*b*). Videndum *in spiritu judicii* quandò concedenda, quandò differenda sit Absolutio (*c*): multâ prudentiâ & fortitudine cavendum, ne illam imparati vel dolo subripiant, vel importunitate extorqueant (*d*). Et remittere, & retinere peccata æqualiter competit Sacerdotibus (*e*): sed nunquam duritiâ retineatur quod remittendum, nunquam inscitiâ aut mollitiâ remittatur quod retinendum est. Dignis pacem denegare iniquum esset; indignis profundere, prævaricatio (*f*).

Cautè igitur & circumspectè, sibique maximè diffidens, non præceps, non dubitans, Pœnitentes absolvat Confessarius (*g*). Extra necessitatem, iis dumtaxat beneficium illud statim impertiatur, de quorum dispositionibus tutissimum poterit ferre judicium. In dubiis vel obscuris casibus, spatium investigationis assumat: « properata remedia, utique non profutura, & » nova per misericordiam falsam » vulnera sunt (*h*).

ANTEQUAM ullum Pœnitentem absolvat, sciendum Sacerdoti est an non ille anteà irritam aut sacrilegam emiserit Confessionem: hoc enim posito, eam priùs iterare necessariò deberet, quàm esset Absolutionis capax. Si nihil in præteritis Confessionibus defecerit, circa præsentem superest ut dignoscatur an Pœnitens sincerè & integrè sit confessus, an verè & ex animo sit contritus. Positâ examinis diligentiâ & Confessionis bonitate, secundùm ea quæ superiùs dicta sunt (*i*), exploranda erit Contritionis veritas. Quamvis autem hæc solo Dei spiritu, qui solus eam producit, perfectè introspiciatur, ut potè in cordis penetralibus delitescens; cùm tamen Sacerdos neminem debeat absolvere, nisi priùs tam necessariam dispositionem certitudine morali compertam habeat, quædam sunt ejus indicia, quibus contentus inhærere, tutâ conscientiâ, poterit.

Cor contritum gerere intelligitur, qui humiliato corpore ad sacrum Tribunal accedens, gemitu vocis & amaritudine accusationis internum animi dolorem testatur (nisi fortè Confessarius hypocrisin aliundè cognoscat vel legitimè suspicetur); tum verò qui Pœnitentiæ fructus aliquos præmisit, ad Deum pla-

---

(*b*) *S. Cypr. Ep.* 11. (*al.* 15.) ad Martyr. & de lapsis *n.* 10.

(*c*) *S. Pacian. Ep.* 1. ad Sempron. *S. Greg. Nyss.* Ep. Canon. *Conc. Rem. II*, *an.* 813. *can.* 16.

(*d*) *S. Cypr. Ep.* 55. (*al.* 59.) ad Corn. §. 2. 13. & de lapsis, §. 10.

(*e*) *Joan.* 20. 23.

(*f*) *S. Chrys. Serm.* 9. in Gen. *S. Ambr.* in Ps. 118. *S. Leo*, *Ep.* 40. (*al.* 60.) *c.* 2. *Serm.* 3. in anniv. assumpt. suæ, *c.* 3. *Ep.* 91. (*al.* 83.) *Conc. in Trullo*, *an.* 692. *can.* 102.

(*g*) *S. Basil. can.* 84. 85. *Inn. I*, *Ep.* 1. *c.* 7. *S. Aug.* in Ps. 50. *n.* 1. 11. *Conc. Worm. an.* 770. (*al.* 868.) *can.* 25. *Turon. III*, *an.* 813. *can.* 22. *Mogunt. I*, *sub Rab. an.* 847. *can.* 26. 31. *Ticin. an.* 860. *can.* 7. *Rotom. an.* 1050. *can.* 18. *Rem. & in Trull. sup.*

(*h*) *Ep. Cleri Rom. ad S. Cypr.*

(*i*) *Div. I*, *cap.* 6. & *Div. II*, *cap.* 1.

candum accommodatos; qui simul, postquàm se à Domino per compunctionis gratiam visitari etiam atque etiam precatus est, de peccatis commissis Contritionem in se quàm potuit vehementissimam excitavit; qui demùm, peractâ simplici, clarâ & distinctâ Confessione, quidquid ad vitandum peccatum, ad satisfaciendum Deo & proximo exequi tenetur, jam ex toto vel ex parte executus est, vel integrè executurum se esse cum absolutissima bonæ fidei specie pollicetur. Si verò nullum doloris signum exhibeat; si Confessarium incitamenta Contritionis proponentem audiat frigidus; si emendationem haud seriò promittat, vel jam anteà incassùm promiserit; si ad hunc finem conducentia & necessaria exequi detrectet; si Pœnitentiam culpis condignam suscipere atque adimplere, ac denique Sacerdoti justa præcipienti & monenti morem gerere abnuat; lethalis culpæ affectu gratiam sanctificantem excludente adhùc tenetur: Absolutionis proindè non magis capax est, quàm Baptismi infans mortuus, sacræ Communionis excommunicatus, Extremæ-Unctionis cadaver. Absolutionem igitur suspendat Confessarius, donec Pœnitens, mutatâ animi voluntate, redeat paratior. Donorum cœlestium dispensator fidelis, non dissipet quod suum non est, & cujus rationem supremo reddet quæsitori, judices prævaricatores districtè judicaturo. Homo Dei, justitiæ divinæ causam amplectatur. Medicus animarum, urat & secet piâ severitate, non parcat crudeli misericordiâ; ne, sacrilegii cooperator, sese cum falso & deluso Pœnitente, obnoxium æternæ damnationi constituat.

PRÆTER geminum deficientis veræ Contritionis & non legitimæ Confessionis vitium (*k*), alii sunt præ cæteris Casus, in quibus, prout pertinaciter indignus est, vel probatione indiget Pœnitens, Absolutionem denegari vel suspendi oportet: quos quidem ut certos exploratosque habeant Confessarii, de singulis pauca quæ sufficiant, hìc edisseremus.

I°. Iis differenda est Absolutio, qui præcipua ignorant Catholicæ Religionis capita, quorum distincta cognitio ad salutem necessaria est: nimirùm Sanctissimæ Trinitatis, Incarnationis, & Redemptionis Mysteria; Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apostolorum, Dei & Ecclesiæ Mandata, quatuor hominis fines; quæ ad Sacramenta, præsertim ad legitimam & fructuosam Pœnitentiæ & Eucharistiæ susceptionem pertinent; atque etiam proprii instituti officia (*l*); & quæcumque nosci oportet, ut, pro conditionum varietate, vita & mores ad Christianæ Legis normam exigantur. Porrò, qui, licèt hæc omnia summatim delibaverint, non tamen ea, pro captu suo, vel officii scientiam requirentis habitâ ratione, satis explicitè cognoscunt, maximèque si alios

(*k*) *Rit. Rom.* de Sacram. Pœnit. *S. Car. Borr.* Instit. ad Conf. *edit. jussu Cleri Gall. an.* 1655. *ex* Act. Eccl. Mediol. *part.* 4.

(*l*) *S. Thom.* 1. 2. *q.* 67. *a.* 3. *in corp.*

hæc

hæc docere teneantur, ii similiter non antè absolvantur, quàm inscitiam hujusmodi criminosam excusserint. Quòd si tamen promittant omnem se adhibituros esse diligentiam ut convenientem doctrinam assequantur; absolvi poterunt, modò jam anteà obligatam eâ in re fidem non fregerint; tunc enim aliquis expectandus esset pollicitationis effectus. Ut verò non imprudenter absolvantur in fide promissi, necesse est ipsos hìc & nunc de necessariis, quod satis videatur, edoctos esse. Nec sine multa circumspectione absolvantur patres & matres, tutores & curatores, domini & dominæ, qui filios & filias, pupillos & pupillas, famulos & ancillas fidei documentis vel per se imbuere, vel ab aliis, præsertim in publicis Ecclesiæ Institutionibus, imbui non curant.

IIº. Iis quoque suspendatur Absolutio, qui peccati consuetudine vel occasione proximâ detinentur. Cùm autem hi duo Casus præ cæteris insignes sint; circa ipsos quid observari oporteat, subjectis Capitibus seorsim exponemus.

IIIº. Neque Absolutione digni sunt, qui occultas publicasve inimicitias exercent, & reconciliari nolunt. Quin etiam iis qui reconciliationem pollicentur, communiter differenda est Absolutio, donec reipsâ cum inimicis reconciliati fuerint. Confessarios, vel seipsos potiùs, plurimi circa præsentem casum voluntario errore decipiunt. Tacitum cordis vulnus adhùc vivere intelliget Sacerdos, cùm dicentem audiet Pœnitentem, se inimico nihil quidem infaustum precari, sed nihil faustum ei exoptare posse; vel ipsi, neque prospera, neque adversa precari: multòque magis, si de illo in ipsa Confessione adhùc non sine animi motu loquatur; si nec eum ferre possit, nec benevolis intueri oculis, nec pati omninò ut quisquam de illo benignè atque honorificè sermonem instituat; si de ipsius infortuniis gaudeat, vel, statim atque alter secum de eo colloqui cœperit, irascatur; postremò si abneget ea ipsi exhibere signa dilectionis communia, quæ proximo exhiberi solent (*m*). Casûs dissimilitudo nulla est, sive, cùm ipse injuriam intulerit, ei quem læserit satisfacere abneget; sive, cùm injuriam passus fuerit, parcere subjecto, & justam satisfactionem suscipere detrectet. Qui offensus est, huic, si malum pro malo non reddiderit, non præcipitur, sed consilium datur ut ineundæ reconciliationis viam anteoccupet: id unum ab illo exigitur, ut ad aggressorem humanè excipiendum verè & ex animo sit paratus. Si autem verbis actibusve mutua exarserint certamina, ante Absolutionem ambo reconcilientur necesse est; nec sufficit ut affirment non se malevolo in quemquam animo esse, aut etiam ad benefaciendum inimicis paratos se profiteantur. Cùm utrimque odium erupit, requiritur ut reconciliatio utrimque pariter visibilis coeat, saltem ex parte illius qui Absolutionis beneficium expetit; qui proindè, vel per se, vel interposito mediatoris officio, cum adversario ad pacis

(*m*) *S. Thom.* 2. 2. q. 25. a. 9.

colloquium descendat. Cùm timendum videtur, ne, colloquio inito, recrudescat animorum plaga, & pejùs renovetur disceptatio; satis erit ut Pœnitens, si fuerit aggressor, ei quem offenderit, tertii alicujus ope testetur, dolere se de præterito, cujus eum oblivisci rogat; quod quidem præsenti sermone ipsi libenter asseveraret, si sciret ei gratum se facturum. Quòd si verò non offenderit nisi priùs offensus, sufficiet ut inimico renuntiari curet nullum ei se malum precari, sed potiùs ad officia paratum esse. Quandò Pœnitens amicè cum eo locutus est, quocum sibi priùs aliquid rixæ intercesserat, ita ut omninò deferbuisse existimetur animorum æstus; reconciliatio peracta censetur, etiamsi nulla pristinæ disceptationis mentio facta in colloquio fuerit. Si denique inimicitia cum publica offensione exarserit, reconciliatio pariter in publicam cognitionem deveniat necesse est, ut scandalo satisfiat.

IV°. Iis etiam deneganda est Absolutio, qui læsam proximi famam integrare abnuunt; iisque differenda, qui plus æquo differunt (*n*). Qui igitur linguæ pessimæ venenum in proximi famam distillaverunt, ei, vel maledicentiâ, vel calumniâ dedecus inurentes, compellendi sunt, sive calumniam retractare coram iisdem personis, sive pro malo bonum de proximo loqui. Quòd si personæ læsæ nota sit maledicentia, nec facilè, ut sæpè contingit, malum possit resarciri; compellatur maledicus Pœnitens veniam ab illa persona postulare, vel curare ut nomine suo postuletur; & nihilominùs, prout poterit, inspersam proximo infamiam eluere. Maledici, cùm in proximum duri sint, *durè increpentur, ut sani fiant*; neque eis facilè credatur, quoadusque proximi famam, si minùs ex toto, quod plerumque impossibile est, saltem ex parte restituerint, eamque ut decet, venerari jam aliquo temporis intervallo assueverint.

V°. Nec nisi observatis absolutissimæ prudentiæ legibus absolvantur, qui artibus commerciisque injustis, qui usuris, furtis, fraudibus, falsitatibus, monopoliis, usurpationibus, aut viâ qualibet iniquâ, Ecclesiæ, societati, vel privatis damnum intulerunt. Hujusmodi homines, antequàm absolvantur, ad resarcienda detrimenta, vel ablata restituenda omninò adduci oportet. Nec magis quàm in memoratis casibus, in restitutione credendum est promissis, quæ non raro, præeunte Absolutione, fallaciæ plena inveniuntur. Qui restitutionem pollicetur, illius verbis semel aut iterùm fides adhiberi potest. Quòd si datam fidem semel aut iterùm violaverit; ei jam non credatur, ejusque absolvendi mora prorogetur, donec ipso effectu restituerit, aut saltem restituere cœperit, præfixo tempore ad id quod superest, vel solidè, vel divisim restituendum; isque in sequentibus Confessionibus, sciscitante

(*n*) *Conft. Ap. l.* 2. *cap.* 8. *S. Greg. Thaum. can.* 2. 4. 5. *S. Aug. Ep.* 54. *c.* 6. (*al.* 153. *c.* 20.) *Vide Conc. ap. S. Macram in Diœc. Rem. an.* 881. *Tolet. I, an.* 400. *can.* 11.

Confessario, quantùm adhùc debeat, explicet, donec se omninò liberaverit. Ab hac verò lege excipiantur ægri in mortis periculo constituti; à quibus tamen Sacerdos, ut dicetur inferiùs (o), id omne per quod restitutio peragatur, bonâ fide præstandum exigat. Fures inopes semper aliquid, quantulumcumque possint, restituere compellantur, Deumque rogare ut quibus damnum intulerint, eos abundantiore largitate compenset, nec sine perfecta restitutione mori se permittat. Quin etiam & ipsi, jubente Confessario, in subsequentibus Confessionibus declarent quid sibi ad plenam atque integram liberationem deficiat; ut, cognito præsentis fortunæ statu, ipse dijudicet num tandem aliquandò restituendi voluntas desit magis quàm facultas. Quòd si pollicitationum sinceritas non suspecta eluceat, stare illis quidem poterit Sacerdos, & Absolutionem aliàs dispositis impertiri; modò tamen in eodem aut simili casu non jam deceptus fuerit. Et generatim, semel aut iterùm ei fides legitimè habetur, qui emendationem promittit, vel, quod justè præcipit Confessarius, prompto animo amplecti se testatur; sed vetat prudentia fidem ei sæpiùs sine probatione operisque exhibitione adhiberi.

Eodem ferè modo tractentur ii qui deposita reddere, ipsumve æs alienum dissolvere abnuunt, vel negligunt: multò autem magis, si luxus vel otium in causa sint cur proximus continuum detrimentum patiatur, subtractâ laboris mercede, vel rerum venditarum pretio, undè fides & negotiatio ruant in præceps.

VI°. Iis differatur Absolutionis gratia, qui publicè & cum scandalo peccaverint, nec scandalum illatum condignâ & publicâ satisfactione sustulerint. Non sufficit satisfactionis promissio: exigendus est promissionis effectus, antequàm Absolutio prudenter concedi possit. In hujusmodi casu versantur 1°. Publicè in concubinatu viventes, adulteri, blasphemi: 2°. Qui publicè pecuniam fœnerantur; 3°. Qui in animum non inducunt injustas dimittere litigationes, quibus se tuentur, ne æs alienum dissolvant; 4°. Qui, cùm sint Matrimonio conjuncti, à se invicem, cum publica offensione & sine causa legitima, discedunt, nec volunt rursùs in eamdem habitationem convenire; 5°. Qui per vim stupratâ, aut corruptelarum illecebris vitiatâ virgine, ipsam ducere uxorem abnuit, cùm tamen ipse ad hoc teneri judicetur, ut aliquo modo salvus sit honos virginis: 6°. Filii, seu filiæ-familiâs, qui, invitis parentibus, nec sine adjuncto vicinorum scandalo, amicitias & consuetudines cum personis non sui sexûs ineunt, ejusmodique societates, alicujus necessitatis aut illibatæ innocentiæ prætextu, rescindere detrectant.

Circa peccatores publicos, illato scandalo satisfacere quomodò debeant, à Diœcesano Pontifice ex-

(o) *Div. IX, cap.* 3.

quirendum est. Si verò in periculosa infirmitate constituti sint, non absolvantur, nisi, dum illis vel sacrum Viaticum, vel Extrema-Unctio administrabitur, pro illato scandalo veniam coram astantibus rogaturos se promittant; nisi concubinas ejiciant concubini; nisi quæstum injustum restituant fœneratores, vel pro restitutione satisdent (1). Qui autem publicas inimicitias exercuêre, ii coram testibus reconcilientur.

(1) S'ils ne donnent caution.

VII°. Absolutione pariter indigni judicentur, 1°. Qui artes illicitas profitentur; qui vitæ institutum sequuntur, vel commercium exercent, aut quæstum faciunt à Christiana sanctitate alienum (p); vel qui artem aut vitæ institutum, etiam licitum, innocuè exercere non possunt, ut sua ipsis infelicissima testatur experientia; nec volunt ab iis discedere. 2°. Qui artem profitentur, vel munus gerunt, cui gerendo sunt manifestè impares; in quo scilicet imprudentes & inscii graviter peccant, sæpiùsque irreparabile detrimentum proximo inferunt. 3°. Qui in suscepto officio, seu vitæ instituto negligentes, illudque perfunctoriè exercentes inveniuntur; si præsertim segnitia & otium, si comessatio & ebrietas, si flagitiosæ damnosæque libidines, si vanitas luxusque immodicus causam præbeant cur uxor & liberi *nudi sint & indigeant victu quotidiano* (q), aliique mercede aut pretio debito fraudentur.

VIII°. Absolutionis minimè capaces habeantur ii omnes, qui mollem atque otiosam vitam in mundi oblectationibus, in spectaculis, in choreis, in epulis, in vanitate & luxu totam exigentes, *animam suam*, cujus æternam salutem parviducunt, *in vano accepisse* videntur (r); nisi tamen judicet prudens Confessarius eos quamprimùm vitam in melius esse immutaturos (s).

IX°. Nec temerè & sine probatione convenienti Absolutionis beneficio donandi sunt, qui suâ culpâ quoquomodò aliis peccandi occasionem præbent; nisi, quantùm in se fuerit, malo medeantur cujus causa extiterint, eamque occasionem omninò tollant. Tales sunt, 1°. Patres & matres, domini & dominæ, qui, per vivendi rationem inordinatam, liberis & famulis pravo sunt exemplo; qui coram ipsis inhonesta aut fidei contraria proferre assueverunt; qui non invigilant ut quos suæ auctoritati subjectos habent, in Religione Catholica erudiantur, officiisque ab ipsa impositis fungantur. Qui, è contrario, tempus ad id requisitum iis invident, operaque servilia diebus Dominicis & Festis exercenda iisdem præscribunt; quique illos, directè vel indirectè, à Missa illis diebus audienda, divinorumque Officiorum, Concionum, Catechesium & Sacramentorum frequentatione retrahunt: qui etiam filios aut filias, famulos aut ancillas vigesimum primum ætatis an-

(p) *Tert.* de Idol. *c.* 5. *S. Cypr. Ep.* 61. (*al.* 2.) §. 1. *Orig. Homil.* in Levit. 20. *De conf. dist.* 2. *cap.* 95.

(q) *Jac.* 2. 15.

(r) *Ps.* 23.

(s) *S. Car. Borr.* Inst. ad Confess.

num excedentes, non tamen infirmos, nec duris laboribus addictos, minimè inducunt ad observanda Ecclesiæ jejunia, iisque jentaculum & cœnam præbent jejunii diebus (*t*); vel qui ad violandam abstinentiam eos compellunt, nihil cibi legitimi, diebus abstinentiæ, domi suæ esse patientes. 2°. Parentes, quibus auctoribus vel consentientibus, diversi sexûs liberi, postquàm sextum aut septimum ætatis annum attigère, in eodem cubili dormiunt. 3°. Mulieres non *cum verecundia & sobrietate ornantes se* (*u*); & quibus tam vilis est proximi salus, ut ne unum quidem ornatum, neque indecentem sese vestiendi modum corrigere velint, etiamsi non ignorent illicitos ignes indè excitari aut foveri, seque idcircò *lapidem offensionis & petram scandali* esse intuentibus (*x*): tum verò patres & matres, vel mariti, hæc permittentes, atque etiam, quod magis criminosum esset, præcipientes. Ex pariter fœminæ, quæ aliàs cùm lethali peccato seculi pompis utuntur, & cultum corporis justo mundiorem circumferunt. Lethale autem in hoc genere peccatum censetur, cùm facultates excedit sumptus; cùm exitiosa illa superfluitas perpetuam inter conjuges discordiam movet, liberosque convenienti educatione & vestitu, mercatores, famulos, operarios pretio defraudat; cùm, ut vanæ ostentationi satisfiat, operariorum labor diebus Dominicis & Festis exigitur, etiamsi non prohibeatur quin illis diebus Sacro intersint. 4°. Qui libros fidei vel moribus contrarios componunt, in lucem edunt, vendunt, quoquomodò distribuunt, commodant, indicant, legunt, vel domi retinent. 5°. Qui tabulas, *picturas*, *sculptasve* imagines aut *effigies*, *quarum aspectus insensato dat concupiscentiam*, penès se habent, conficiunt aut vendunt (*y*). 6°. Qui domos suas aut alia quælibet loca suppeditant ad circulos, ludosve aleatorios, in quibus sciunt Deum impiis blasphemisque verbis, turpium libidinum irritamentis, innumerisque aliis modis graviter offendi. 7°. Caupones publici aut furtivi, qui, Rei divinæ tempore, id est, quandò Missa Parochialis, Concio & Vesperæ celebrantur, vinum aut alium quemvis liquorem sine ulla necessitate vendunt; &, quovis tempore, iis quos noverint cauponam ingredi non ad *sobrium potum*, sed ad crapulentam perpotationem, quæ est corporis & animæ ruina (*z*). 8°. Qui publicè, ac præsertim coram juvenibus, inhonesta canunt, vel *turpem sermonem* (*a*), seu quæ vulgus *horrenda* vocat *juramenta*, ore scelesto evomunt.

X°. Neque absolvendi sunt nisi ritè probati, quicumque per conniventiam peccatis alienis communicant, suamque hac in parte agendi rationem immutare nolunt. Tales sunt, 1°. Qui, cùm peccata, sive

(*t*) *Ibid.*
(*u*) *Ibid.* 1. *Tim.* 2. 9.
(*x*) *Is.* 8. 14.
(*y*) *Sap.* 15. 4. 5.
(*z*) *Eccli.* 31. 37. 38.
(*a*) *Col.* 3. 8.

publica, five privata impedire possint & debeant, non tamen ea impediunt; Magistratus v. g. *à Rege missi ad vindictam malefactorum* (*b*), quandò Religionem & mores auctoritate sibi commissâ non tuentur. 2°. Domini & Dominæ in Parochiis suo dominio subjectis, qui Pastores non adjuvant, quantùm sibi competit & quantùm in se est, in auferendis scandalis, dissidiis, & si quid aliud Religioni publicæque honestati contrarium perpetratur. 3°. Patres & matres-familiâs, qui, cùm famulos & ancillas noverint domi suæ non se gerere *sicut decet sanctos*, sed inter se licentiùs vivere, vel non reprimunt ejusmodi licentiam, vel, si nequeant, fontem alterutrum aut utrumque simul à se non dimittunt. Iis omnibus Absolutio suspendatur, donec *à viis suis pessimis* resipiscant, Sacerdosque ipsorum emendationem certis indubitatisque signis compertam habeat.

XI°. Ab iis quoque absolvendis supersedendum est, qui se graviter peccandi periculo sponte suâ committunt: quales sunt 1°. Mulieres prægnantes, quæ non satis prudenter se gerunt ne abortum faciant. Et quidem Casus est Diœcesano Pontifici reservatus, si qua mulier sese abortûs periculo verisimili scienter objiciat (*c*). 2°. Matres vel nutrices quæ parvulos in suum cubile, cum oppressionis periculo, assumunt.

XII°. Ut in officio contineantur *penès quos summa Religionis & substantia Disciplinæ est* (*d*), Absolutione indigni judicentur Pastores qui animarum sibi commissarum curam negligunt, vel in suis Parochiis non assiduè commorantes, vel, si commorentur, munia sua negligenter obeuntes; cùm præsertim iis est in more positum ut à concionando & catechizando abstineant; nisi tamen legitimè impediti sint, eaque officia per alios, ut par est, adimpleri curent. Et cùm viri Ecclesiastici perfectionis institutum elegerint, non ii absolvendi sunt, 1°. Quorum vita ad seculi genium tota componitur: 2°. Qui, licèt Beneficiati vel in sacris Ordinibus constituti sint, Officium Canonicum recitare, vestemque, Tonsuram & comam Clericalem, juxta sacros Canones & Statuta Diœcesana, deferre contemnunt: 3°. Beneficiati sua Beneficia malè ingressi; vel plura possidentes quæ simul legitimè possideri nequeant: 4°. Qui reditus ex Beneficiis provenientes » res (scilicet) » Ecclesiæ, quæ, sicut à sanctis Pa» tribus traditur, vota sunt Fide» lium, pretia peccatorum, & pa» trimonia pauperum (*e*), » criminosis aut superfluis impensis exhauriunt, suorumque Beneficiorum oneribus, neglectâ Fundatorum intentione, non satisfaciunt. 5°. Juniores Clerici, qui studiis Ecclesiasticis non vacant, & qui Clericalis Ordinis insignia gerere communiter omittunt. Quin etiam, extra necessitatis casum, ad sacrum Pœnitentiæ Tribunal minimè admit-

(*b*) 1. *Petr.* 2. 14.

(*c*) *Rit. Parif. den. ed. an.* 1777, *pag.* 113.

(*d*) *Hormisd. P. Ep.* 25. ad Episc. Hisp. (*e*) *Conc. Aquisgr. I, an.* 816. l. 1. cap. 116.

tendus esset Clericus, qui sine veste talari, sine Tonsura decurtatisque capillis ad illud accederet.

XIII°. Deniquè, Iis minimè concedendum est Absolutionis beneficium, qui sibi à prudenti Confessario injuncta quælibet ad curandas consuetudines vitiosas, ad abscindendas occasiones, ad vitandam culpæ iterationem, ad explendas suscepti muneris partes, ad satisfaciendum Deo & proximo, exequi abnuunt, vel plus justo negligunt, quandiù in hac perversa mentis habitudine perseveraverint, aut in hujusmodi damnosâ incuriâ torpuerint.

De cætero caveant Confessarii, non modò ne quemquam imparatum, aut aliàs indignum absolvant, verùm etiam ne quem Pœnitentem ad ullius Sacramenti participationem admittant, qui doctrinam de Sacramento quod suscipere intendit, ejus naturam & effectus, dispositiones ad illud suscipiendum requisitas, officia per illud imposita ignoret; vel quem ab eo, quacumque alia ex causa, removendum esse introspexerint.

Quemadmodùm igitur non aspeiè deneganda, sic non temerè largienda est Absolutionis gratia. » Præpositorum est præceptum tenere, &, vel properantes, vel ignorantes instruere (*f*). Ignorant » enim quæ conferunt ad salutem; » & eos qui ipsorum curam gerunt, » putant sibi esse molestos (*g*). Oportet autem eos qui solvendi & ligandi potestatem à Deo accepêre, » peccati qualitatem considerare, & » ejus qui peccavit, ad conversionem promptum studium; & sic » morbo convenientem afferre medicinam (*h*); » impatientem verò, qui probatione indigeat, ab immatura reconciliatione secludere.

Sive autem absolutum, sive inabsolutum Pœnitentem dimiserit Sacerdos, testimonium auditæ Confessionis, si quandò postulabitur, his verbis enuntiandum erit : *J'ai entendu la Confession de N.° A* tel lieu, tel jour, *&c. Signé, N.* Et quidem unâ eademque formâ exprimi oportet hujusmodi testimonium, solíusque Confessionis mentio fieri; ne, dum alii absoluti fuisse scriberentur, alii duntaxat in Confessione auditi, horum famæ noceret Absolutionis reticentia, sicque saltem indirectè Sacramenti sigillum violaretur. Scilicet hoc solum exteriùs apparet, accedere Pœnitentem ad Confessionis Tribunal; ideòque sola exprimenda est auditio Confessionis, sive erga eos quibus concessa, sive erga illos quibus denegata fuerit Absolutio. Opponet forsan aliquis inutile esse testimonium, cujus ope dignosci nequeat an Pœnitentes ad percipienda Sacramenta sint ritè dispositi. Hìc autem sedulò animadvertendum est internas dispositiones Confessarium inter & confitentem in Dei secreto penitùs absconditas esse oportere; neque aliam ob causam prædictum exigi testimonium, nisi ut Fideles Pœnitentiæ Minis-

(*f*) *S. Cypr.* Ep. 11. (*al.* 15.) §. 1.
(*g*) *S. Chrys.* Hom. 4. in 1. Cor.
(*h*) *Conc. in Trullo, an.* 692, *can.* 102.

tum adeant, ejus monita suscepturi; cæteraque ipsorum conscientiæ esse relinquenda. Minimè tamen concedendum iis esset hujusmodi testimonium, qui publicè & nominatim excommunicati essent, vel Hæresim denuntiatam profiterentur, ut potè ab Ecclesiæ Sacramentorum communione publicè alienis. Quos certò sciret Confessarius illo testimonio abuti velle, idipsum iis occultè petentibus denegare posset ac deberet; ipsique præterea majorem in modum hortandi essent ne Sacris abuterentur. Si autem postulatio coram testibus emittatur, testimonium statim concedere tenetur Confessarius; tuncque diligenter caveat ne ex eo quod ipse dixerit vel quoquomodò expresserit, colligere aut suspicari legitimè possit ullus astantium religioni suæ vim aliquam fieri.

CAPUT II.

De prudentia Confessarii erga Pœnitentes ex consuetudine peccantes.

QUÆDAM prænotanda. Quinam ex consuetudine peccare censeantur. Varii variè tractandi. Quanta, in Absolutionis dilatione, adhibenda diuturnitas. Quædam regulæ circa impudicos, ebriosos, &c. Quibusnam indiciis Pœnitens anteà vitiosus Asolutione dignum se præbeat. Certis in casibus, vel nullâ, vel brevi interpositâ morâ, absolvendi peccatores, etiam inveterati. Dissolutior absolvendi facilitas. Nemo ut plurimùm, absolvendus, nisi, recurrente tentatione vel occasione, pravæ consuetudini restiterit. Modus dirigendi Pœnitentes qui longâ dilatione opus habent. Quorumdam inefficax propositum. Alii facilè, alii difficilè perseverantiam pollicentes: alii se nunquam peccaturos polliceri posse negantes: quidam sibi diffidentes. Propositi firmitas quomodò probanda. Qualis, durante probatione, imponenda Pœnitentia. Observatio. Quidam, initâ vitæ novæ ratione, vehementiùs tentati. Cùm absolvitur Pœnitens anteà ex consuetudine peccator, ei quandoquè differenda Communio. Ritè dispositis aliquandò differenda ipsamet Absolutio: iis pariter qui semel duntaxat vel iterùm lethalem culpam commiserunt: iis etiam qui, Sacramenta frequentantes, venialiam affectu tenentur. Quidam non solâ spirituali curatione indigentes.

PERVULGATUM experientiâ est, in quocumque, sive animi, sive corporis morbo, longè ægriùs id malum depelli quod sit inveteratum; quàm quod recens; *difficileque admodùm esse mutare animum, & si quid*

quid sit penitùs insitum moribus, id evellere (1). Nam vitia, nisi citò resecantur, penè insanabili in posterum pravitate roborantur. Undè præclarè S. Augustinus, » Est, » inquit, genus mortis immane; » mala consuetudo appellatur. Aliud » est enim peccare, aliud peccandi » consuetudinem facere. Qui pec- » cat & continuò corrigitur, citò » reviviscit; quia nondum est im- » plicitus consuetudine, non est » sepultus. Qui autem peccare con- » suevit, sepultus est; & benè de » illo dicitur, *fœtet*. Tales sunt » omnes assueti sceleribus, perditi » moribus (*a*).

(1) Cic.

Cùm quis igitur ex fragilitate vel momentaneæ occasionis impulsu in lethale peccatum semel aut iterùm lapsus est, *brevem languorem præcidit medicus* spiritualis: cùm autem ex repetitis actibus invaluit consuetudo, *languor prolixior gravat medicum* (*b*). Quòd si enim *omnis qui facit peccatum, servus est peccati* (*c*); multò duriore jugo illum premit ea *miserabilis servitus* (*d*), qui inveteratæ consuetudinis *lege captivatur* (*e*): cùm præsertim, obsidente immundo spiritu, *in passiones ignominiæ traditus est* (*f*). Primò quidem, » ex voluntate » perversa, facta est libido; & dum » servitur libidini, facta est con- » suetudo; & dum consuetudini » non resistitur, facta est necessi- » tas (*g*). » Postquàm igitur vitium pro natura inolevit, postquàm *vinculis tenebrarum & longæ noctis compeditus* jacuit peccator (*h*), incredibile dictu est quàm difficilè sese ab illis expediat (*i*). Nihil utique majorem Confessario laborem facessit, quàm vitiosi Pœnitentis curatio; cujus plerumque tanta est cæcitas, ut se totiès absolvendum putet, quotiès sibi *stultitiam iterare* (*k*), vel potiùs, nullo adhibito modo, ingeminare libuerit: » securus nempè » cùm confessus fuerit peccatum, » tanquam semper paratus ad con- » fitendum & committendum (*l*). »

Ne verò Sacerdos contra reverentiam Sacramento debitam peccet, neve suam Pœnitentisque salutem in periculum adducat; si quis ad lethale peccatum ita proclivis reperiatur, ut sæpè facilèque in illud incidat; ejus absolvendi moras proroget, quoadusque de ipsius emendatione certum aliquid atque exploratum habuerit (*m*). Ut autem legitima sapiensque dilatio institua-

(*a*) *S. Aug.* in Joan. Evang. *tract.* 49. §. 3.

(*b*) *Eccli.* 10. 11. 12.

(*c*) *Joan.* 8. 34.

(*d*) *S. Aug.* in Joan. Ev. *tract.* 41.

(*e*) *Rom.* 7. 23.

(*f*) *Rom.* 1. 26. *Vide S. Hier. Ep.* 147.

(*g*) *S. Aug.* Conf. *l.* 8. *c.* 5.

(*h*) *Sap.* 17. 2.

(*i*) *S. Aug.* enarr. 2. in Ps. 30. *v.* 9. *c.* 13. *Idem*, *Tract.* 49. in Joan. Ev. §. 3. & *serm.* de verb. Ev. *Luc.* 7. *c.* 4. *S. Bern.* de Consid. *l.* 1. *c.* 2.

(*k*) *Prov.* 26. 11.

(*l*) *S. Aug.* in Ps. 37.

(*m*) *S. Basil. can.* 84. *S. Aug. Serm.* 43. de verb. Domini, *cap.* 5. (*al.* Serm. 128. *c.* 7.) & *seq. Conc. Nic. I. an.* 325. *can.* 11. *Elib. can.* 20. 47. 50. 62. 64. 79. *Arel. I*, *an.* 314. *can.* 4. & 5. *Laod. c. an.* 368. *can.* 2. *Carth. IV*, *an.* 398. *can.* 55. & 75. *Tolet. I*, *an.* 400. *can.* 16. 17. 19. *Valent. I*, *an.* 374. *can.* 2. *Mogunt. sub Rab. can.* 31. *Apud S.tam Macram, in Diœc. Rem. an.* 881. &c.

tur, de consuetudine non tam ex actibus repetitis judicandum est, quàm ex facilitate & peccandi libidine, tentationum cum delictis comparatione factâ; *unusquisque enim se tentatione tanquam interrogatus agnoscit* (*n*). Sic videlicet in peccati consuetudine versari censentur, qui, semel per annum datâ ebrietatis occasione propter nundinas, aut comessationis propter bacchanalia, Deum ultrò frænisque remotis offendere solent. E contrariò, qui sæpiùs in culpam aliquam incidunt, sed ægrè, sed occasionem fugientes, sed tentationibus sive internis, sive externis plerumque obnitentes, ii ex occasionis importunitate vel insitâ fragilitate potiùs quàm ex consuetudine peccare meritò existimantur. His tamen differenda est Absolutio, donec tentationibus & occasionibus aliquandiù restiterint, atque in proposito semper resistendi videantur immobiles.

Quamvis autem signa consuetudinis certa atque immutabilia non possint, quibus dignoscatur an reipsâ peccatum in consuetudinem invaluerit, sunt tamen quædam regulæ paucis exceptionibus obnoxiæ, quas hìc tradendas censuimus.

In peccatis impuris, quorum occasionem secum quisque indesinenter gerit, hoc est, in solitaria incontinentia, inducta consuetudo esse judicatur, cùm hujusmodi actum pluriès in mense admisit aliquis, aut nullo modo, aut levissimè resistens. Idem dicendum de criminosis familiaritatibus in graviora delicta facilè impellentibus. Quod pertinet ad cætera carnis peccata quæ cum aliis personis committuntur: quoniam magis deliberatâ voluntate ac longiore temporis spatio ad ea committenda opus est, prætereàque rariores sunt eorum occasiones, multò quidem paucioribus actibus eorum habitus animo comparatur. Sic, ubi aliquis Pœnitens unum adulterium ab ultima sua Confessione, sex videlicet hebdomadis, vel duobus mensibus interjectis, commissum declarat, si jam anteà fuerit idem confessus, ex consuetudine peccans haberi potest, cùm præsertim à supradicto tempore occasionem istius flagitii non devitavit.

Quod pertinet ad blasphemias, ad juramenta per sanctum Dei Nomen, ad execrationes maledictionesque lethales: cùm rarò quisquam irascitur quin ejusmodi peccata committat, quamvis eorum occasiones non sæpè occurrant, invaluisse consuetudo existimanda est.

Ebriositatem ne prætereamus, qui ad illam proni inveniuntur, quoties ebrii fuerint, non ipsi facilè agnoscunt; & cùm quinquiès vel sexiès per annum id sibi evenisse confitentur, ex consuetudine ebriosi judicandi sunt. Plerumque enim tunc solùm ebrios se fuisse putant, cùm exteriùs ac turpiter apparuit ebrietas: sæpissimè aliàs tentatum caput ac turbatam rationem pro nihilo ducunt; quod quidem iis solis ignotum, aliis manifestè patuit.

Itaque ex assuetudine peccare

(*n*) S. *Aug.* in Ps. 39.

censentur, qui cum sufficienti cognitione delicti, multò magis qui consultò & cogitatò, cum plurima delectatione animique affectu vehementissimo frequenter peccant; qui, datâ occasione, ultrò & præcipiti facilitate ad peccandum feruntur. Etenim ex illo in vetitum impetu contrahi potest infelix ad peccatum vel semel commissum proclivitas, mentis habitum propriè constituens. Eodem in numero reponendi sunt qui pravis, quos experiuntur, motibus sæpè sæpiùs consentiunt; qui, cùm perpetrandi sceleris facultate careant, illius cogitatione delectantur, ejusque consummandi occasionem concupiscunt vel quærunt; qui alios inducunt in peccati societatem; qui peccant sine ullis propemodùm conscientiæ stimulis; qui peccata sua gloriosè prædicant: alii uno verbo diversorum generum peccatores, iniquitatem vel iniquitatis fructum diligentes.

Et certè sub multiplici forma occurrunt ex consuetudine peccantes. Alii peccatum cujus assuetudinem contraxerunt, ignorant » inter gravia & mortifera peccata » recenseri, quæ nisi per vehementissimam molestiam humiliationis » cordis & contritionis spiritûs, & » tribulationis pœnitentiæ non relaxantur (*o*). » Atque hæc inscitia procul dubio criminosa est, ubi agitur de primis elementis quibus nititur lex naturalis, & quæ primitiva hominis in Deum, in proximum, in seipsum officia constituunt: quæ quidem elementa nisi per voluntatis depravationem ignorari non possunt. Ubi verò de aliis præceptis agitur, quædam non sine lethali peccato, quædam autem leviore aut etiam quandoque nullo peccato ignorari contingit; si nempè eorum notitia, prout se habet vitæ status & conditio, comparari nec potuerit, nec debuerit. Cùm à prudenti Confessario aperti sunt oculi delinquentium per ignorantiam quæ omninò extra culpam sit, vel leviter culpabilis, ii statim emendationis propositum instituunt; ideòque legitimè absolvuntur, postquàm ab eo tempore quo hujusmodi culpam admittere cœperint, Confessionem altiùs repetitam emiserunt, si Sacerdos id tutius fore censuerit.

Alii, in quibus videlicet rationis lumen obscuratum est, » pravo » usu, iniquitatis suæ multitudine » gravati, innoxium sibi fingunt » quod est evidenter criminosum » (*p*). » Et quidem in aliis validior, in aliis infirmior est peccati consuetudo; & quò pejùs invaluit, eò sæpiùs atque illecebrosiùs peccati cogitationem inducit, eò vehementiore libidine ad exquirendas atque amplectandas illius occasiones impellit. De hac scilicet meritò dicitur: *Jugum illius, jugum ferreum, & vinculum ejus, vinculum æreum est* (*q*). Quinimò » peccata quædam, quamvis magna & horrenda, cùm in consuetudinem venerint, aut parva aut nulla esse cre-

(*o*) *S. Aug. Serm.* 34. de div. (*al.* 278.) *n.* 12.

(*p*) *S. Greg.* Mor. *l.* 7. *c.* 13.

(*q*) *Eccli.* 28. 24.

» duntur (r). » Hujusmodi peccatores non sine longo experimento absolvendi sunt; alioqui, facilè recidivi, ex abysso in abyssum ruunt præcipites; ac denique consummatam obdurationem sequitur impœnitentia finalis.

Alii, scientes peccari gravitatem, ipsius consuetudine ab ultima tantùm Confessione non multùm remotâ se obstrinxerunt. Neque horum difficilis est curatio, qui scilicet *nondùm descenderunt in profundum sepulturæ* (s), nisi fortè adsit occasio proxima quæ tolli omninò nequeat. Quòd si priùs aliquo sese intervallo probaverint, adversùs pravæ consuetudinis torrentem obluctantes, ita ut certa spes emendationis affulgeat; absolvi poterunt, modò tamen ea præstituros se polliceantur, quæ Confessarius tanquam ad perseverandum necessaria injunxerit. Si verò seipsos nondùm satis probaverint, à Confessario probentur, quoadusque aliquotiès (semel v. g. & iterùm, prout, habitâ circumstantiarum ratione, expedire visum fuerit) consuetudini vel occasioni restiterint, simulque firmam & inconcussam semper in posterum resistendi fidem faciant. Si, vel neglectâ Confessione, vel pro nihilo ductis Confessarii monitis, ac voluntatis pravitate potiùs quàm infirmitate & fragilitate, rursùs in eamdem consuetudinem impegerint; tunc, priusquàm iterùm absolvantur, diutiùs exploranda erit eorum sinceritas & perseverantia. Vulnus sanie adhùc tumet: » aperiendum » illud est & secandum, &, putredinibus amputatis, medelâ fortiore curandum. Vociferetur & » & clamet licet & conqueratur » æger impatiens per dolorem, gratias aget postmodùm, cùm senserit sanitatem (t).

Alii, cùm scientes & volentes peccati consuetudinem inierint, nullomodò sese emendârunt, vel, ad summum, levissimam torrenti molem opposuerunt occasione Paschalis officii, Festi alicujus, aut Confraternitatis, statam Communionem annexasque Indulgentias reducentis, vel propter Confirmationis aut Matrimonii susceptionem, propter longinquum iter, propter ægritudinem periculosam; & paulò pòst ruptâ mole, liberrimo impetu torrens consuetudinis exundavit. Ingruente tentatione, vel potiùs quæsitâ occasione, in eadem peccata prolapsi sunt falsi Pœnitentes; iis non multùm absimiles, qui, sæviente tempestate, imminente naufragio, supplices & pallentes veniam à Deo precantur, votisque cœlum fatigant; & statim cum periculo momentanea evanescit pœnitentia. Hi se absolvendos putant, eò quòd sincerè peccata confiteantur; seque contritos affirmant, licèt fortè animo fingant necessariam non esse morum emendationem, nisi ad breve temporis intervallum Confessionem præcedens & subsequens: adeò rudes, ut ad consequendam justificationem id sufficere existiment, si peccata sua, nullo celato, confiteantur, & Satisfactionem qualemcumque adim-

(r) *S. Aug.* Enchir. c. 80.
(s) *Idem*, *Serm.* 98. de verbis Ev. c. 4. *in Luc.* 7.
(t) *S. Cypr.* de lapsis.

pleant : adeò vecordes, ut non intelligant Pœnitentiæ fructum esse veram hominis cum Deo reconciliationem; hanc autem prorsùs ementitam judicandam esse, si, perpetuo Confessionis & peccati circulo, rescindatur (*u*). Ejusmodi illusoribus non credat Sacerdos. Inscios edoceat : qui verò suorum non sentiunt vulnerum altitudinem, eos sapienti cunctatione efficiat illam vehementissimè sentire. Eo fortiter suaviterque exhortante, ipsi intelligant « non » tam facilè remitti posse inusta se» mel crimina, & profundo vul» nere in animæ impressa visceribus: » multo opus esse fletu, multo gemi» tu, multo dolore cordis, ad sanan» dos ipsos cordis dolores. Non le» vi agendum esse Contritione, ut » debita illa redimantur, quibus » mors æterna debetur; nec transi» toriâ opus esse Satisfactione, pro » malis illis propter quæ paratus » est ignis æternus (*x*). » Non octo, non quindecim dierum intervallo sit contentus Pœnitentiæ Minister, ut seipsum eosque salvos faciat. Non Paschæ, non Jubilæi, non Missionis, non cujusquam piæ Confraternitatis occasione, statim in moribus Christianis firmiter constitútos existimet, quos perspexerit sæpiùs in iisdem aut similibus circumstantiis obligatam Deo fidem violasse. Exploranda est pariter intervallo sufficienti emendationis veritas, cùm aliquis vitiosam non abrupit consuetudinem, nisi ex diuturni morbi necessitate, vel propter sublatam aut absentem, illo invito, peccandi occasionem, quæ vel jam reducta sit, vel brevi reducênda; & simul cautissimè investigandum an illam ipse ex animo dereliquerit, nec ab illa sit tantummodò derelictus.

Sciscitanti Confessario an commissa doleant? facilè respondent omnes Pœnitentes, dolere se vehementer. Si verò, ad explorandam illius doloris veritatem, ab iis quærat an constituerint, prout exigit Contritionis sinceritas, peccata omninò devitare? hærent ancipites : id quidem se conaturos, mussitantes respondent generatim : si autem attingatur ea species delicti quod actu frequentiore & affectu vehementiore committunt, à quo prorsùs abstinendum denuntiet Sacerdos, propositis convenientibus remediis, ac præsertim fugâ illius occasionis quam sibi funestam sæpiùs experti fuerint; nulla, aut certè ambigua responsio sequitur : nihil denique ab iis extunditur, præter levissimas atque imperfectissimas promissiones, levissimi atque imperfectissimi doloris indices. Salutaribus monitis imbuendi sunt hujusmodi Pœnitentes, leniterque dimittendi, donec, in melius reipsâ mutati, à vitiis animum absterreant.

Et prudentiâ maximâ erga illos opus est, qui se, ob causam aliquam urgentem, vel ipso die, vel postridie Confessionis à Communione abstinere non posse affirmant : qualis est filius cum patre, filia cum matre ad Pœnitentiam & Eucharistiam accedere soliti : quales sunt etiam in Communitate viventes, ubi statis diebus indicta recurrit Commu-

(*u*) S. Leo, *Serm.* 1. de Resurr. *c.* 6. (*x*) S. *Cæsar. Hom.* 29.

nio generalis, nec sine scandalo prætermittenda; aliique id genus nonnulli, sive Ecclesiastici, sive Religiosi, sive Laïci. His in casibus, si Pœnitens peccati lethalis consuetudine irretitus inveniatur, ei Sacerdotis ingeniosa charitas declinandæ Communionis viam suggerat. Quòd si tunc primùm apud se confitentem non possit ab ea qualicumque necessitate, sine scandalo, aut illæsâ ipsius famâ, expedire; quàm poterit sanctissimè dispositum, atque adversùs culpæ iterationem præmunitum, non longinquo ad repetendum Confessionis Tribunal præfinito tempore, absolvat. Quòd tamen ita restrictè intelligatur, ut concedi non debeat Absolutio, nisi, perspectis Pœnitentium dispositionibus, ea, quâ devinciuntur, peccati consuetudo hac ratione expugnanda aut saltem plurimùm infirmanda meritò speretur, nec fidem jam alteri Confessario datam fefellerint, emendationem frustrà polliciti. Posteà verò, si notabili emendatione in melius profecerint, iterùm absolvi poterunt. Si autem nullomodò immutati redeant, nihilque aut ferè nihil ad veræ conversionis gratiam obtinendam præstiterint; fortiter insistat Sacerdos legi Pœnitentiali, quæ prohibet eos absolvi peccatores qui proposito carent à Dei offensâ in posterùm omninò cessandi: ac denique, ut illam suscipiendæ Eucharistiæ necessitatem declinent, quàm poterit sapientissimè provideat. Quod quidem incommodum multò certiùs præcaveretur, si, parentes, monentibus in CHRISTO JESU Pastoribus, liberam, de consilio prudentis Confessarii, Communionem filiis relinquerent; ac si ipsi Communitatum Superiores ad frequentem Dominici Corporis sumptionem suos hortarentur, nemine ad ipsam propter legis ullius impulsum adacto, dispensationemque tam facilè quàm prudenter cuique poscenti concederent. Sic videlicet mentem sequerentur Ecclesiæ, quæ voluit ipsam Communionem Paschalem, præcepto tam sacro & sub pœnis tam gravibus sancitam, *de consilio proprii Sacerdotis ad tempus* differri posse (*y*), ne salutis *mensa* cuiquam *fieret in laqueum* (*z*). Sic multis sacrilegiis obviaretur, quæ committunt falsi Pœnitentes, dum peccata celant, ne sibi suspendatur Absolutio, & Communio interdicatur; vel semper eadem peccata lethalia sine vera Contritione confitentur, & malè absoluti cœlestem Panem indignè manducant.

JAM verò, circa Pœnitentem ex vitiosa consuetudine peccantem, generatim constitui facilè non potest quanta sit in Absolutionis dilatione adhibenda diuturnitas. Eam dijudicet prudens Confessarius, juxta naturam delicti, juxta consuetudinis vim & vetustatem, juxta occasionum frequentiam vel raritatem. Quem innectit consuetudo cujus fomitem & occasionem secum gerit assiduè, qualis est qui per mollitiem in corpus suum atque in naturam peccat, hic saltem unius mensis atque etiam aliquandò sex hebdomadarum, vel duorum mensium in-

(*y*) *Can.* Omnis utriusq. sex. (*z*) *Ps.* 68.

tervallo probandus videtur, ut fœdissimam illam corporis animæque pestem vitare in posterum velle censeatur. Longiore experimento esset illius immutatio exploranda, cui solitum foret sancti conjugii fidem violare, aliove impuro congressu peccare; tunc enim, cùm rariores sint occasiones, non tam citò intelligi potest an sublata sit consuetudo.

Circa ebrietatem, vitium in humanitatis ac Religionis dedecus adeò frequens inter plebeios, ac præsertim ruris incolas, plurium mensium indicta probatio vix quidem sufficit ut ebriosi meritò existimentur ad sobrium potum rediisse; & conversio hujusmodi, omnium utique difficillima, ex toto impossibilis est, nisi derelictis cauponis, atque amputatis omnibus ebrietatis occasionibus; ad quod tamen pertrahi vix unquam possunt multo vino dediti. Itaque, per modum Pœnitentiæ medicinalis, à popina firmiter & inconcussè arceantur quicumque eam sine ulla necessitate frequentant; quales sunt operarii, artifices & famuli, qui, nisi Dominicis Festisque diebus, & solummodò ad potandum, illùc non ingrediuntur. Jubente Confessario, conveniant horis pomeridianis ad Vesperas, ad Concionem, ad serotinas Preces & Institutiones, si quæ in loco celebrentur: se posteà domum recipiant, ibique animum relaxent, honestèque sese oblectent cum familia. Sunt qui, propter susceptum vitæ institutum, non possunt quin cauponas ingrediantur, in quibus inebriari solent. Ii vinum omne quod bibituri sunt, aquâ multâ temperare compellantur. Quod quidem si diuturnâ probatione feliciter succedat, absolvi poterunt, modò tamen stabiles in eodem proposito videantur. Si nulla sequatur emendatio, priùs absolvendi non sunt, quàm omninò ab occasione secesserint, quantumlibet temporale detrimentum indè sibi proventurum conquerantur. Eodem modo in eos agatur, qui, vel apud se, vel apud amicos ebrietatis occasionem inveniunt.

Circa Pœnitentes ex assuetudine jurantes, irasci celeres, dicteria, injurias, maledicta, & illud omne quod suggerit commota bilis, jaculantes, ut solent qui mentis æstu vehementissimo abripiuntur, id videtur esse observandum. Cùm neque iracundiam cohibere, neque linguam refrænare possint, nisi vim sibi maximam adhibeant; si unam duasve hebdomadas contra semetipsos felici exitu depugnaverint, spem accipiant Absolutionis proximæ; & reverâ, interposito simili spatio, absolvantur, prout conversionis indicia quæ sufficiant, exhibuerint.

His porrò signis facilè dignoscitur an Absolutione dignus sit Pœnitens: si nempè aliquanto tempore consilia sibi data executus, remediisque à prudenti Confessario injunctis fideliter usus est; si tentationibus restitit; si loca & personas quæ sibi priùs occasio peccati erant, diligenter vitavit; si, per aliquod temporis intervallum, orationem ac sensuum mortificationem adhibuit, ut gratiam à Deo virtutum obtineret vincula sua disrumpendi pravosque affectus debellandi; ac si eâ multiplici & salutari diligentiâ sa-

natus, tandem à peccato cessavit. Tunc certè non longior instituenda est probatio, ubi jam in cursu posita viget emendatio.

Quin etiam aliquandò, vel nullâ, vel solito breviore, pro variis rerum adjunctis, interpositâ morâ, potest absolvi Pœnitens à prava consuetudine recens: cùm nempè tam inusitata tamque eximia veræ Contritionis indicia exhibet, ut primo statim intuitu manifesta in ipso agnoscatur *mutatio dexteræ Excelsi* (*a*). Tunc scilicet judicandi locus est, Deum illi, misericordiâ singulari, compunctionis gratiam accelerasse, subitòque, præter consuetum ordinem, sinceram impertirum esse conversionem, quam plerique alii inveteratâ peccandi consuetudine implicitì longo vix tempore consequuntur.

Quinimò in minore gradu insignia nonnunquam sufficiunt conversæ ad Deum voluntatis testimonia, quæ in mente prudentis Confessarii firmam ingenerent persuasionem de Pœnitentis Absolutionem ardenter expetentis dispositionibus; cujus absolutoriæ sententiæ dilationem aliàs remedii instar adhibendam, hîc & nunc adhibere sine gravi periculo aut incommodo nequeat; cùm alia interim in promptu habeat & subrogare faciliùs possit remedia, quibus sanatum iri Pœnitentem haud immeritò confidat.

Pariter quidem, si, personarum, locorum temporumque circumstantiis inter se collatis & multâ consideratiâ expensis, hujus generis Pœnitenti ad sacrum Tribunal submissè provoluto, ad ea quæ necessaria censuerit Confessarius, amplectenda & exequenda naviter parato atque erecto, simulque largissimo cum fletu & singultu misericordiam tunc primùm imploranti, nullum aliud nisi veræ sinceræque emendationis propositum fuisse judicetur; atque ex mora diuturna probabiliter metuendum sit animi dejectionis, desperationis, obdurationis, aut aliud ejusmodi grave periculum. In his similibusque casibus, Absolutionis beneficium, nullâ vel minùs diuturnâ probatione interjectâ, impendi tutò posse existimamus, memores videlicet, tum prophetici oraculi: *Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua* (*b*); tum illius sententiæ, quam à luculentissimo Ecclesiæ teste Augustino prolatam laudavit atque approbavit Concilium Parisiense: » In actione Pœnitentiæ » non tam consideranda est mensura temporis, quàm doloris (*c*). » Nimirùm sanctis Patribus & Conciliis perspecta erat Evangelica Parabola filii prodigi, quo quidem adumbratur peccator tam verè quàm repentè pœnitens. Is videlicet cùm primùm *in se reversus* de aberrationis suæ *regione longinqua*, *venit ad patrem*, hic *misericordiâ motus*, illi exit obviàm, in pacis osculum procumbit, innocentiæ *stolam primam* castique fœderis annulum ei

(*a*) *Ps.* 76.
(*b*) *Ezech.* 33. 12.
(*c*) *S. Aug.* in Ps. 76. *Conc. Paris. VI*, *an.* 829. *l.* 1. *c.* 46. *Aderat* Erchanradus II, *Paris. Episc. Vide* Petr. Lombard. *Paris. Episc. an.* 1159. Sent. l. 4. dist. 20. art. 3.

citò

citò restituit : ac denique secum omnes *gaudere* cupit, *quia* filius suus *mortuus erat, & revixit ; perierat, & inventus est* (*d*). Sic Beatus Joannes Evangelista, non longâ adhibitâ probatione, juvenem illum reconciliavit, qui ab instituto vitæ Christianæ eò usque defecerat, ut latronum dux factus fuisset, quique ab ipso Apostolo iterùm Christo acquisitus, sese ad meliorem frugem verè & ex animo conversum ostenderat (*e*).

Alii occasionibus blandè simul & miserè detinentibus diù constricti, generoso impetu omnes iniquitatis colligationes fortiter dissolvunt, peccandique illecebras, ruptis mundi vinculis, fugiunt quàm longissimè. Sic (ut admirandæ cujusdam atque extra consuetum ordinem positæ conversionis exemplum afferamus) sic Beata Maria Ægyptia, quæ annos septemdecim peccatrix fuerat, cùm tandem *adolescentiæ suæ opprobrium erubuisset* verè pœnitens (*f*), cùmque, primùm divinitùs repulsa, nostræ Redemptionis lignum adorasset ; tum absoluta, statimque Dominici Corporis Sacramento refecta, secessit *in* vastissimam *solitudinem*, in qua *Deo loquente ad cor ejus* (*g*), mollitiam pristinam tremendâ austeritate per annos septem & quadraginta expiavit. Sic varii peccatores statim aut non multò pòst cum Deo reconciliati sunt, tum propter signa conversionis solito illustriora, tum propter viam Pœnitentiæ arctissimam quam in ipso vitæ novæ procinctu ingrediebantur. Alii, ne commissa iterent, vitæ genus honorificum simul & quæstuosum abdicant ; aut diversum iter arripiunt, ut vitam Monasticam, ut Matrimonium, respectu nimirùm æternæ salutis, cui non jam impedimento futuræ sint relictæ conditionis occasiones periculosæ. Alii, à diuturna in proximum injustitiâ resipiscentes, Zachæi instar, *quod defraudaverunt*, cumulatè *restituunt* (*h*). Alii, pravâ consuetudine penitùs derelictâ, semetipsos probaverunt intervallo sufficienti, omnes peccati occasiones proximas fugerunt, jamque vitam agunt sanctiorem ; & ipsi, non Paschalis Officii, non Festi alicujus, non Peregrinationis, non Confraternitatis, non Indulgentiæ, non Jubilæi vel Missionis occasione solâ inducti, ad confitendum accedunt.

Cæterùm, quotiès de hujusmodi repentinis conversionis motibus ferendum est judicium, hoc sedulò animadvertendum Sacerdoti est, num fortè imaginandi vis potiùs quàm ipsa mens afficiatur ; sitque magis conversionis initium quod minimè sufficit, quàm sincera Contritio quæ planè & absolutè requiritur.

Extra insolitos ejusmodi casus, nihil sapiens, nihil tutum est præter Absolutionis dilationem, erga Pœnitentes qui peccatum in consuetudinem verterunt. Hi plerumque in fæcibus suis hærent miserrimè infixi, licèt aliquandò confiteantur. Scelerum puros se non dubitant, cùm sint, profanatis Sacramentis,

(*d*) *Luc.* 15. 13. 17. 20. 22. 23.
(*e*) *Euseb.* Hist. Eccl. *l.* 3. *c.* 33.
(*f*) *Jerem.* 31. 19.
(*g*) *Osee*, 2. 14. (*h*) *Luc.* 19. 8.

longè horridiùs consceleratì. Quod genus cladis in morum ruinam frequentissimæ ex imprudentia Confessariorum sæpiùs evenire perspicuum est; *neque enim esset tanta facilitas peccandi, si non esset tanta facilitas absolvendi* (*i*). Alii ex assuetudine peccantibus nunquam Absolutionem suspendunt: rati scilicet eum satis dispositum haberi posse, qui sincerè confiteatur; qui disertè affirmet sibi animo fixum atque immotum sedere ne ampliùs Deum offendat, qui impositam sibi Pœnitentiam suscipiat, monitisque assentiri videatur. At certum est innumeros quotidiè peccatores occurrere hæc omnia ostentantes, nec tamen vero sanctioris vitæ desiderio accensos; ideòque non Pœnitentium verbis, sed operibus esse credendum. Alii octo vel quindecim dierum probationem satis esse putant, ut ad reconciliationis gratiam disponantur peccatores vel maximè inveterati, modò per illud breve spatium à peccando abstinuerint, vel aliquam pro tempore ostendant morum immutationem. Alii, cùm longiorem in simili casu probationem requirant, Paschæ & Jubilæi tempora indiscriminatim excipiunt. Alii, propter aliquot dies in pio successu exactos, propter auditas Missionis aut Quadragesimæ nonnullas Conciones, adeò immutata corda semper existimant, ut supervacua sit probatio ulterior. Constat verò à probationis lege erga eos qui ex assuetudine peccaverunt, nunquam esse recedendum, nisi eximiæ in illis emineant dispositiones, magnumve, habitâ circumstantiarum ratione, incommodum oriturum esse prudenter judicetur, si Pœnitenti, animi ad Deum penitùs reversi indicia præ se ferenti, suspendatur Absolutionis beneficium.

His igitur casibus exceptis, ut peccatores in sanctificationis viam reducantur, neque in vitiis defixi consenescant, jubet prudentia reconciliationem Pœnitentibus ex assuetudine peccantibus tamdiù suspendi, quamdiù necesse est ut peccati gravitatem sentiant; quo quidem intervallo ad suscipiendam cum fructu Absolutionem disponantur, ad perfectam morum emendationem accendantur, & velut in Dei castris exerceantur ad *colluctationem adversùs carnem & sanguinem*, ad infirmandam ac destruendam, quantùm fieri potest, propensionem infelicem repetitis actibus comparatam; sicque tandem, superato more vitioso, ad Christianæ disciplinæ normam compositos se præbeant. Iis autem suspendatur Absolutio, non solùm donec minùs frequenter peccent, verùm etiam donec omninò non peccaverint longiore aut breviore temporis intervallo, prout consuetudo invaluit aut veteravit, tum prout ipsi frequenter post præcedentes Confessiones lapsi sunt; uno verbo, donec sincerè expediti esse videantur ad resistendum concupiscentiæ, ne iisdem se peccatis commaculent.

Vetat similiter prudentia dignos Absolutione haberi Pœnitentes ex consuetudine peccantes, eò quòd octo vel quindecim dies puri vixe-

(*i*) *Bellarm. Serm.* 8. de Adv. *Vide S. Aug.* in Ps. 6.

rint, nisi prætereà sinceram conversionem demonstrent. Hypocritæ innumeri sese per totam Quadragesimam cohibent à solitis peccatis, ut, ab incauto Sacerdote absoluti, cum cæteris intra Paschales dies communicent; & tamen vitam pristinam, transactâ Solemnitate, agere intendunt. Alii circa proprias dispositiones, circa offensæ odium & fugam, voluntario seipsos errore decipiunt. Pridiè Festi quo sanctissimæ Eucharistiæ participes fieri cupiunt, paucis antè diebus quàm Sacramento Confirmationis obsignentur, vel Matrimonio jungantur, seu in alio ejusmodi rerum articulo gratiam sanctificantem requirente, se sibimetipsis fingunt satis fortes ad omnia pravæ consuetudinis vincula rumpenda, libidinumque omnium æstus coërcendos; ipsique erectos atque alacres sese profitentur ad extrema quæque potiùs perpetienda, quàm ut deinceps peccato consentiant. Non tamen sincera est eorum Contritio, non solidum vitæ sanctioris propositum. Nec Deum offensum, sed suspensam Absolutionem dolent, conversionem in mentis superficie, quæ est imaginandi vis, non verò in cordis penetralibus gerentes (*k*). Hinc, post multas probationes, idem permanet vitæ color, eadem morum perversitas. Videant Confessarii diligenter ne religioni suæ fucum faciant ejusmodi Pœnitentes, nec eos per hujusmodi falsæ atque ementitæ Pœnitentiæ securitatem in via perditionis relinquant. Tentationibus atque occasionibus discant resistere, ut paulatim ex animo tollatur peccati affectus. Eo quippè non sublato, remanet *radix amaritudinis*, quæ *rursùm germinans* (*l*) profert surculos peccati & mortis. Itaque, ad funestam illam radicem fortiter adactâ Pœnitentiæ securi, ipsa omninò extirpetur. Neque enim sufficit ut Contritionis speciem præ se ferat Pœnitens: videndum est prætereà quomodò à noxæ iteratione servetur integer; quod tandem præstari efficaciter poterit, si destruatur vitiosa consuetudo. Dilatio igitur satis habeat intervalli, ut judicetur an Pœnitens, recurrente solitâ peccandi occasione, huic viriliter sit restiturus. Nempè extra tentationem nulla est probatio. Non semper suî sensum facit consuetudo peccati: ignis est cineri suppositus, qui, si vel levissimè commoveatur, solitum continuò exsuscitat incendium. Aliquandò sopitus, non excitatur nisi certis in circumstantiis; tuncque libido, *vestem carneam succutiens*, seque *dimitti submurmurans* (*m*), animi consensum redivivo impetu sollicitat. Qualis sit unusquisque, comprobat hora tentationis (*n*); quam repellere si non assuescat Pœnitens, propositum infirmum judicetur, simulque Contritio vana, conversio falsa, peccator minimè correctus, atque idcircò Absolutione indignus. Itaque Confessarii adeò imprudentes ut illâ emendatione contenti sint, quæ sopitæ consuetudinis intervallo absentibusque interlucet oc-

(*k*) *Vide S. Greg.* Past. *l.* 1.
(*l*) *Hebr.* 12. 15.
(*m*) *S. Aug.* in Ps. 43.
(*n*) *Id.* Conf. *l.* 8. *n.* 26.

casionibus in quibus peccare solent Pœnitentes, semper decipiuntur; eumque sibi mœrorem facessunt, ut, quos in melius immutatos existimaverant, hos comperiant eadem facilitate corruentes, ubi primùm ingruit tentatio vel recurrit occasio.

Qui ergò peccare solet ex tentatione vel occasione rarissima, etiam unicâ per annum, is non absolvatur, donec, recurrente tentatione vel occasione, pravæ consuetudini obnixus fuerit, nisi hinc ducenda sit mora justo longior; quo quidem in casu (saltem quantùm fieri poterit) certo intervallo suspendatur Absolutio Pœnitenti, ut frequentibus Contritionis actibus illud peccatum detestetur, viam potiorem cogitet ab illo declinandi, gratiamque ad hoc necessariam exoret. Esset quidem efficacius, si paucis ante recurrentem occasionem diebus confiteretur, & quidquid per ipsam hactenùs deliquisset, summatim recenseret; quò certiùs, opportuna remedia suggerente Confessario, adversùs culpæ iterationem præmuniretur.

Peccatori frequenter lapso rectè suspenditur Absolutionis beneficium, quoadusque pluribus restiterit occasionibus ac tentationibus, pro consuetudinis robore, & prout frequentiùs vel rariùs anteà relapsus fuerit; solâ enim iteratione victoriæ, in veteri consuetudine prævaidisque affectibus dominamur. Qui a rò peccabant, ipsi, cùm bis vel ter invicti steterunt in occasione ex qua semper sequebatur delictum, absolvi possunt, ne propter longiorem cunctationem animum despondeant. Ii verò quibus frequenter peccare solitum est, magis diuturnâ probatione indigent, scilicet propter tenaciorem affectum.

Quamvis autem Sacerdos Pœnitentes videat longâ dilatione opus habentes ut perfectè corrigantur, » qui scilicet jam duro sui moris la» pide premuntur, qui jam urgen» tur consuetudinis pondere (*o*); » non eos idcircò primùm ad diem longinquiorem dimittat, non illis diuturnæ probationis legem denuntiet, ne fortè injucundâ severitatis imagine terreantur; sed intrà paucos dies redire ipsos ad Confessionem jubeat. Qui, exempli causâ, singulis diebus vel hebdomadis peccare solent, ii post dies octo redeant; per quod scilicet intervallum recurrit probationis occasio. Qui rariùs peccant, ii per tempus suæ conditioni accommodatum probentur, spatio v. g. duarum, trium, vel quatuor hebdomadum. Utrique, post sufficientem probationem, si tentationibus & occasionibus obluctati fuerint, absolvantur. Quòd si nullam aut ferè nullam consuetudini molem opposuerint; pro ipsis oret Confessarius, eosque ad spiritum compunctionis à Deo flagitandum, atque ad exercenda Pœnitentiæ opera cohortetur. Præcipiente Confessario, *annos æternos*, mortem, judicium, infernum *in mente habeant* (*p*);

(*o*) *S. Aug. Serm.* 98. *c.* 4. de verb. Ev. *Luc.* 7.

(*p*) *Ps.* 76. *Eccli.* 7. 40.

proposita Pœnitentiæ incitamenta sæpiùs meditentur; aliquem librum ad pietatem compositum statis diebus & horis legant; fervidis orationibus *spiritum gratiæ* invocent: intereà frequentet ad Confessionem accedant, quò certiùs ad Contritionem veramque cordis immutationem excitentur, & ad suscipiendam aliquandò Absolutionem disponantur. Cùm tandem aliquo intervallo seipsos vicerint, atque à peccato in quod labi anteà solebant, omninò abstinuerint; firmum ab iis eliciatur propositum *serviendi Domino in sanctitate & justitia*, non uno mense, non sex mensibus, non integro anno, non tribus, non decem aut quindecim annis, sed *omnibus vitæ suæ diebus* (*q*). Præmoneat Sacerdos hujusmodi Pœnitentem, id procul dubio eventurum, ut, delinquendi assuetudine captivatus, sensuum rebellione impugnetur (*r*), ut *adversarii*, elapsâ sibi prædâ *rugientis*, artibus tentetur, ut visibilium illiciatur affectu, ut propinquorum atque amicorum blanditiis dissuadeatur (*s*), ut cœtibus demulceatur & occasionibus; sed carni, sed mundo, sed diabolo fortiter esse obluctandum; sed hactenùs indomitas concupiscentias continentiæ robore subigendas, & timoris Dei telo configendas (*t*); sed omnia fidei ac virtutis magnitudine prætereunda, ut in lege mentis, abdicatâ lege sensuum, perseveret immotus.

Quidam, urgenti Confessario ut peccato in æternum valedicant, id respondent, in animo sibi non esse ut peccent ulteriùs; quinimò velle se à peccato, quantùm poterunt, abstinere, & sibi impositam quamlibet Pœnitentiam exequi; magnamque intereà obtinendæ Absolutionis pruriginem exhibent. Nullam aliam sermonis istius causam esse liquet, præter infirmum & inefficax propositum; quod quidem haud sufficit ut Sacramentum legitimè fructuosèque suscipiatur. Cùm enim dicunt se, *quantùm poterunt*, à peccato abstinere velle, satis quidem indicant se non firmo proposito constituisse ingruenti tentationi resistere; quamvis ad sinceram conversionem requiratur ut quisque paratus sit, & cupiditates, & eas quæ sibi vel maximè arrident, cupiditatum illecebras, exempla, amicitiarum conjunctiones periculosas, rei cujusvis humanæ respectum, Deo juvante, transcendere, &, qui maximus omnium triumphus est, seipsum perpetuò vincere.

Sunt qui statim promittere non dubitant se nunquam ulteriùs in scelita peccata relapsuros; iique sæpiùs anteà, post alias probationes, à sanctioris vitæ instituto defecerunt. Qui autem promptiùs emendationem pollicentur, eos quoque ocyùs fidem fallere experientiâ compertum est: *hi* nempè *radices non habent*, & *in tempore tentationis recedunt* (*u*). Si quis occurrat hujusce indolis Pœnitens, non priùs absolvatur, quàm fuerit satis probatus: alioqui, *perseverantia illius non permanebit* (*x*).

(*q*) *Luc.* 1. 75.
(*r*) *S. Laur. Just.* de spir. resurr. *l.* 2.
(*s*) *Ibid.*
(*t*) *Ps.* 118.
(*u*) *Luc.* 8. 13.
(*x*) *Eccli.* 28. 26.

Alii ſtatim promittere non audent, ac deliberandi tempus expoſcunt. De his, tanquam bonâ fide agentibus, benè ſperandum eſt: firma ſæpè & ſolida erit eorum converſio, quæ ſcilicet maturiore conſilio perficietur. Alii, ſi paucorum menſium aut annorum perſeverantia quæratur, eam ſe polliceri quidem poſſe dicunt, non autem affirmare ſe nunquam peccaturos; idque propter occaſiones & cœtus illigantes, propter vehementem in veterum propenſionem. Hi procul dubio fallaciæ dolique expertes ſunt: adhùc tamen infirmum eſt eorum propoſitum, quippè qui ordinis conſueti occaſionibus fortiores ſe nondùm exhibent. Quamobrem in multa patientia & ſollicitudine ſupra humanum obſequium propriamque libidinem extollantur, iis ad vivum propoſitis incitamentis quibus fides vehementiſſimum peccati odium imperat. Suggerente Confeſſario, intelligant hoc primum maximumque eſſe mandatum ut Deus ſuper omnia diligatur; Deum autem ſuper omnia haudquaquam ab eo diligi, qui ejus amicitiam poſtponat cœtuum & carnis illecebris, mundi implicationibus falſiſque voluptatibus. Itaque iis ſuſpendatur Abſolutio, quoadusque à peccato ad reliquum vitæ tempus declinare conſtituant. Qui inveteratæ conſuetudinis mole depreſſus, firmum emendationis propoſitum nondùm mente concipit, hic certè benigniſſimâ indiget Confeſſarii curâ, ut neque vitium inter & virtutem anceps hæreat, neque ex deſperatione in pejorem quàm anteà ſtatum relabatur. Studeat Sacerdos maximum in illo peccati horrorem excitare; ſimulque ipſum dulciſſimâ erigat fiduciâ in ſummam Dei miſericordiam, ut potè qui pater eſt, ad parcendum filiis benignâ voluntate propenſiſſimus. Eum denique impenſiùs cohortetur, ut frequenti oratione pœnitentiæque operibus eam cordis immutationem promereri contendat, ſine qua de ſtatu peccati reſurgere nunquam poterit.

Fieri tamen poteſt ut qui firmum propoſitum animo concepit, hic timore aliquo perturbetur, ne, inſurgente tentatione, à concupiſcentia vincatur illectus, nihil intereà omittens quo poſſit, auxiliante gratiâ, carnem ſpiritui ſubjicere. Sed timor ille ex infirmitatis & fragilitatis propriæ conſcientiâ exortus, non impedit quin verum ſit ejus propoſitum; in quo ſcilicet immotus permanebit, vitatis peccati occaſionibus, iiſque diligenter præſtitis quæ ſuggeret Confeſſarii prudentia, ut in hujuſmodi prælio victoriam obtineat. Ipſi quidem malè præpoſterèque denegaretur Abſolutio; peccati enim affectum certiſſimè depoſuit. Non velut ſiniſtrum quiddam exiſtimandum eſt, quòd Pœnitens ſibi diffidat, culpæque iterationem timeat. Quinimò gratiæ & emendationis fructus ex eo ſperare magis licet qui ſe fragilem agnoſcit & gemit, quàm ex eo qui in propria virtute confidit.

Qui virium ſuarum diffidentiâ adhùc fluctuantes videntur, nec perſeverantiam audent polliceri, ſuaviter impellendi ſunt ad ſuperandas, quæ in ſtadio virtutis occurrunt, difficultates. Ante omnia verò, quidquid ad peccatum allicere poteſt, diligenter

fugiant; nihil enim emendationis est ab eo sperandum, qui peccandi occasionem proximam vitare detrectat, quantumvis affirmet eâ se mentis firmitudine instructum, quæ ad vincendum necessaria est. Qui amat peccati periculum, hic certè peccatum amare censetur; & *qui amat periculum, in illo peribit* (y). Temerarius est, & Deum tentat, qui se in peccati occasione proxima inconcussum fore confidit. Statim igitur ut Pœnitens ad deponendam peccati consuetudinem accingere velle se videtur, ejus tollatur occasio: si verò tolli ea non possit, adversùs illam apta remedia instituantur, ut fusiùs suo loco explicabimus (z).

Optimum quidem factu esset ut Pœnitens, probationis tempore, *annos suos* per dies aliquot in pio secessu *recogitaret* (a), atque incitamenta conversionis, suggerente Confessario, meditaretur, interim Pœnitentiæ opera suis viribus accommodata exequens. Prætereà, si Pœnitentes viis injustis ditati fuerint, si proximi famam iniquo dente roserint; eodem intervallo restituant malè quæsita, & proximo satisfaciant. Nullum tempus est quo peccatores ad necessaria simul ac difficilia præstanda feliciùs adducantur. Elapso fervore, frustrà requiretur pollicitationum effectus; dolebitque Confessarius revolutos in præceps, quos non satis longè à periculo removerit.

Cùm Pœnitens anteà vitiosus ad Absolutionem proximè suscipiendam disponitur, ut probetur firmitas illius propositi quo vult esse *fidelis usque ad mortem* (b), ei quidem in animum revocari poterunt occasiones quas sibi ad lapsum crebras fuisse reminiscitur. Si ad resistendum naviter se spontè accingat, eâ in voluntate roboretur: si verò ignoret quid sibi agendum sit ut pugnet & vincat; edoceatur, atque ad necessaria præstanda inducatur. Insolitæ autem probationes non sunt Pœnitentibus proponendæ, ne difficultatis imagine terreantur magis, quàm in Dei amore & legis observatione firmentur. Multi enim in proposito vacillarent, quibus amissio bonorum, infamia, cruciatus, mors ipsa exhiberetur potiùs toleranda, quàm incurrenda Dei offensio.

Porro, ut fructuosa sit Pœnitentis probatio, impositæ hoc ipso intervallo satisfactiones, non tantùm expiatoriæ, sed & medicinales sint. Et quoniam contraria contrariis optimè curantur, ea maximè injungantur pia opera quæ vitio cuilibet opposita sint, undè certiùs pariter & faciliùs extirpetur (c).

Cùm autem imponuntur Pœnitentiæ medicinales, Pœnitenti proponenda sunt incitamenta gravissima quibus ipse ad detestandum fugiendumque peccatum inducendus est. Neque omittenda sunt virtutis incentiva naturalia, præsertim erga

(y) *Eccli.* 3. 27.
(z) *Infrà, in hac Div. cap.* 4.
(a) *Is.* 38. 15.
(b) *Apoc.* 2. 10.
(c) *Conc. Trid. sess.* 14. *cap.* 8. De satisf. *Vide infrà, Div. VII; cap.* 1.

rudiores animos. Fures, iique omnes qui *non sua* quoquomodò *multiplicant* (*d*), exhibitâ suppliciorum imagine terreantur; undè oculos manusque ab alienis abstinere consuescant. Puellæ dedecus horreant quod sequitur inverecundiam. Reminiscantur ebriosi quid detrimenti pariat crapula; quàm turpe sit hominem brutis animantibus similem fieri; quàm indignum, quàm à natura alienum, uxorem & liberos omni cultu victuque humano carere, dum crapulentus pater & maritus debitam iis substantiam ebibit atque obligurit. Sentiant libidinosi quanta existat ex rerum turpium consectatione infamia, quanta perturbatio hebetudoque mentis, quantum rei familiaris temporalisque felicitatis detrimentum, quantus luctus, quàm graves morbi, quantum denique sui odium, ex cognita impudicitiæ mercede penitùs animo infixum. Deindè ad sublimiora feratur exhortatio spiritualis: judicium, infernus in medium afferantur; » voluptati opponatur vermis » perpetuus, tenebræ exteriores, » ignis inextinguibilis, tribulatio, » angustia, stridor dentium, vin» cula insolubilia (*e*). » Tum exhibeat Ministri sermo vivus & incensus gratiæ & gloriæ divitias quæ lethaliter peccanti eripiuntur; ac demùm injuriæ Deo illatæ atrocitatem. Hæc ante oculos peccatorum quasi in tabula proponat, ut à perniciosо gravissimoque morbo tandem aliquandò resiliant.

Si quis verò Pœnitens conqueratur sese, ex quo vitæ novæ rationem inierit, vehementiùs tentari; ut ipsi erigatur animus, affirmet Sacerdos tentationes, si viriliter iis obluctari perrexerit, non diù esse perstituras; atque etiamsi per totam vitam validissimum sustineat cupiditatum certamen, iis resistere satius esse, quàm per eas in peccatum atque in infernum pertrahi. Ei modum spiritualis hujus belli suggerat; ipsum quàm maximè poterit, adjuvet, accendat, consoletur. Et certè, si vehementiùs tentari se sentiat, non idcircò vehementiores sunt tentationes; sed earum sensus, inito luctamine, vehementior est: quemadmodùm si quis naviculam secundo agat flumine, is quidem impetum aquæ non sentit, & facili remigio mollique agmine deducitur; si autem adverso amne cymbam subigere velit, tunc obnixus laborat in remigando, undas nisu contrario præcipites sulcat operoso molimine, & multâ vi lentè procedit. Hæc est ad vivum expressa imago vitiosæ propensionis, quâ nemo satis afficitur, nisi reluctans. Ante omnia verò, ad reluctandum feliciter, eum oret *qui dominatur potestati maris, & motum fluctuum ejus mitigat* (*f*), ut compescat *spiritum procellæ* (*g*), quo *navicula mentis concutitur* (*h*). *Si insurgant venti tentationum, si incurrat scopulos* occasionum; si jactetur *superbiæ undis, si ambitionis, si detractionis, si æmulationis; si iracundiâ aut avaritiâ aut carnis ille-*

(*d*) *Habac.* 2. 6.
(*e*) *S. Chrys. Serm.* 2. cont. concub. *tom.* 4. *edit. Paris.* 1621.

(*f*) *Ps.* 88.
(*g*) *Ps.* 106.
(*h*) *S. Bern. Hom.* 2. *sup.* Missus, *n.* 17.

cebrâ

cebrâ tentatur animus (*i*); Jesum in se dormientem excitet, qui dicat tempestati : *Tace & obmutesce ; & fiet tranquillitas magna* (*k*).

Quòd si tandem Pœnitens anteà ex consuetudine peccator, in via justitiæ steterit inconcussus intervallo sufficienti, habitâ ratione consuetudinum, quarum aliæ longiorem, aliæ breviorem probationem requirunt ; absolvatur, postquàm per validissima quæque incitamenta fuerit ad Contritionem excitatus, prætereàque salutaribus monitis ad perseverandum eruditus. Sed nonnunquam satius erit ut ei sacra Communio, perfectæ reconciliationis signaculum, aliquanto tempore differatur; quo quidem spatio frequenter ipse confiteatur. Sic videlicet altâ humilitate fundatus, majorem concipiet tremendi mysterii reverentiam : sic in vitæ novæ proposito magis ac magis roboratus, & virtutum exercitatione mundatus, dignior fiet qui sanctitatis Auctorem intrà se hospitem suscipiat. Hùc accedit quòd, seorsim concessis tanti pretii beneficiis, significantiùs prædicatur quanti valeant; & qui ad ea suspirant, iis dignos se præbere conatu validiore contendunt.

Quamvis autem is cui priùs fuerat lethaliter peccandi consuetudo, ritè pièque dispositus videatur, adhùc tamen in aliud tempus dimitti potest (nisi aliqua circumstantia dilationem excludat ulteriorem); cùm nempè hæc dilatio utilissima fore judicatur ad eum in bono proposito confirmandum, cautiorem ac vigilantiorem efficiendum, atque ad ipsum efficaciùs impellendum ut *concupiscentiam malam* in dies magis ac magis *mortificare* studeat (*l*).

Qui, cùm in profundo frequentis peccati monumento nondùm jaceant, neque acceperint desupèr *consuetudinis molem* (*m*), semel duntaxat vel iterùm ; propter insolitas quasdam occasiones, in lethalem culpam inciderunt, suadet vehementer prudentia suspendendam iis quoque esse Absolutionem, quandò illos ab offensa Dei non satis abhorrere perspicitur, & sperandi locus est Contritionem in ipsis sapienti cunctatione esse potentiùs excitandam, eosque à noxæ iteratione servandos, non tamen à Confessione per intempestivæ severitatis imaginem retrahendos. Quod cùm erga cæteros peccatores observari expedit, tum præsertim erga eos qui suum pariter & alienum corpus actu impuro vel semel contaminaverint, quive solitario carnis peccato naturam offenderint. Præterquàm quòd enim in ea delicti specie lapsus maximè lubricus est, facillimèque in consuetudinem præceps, permagni etiam refert ut sentiatur quanta sit impudicitiæ gravitas; quâ nimirùm funestiùs contenebrantur mentis oculi, quâ fortiùs constringuntur omnes animæ facultates, quâ fœdiùs inquinantur mens & conscientia, quâ scelestiùs profanatur corpus, templum Spiritûs sancti, quâ de-

(*i*) *Ibid.*
(*k*) *Marc.* 4. 39.
(*l*) *Col.* 3. 5.
(*m*) *S. Aug. Serm.* 98. de verb. Ev. *Luc.* 7. c. 4.

mùm horridiùs tota deformatur interioris hominis pulchritudo. Expendat autem Sacerdotis prudentia, an non fortè adsint aliquæ circumstantiæ, quæ circa Pœnitentem fragilitate lapsum ac piè dispositum nihil moræ patiantur.

Erga eos pariter sapienti cunctatione opus est, qui Sacramenta frequentant, semel in hebdomada sacram Eucharistiam accipientes, si fortè quorumdam inter venialia graviorum affectu teneri videantur. Quòd si torporem non excusserit prudens exhortatio; iis Absolutionem & Communionem suspendi necesse erit, ut ad pristinum fervorem redire compellantur. Quamvis enim propter venialia denegari absolutè reconciliatio non possit, quia scilicet, cùm non sint materia Sacramenti necessaria, quisque illa non confiteri, atque ab iis alio remedio expiari potest; qui tamen hujusmodi peccata Clavibus Ecclesiæ subjiciunt, aliquot saltem ex iis dolere & corrigere debent, ne Contritionis defectu irritum fiat Sacramentum. Qui ergò sæpiùs eadem *minuta peccata* confitentur incorrecti (*n*), nullamque sibi vim facientes ut ea devitent, iis differenda est Absolutio, tum propter Sacramenti reverentiam, ne videlicet ipsum inaniter nulloque fructu suscipiant; tum verò ut hac dilatione admoniti, in seipsos attentiùs invigilent: maximèque si delicta & mentis affectu & consuetudinis vinculo periculosa sint, vel magis retrahant à perfectione quam exigit susceptum vitæ institutum, vel ad lethale peccatum gradu viciniore magisque lubrico impellant; undè anima levium ejusmodi delictorum multitudine, ceu arenæ granis innumerabilibus, prægravata, demergatur ut pereat (*o*), sive delabens in ipsum lethale peccatum, sive ultimum finem suum in iis constituens, quorum esset priùs amor solummodò venialis; quo quidem posito, lethaliter peccaret. Multi pietatem profitentes, qui per venialium incuriam *charitatem suam primam reliquerant*, prudenti Sacramentorum dilatione, ceu quodam stimulo, excitati, *memores undè excidissent, egerunt pœnitentiam, prima opera fecerunt*; ac diligentiùs *vigilantes, confirmaverunt cætera quæ moritura erant* (*p*).

Si Pœnitens, postquàm juvantibus prudentis Confessarii curis & monitis, peccati lethalis consuetudinem ex toto deposuit, rursùs in peccatum, vel in pristini vitii morem impingat; quomodò in illum agere debeat Pœnitentiæ Minister, inferiùs ex professo dicetur (*q*).

Unum hìc observandum superest, summoperè videlicet cavendum esse, ubi occurrunt Pœnitentes lethaliter ex consuetudine peccantes, ne, dum in eos probationis disciplina rigidiùs observatur, iteratas culpas celare, vel Sacramentorum frequentationem omninò derelinquere constituant. Cùm tractantur Pœnitentes consue-

(*n*) *Idem, Serm.* 56. (*al.* 48.) de div. c. 9.
(*o*) *Idem, Serm.* 9. (*al.* 96.) de temp. c. 11.
(*p*) *Apoc.* 2. 4. 5 & 3. 2.
(*q*) *In hac Div. cap. V.*

tudinis jugo depressi, tunc certè potissimùm, juxta ingeniorum varietatem sagaciter exploratam, mansuetudine firmitudo considératissimè temperanda est.

Quando ingenita naturæ constitutio Pœnitentibus causa est vitiosæ consuetudinis, ut fit in iis qui mentis impetu vehementi abripiuntur, qui jurare, qui ferire, qui maledicere solent, qui, cùm suapte indole avari sint, furari assueverunt; tunc multò sævior & curatu difficilior est consuetudo. Et quidam à certis vitiis refrænari non possunt nisi conjugio, nisi remediis per medicam artem subministratis, nisi Professione Religiosâ, nisi absolutâ eorum omnium fugâ quæ libidinem provocare valeant, aut aliis quibuscumque viis insolitis. Hæc attentè observent Confessarii, ut prudenter dirigantur ejusmodi Pœnitentes.

Alii sunt, qui, cùm solâ indigeant curatione spirituali, eam molestè ferunt; alii, indurato animo, ei reluctantur. In utrisque dirigendis quid sit observandum, proximè sequenti Capite exponemus.

CAPUT III.

De prudentia Confessarii erga vitiosos Pœnitentes quos offendit Absolutionis dilatio; tum erga eos qui, contractâ duritiâ, in peccato perseverant.

Pœnitentes varia objicientes ut citò absolvantur. De eo qui affirmaret, se, denegatâ Absolutione, nihilominùs ad sacram Eucharistiam accessurum. Justæ dilationi repugnantes, incorrectos & contractâ duritiâ pertinaces, quantâ mansuetudine & patientiâ curare atque expectare debeat Confessarius.

Quandoquidem sæpè occurrunt Pœnitentes qui non facilè credunt absolvi se nequaquam debere, nisi protsùs ab omni peccato lethali abstinere constituant; multâ curâ ac diligentiâ efficiendum est ut à pernicioso hujusmodi errore abducantur. Iis proponantur exempla Davidis, Peccatricis, sancti Augustini, sanctæ Mariæ Ægyptiæ, aliorumque sanctorum Pœnitentium; quos nempè Deus non justificavit, nisi postquàm *juraverunt & statuerunt custodire judicia justitiæ ejus* (a).

(a) *Ps.* 118.

Subjungat Sacerdos incredibile esse, omninòque à ratione alienum, Deo reconciliari hominem qui ad incurrendam ejus inimicitiam adhùc sit paratus : sibi verò eum absolvere nefas esse, qui, quotiès absolutus fuit, totiès *ad vomitum redit* (*b*).

Quòd si objiciat Pœnitens difficultatem resistendi occasionum illecebris; respondeat Confessarius ardua quidem esse initia; sed qui vitiosum morem aliquandiù represserit, eum posteà virtutis iter planum sentire : si fortiter abjiciantur omnia vitiorum irritamenta, eorum imagines tandem penitùs obliterari; consuetudini consuetudinem cedere; quodque primo incœptu conversionem molienti impossibile videbatur, hoc deinceps non modò possibile, sed & facile, imò jucundum, auxiliante gratiâ, inveniri; atque insupèr è Sacramentorum frequentatione *virtutem in anima* quotidiè *multiplicari* (*c*). Si Pœnitens suîipsius vincendi laborem ceu terribile quiddam perseveret opponere, cum Christo respondeat Sacerdos: *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud* (*d*). Quin etiam, si dimidium bonorum pauperibus erogare necesse foret, quod fecit Zachæus (*e*), aut vitam ipsam profundere, quod fecerunt tot Martyres; non ei fore dubitandum *omnia detrimentum facere*, ne animam suam perderet. Eum *usque ad sanguinem nondùm restitisse, adversus peccatum repugnantem* (*f*); & tamen ipsi durissima quæque ad vitandum peccatum experiri satius esse, quam mitti *in gehennam*. Perfectæ morum emendationis difficultatem, quam ultra modum conqueritur, leviorem fore, quàm nascentes è media voluptate angores. Nullum aut parvum esse spiritualis conflictûs laborem, si attendatur *vermis* conscientiæ *non moriens* (*g*), tremor & desperatio, instante morte, irruens, *mors peccatoris pessima* (*h*), ac demùm *ignis devorans ardoresque sempiterni* (*i*).

Si affirmet Pœnitens, sibi, quotiès confitetur, in animo esse ut vitam in melius immutet; se verò ex infirmitate corruere, vel occasionibus invitum abripi; respondeat Sacerdos eam fuisse propositi speciem, non autem firmum propositum, cujus nempè unicum indicium est vera emendatio : qui semper iniquitatem facit, eum profectò iniquitatem diligere, Deoque idcircò esse inimicum, & gratiæ sanctificantis minimè capacem.

Cùm urget Pœnitens, legitimam à nullo institui posse Pœnitentiam, si peccatores oporteat omni delicto immunes fieri; respondeat Confessarius, non quidem exigi ut quisquam fiat impeccabilis, quod scilicet non capit mortalis infirmitas, sed requiri omninò ut quisque firmum statuat non ulteriùs peccandi propositum; quod profectò tale censeri non potest, si peccator semper in eodem statu remaneat. Lethalem

(*b*) *Prov.* 26. 11. 2. *Petr.* 2. 22.
(*c*) *Ps.* 137.
(*d*) *Matth.* 11. 12.
(*e*) *Luc.* 19. 8.
(*f*) *Hebr.* 12. 4.
(*g*) *Is.* 66. 24.
(*h*) *Ps.* 33.
(*i*) *Is.* 33. 14.

culpam adeò in homine regenerato portentosam olim Ecclesiæ visam fuisse, ut, qui esset in eam prolapsus, ipsum, judicaret Absolutione & Communione privandum, non paucos dies, non paucas hebdomadas, sed annos tres, septem, quindecim aut viginti, imò nonnunquam usque ad ipsum vitæ terminum. Quòd si nunc inveteratis peccatoribus ad breve tempus Absolutio suspendatur, ad hoc valere istam qualemcumque pristinæ severitatis imaginem, ut certiùs absolvantur ac tutiùs, postquàm, agnitâ Dei offensâ & *cordis sui plagâ* (*k*), ac tandem accepto veræ Pœnitentiæ dono, ad suscipiendum Sacramentum idonei facti fuerint.

Sunt qui sapienter cunctanti Confessario aliquatenùs irascuntur, objicientes mori se intereà posse; qui autem inabsoluti moriuntur, eos procul dubio ætetnis suppliciis addici. In quo certè eminet ingeniosa hominum cæcitas & stupor incredibilis, qui totas hebdomadas, totos menses, totos annos in morte peccati, & quasi ad spiraculum Inferni pendentis in præceps, impavidi & securi obdormiunt, quamvis indeflexâ malè vivendi consuetudine irretiti, plerumque inconfessi, aut saltem, nihil obstante Confessione, incorrecti; tunc verò plurimùm metuunt ne in vindicis Dei manus incidant, mortem expallent æternamque damnationem, cùm jubentur, aliquo intervallo probari atque à peccato abstinentes, Deum pet humiliati cordis gemitus & per sinceræ Pœnitentiæ opera sibi propitium facere. Mortem non timent, quanto tempore Deum impudentes offendunt; eam verò quasi instantem reformidant, statim atque Deum placare velle incipiunt. Absolutionem expetunt, ut sibi securitatem salutis accersant; ipsique nihilominùs abnuunt sufficienti probatione disponi ad Absolutionem ita suscipiendam, ut salutem suam verè in tuto collocent. Absolutio illa properata, quam importuni extorquent, vel dolosi subripiunt, falsam eis conscientiæ tranquillitatem inducit; minimèque attendunt nihil sibi prodesse, si, Deo nondùm placato, ab hominibus reconcilientur; se præthereà, si dispositionibus requisitis careant, Sacerdote absolvente, Dei sententiâ damnari. Ut autem profligetur metus ille non sincerus insidiosèque allegatus, suggerente Confessario, intelligat malè inquietus Pœnitens, Ecclesiam, piam matrem, de filiorum salute semper tenerrimo affectu sollicitam, mortalem hominum conditionem haud ignorasse, quandò & Baptismum Catechumenis, & reconciliationem Pœnitentibus tanto intervallo differenda censeret. Et quidem eo timore nihil movebatur, ut, qui alterutrum Sacramentum postularent, eos requisitâ probatione disponi non curaret. Ipsa porrò non temerè inaniterque sperabat Catechumenos aut Pœnitentes, vel, secundùm misericordiam Dei magnam, non subitò morituros, vel, ex Pœnitentiæ operibus, quæ cum

(*k*) 3. *Reg.* 8. 38.

desiderio Sacramentorum adimplebant, promereri posse donum Contritionis, quâ, etiàm non adhibito gratiæ signo visibili, justificarentur. Hinc, posthabito illo metu, semper invigilârunt Patres antiqui, ut à Sacerdotibus adamussim observarentur Pœnitentiæ Canones, quos disciplinæ robur & nervum esse jure ac meritò existimabant. Hinc, ubi aliquem improvisa mors à reconciliationis gratiâ intercluserat, cùm, propter animum pœnitentem expiatoriis operibus ostensum, ipse quidem Sacramentum in voto suscepisse censeretur, de salute ejus tam consolatoriâ spe sentiebat Ecclesia, ut eum orationibus atque oblationibus Deo commendare non dubitaret (*l*).

Si dicat falsus Pœnitens nullum hactenùs Confessarium adeò sibi molestum fuisse; se totiès ad Pœnitentiæ Tribunal venire non posse; & si sibi Absolutio denegetur, se omninò non rediturum: respondeat Sacerdos, eam, quæ ab illo geritur, pronam ad peccatum voluntatem non fuisse alteri Confessario perspectam; quam nempè si cuilibet Sacerdoti manifestam faciat, eum absolvi nunquam posse, nisi priùs omninò peccati affectum deposuerit, quocum insociabilis est gratia sanctificans: convertatur ex toto corde ad Dominum, & tunc nullam sibi molestiam fore. Cæterùm affirmet Confessarius dolere se vehementer quòd ille ad sacrum Tribunal non redire constituens, propriæ saluti tam malè consulat: per ipsum omninò stare quominùs Absolutionem obtineat: non faciliorem futurum fuisse ipsummet CHRISTUM JESUM, usque adeò mitem, atque ad suscipiendos peccatores tantâ misericordiâ propensum; quippè qui peccata nemini condonaverit, nisi eâ lege ut deinceps à peccatis abstineret, cùm, exempli causâ, adulteræ mulieri dixerit: *Vade, & jam ampliùs noli peccare* (*m*). Absolutionem quam flagitat imprudens, & quam, suggerente conscientiâ, tunc ipsi impertiri nequit Sacerdos, ne sacrilegii particeps fiat, graviorem culpis ejus cumulum additura, effecturamque ut in somno peccati funestâ securitate obdormisceret. Sic nempè animarum zelator Confessarius nemini *mollitiem favoris* adhibet, *ut in errore molliter jaceat* (*n*).

Si quis adeò sit impius, ut affirmare ausit, se, denegatâ Absolutione, nihilominùs ad sacram Dominici Corporis Communionem accessurum; non idcircò flectatur Sacerdos: siquidem Pœnitens nefando illo proposito adhùc Absolutione indignior evadit. Eum à tanto sacrilegio deterrere omni ope atque operâ enitatur. Judam proditorem indignâ Communione imitari constituens, sortem ejus infelicissimam, intonante Sacerdotis comminatione, formidet, desperationem videlicet, impœnitentiam finalem, sempiter-

(*l*) *Conc. Carth. IV*, *an.* 398. *can.* 79. *Vas. I*, *an.* 442. *can.* 2. *Arel. can.* 8.

(*m*) *Joan.* 8. 11.

(*n*) *S. Greg.* de cur. Past. *pag.* 2. *c.* 8. *Vide S. Aug.* in Ps. 34. *S. Cypr.* de lapsis. *S. Hier. Ep.* 147. *q.* 2. (*al.* 4. *crit. t.* 4. *p.* 163.)

namque reprobationem. Noverit denique, se tam perversè dispositum, Absolutionem à quoquam inaniter impetraturum esse; nec minùs *Corporis & Sanguinis Domini reum* fore, quandoquidem Absolutione haudquaquàm delentur eorum peccata, qui non ipsis in æternum renuntiant.

Ejusmodi Pœnitentes, qui animo fingunt nullam ferè aliam ad promerendum Absolutionis beneficium requiri dispositionem præter Confessionem delictorum sinceram atque integram, Confessarios quærunt eodem imbutos errore, ideòque semper ad absolvendum paratos; &, quod pejus est, inveniunt. Sic autem absoluti cum nullo aut certè fictitio emendationis proposito, de præteritis delictis omninò securi sunt, & ad nova ultrò resiliunt, cùm prima invitat occasio. Si quis Sacerdos disciplinæ officiique tenax, non interruptum postulet vitæ novæ tenorem ac perpetuam à delicto cessationem; linguam sonans quasi peregrinam, minimè intelligitur, vel aures superbas offendens, relinquitur. Zelum adeò prudentem ostendant Confessarii, ut nemo incorrectus manens de venia sibi gratuletur, nec tamen cunctatione ad propriam salutem necessariâ offendatur. Si fortè occurrant Pœnitentes qui Absolutionem malè præparati etiam atque etiam efflagitent; de alio Sacerdote adeundo nunquam sermonem instituat prudens Confessarius, nisi aliquem designet sibi notum *fidelem dispensatorem*; eum nempè qui de peccato in æternum fugiendo illud omne confirmet, quod ipse jam priùs in eam rem Pœnitenti denuntiaverit: nam satis superque proclivi animo Confessarios exquirunt à quibus non compellantur pravas emendare consuetudines. Ad compescendam ejusmodi Pœnitentium importunitatem, curet Sacerdos ut intelligant se nullomodò esse Absolutionis capaces; suamque illis operam benignè offerat, ut quamprimùm ad tanti beneficii susceptionem legitimam disponantur.

Quod si moræ impatiens peccator atque importunus Absolutionis flagitator nullâ ratione adduci possit ad deserendum peccati statum, consuetudinem & occasionem, ad finem usuris imponendum, ad restituendum, ad reconciliationem offerendam aut suscipiendam, à Sacerdote inabsolutus quidem, sed, tempore ad redeundum constituto, dimittatur. Licet enim justæ dilationi salutaribusque admonitis reluctetur, nunquam tamen dimitti debet jam non ultrà audiendus; ne sibi ad ultimum relictus quasi homo desperatæ conditionis, in impietatem & flagitiosissima quæque proruat forsan immedicabilis. Vel maximè rebellem & pertinacem hortetur ut redeat: redeuntem leniter suscipiat, sensimque ad peccati odium & fugam excitet, ut tandem ipsum ad veram Pœnitentiam adducere aliquandò valeat.

Nihil enimverò miseratione dignius quàm hujusmodi cæcitas & contracta durities; ipsaque, nisi summâ curâ longâque zeli perseverantiâ, expugnari non potest: quemadmodùm æger periculosè decumbens, suique morbi gravitatem non

sentiens, crebriore ac diligentiore indiget medici sollicitudine. Itaque, si coërceri tunc non possit animus perversâ voluntate viriatus, non tamen insanabilem in modum ægrotare judicetur. Meminerit Sacerdos se fuisse à Christo positum *ut fructum afferat in patientia* (*o*), id est, ut fructum illum patienter expectet. Ne igitur molestè ferat quòd Deus in gratiæ suæ operibus non se præcipiti hominum zelo attemperet. Saulum vivido impetu stravit gratia; Peccatricem repentè sibi abripuit; Petrum uno contuitu, Mariam Ægyptiam uno motu verè pœnitentem effecit: frequentiùs verò suam suspendit actionem, donec libidinum æstus deferbuerit; eòque magis suam abscondit efficaciam. Esset prodigium nimis evidens, si mediâ cupiditatum flagrantiâ mediisque occasionum illecebris mentes semper immutaret: interdùm velut obsequiosa expectat morantem, nec semper illicò expugnat reluctantem; sed quibusdam circumstantiis & occasionibus quas ipsa temperat ac disponit, sese accommodat *gratia multiformis* (*p*).

Ad hanc normam se componat Sacerdotis *charitas patiens & omnia sperans* (*q*). Lenis & cautus exploret, quâ possit in animam tantæ malitiæ propugnaculis munitam atque vallatam irrumpere. Neque pravam consuetudinem deponere, neque occasionem proximam derelinquere, neque alia necessaria præstare volenti, hæc tanquam Veritatis ipsius oracula denuntiet: Neminem, vel in ipso mortis articulo, absolvi posse in tam perversa mentis habitudine contumacem: profanati Sacramenti cum ipso reum fore Sacerdotem, Absolutionis beneficium tam malè disposito profundentem; nec ipsi taliter absoluto peccata remissum iri: ipsum denique, nisi ab iniquitate in æternum discesserit, in Dei inimicitiâ victurum, &, quod pejus est, moriturum. Si nihil eo die terrore, consolatione, increpatione, obsestatione proficiat; alio forsitan potiorem sibi successum gratulabitur: quem sperare etiam æquiùs poterit, si Pœnitentem in suis orationibus & in ipso Altaris Sacrificio divinæ misericordiæ fervidus commendet, sicque momentum optatæ conversionis, quantùm efficere possit, acceleret. Ut fulsit gratiæ radius, ad Deum toto corde revertuntur ii peccatores, quos ætas fervidior, quos effrenatæ libidines, quos insita naturæ fragilitas à Deo alienos diuturno tempore tenuerat; &, dum *pœnitentiâ facti sui*, dum *pudore delicti*, *plùs & virtutis & fidei de ipso lapsûs sui dolore* concipiunt (*r*), non rarò in sublimiorem statum eriguntur, quàm quo per longam rebellionem atque animi cæcitatem exciderant. Sic dulcissimè coronatur pii Sacerdotis charitas & patientia: sic vas pulcherrimæ sanctificationis evadit ille peccator, quem imprudens zeloque intemperato præceps Confessarius *tanquam vas perditum* dereliquisset (*s*).

(*o*) *Luc.* 8. 15.
(*p*) 1. *Petr.* 4. 10.
(*q*) 1. *Cor.* 13. 4. 7.
(*r*) *S. Cypr.* de lapsis.
(*s*) *Ps.* 30.

CAPUT IV.

De prudentia Confessarii erga Pœnitentes in peccati occasione proxima constitutos.

Duplicis generis occasio proxima. Præcipua exempla occasionis proximæ per se. *Quomodò agendum erga Pœnitentes hujusmodi occasione implicitos, tum erga eos qui se ab ipsa tollenda excusant. Varia exempla occasionis proximæ* per accidens. *Qui ex ea peccare solent, quomodò tractandi. Ubi occasio non facilè deseri potest, quid constituendum. De illis qui ad deserendam occasionem induci nequeunt; quibus ex vitæ instituto continuum imminet peccandi periculum; qui occasionem proximam deserere, aut nullomodò, aut vix possunt.*

Tum præcipuè laboriosa est vitiosi moris curatio, cùm adjuncta occurrit occasio proxima. Qui sic duabus constringitur catenis, ipse quidem, ut Absolutione dignus non temerè judicetur, sapienter ordinatæ probationis experimento indiget. Cùm sæpiùs occasione gliscat & foveatur prava consuetudo; illâ sublatâ, hæc marcescit, ac tandem prorsùs emoritur. Sed, remanente occasione, reviviscit consuetudo, fortiùs ingravescit, ac tyrannide sæviore dominatur; sicque propositum etiam firmissimum sequuntur lapsus graviores. Itaque plurimùm interest ut Confessarius maximam erga Pœnitentes in peccati occasione proxima constitutos prudentiam exerat (*a*).

Nomine verò *occasionis proximæ* intelligendum est quidquid ad peccatum lethale frequenter committendum proclivi gradu impellit, vel ex natura sua, pro communi hominum infirmitate, vel duntaxat propter hujus aut istius hominis peculiarem propensionem vitiosamque indolem. Occasio, in priore casu, *proxima per se* dicitur; in posteriore autem, *proxima per accidens* appellatur.

Prioris generis occasiones proximæ sunt, si quis v. g., sive domi, sive alio in loco, sive suo nomine, sive alterius, penès se habeat, vel sibi addictam quoquomodò foveat personam quacum ipse peccare assueverit, vel quæ ipsius fragilitati perpetuum sit impudicitiæ irritamentum. Si quis solus cum sola virgine vel muliere frequentem & familia-

(*a*) *S. Cypr. Ep.* 62. (*al.* 4.) §. 1. & 3. *S. Hier. Ep.* 22. *c.* 5. (*al.* 18.) Cont. Vigil. *l.* 1. *c.* 6. *Ep.* 47. (*al.* 89.) *cap.* 1. Cont. Jovin. *l.* 2. *c.* 19. In 18 Matth. *l.* 3. *v.* 8. *S. Basil.* in Ps. 33.

rem ineat consuetudinem, in assiduo colloquio, in libertrima societate, in quotidiano aspectu, & similibus turpium amorum illecebris perseverans (*b*). Si quis in alterius domo habitans, qualis est famulus aut ancilla, ibi socium aut sociam habeat delicti contra castitatem. Si quis libros Fidei vel bonis moribus contrarios, statuas, picturas, sculptasve imagines inhonestas domi asservet. Si quis alearoriam artem profiteatur, domum præbens in hunc finem (*c*); vel si quotidianum atque assiduum lusorem, sive in propria, sive in aliena domo se exhibeat. Si quis ejusmodi spectaculis, jocis, choreis vel cœtibus ex consuetudine intersit, in quibus vulgò periclitetur virtus & innocentia, aut saltem in quibus cor mundum servare difficile esse meritò judicetur. Si quis homines frequentet corruptos moribus, vel *reprobos circa fidem* (*d*), quorum ideò perversa colloquia vel exempla tentationem ei continuam afferant. Tum verò inter occasiones proximas *per se* annumerari potest otium.

Quicumque in una ex his occasionibus versatur, aliave simili, quæ ex natura sua quemlibet ad vetita polliciat, eum absolvi non oportet, nisi reipsâ illam omninò deseruerit. Nec solis promissis contentus sit Pœnitentiæ Minister: eorum executio, & ipsi, & Pœnitenti longè tutior est; nisi fortè prudentia, circumstantiæ alicujus habito respectu, sinceritatem promittentis semel experiendam suadeat. Si verò semel deceptus fuerit Sacerdos, non committat ut rursùs decipiatur. Absolutionem suspendat, quoadusque Pœnitens, non modò occasionem prorsùs absciderit & fugerit, verùm etiam donec ab ea certo temporis intervallo remotus vixerit: alioquin, expers habeatur firmæ voluntatis non ulteriùs committendi peccatum ad quod impellit ejusmodi occasio; quemadmodùm æger qui, vetante medico, suorum sectatur malorum irritamenta, propriæ valetudinis inimicus esse meritò judicatur.

Quòd si in excusationem afferat Pœnitens, sperare se ita futurum, ut, divinâ auxiliante gratiâ, jam non lethaliter, vel ipsâ præsente occasione, delinquat; respondeat Sacerdos: *Scriptum est: Non tentabis Dominum Deum tuum* (*e*). *Numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant? aut ambulare super prunas, ut non comburantur plantæ ejus* (*f*)? Non illa quidem spes est legitimè ordinata, sed potiùs temeraria confidentia hominis in medio peccati fomite remanentis, postquàm promissæ fidei vanitatem jam totiès miserrimâ fragilitate persensit.

Sunt qui, ne occasionem tollant ex natura sua proximam, affirmant se metuere ut res confici possit incolumi famâ, tum propriâ, tum personæ quæ sibi socia peccati est.

(*b*) *S. Car. Borr.* Past. Inst. *part.* 2. *cap.* 16.
(*c*) *Ibid.*
(*d*) 2. *Tim.* 3. 8.
(*e*) *Deut.* 6. 16. *Matth.* 4. 7.
(*f*) *Prov.* 6. 27. 28.

Juxta pondus sanctuarii perpendat Confessarius (*g*) an legitimus sit hic timor, an non potiùs quamprimùm sit exequenda discessio, ut vitetur scandalum, & mala quæ longius contubernium subsequi possent. Quòd si tamen reverâ nequeat Pœnitens sine gravi periculo & scandalo hujusmodi occasionem tollere; præcipiat Sacerdos, tanquam Pœnitentiæ partem, ut abstineat ille diligenter à secreto & familiari colloquio cum persona quæ sibi lapsûs occasio est, à cunctis pariter blanditiis atque amoris impudici incentivis; ut *otiositatem*, animæ scilicet inimicam, omnis malitiæ magistram, luxuriæ matrem fugiat (*h*); ut oratione, sensuum & carnis afflictatione, mortis, judicii, inferni, æternitatis meditatione, frequenti præsertim Confessione concupiscentiam refrænet, suamque adversùs nova peccata muniat fragilitatem. Intereà suspendatur Absolutio, donec eluceant emendationis haud dubia specimina. Si autem mora longior adducat infamiæ periculum; si prætereà sinceri doloris ac propositi indicia conspiciantur insolita, simulque inflammatus ardor & prompta voluntas id omne absolutissimè præstandi quod requiritur ne noceat occasio; poterit Confessarius injunctis remediis præmunitum semel absolvere. Quæ quidem si posthàc inutilia esse demonstrentur, vincentibus scilicet occasionis illecebris; non jam absolvatur Pœnitens incorrectus, nisi priùs occasionem proposito suo fortiorem deseruerit, dicente nimirùm Apostolo: *Fugite fornicationem* (*i*).

Aliæ sunt occasiones proximæ, non quidem omnibus tales, sed iis tantùm qui, propter indolis suæ pravitatem, insitamve fragilitatem, certis in conditionibus vel circumstantiis per se indifferentibus, aut etiam bonis, peccare assueverunt. Sic multos ad frequenter peccandum allicit militia, Magistratus, mercatura, seu privatæ, seu publicæ pecuniæ administratio. Sic multi Judices, Advocati, Procuratores, Medici, Chirurgi, varii artifices, instituti sui occasione proximum vexant, lædunt vel defraudant. Sic ubique vigent blasphemiæ, calumniæ, odia & contentiones, furta & rapinæ, aliaque scelera permulta, quibus Deus & proximus graviter offenduntur, & quorum assuetudinem ex vitæ generibus aliundè innoxiis tantam sibi asciverunt plurimi, ut conjectari liceat, ipsos, si in iisdem officiis permanserint, eadem voluntatis propensione peccaturos. Itaque negotium sibi periculosum, si fieri possit, abdicent; aut saltem illud non sine pii & sapientis Confessarii ductu consilioque exerceant. Si denique prudenter existimet Confessarius tamdiù illos ad solita peccata redituros, quamdiù in veteri occasione perstiterint, iis absolvendis supersedere debet, donec ab ea discesserint. Quin etiam omninò necesse est ut vitæ emendationem & quamdam hujus certitudinem per aliquod temporis intervallum expectet.

(*g*) *Num.* 3. 50. (*h*) *Eccli.* 33. 29. (*i*) 1. *Cor.* 6. 18.

Atque hîc vigilandum eò diligentiùs, quòd ex Pœnitentiæ Ministrorum incuriâ evidenter hac in parte contingit ut in omnibus propemodùm vitæ generibus peccata gravissima foveantur, abususque intolerabiles, quibus vigentibus, nec res etiam per se innocentissimæ à plurimis, illæsâ conscientiâ, exerceri possunt. Sic, in multis vitæ generibus adeundis, quædam juratò promittuntur, quæ tamen posteà minimè servantur. Sic, in militari professione & castrensi contubernio, duellis, homicidiis, morum licentiæ, irreligioni locus datur frequentissimus. Sic, apud mercatores invalescunt usuræ, mercium fraudes, vel cùm eas adulterant, vel cùm malas pro bonis in manum porrigunt, vel cùm plus justo pretio, vel iniquo pondere & mensurâ vendunt. Nec desunt perjuria, mendacia, fraudulenta vectigalium aversio. Sic multi opifices, Dominicis & Festis diebus æquè ac negotiosis, servilium operum exercitatione usque adeò distinentur, ut nunquam aut ferè nunquam divino cultui vacent, neque ad publicas Ecclesiæ Institutiones conveniant; imò, quidquid subcesivi temporis è criminoso labore superest, non illud in sanctificando die Dominico, sed in frequentandis popinis, in vanis ac plerumque noxiis oblectationibus consumant: cujus ad modum profanationis se totam nefariè componit familia. Plerosque autem peccandi occasionibus implicitos si Confessarius diligenter scrutatus fuerit, eos plerumque inveniet nunquam ad Pœnitentiæ Sacramentum ritè dispositos accessisse; atque idcircò, præter longiorem probationem. quâ indigebunt ut constituatur an susceptum vitæ genus, tutâ conscientiâ, retinere possint, totius insupèr vitæ Confessionem emittere sæpè tenebuntur.

Multò magis Confessario allaborandum est ut tollantur pericula ejusmodi actionum, quæ, tametsi inter occasiones per se ad lethalia inducentes non computantur, nihilominùs ad malè agendum inflectunt, lapsuque facillimo ad varia peccata impellunt. Hujusmodi actiones sunt v. g. choreis interesse, tabernas frequentare; & similia, à quibus Fideles sibi commissos deterrere sedulò debent Pastores & Confessarii: atque etiam, si cui sit in his peccare solitum, non priùs absolvendus est, quàm vivendi rationem usque adeò periculosam deserturum se polliceatur, vel potiùs reipsâ deseruerit (*k*).

Qui cauponas ingredi non solent quin vinum usque ad ebrietatem bibant, ibique alia etiam peccata lethalia committant, blasphemantes, turpia loquentes vel agentes, rixantes, furantes, &, quod sæpè contingit, familiæ substantiam deglutientes; qui, inter ludendum, maledicta, execrationes, impia verba proferunt, jurgia miscent, tempus & pecuniam utiliùs insumendam miserrimè profundunt, furtim surripiunt, ut fortunæ damna resarciant; & qui, cùm ad ea peccata ludi occasione delabi soleant, ludi

(*k*) S. Car. Borr. sup. c. 17.

furore nihilosecius abripiuntur; qui, pessimâ consuetudine, *potentes ad bibendum* (*l*), frequentia convivia sectantur, in quibus inebriari consueverunt; qui, propriæ infirmitatis conscii, sæpè intersunt in promiscuis virorum ac fœminarum cœtibus; qui denique superandis instituti cujuslibet sui tentationibus pares se non sentiunt; ii certè omnes, præsentis habitûs atque experientiæ præteritæ ratione, prudenter judicantur, à lethalis peccati consuetudine abstinere vix posse, quamdiù in prædictis sive conditionibus, sive circumstantiis atque occasionibus permanserint.

Lex prudentiæ fixa atque immota est, ut qui in proxima versetur peccati occasione quam relinquere facilè possit, nisi eâ derelictâ non absolvatur. Cùm scilicet confitetur Pœnitens plura peccata lethalia certæ occasionis impulsu commissa, si sit adhùc præsens occasio, & nihil impediat quominùs ipsa removeatur, non verè contritus ille censetur, nisi penitùs eam à se removerit. Nec sincerum existimari potest illud peccati odium, quod non ad ipsius irritamenta extenditur; nec verè & ex animo culpam dolet admissam, qui, cùm possit, ejus iterandæ periculum non deserit. Talis igitur Pœnitens antequàm absolvatur, eam fugiat occasionem quâ impulsus fuit ut corrueret; nisi fortè in hoc salutari proposito bonâ fide constitutus videatur. Sed longè tutius est propositi executionem, si per circumstantias liceat, Absolutioni præire.

Cui difficillimum est ab occasione proxima discedere (cùm v. g. familiam sustentat professio quæ Pœnitenti ad salutem periculosa est), ille ad vincendam difficultatem excitetur, eique via suggeratur, si qua suppetat, ut occasionis derelictio possit ad effectum perduci. Quòd si intrà certum tempus ab occasione se recessurum promittat; & tempus, & promissi executio expectentur. Si fortè, nondùm relictâ occasione, peccandi consuetudo emortua videatur; nihilominùs, ut plurimùm, removenda erit occasio; quæ nempè cùm aliquatenùs desierit esse proxima, talis de integro fieri potest. Non autem exigenda erit occasionis remotio, si Pœnitens occasioni tanto intervallo restiterit, vel potiùs adeò non opus habuerit resistere, ut eorum similis factus omninò censeatur, quibus idem vitæ genus semper fuerit innoxium. Scilicet, quæ *per se* proxima est occasio peccati, talis esse nunquam desinit; ideòque Pœnitens, quantumlibet contritus videatur, & quamvis jamdiù à peccato cessaverit in hujusmodi occasione constitutus, hanc nihilominùs, cumprimùm poterit, deserere compellendus est: sed occasio *per accidens* talis esse aliquandò desinit; reflecti enim ad virtutem potest indoles vitiosa: quo quidem in casu, ut vera existimetur conversio, non absolutè necesse est pristinorum lapsuum occasio-

(*l*) *Is.* 5. 22.

nem derelinqui; eò quòd v. g. negotium undè priùs extiterat occasio peccati, animum tandem inveniat officii & legis amore tutum atque firmatum, mutatâ scilicet ejus voluntate & propensione.

SUNT quibus solitum est ex occasione omninò suî propriâ delinquere, & quos inducere non potest Confessarius ut ab illa sese fortiter extricent. Hos primùm, si aliàs monitis dociles videantur, eodem modo probari oportebit, quo cæteros ex assuetudine peccantes; id est, proponenda ipsis erunt quædam remedia, quibus efficiatur ut quod hactenùs peccandi occasionem sibi fuisse experti sunt, hoc deinceps tale non experiantur. Sic Judici corrupto ea præcipienda est æquitas, quæ nihil commendationi, nihil pretio, nihil cuilibet corruptelæ tribuat. Idem erit de cæteris vitæ conditionibus seu professionibus, quæ ex natura sua bonæ sunt & licitæ, quarum denique innoxium fieri potest exercitium, dummodò Pœnitentes bonâ fide & sincerâ voluntate ad corrigendam indolis suæ pravitatem incumbant. Si tamen ea sit ipsorum fragilitas ut inutiles fiant probationes, atque in eadem peccata relapsuri prudenter judicentur, nisi professionem derelinquant; absolvendi non sunt, nisi eam penitùs dereliquerint. Quamdiù enim in illa remanebunt, tamdiù perpetuo Dei offendendi periculo erunt obnoxii; quo quidem in periculo sponte versari, peccatum est. Quamvis illud quo scandalizamur atque ad peccatum allicimur, non minùs necessarium esset quàm oculus, quàm pes, quàm manus; hoc ipsum, Christo judice, eruendum est, abscidendum, longèque projiciendum (*m*); ne, retentâ vanitate quam vocamus necessitatem, mittamur *in gehennam* (*n*). Pro nihilo utique computatur quantumcumque rei temporalis dispendium, quo redimitur æternum animæ detrimentum. Qui, propositâ occasionis fugâ, *solliciti sunt, dicentes: Quid manducabimus? aut quid bibemus? aut quo operiemur* (*o*)? Dominum JESUM audiant: *Quærite*, inquit, *primùm regnum Dei, & justitiam ejus; & hæc omnia adjicientur vobis* (*p*). Pauperiem metuens, *quasi à facie colubri, peccatum fugere* incipiat (*q*); *ponat thesaurum suum in præceptis Altissimi* (*r*): *suam* deindè *sollicitudinem* totam *in Deum projiciat*, & ipse à Patre cœlesti, qui cœli volatilia pascit, enutrietur (*s*). Provideat tamen, quantùm poterit, officiosa Sacerdotis charitas, ut mediocris vel infimæ conditionis homines, qui ab instituto sibi ad salutem periculoso discedunt, in alia professione quæ sit ipsis ex toto innoxia, victum obtineant quotidianum. Si autem reverâ incidant in penuriam; id sibi consolationis asciscant, quod

(*m*) *Matth.* 5. 29. 30. & 18. 8. 9.
(*n*) *Ibid.*
(*o*) *Matth.* 13. 6.
(*p*) *Ibid. v.* 33.
(*q*) *Eccli.* 21. 2.
(*r*) *Eccli.* 29. 14. *Vide Is.* 33. 6.
(*s*) 1. *Petr.* 5. 7. *Ps.* 54. *Matth.* 6. 26.

ille admirandæ virtutis senex filio suo dicebat: *Noli timere, fili mi: pauperem quidem vitam gerimus; sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum, & recesserimus ab omni peccato, & fecerimus benè* (*t*). Ad invisibilia denique bona erecti, suaviter exhortante Confessario, intelligant, *beatos* esse *pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (*u*): satius esse omnium egenos, fide & gratiâ locupletes vivere ac mori, ut cum Lazaro mendico ab Angelis *in sinum Abrahæ* portentur, quàm opibus ac deliciis affluere, & cum malo divite *in Inferno sepeliri* (*x*).

Major est difficultas, cum aliquis occasionem proximam deserere, aut nullomodò, aut vix potest: ut fit, quandò v. g. vir uxori, frater sorori, eadem in domo cohabitantes, sibi invicem occasio peccandi esse inveniuntur. Aliquandò non tenetur Pœnitens illud vivendi institutum deserere, ex quo improvisa virtuti suæ pericula emergunt: cùm scilicet id præstare nequit sine peccato, vel occasione proxima peccati alterius tam gravis quàm illud ipsum quod vellet effugere. Sic fœmina, cui morosus, ebriosus, damnosæ rei famæque conjux, perpetua est impatientiæ vel criminosæ murmurationis occasio, non idcircò ab illo discedere debet: cujus generis Casus plurimi sunt. Si verò lethalia indè peccata committantur; vera censeri conversio non poterit, quin priùs, experientiâ docente, intellexerit Pœnitens id se per Dei gratiam consecutum, ut quod sibi anteà peccati occasio fuerat, jam tale esse desierit.

Quin etiam interdùm faciliùs immutatur cordis propensio, quàm abscinditur occasio; & tunc eligendum est ut multâ vigilantiâ & sedulitate incumbatur ad corrigendam voluntatis depravationem, per quam nonnullæ res naturâ bonæ & innoxiæ malum sontemque hominem efficiunt. In hoc autem solertissimâ indagatione opus habet Sacerdos, ne ipse à falsis Pœnitentibus decipiatur. Atque ut id quod tutius videtur, aperiamus (excepto casu viri & uxoris, quos Deus conjunxit, nec homo sine causa gravissima separare potest): si frater & soror, propinqui & affines, qui, ex cohabitatione, mutuo sibi scandalo sunt & periculo, diversi abire aliquâ ratione possint; auctore Confessario, sub honesto prætextu, diversi abeant. Famulatum vel professionis tirocinium ineant pauperes & plebeii: nobiles verò ac divites iter suscipiant, vel munus aliquod civile aut militare adipiscantur. Quæ quidem doctrina huic Veritatis ipsius effato multùm affinis est: *Veni separare hominem adversùs patrem suum, & filiam adversùs matrem suam, & nurum adversùs socrum suam: & inimici hominis, domestici ejus* (*y*). Si nulla separationis via suppetat, vel si è separatione timeatur grave scandalum; Confessarius jam indicata adversùs occa-

(*t*) *Tob.* 4. 23.
(*u*) *Matth.* 5. 3.
(*x*) *Luc.* 16. 20. 22.
(*y*) *Matth.* 10. 35. 36.

fionis illecebras remedia fubminiftret (z).

Quòd fi verò ex animorum indole contraria exardefcere foleant inimicitiæ, odia, erumpere diffidia & jurgia, undè non mediocriter laboret domeftica tranquillitas; propinqui tam malè fibi cohærentes mutuam difcant tolerantiam ex Religione cujus fundamentum eft charitas; ac tandem *Deus pacis & dilectionis inhabitare faciet unanimes in domo* (a). Non autem abfolvendus erit Pœnitens hujufmodi miferiis implicitus, nifi omnes devitet peccati occafiones, aut faltem nifi peccare defierit in illis occafionibus quas devitare non poffit.

(z) Suprà, in hoc Capite, ubi de occafione proxima *per fe* quæ non fine fcandalo deferi poteft.

(a) 2. *Cor.* 13. 11. *Pf.* 67.

CAPUT V.

DE prudentia Confeffarii erga recidivos.

AD falutem nihil prodeft recuperata gratia, nifi in ea perfeveretur. Relapfus in aliquod peccatum lethale, relapfus in priftinam confuetudinem. Relapfus ex fragilitate, relapfus ex malitia. Quantam Deo injuriam, quantum homini detrimentum afferant culpæ iteratæ. Falfus eft Pœnitens, quicumque eodem impetu relabitur. Si non femper falfam Pœnitentiam arguit minùs frequens iteratio culparum, certè ex ea fructus Confeffionum præcedentium valdè minuitur. Adversùs culpæ iterationem quænam fuggerenda remedia.

EXIMIUM quidem eft opus, fi Sacerdos, eâ quam defcripfimus adhibitâ diligentiâ, Pœnitentem à peccato ad gratiam, à morte ad vitam, è ftatu damnationis in jus ad æternam beatitudinem transtulerit. Si verò *inconftantia concupifcentiæ* illum Deo reconciliatum huic rursùs inimicum faciat (a); magnum Confeffario dolorem affert ingens labor fruftrà fufceptus, longèque difficilior evadit Pœnitentis converfio. Cujus igitur fanata eft plaga fpiritualis, videat ne periculofiùs iterùm vulneretur, ac denique *ne obduretur fallaciâ peccati*, & ex impœnitentia fiat ipfi *cafus infanabilis in mortem* (b). Quem verè pœnitet, nihil ulteriùs committendum fibi firmiter proponit, cujus iterùm pœnitere fe oporteat.

(a) *Sap.* 4. 12. (b) *Hebr.* 3. 13. *Eccli.* 28. 30.

Enimverò,

Enimverò, Pœnitentiæ Sacramentum non modò ad remittenda peccata institutum est, verùm etiam ad eos in viam salutis reducendos qui de illa post Baptismum deflexissent. In hac autem via nemo esse, nemo ad hujus terminum pervenire potest, nisi gratiam recuperatam sedulò conservet, atque in ea fideliter perseveret. Quæ quidem gratiæ conservatio tanti momenti est, ut Sacramenti fructus specialis sit, & quasi finis ultimus. *Ubi emendatio nulla, Pœnitentia necessariò vana; quia caret fructu suo*, quæ est hominum salus (*c*). Hinc Deus peccatores alloquens, *Lavamini*, inquit, *mundi estote* (*d*); » ut qui admissa plangunt, nec tamen deserunt, considerare sollicitè sciant, quia flendo inaniter se mundant, qui vivendo nequiter se inquinant; cùm idcircò se lacrymis mundant, ut mundi ad sordes redeant (*e*). »

Duplici autem modo relabi potest Pœnitens à vitiosa consuetudine curatus: vel simpliciter in aliquod peccatum lethale, vel in pristinam consuetudinem. Discutiatur prioris generis recidivus, ut innotescat num fortè indolis suæ vivido impetu, vel infirmitate, id est, vi tentationis cui sit aliquandiù obluctatus, corruerit; tunc enim faciliùs erit absolvendus, dummodò, verè contritus, maximâ sese diligentiâ præmuniat advèrsùs occasionem culpæque iterationem. Sunt enimverò quos ad malum ita proclives fecit natura, ut se à peccato cohibere non possint, nisi continuam & pervigilem adhibeant cordis sui custodiam, seque ipsos multâ vi compescant. Ii, vel animi æstu immodico, vel insuetâ occasione infeliciter abrepti ut pristini moris impulsu semel caderent, absolvantur, si statim alacriores ad currendum resurgant, & novas sibi vires comparare nitantur. Ejusmodi Pœnitentes consolatione magis quàm animadversione indigent; tuncque in eos misericordia potiùs quàm severitas exerenda est. Nec solo Absolutionis beneficio ad perseverandum erigantur; Eucharisticus etiam *Panis*, qui nempè fortium cibus est, *cor eorum confirmet*. Ipsi enim meritò existimantur *naturæ magis fragilitate, quàm peccandi libidine* corruisse (*f*), atque idcircò veram Contritionem gerere.

Si quis autem, etsi semel duntaxat recidivus, plenâ ac deliberatâ animi voluntate, ultrò & cum delectatione primam amplexus fuerit peccandi occasionem; si non posteà tentationem hujusmodi aliquam superaverit, vel occasionem fugerit; necesse erit ut non priùs reconcilietur, quàm fuerit, pro delicti naturâ, satis probatus.

At verò, si quis non semel aut iterùm, sed pluriès relapsus, vitiosam consuetudinem rursùs inierit; vel ex fragilitate recidivus est, vel ex malitia, id est, pronâ voluntate, & supinâ incuriâ. Prior ex eo dignos-

(*c*) *Tert.* de Pœnit. c. 2.
(*d*) *Is.* 1. 16.
(*e*) *S. Greg.* Past.
(*f*) *S. Ambr.* de apol. Dav. ad Theod. Aug. *cap.* 2.

citur, quòd sua ei fragilitas plurimum afferat mœrorem, quòd præterea miserrimæ ad vitium proclivitati, quantùm possit, reluctetur, occasiones fugiat, & quodcumque sibi ad satisfactionem medelamque injunctum fuerit, diligenter exequatur : si præsertim rariùs fuerit in peccatum relapsus, ac plerisque tentationibus restiterit. Maximâ in eum lenitate & patientiâ opus est; nec ita difficilè est absolvendus, dummodò emendationi suæ magis ac magis allaboret. Voluntarius autem recidivus ille censetur, qui, post multas Confessiones, parùm correctus videtur; vel qui (quod adhùc pejus est) vix aliquandò temperat, ne, datâ occasione, in peccatum præceps corruat, sicque semper eumdem vitæ cursum teneat. Major in hunc severitas exeratur; infidæque hujus promissiones, dilato Absolutionis beneficio, prudenter castigentur. Rursùs probetur, & quidem diutiùs quàm anteà probatus fuerat, donec ipso effectu demonstret velle se à pristina morum licentia transire ad vitam sanctiorem : quod quidem efficaciter demonstrare non potest, nisi peccatum fugiat, sibique injuncta perseveranter exequatur. Qui verò dilationis impatientem se exhibet, immaturamque flagitat Absolutionem, eum *quæ sibi sunt noxia* improvidè *cupientem* lenis & simul ab officio indeflexus compescat Sacerdos (*g*); ac forsitan sibi demùm gratulabitur quòd ipsum *ad* veram *pœnitentiam*, Deo juvante, *contristaverit* (*h*).

Quem finem ut feliciter assequatur, moneat recidivum Pœnitentem quàm miserum sit *à justitia ad peccatum transgredi* (*i*). Quòd si enim tantæ gravitatis est eorum culpa, qui Baptismi sui fidem frangere non verentur, quia *semel* à peccati dæmonisque servitute liberati, scientes & volentes peccant (*k*); quale & quantum censebitur eorum esse peccatum, qui, per Pœnitentiam dealbati, rursùs inquinantur? qualis atrocitas, si frequenter eadem iterent scelera? qualis indignitas, si vita illorum à peccato ad pœnitentiam, atque à pœnitentia ad peccatum perpetuo circulo volvatur? *Haccine reddit Domino populus stultus & insipiens* (*l*), ingratus & perfidus, perjurus & contumeliosus? » Nonne diabolum Do» mino præponit? Comparationem » enim videtur egisse, qui utrum» que cognoverit, & judicatò pro» nuntiasse eum esse meliorem, cu» jus se rursùs esse maluerit. Ita, » qui per delictorum pœnitentiam » instituerat Domino satisfacere, » diabolo per aliam pœnitentiæ pœ» nitentiam satisfaciet : eritque tan» tò magis perosus Deo, quantò » æmulo ejus acceptus (*m*). »

Jam verò, quantam Deo infert injuriam, tantum sibi detrimentum importat recidivus peccator : id quod ipse Dominus JESUS edocuit, ad

(*g*) *Prov.* 1. 22.
(*h*) 2. *Cor.* 7. 9.
(*i*) *Eccli.* 26. 27.
(*k*) *Vide Conc. Trid. sess.* 14. de Pœnit. *cap.* 8.
(*l*) *Deut.* 32. 6. (*m*) *Tert.* de Pœnit.

vivum exhibens sub corporalis possessionis figurâ quid in spirituali possessione contingat. *Cùm* scilicet *immundus spiritus* in hominem, undè exivit, reverti constituit, *assumit septem alios spiritus secum nequiores se; & ingressi habitant ibi: & fiunt novissima hominis illius pejora prioribus* (*n*). Quod quidem si verè dici potest, cùm primùm relabitur Pœnitens; quid erit dicendum, si totiès relapsus fuerit, quotiès confessus? Salutem suam in gravi periculo constitutam esse non ignoret. Invalescunt pravæ consuetudines; decrescunt lux & gratia divina; gravescit cæcitas interior; augetur potentia dæmonis, *à quo captivus tenetur* (*o*). Aliquam fortè spem concipit, sese, ubi primùm voluerit, à peccati vinculis expediendi, sibique diem sinceræ conversionis præstituit in longinquum: nescit infelix, nescit quàm præcipiti gradu ad finalem vergat impœnitentiam. Anteactis Confessionibus, quasi legitimis, fretus, cum perniciosa securitate obdormiscit in *via quæ videtur homini recta; & novissima ejus ducunt ad mortem* (*p*).

Cum autem noxæ iterator sibi malè blandiens, Deum bonum & misericordem in ore sæpiùs habeat; denuntiante Confessario, noverit nihil esse damnationi æternæ proximum magis, quàm si quis, temerariâ confidentiâ, divinam sibi misericordiam assumat velut occasionem & quoddam incentivum licentiùs peccandi; quasi totiès & tam facilè rediturus in gratiam, quotiès & quàm facilè ab illa excidere libido suaserit. *Bonus* quidem *est Dominus* legitimè *sperantibus in eum, animæ quærenti illum* (*q*); *misericordia Domini magna est, & propitiatio illius convertentibus ad se* (*r*): *qui* autem *perseveraverint in malitia, peribunt* (*s*). Verâ Contritione includitur & summum peccati commissi odium, & firmum non illud ampliùs committendi propositum: numquid verò peccatum odisse, & à peccato abstinere velle censetur, qui illud semper eadem propensione committit? *Si pœnitet te, noli facere: si adhùc facis, pœnitens non es* (*t*). Neque hìc opponatur hominis proni ad malum *miserabilis infirmitas* (*u*). Per malitiam peccant, non per fragilitatem, qui ultrò, facilè & frequenter noxam iterant, dum scilicet vim sibi nullam adhibent, neque causas, neque occasiones vitant, neque consilia aut monita suscipiunt, vel ea nunquam ad effectum perducunt. Tunc igitur non hominis, sed Contritionis & Pœnitentiæ accusetur infirmitas. Et quamvis affirmari absolutè non possit, eum qui in lethalia relabitur, dolore sufficienti caruisse, nec proindè justificatum fuisse; hoc tamen valdè esse metuendum, rectè ac legitimè pronuntiatur (*x*).

(*n*) *Luc.* 11. 24. 26.
(*o*) 2. *Tim.* 2. 26.
(*p*) *Prov.* 16. 25.
(*q*) *Thren.* 3. 25.
(*r*) *Eccli.* 17. 28.
(*s*) 1. *Reg.* 12. 25.
(*t*) *S. Aug.*
(*u*) *Eccli.* 5. 15.
(*x*) *S. Chrys. Hom.* 21. ad pop. Ant. *Hom.* 5. de Pœnit. *Hom.* 6. in Gen. *Hom.*

Quòd si verò non semper falsam pœnitentiam arguunt culpæ iteratæ, cùm scilicet minùs frequentes & remissiore impetu præcipites fuerunt, causamque habuerunt solito fortiores occasionum illecebras, atque ingeminatam tentationum vehementiam; certè, per novos in peccatum lapsus, præcedentium Confessionum fructus non mediocriter imminuitur. Sacramento Pœnitentiæ non modò delentur peccata, sed & gratia infunditur, cujus ope vitari possint. Dei amicitia redditur; merita *mortificata* reviviscunt, Deoque ut acceptum quid & mercede dignum habentur. Qui in lethale peccatum relabitur, ipsi quidem non ea rursùs imputantur delicta, quorum remissionem in præcedentibus Confessionibus accepit; *sine pœnitentia enim sunt dona Dei* (*y*): cæteri autem fructus, gratia sanctificans, merita priùs rediviva, penitùs evanescunt (*z*).

QUONAM autem pacto vitari possint mala gravissima quæ ex delictis præsertim ex malitia iteratis oriuntur, exponendum superest.

» Duo sunt efficacia in Medici» na: unum quo sanatur infirmi» tas, alterum quo sanitas custodi» tur (*a*). » Ex morbo enim convaluisse quid prodest, si, eo recrudescente, pejus immineat periculum? Dimidiam solùm officii partem adimplevit Confessarius, cùm Pœnitentem, juxta regulas superiùs expositas, prudenter absolutum Deo reconciliavit: ut is perseveret, etiam atque etiam incumbendum est. Minister siquidem CHRISTI JESU, à quo *positus est ut fructum afferat, suusque fructus maneat* (*b*), ad afferendum Sacramenti effectum tenetur: prætereàque, tanquàm Pœnitentis medicus spiritualis, piam saluris ipsius debet gerere sollicitudinem. Ac primùm id efficere conetur, ut vividè sentiat Pœnitens quanta sit peccati gravitas, ac præsertim quanto detrimento, quanto periculo iteretur peccatum anteà dimissum. Illum prætereà causas & occasiones vitare omnes jubeat, quæ peccatorem anteà fecerant, & quæ posteà recidivum facere possent. Alioqui, *plaga ejus desperabilis renuet curari* (*c*). Ipsum admoneat, ut remediis, sive ad resistendum tentationibus, sive ad pravas consuetudines abolendas necessariis, non intermissâ sedulitate ac diligentiâ utatur: vitia facilè subrepere, difficilè autem profligari: absurdum esse, si quis terminum sine via, id est, medelam sine remediis, salutem sine labore concupiscat: *pigrum*, de quo meminit Scriptura, *velle*,

10. *Hom.* 44. *Orat.* de S. Philog. *p.* 402. *S. Fulg.* de remiss. pecc. *l.* 1. *c.* 12. *S. Basil.* vis. 2. in Is. *c.* 1. *v.* 14. *S. Greg. Nyss.* Ep. can. *c.* 5. (*al.* 6. 7. 8.) *S. Ambr. l.* 2. in 1. Luc. *v.* 67. *n.* 33. *in Ps.* 40. *v.* 11. *n.* 24. *in Ps.* 118. *Serm.* 4. *l.* 2. de Pœnit. *cap.* 9. 10. (*al.* 80. *ad.* 97.) *S. Aug. Serm.* 34. de temp. (*al.* 253.) *Paul.* vit. S. Ambr. *n.* 39. *S. Greg. l.* 9. *Ep.* 39. *c.* 4. (*al. l.* 11. *Ep.* 45.) *l.* 11. *Ep.* 12. *seu Serm.* de tempore mortal. *Conc. Tolet. III, an.* 589. *can.* 11. 12. *Rem. sub Sonnat. an.* 625. *vel* 630. *can.* 8.

(*y*) *Rom.* 11. 29.

(*z*) *Eccli.* 34. 30. 31. *Ezech.* 3. 20.

(*a*) *S. Aug.* in Ps. 7.

(*b*) *Joan.* 15. 16.

(*c*) *Jerem.* 15. 18.

& non velle (*d*): falsum Pœnitentem velle à peccato, tyrannorum pessimo, liberari; nec tamen velle, si nullam sibi vim adhibeat: nihil arduum esse cupienti; *omnia posse eum quem Deus confortat* (*e*).

Ipse verò Sacerdos, pro spiritualium morborum diversitate, cautus & circumspectus remedia generalia applicabit: orationem scilicet, jejunium, eleemosynam, opera misericordiæ, cæterosque pœnitentiæ labores. Utile etiam admodùm erit Pœnitentiam injungere à peccatore adimplendam si relapsus fuerit, cujus timor fragilem à delicto cohibeat voluntatem.

Porrò, cùm Pœnitens reconciliatus gratiæ *thesaurum in vase fictili habeat* (*f*); idcircò seipsum & *animam suam custodiat sollicitè*: quæcumque *ad* tuendam spiritualem hanc *vitam & pietatem nobis donata sunt*, subsidia sectetur (*g*); utque *firmus sit in via Domini* (*h*), *neque excidat à propria firmitate*, *crescat verò in gratia* (*i*), alto humilitatis fundamento constituat vitæ novæ rationem. Suam in Deo fiduciam totam collocet, sibique plurimùm diffidat. Propriæ fragilitatis memor, frequenti simul & fervidâ oratione Deum precetur, ut *suos gressus in semitis* justitiæ *perficiat*, *ne sua* unquam *moveantur vestigia* (*k*), & in eamdem iniquitatis simul & infelicitatis viam revolvatur. Spiritum pœnitentiæ & compunctionis, insupèr & pacis cum Deo reconciliatæ fœdus singulis diebus renovet; perpetuus ipse sibi monitor ac *testis*, *quia Dominum elegerit*, cui per reliquum vitæ suæ tempus indeflexâ animi pietate serviret (*l*).

Id quoque inter cætera non mediocriter ad perseverantiam juvabit, si Pœnitens, quo die acriorem expertus fuerit tentationem, prolixiùs oret, Pœnitentiæque ac pietatis operibus magis incumbat. Quinimò in ipsa tentatione constantissimum Deo amorem fidemque inconcussam toto corde renovet. Sic nempè anima fidelis adversùs inimicum fortior in dies convalescet; & nedùm ex ejus impugnationibus ullum sibi detrimentum generetur, suam indè perseverantiam & salutem certiùs promoveri sentiet.

Sed, quod præstantissimum remedium est, & sine quo cætera vix proficient, ad Pœnitentiæ Tribunal frequenter accedat, in eo, non tantùm à delictis commissis emundandus, sed etiam ab iterandis integer custodiendus. Ibi scilicet renovatur odium peccati, Deoque firmiter adhærendi propositum: ibi monita suggeruntur ad perseverantiam conducibilia: ibi devius reducitur, vacillans sustinetur, tepescens accenditur, deficiens roboratur. Et Corporis Christi Communio, ut jam suprà diximus, potentissimum est adversùs culpæ iterationem remedium. Hoc divino

(*d*) *Prov.* 13. 4.
(*e*) *Phil.* 4. 13.
(*f*) 2. *Cor.* 4. 7.
(*g*) *Deut.* 4. 9. 2. *Petr.* 1. 3.
(*h*) *Eccli.* 5. 12.
(*i*) 2. *Petr.* 3. 17.
(*k*) *Ps.* 16.
(*l*) *Josue*, 24. 22.

alimento vires ad *viam mandatorum* Domini currendam integrantur, pravæ consuetudines infirmantur, concupiscentia restinguitur, multa devitantur venialia peccata, quæ lapsu facili ad lethale pertraherent (*m*). » Est enim hoc altissi» mum & dignissimum Sacramen» tum medicina omnis spiritualis » languoris; in quo vitia curantur, » passiones frænantur, tentationes » vincuntur aut minuuntur, gratia » major infunditur, virtus incœpta » augetur, firmatur fides, spes ro» boratur, & charitas ignescit ac » dilatatur (*n*). » Videat porrò Sacerdotis prudentia, juxta regulas suo loco traditas (*o*), quàm frequenter ad Mensam Domini suos Pœnitentes accedere liceat; si enim dignè accedentibus contingit cumulata bonorum omnium spiritualium complexio, indignè accedentibus horrendum in salutis viâ damnum infligitur.

(*m*) *Vide de imit. Chr. l. 4. cap. 3. 4. & 10.*

(*n*) *Ibid. c. 4. n. 2.*

(*o*) De Sacram. Euch. *Div. IV, cap. 3.*

CAPUT VI.*

De prudentia Confessarii circa Confessiones generales.

PRÆMONITUM. Quandònam irrita sit Confessio. Quibusnam utilis sit Confessio generalis. Quidam sæpè confessi, nunquam reconciliati. Quomodò Pœnitens in emittenda Confessione generali adjuvandus. Hujusmodi Confessionis occasione, quàm sapienter promovenda conversio difficilis. Observatio. De annua Confessione generali, aliisque extraordinariis Confessionibus. Anxiè timoratis plùs noceret quàm prodesset Confessio generalis. Quo fine instituendæ Confessiones extraordinariæ.

NULLI Fidelium sine causa gravissima, vel potiùs extra evidentem aut legitimè præsumptam necessitatem, præcipienda est Confessio generalis. Sunt tamen casus in quibus eam suaderi oportet, ut inferiùs dicetur.

Cùm certò nullæ & irritæ fuerunt præcedentes alicujus Pœnitentis Confessiones, vel cùm de illis prudenter dubitatur, tunc dèmùm necesse est ut in Confessione generali declarentur omnia peccata, vel omissa, vel jam quidem, sed inaniter, clavibus Ecclesiæ subjecta. Horum tamen iterata accusatio (saltem sigillatim facta) non requiritur, si integretur Confessio apud solitum conscientiæ moderatorem, qui pristina ejusmodi peccata jam sibi declarata meminerit.

JAM verò, vel ex parte Pœnitentis, vel ex parte Confessarii nulla & irrita esse potest Confessio. Ex parte Pœnitentis, 1°. Qui Contritione caruit; sive falsam habuerit, sive nullum ejus actum ante Confessionem, aut saltem ante Absolutionem emiserit. 2°. Qui verum sincerumque animo non gessit propositum omnia vitandi peccata, saltem lethalia, pravas emendandi consuetudines, proximas deserendi occasiones, aliena restituendi pro viribus, sese cum inimico in gratiam reconciliandi, injunctam sibi Pœnitentiam adimplendi, Deoque pariter & proximo satisfaciendi. 3°. Qui Confessionibus nullum aut levissimum præmisit examen conscientiæ; undè secuta fuerit vel sequi potuerit lethalis alicujus peccati oblivio. 4°. Qui lethale peccatum, vel circumstantiam necessariò declarandam, sciens & volens in Confessione prætermisit. 5°. Qui lethalium Confessionem inter duos Sacerdotes dimidiavit: quæ nempè seorsim condonari nequeunt, cùm singula æqualiter gratiam sanctificantem excludant (*a*). 6°. Qui, licèt pluriès delicta sua ex toto confessus ac detestari visus fuerit, nihilominùs in lethalis peccati consuetudine infixus remansit. 7°. Qui, mores suos emendare haudquaquam intendens, Confessarium sibi de industria elegit minimè intelligentem.

Ex parte Confessarii irrita est Confessio, 1°. Si Sacerdos non erat. 2°. Si Jurisdictione caruit. 3°. Si specialis ei defuit potestas erga Pœnitentem Casus reservatos confessum. Quod tamen ad Casus Nobis reservatos pertinet, dummodò ex parte Confessarii simulque Pœnitentis, quin etiam ex parte hujus duntaxat, bonâ fide actum fuerit, hic ratum habemus quòd jam suprà concessimus (*b*), ut tunc deficiens Jurisdictio suppleatur in gratiam Pœnitentis, qui, reservationem Casûs ignorans, apud Sacerdotem simpliciter approbatum peccata deposuerit. Hoc autem concedimus, ne Pœnitenti noceat Confessarii mala fides & prævaricatio; quam non ideò minùs gravem esse, coram Deo & CHRISTO JESU testificamur. 4°. Si Confessarius formam, id est, Absolutionem, non protulit, vel quoad substantiam immutavit. 5°. Si, propter surditatem vel somnum, Pœnitentis delicta non audivit, seu propter mentis aberrationem non intellexit, sensitque Pœnitens se vel non audiri, vel non intelligi; quo quidem postremo vitio, irrita esset Confessio ex parte Confessarii, sacrilega etiam ex parte Pœnitentis. Ex his omnibus vel unum, sive ex parte Confessarii, sive ex parte sua contigisse ubi certò vel probabiliter novit qui confessus est, ad iterandam Confessionem tenetur.

Exceptis hujusmodi casibus, vel certis, vel dubiis, minimè necessaria est Confessio generalis. Ea tamen valdè utilis ac plurimùm suadenda est iis qui de seligendo vel mutando vitæ instituto consilium ineunt: necessaria autem esse meritò judicatur iis qui ad primam Communionem dis-

(*a*) *S. Thom. in 4. dist. 17. q. 3. a. 4.*

(*b*) *Div. III, cap. 2.*

ponuntur. Omnibus denique in conversionis procinctu sapienter conceditur, vel potiùs injungitur omnium anteactæ vitæ peccatorum Confessio. Et quidem Pœnitentiæ Ministris non otiosè ac leviter, sed attentè ac diligenter humana corda introspicientibus, & quacumque ex occasione veritatem è profundissimis latebris educentibus, sæpè occurrunt etiam inveterati peccatores, qui dispositiones ad consequendam justificationis gratiam requisitas nunquam ad sacrum Tribunal attulerunt. His utique necessaria est omnium vitæ suæ delictorum Confessio.

Cùm ergò, sive totius vitæ, sive temporis diuturni Confessio generalis alicui Pœnitenti præcipienda vel suadenda erit, circumspectè maturèque procedatur in tanti momenti opere, ex quo nimirùm pendet animæ innovatio, tranquillitas & beatitudo. Si primo statim aditu sentiat Confessarius accedere animam peccatis oneratam, atque in eo judicio non multùm versatam, suî tamen discutiendi aliquatenùs capacem; Pœnitenti suadeat in antecessum, ut instituendæ sibi accusationis capita aliquo temporis intervallo recogitet, vitæ pristinæ actus, negotia, tempora, loca secum revolvens; quâ methodo, quæcumque in Deum, in proximum, in seipsum peccaverit, faciliùs exploratum habeat; tum verò singula per ordinem describat, nisi memoriâ felicissimè adjuvetur (*c*). Ipsum deindè admonebit, ne illius judicii apparatum in eo maximè positum existimet, ut reus, per diligentissimam suî recognitionem, causam instruat; sed magis ut *agat pœnitentiam plenam, dolentisque ac lamentantis animi probet mœstitiam* (*d*). Quapropter donum Contritionis à Spiritu sancto efflagitet, cujus nempè est corda hominum ubi vult & quandò vult movere, scindere atque innovare. Posteà, invocato cœlestis luminis auxilio, in profundum cordis sui descendat. Sedulò disquirat peccati speciem ad quam ab infantia vel ab adolescentia maximè propensus fuerit. In memoriam sibi reducat undè eruperint vitiosi habitus; quamdiù turpi catenâ constrictus, quamdiù occasione proximâ irretitus vixerit; quàm sæpè intereà malè præparato animo Sacramenta perceperit.

Et quia nonnulli, quamvis ad emittendam totius vitæ Confessionem accingere se non detrectent, eam nihilominùs difficillimam experiuntur, & quasi impossibilem affirmant, deficiente præsertim in delictis ex ordine recensendis memoriâ; Sacerdos, quantùm poterit, eos adjuvet, atque ad boni propositi effectum in multa patientia & charitate perducat. Quòd si non facilè vinci posse videantur ut se quantâ opus esset profunditate discutiant, aut si reverà tenuis ingenii vel memoriæ sint; ab iis Confessionem incipientibus solam exquirat graviorum accusationem. Subindè verò illos interrogationum dexteritate sic exploret, ut paulatim, conscientiæ

(*c*) *Epist. S. Franç. Xav.* ad P. Gasp. Barzé.

(*d*) *S. Cypr.* de lapsis.

quantumvis

quantumvis tenebrosæ recessus intimos perlustrans, generalem quasi ab insciis Confessionem eliciat, quam aliter obtinere vix aut minimè potuisset. Quod quidem ut Sacerdoti feliciter succedat, paucis ex verbis dijudicandum erit peccatoris ingenium, perspicienda indoles; & sensim ex his ad quæ propensum se confiretur, ad alia progrediendum, quæ fortè, *malitiâ suâ excæcatus* (e), consuetudine vel ignorantiâ præceps, nunquam sibi imputasset, nec salutari Confessione expiare ullomodò curasset.

Itaque Sacerdos, Confessionis generalis occasione, curandam suscipiens conscientiam diuturnâ regnantis peccati labe maculatam, altèque inustis vitiis quasi *cauteriatam* (f), non priùs manum operi admoveat, quàm hujusmodi animam solertissimè pertentaverit, atque altissimo contuitu introspexerit. Ac primò quidem cautè investiget an non Pœnitens vehementi tenacique aliquo affectu sit præpeditus, rerumque ad salutem pertinentium odio præoccupatus. Si suî compos esse videatur, tantamque habere quietem internam, quantâ opus sit ut monitorum impatientem se non præbeat; tunc nullum erit in prudenti consilio periculum. Si autem irâ, si sævo injuriæ dolore, si amore impudico, aliove immodico æstu fluctuet animus; expectanda erunt magis opportuna tempora, atque explorandi faciles aditus. Non eum Confessarius apertâ vi statim oppugnet; sed, blandè fiduciam captans, viam sibi sternat occultam, quâ sensim occupet velut nescium. Si quid primo conâtu profecerit, monita salutis atque incitamenta conversionis aliquantò pòst ingeminet. Cùm denique hominem quasi expugnatum in deditionem acceperit, emendationis perfectæ leges ei constituat, donec Absolutionis gratiam consequi mereatur.

Si quis peccator Confessionem generalem instituens, ex eorum sit numero qui nullam fortè in toto vitæ suæ decursu legitimam Confessionem emiserint, & *quorum iniquitates supergressæ sint caput* (g), conscientiamque nimio terrore conturbent; eum Sacerdos per immensam Dei clementiam, per vulnera & mortem Domini nostri JESU CHRISTI roget atque obtestetur, ne scelerum fœditate vel immanitate terreatur, nec de venia diffidat, modò quidquid in se fuerit, libenti animo exequatur, nec pœnitentiæ labores detrectet. Nisi enim ab illius mente anxietatem abscindat, in diffidentiam ac desperationem forsitan prolabetur infelix; divinæque charitatis minister ipsum *de luto fæcis* emergere vix tentantem, profundo vitiorum rursùs absorberi ingemiscet. Jam verò nullus unquam doluit Confessarius quòd hujusce indolis peccatoribus Absolutionem distulerit; multos verò pœnituit, quòd ambiguè dispositos citiùs absolverint. Itaque ad intelligentiam delictorum oculos cordis aperiant; nec desperent misericordiam Domini, nec tamen imma-

(e) *Sap.* 2. 21. (f) 1. *Tim.* 4. 2. (g) *Ps.* 37.

turam sibi veniam vindicent (*h*). Confessarius autem curam illius Pœnitentis fiducialiter suscipiat, qui malorum suorum tam vivido sensu affligitur, ut & consolationis uberrimæ, & sæpiùs exhibitæ Dei misericordiæ adminiculo indigeat. De illo enim ægro minimè desperandum est, qui ægritudinis suæ gravissimo dolore torquetur; sed de illo fortassè timendum, cui, per sensuum omnium interiorum stuporem, curationis difficultas majorem in modum ingravescit.

Cæterùm Pœnitens cui necessaria judicabitur Confessio generalis, ea peccata primùm declaret, quorum sibi à Confessione ultima conscius est. Ejus verò Confessionem generalem non audiri satius erit, nisi priùs aliqua pœnitentiæ signa, eaque non dubia, ostenderit, vitiososque habitus jam aliquatenùs deposuerit.

Porro, semel emissâ Confessione generali, sufficiat Christianam vitam agentibus & salutis propriæ studiosis, si quotannis, datâ majoris fervoris occasione, totius anni culpas coram Sacerdote recognoscant. Eorum certè laudanda, & in charitate Jesu Christi adjuvanda est pietas, qui, prout suadent spiritualis vitæ magistri, præter frequentem & consuetam delictorum in Confessione purgationem, *annos suos in amaritudine animæ suæ* identidem *recogitant*, amplioresque instituunt Confessiones, ut vel levissimis præcedentium vitiositatibus medeantur, suumque in perfectionis stadio profectum, judice Confessario, certiùs dignoscant. Quantumvis enim homo Christianus purè sanctèque vivere, & Sacramenta non nisi utiliter suscipere contendat; quia tamen *necesse est de mundano pulvere etiam religiosa corda sordescere* (*i*), quandoque pariter metuendum est ne ad negligentiam delabatur, si minùs lethiferam, at certè periculosam; quæ scilicet paulatim fervorem minuit, & ad quasdam culpas, etiam graves, proclivi gradu impellit. Sic tamen erga hujusmodi Pœnitentes studio pietatis inflammatos se gerat Confessarius, ne scrupulosas in eorum mentibus anxietates nutriat; quibus si facilè stimulentur, ipsam quidem unius anni Confessionem extraordinariam vix eis concedat, nunquam imperet. Multò minùs iis concedatur totius vitæ nova Confessio generalis, nisi ostendatur necessitas quasi digito palpanda, non auditis quæcumque opposuerint. Scrupuli enim, experientiâ teste, nedùm per hujusmodi recognitionem auferantur, imò acriùs sæviùsque recrudescunt. Hoc igitur animi morbo affectis plus noceret quàm prodesset Confessio generalis, ut potè quæ novos & forsan immedicabiles iisdem angores injiceret. Hinc non modò conscientiæ pacem & tranquillitatem, sed ipsum Dei amorem, infelici rerum vice, amitterent, dum sæpiùs nimio peccandi metu peccarent. Hinc ipsemet Confessarius circà illos, ut plurimùm, ancipiti judicio atque operosâ directione laboraret; iisque

(*h*) *S. Cypr.* de lapsis. (*i*) *S. Leo*, *Serm.* 4. *de Quadrag.*

nec monendo, nec suadendo, nec præcipiendo ulteriùs prodesse jam posset. Si quis autem studio perfectionis laudabili, ampliorem, approbante Sacerdote, Confessionem instituat; exceptis quibusdam culpis utcumque gravioribus, quas primùm nosse atque expurgare debet, hæc illi cura sit præcipua, ut profundè recogitet quantùm in virtute profecerit, & quem fructum è Sacramentorum frequentatione perceperit. Leviores autem negligentias, vel potiùs infirmitates, naturæ humanæ quodammodò ineluctabiles, non curet nisi generatim; ne fortè, anxiâ & futili disquisitione occupatus, ad capessenda Sacramenta minùs fructuosè accedat.



DIVISIO VII.

DISSERETUR in hac Divisione, 1°. De prudentia Confessarii in imponenda Pœnitentia : 2°. De prudentia Confessarii in decernenda restitutione : 3°. De antiqua Pœnitentiæ administratione ; & de prudentia Confessarii in præcipiendis operibus satisfactoriis, aliquatenùs habito Canonum pœnitentialium respectu : 4°. De Indulgentiis & Jubilæo ; ac de prudentia Confessario necessaria ut Pœnitentes in consequendis Indulgentiis ritè fructuosèque dirigat.

CAPUT PRIMUM.

De prudentia Confessarii in imponenda Pœnitentia.

IN impositione Pœnitentiæ necessaria prudentia. Variæ observationes practicæ. Satisfactionis impositio, ex Pœnitentium ignavia, sæpè difficilis. Quidam gravis Pœnitentiæ stimulo excitandi. Libidinosis, superbis, avaris, invidis, iracundis, pigris, mendacibus, gulosis, &c. quænam imponendæ medicinales Pœnitentiæ. Omnibus Pœnitentibus quid sit prætereà injungendum. An aliquandò Pœnitentiæ instar injungi possint opera ex officio adimplenda. Variæ Satisfactionum species. De his qui plùs deliquerunt quàm valent satisfacere. Pœnitentia publica, solemnis, inusitata. Pœnitentiæ aliquatenùs publicæ interdùm à Confessariis imponendæ. Exigenda conversionis manifestatio. Tuenda Pœnitentialis ministerii libertas.

JUXTA sapientissimam Tridentini Concilii doctrinam, » debent Sa- » cerdotes Domini, quantùm Dei » spiritus & prudentia suggesserit, » pro qualitate criminum & Pœni- » tentium facultate, salutares & con-

» venientes Satisfactiones injungere » (*a*). « Quamobrem ea cuique Pœnitentia imponatur, quæ peccatis, non quidem pro mensura injuriæ Deo illatæ, quod omninò impossibile est, sed quantùm humana patitur infirmitas, æquiparari aliquatenùs possit (*b*) : quâ nimirùm Satisfactione refrænetur libido & cupiditas, *crucifigatur caro cum vitiis & concupiscentiis* (*c*), ac denique peccati gravitatem sentiat Pœnitens. Nec fit Confessarius ex iis malè blandientibus Ministris, qui, juxta Propheticum sermonem, *consuunt pulvillos sub omni cubito manûs, & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis, ad capiendas animas* (*d*).

Maximo verò discrimine habenda est malitia, vel fragilitas; voluntas ultrò in vetitum ruens, vel occasionum impetu quasi abrepta; consuetudo aliquatenùs repressa, vel per supinam incuriam in repetitos actus impulsa; occasio vitata, aut non vitata, desiderata vel quæsita. Consideratissimo pariter judicio dignoscendum est quid constitui oporteat pro cujusque Pœnitentis sexu, ætate, viribus, vitæ genere, muniis, Contritione, cæteris dispositionibus, variisque commodi & incommodi circumstantiis, quibus, non solâ culparum multitudine & gravitate perpensâ, Satisfactionis modus attemperetur. Aliter plectendi sunt juvenes, aliter senes; aliter inopes, aliter divites; aliter avari, aliter gulosi, aliter alio vitio laborantes; aliter omni Pœnitentiæ fructu carentes, aliter qui jam voluntariâ satisfactione Sacerdotalem sententiam prævenerunt. Vetat prudentia ne pauperibus aut filiis-familiâs eleemosynæ præscribantur; ne jejunia imponantur fœminis gravidis, nutricibus, vel quibuscumque Pœnitentibus corporis habitudine infirmis, aut nondùm satis per ætatem vigentibus, vel quibus victum quotidianum suppeditat labor qui sit cum jejunio insociabilis. Nec est injungenda frequens Ecclesiæ visitatio, vel prolixa multaque oratio, patribus aut matribus-familiâs, quos impediunt honesta negotia & rei familiaris Christiana sollicitudo; vel famulis aut ancillis, aliterve opus debentibus. Nullæ sunt præcipiendæ Satisfactiones quæ peccatorem & occulta ipsius delicta detegere possint, scandalum aut Confessionis odium parere, domesticam pacem interturbare, virum & uxorem, patrem & filium inter se committere, vel in alterius detrimentum vergere. Sic v. g. mulier connubiali jugo subjecta malè juberetur eleemosynas plus æquo notabiles, inscio marito, largiri. Sic famulo, ancillæ, aut cuivis in alterius potestate constituto perperàm injungerentur peregrinationes, aliave opera quibus à conditionis suæ negotiis retraheretur. Nihil demùm pro Satisfactione imponendum est, quod societatis ordini, quod fami-

(*a*) *Conc. Trid. Sess.* 14. *cap.* 8. de Satisf.

(*b*) *Stat. D. Odonis* de Sully, *Syn.* 1. *c. an.* 1198, Capit. circa Confession. *art.* 8. *in Synodico*, *pag.* 6. *Vide etiam Stat. D. Steph.* Poncher, *& D. Eust.* du Bellay.

(*c*) *Gal.* 5. 24.

(*d*) *Ezech.* 13. 18. *cit. in Conc. Cabil. II*, *an.* 813. *v.* 815. *can.* 38. *Vide Paris. VI*, *an.* 829. *l.* 1. *c.* 32.

liæ, quod cujusquam officio vel leviſſimè noceat. » Debet itaque Sacerdos, in pœnitentia danda, » ſingulorum cauſas ſingulatim conſiderare, originem quoque modumque culparum, & affectus » gemituſque delinquentium diligenter examinare, manifeſtèque » cognoſcere; temporum etiam & » perſonarum, locorum quoque & » ætatum qualitates inſpicere; ut » etiam, pro conſideratione locorum, ætatum vel temporum, ſeu » pro qualitate delictorum atque » gemituum uniuſcujuſque delinquentis, à ſacris regulis oculos » non reflectat (e). «

Omnis quidem Pœnitentiæ ſcopus eſt ut peccator condignam pro delictis pœnam exolvat. Quæ verò ſatisfactiones ante Abſolutionem præcipi ſolent, eò præſertim referuntur ut Pœnitentium corda innovent, atque ad promerendam reconciliationis gratiam diſponant: & quæ poſt ſuſceptam Abſolutionem exequendæ imponuntur, collimare ad hoc debent, non modò ut per eas juſtitiæ divinæ ſatisfaciat Pœnitens, verùm etiam ut à vitiis maliſque animi propenſionibus curetur, à culparum iteratione ſervetur integer, & in gratia novoque vivendi inſtituto confirmetur. Cui ergò ſuſpenditur Abſolutionis beneficium, illi injungatur ut frequentes Contritionis bonique propoſiti actus emittat, ut perfectam morum emendationem à Deo ſæpiùs flagitet, ut ſua omnia in ſpiritu pœnitentiæ opera perficiat. Sic perpetuos in ſe gerens compunctionis ſenſus, peccati affectum non longo temporis intervallo deponet, ſeque tandem Sacramentali Abſolutione dignum præbebit. Quamdiù peccator ad Abſolutionem præparatur, ei plerumque Pœnitentia non imponitur niſi ad tempus quo rediturus eſt. Hæc autem ſit ejuſmodi, ut Confeſſarius de ipſa inquirens ſtatim dignoſcat quo ſpiritualis morbi genere laboret Pœnitens; undè ſingulorum conſcientiam, ſine accuſationis iteratione, in promptu habeat. Cùm Abſolutio injunctam Pœnitentiam eſt immediatè ſecutura, ſedulò præſtituendum eſt quàm diuturna eſſe Pœnitentia debeat. Quæ quidem ſi ſit ingens, graviſque momenti, Pœnitens, jubente Confeſſario, ejus ordinem recitet; ut nempè certò judicetur num ipſam intellexerit, & memoriâ tenere poſſit. Ne verò, ut plurimùm, difficili Satisfactionum varietate oneretur memoria Pœnitentis, qui forſan injuncta obliviſceretur. Quòd ſi tamen ad ſanandum ægrotum multiplici opus fore medelâ videatur, Sacerdos ei ſingula diſtinctè ac dilucidè exponat: quin etiam ab illo ſciſcitetur an omnia intellectu & memoriâ teneat? ſi præſertim cum juvene agatur.

Si ſit aliquis dubitandi locus an Pœnitens eam exequi valeat Satisfactionem quam Sacerdos illi imponere conſtituit, ab ipſo rei veritas quæratur: & ſi prudenter metuatur ne hoc modo ſatisfacere nequeat, immutetur vel minuatur Pœnitentia. Pœnitens verò moneatur Satisfactionem

(e) *Wormat. an. 868. can. 25.*

semel acceptam haud sine gravi culpa omitti posse, sed præfixo tempore adimplendam esse.

Erga eos qui sola venialia in Confessione recognoscunt, in constituenda Pœnitentia non magna est difficultas. Vulgò enim sufficiunt iis impositæ preces quædam vocales, piæ lectiones aut meditationes, sanctissimi Sacramenti visitationes, spiritualium exercitationum diligentia, animo pœnitenti facta oblatio laboris, & tribulationum quas singulis diebus patiuntur. Hæc nempè est satisfactio quotidiana, quæ ab omnibus, etiam justis, pro quotidianis culpis debetur. Eorum autem qui lethalia commiserunt, difficilè admodùm constituitur Pœnitentia. Non soli quidem Confessariorum mollitiei, verùm etiam Pœnitentium ignaviæ tribuenda causa est cur hisce temporibus tanta sit peccatum inter & satisfactionem disparitas. *Nauseant* plerique *ad antidotum, qui hiaverunt ad venenum (f)*. Peccatoribus immenso lethalium pondere oneratis nulla non gravior Satisfactio videtur. Qui intemperantiam, crapulam, luxuriam frequentibus jejuniis expiare deberent, ii jejuniorum dies ab Ecclesia indictos non libenter observant. Quibus delicta copiosissimis eleemosynis redimenda essent, malè parta iniquo animo restituunt, æs alienum ægrè dissolvunt. Quibus vi multâ opus esset, ut torporem animi languentis miserrimèque blandientem sensuum tyrannidem excuterent, nihil sibi molestum ferunt; pièque ac moderatè sævientem Confessarium, immisericordem conqueruntur. Sunt quibus concupiscentia refrænanda, *corpus castigandum & in servitutem redigendum* foret, qui tamen levissima quæque, quasi intolerabilia, detrectant. Post admissa peccata gravitate infanda, numero propè infinita, stomachum movet Satisfactio paucorum excedens Psalmorum recitationem. Nonnulli, post ingentes rapinas, levibus duntaxat eleemosynis plecti se vellent. Cùm vulgò nesciant hujusmodi Pœnitentes quid sit & quid mereatur peccatum lethale, benignè à Confessariis edoceantur; ut eas Satisfactiones quæ in sacro Tribunali imponi solent, graviores non conquerantur, sed tanquam leviores aliundè compensare studeant; nec jam Pœnitentiæ Ministros quærant plus æquo indulgentes, vel imperitos, qui scelerum consuetudines vel maximè inveteratas precatiunculis expiari posse arbitrentur.

Quod si verò Satisfactiones quæ à Confessario imponuntur, leviores facilioresque esse non oportet, ne despectui habeatur Clavium potestas, & *Pœnitens ad rursùs peccandum potiùs quàm ad nova vitæ genus ineundum invitetur (g)*; curandum etiam Sacerdoti est ut injuncta Pœnitentia nec longior sit, nec gravior aut difficilior, ne peccator eam non accipiat, vel acceptam prætermittat. Nihil utique juvat eam imponi Satisfactionem, quæ probabiliter à Pœnitente nunquam sit adimplenda.

(f) *Tert.* (g) *Conc. Rem. an.* 1583. *tit.* de Pœnit.

Nullus igitur Sacerdos plus æquo rigidum se exhibeat, Pœnitentias ad totam vitam, nulloque constituto termino, imponens (*h*). Id unum plerumque obtinet nimia hæc imprudensque severitas, ut Pœnitens vel in desperationem agatur, vel animo concidat, & Sacramentorum frequentationem derelinquat. Confessarium, tanquam Judicem, in imponenda Pœnitentia dirigat æquitas, quâ scilicet, pro delictorum gravitate ac numero, Dei offensi honorem & justitiæ ipsius jura in animo habeat; tanquam Patrem, charitas vera legitimèque ordinata moderetur, quâ saluti Pœnitentis amantissimè simul & fortissimè consulat; tanquam Medicum, sapientia temperet, quâ Satisfactionis impositæ naturam & effectus, peccatique & peccatoris circumstantias maturo libret examine. Non imitentur Confessarii inclementiam patrum illorum, qui liberos nimiâ severitate attritos exasperant magis quàm corrigunt. Hinc enim Confessio, quæ jam satis onerosa est, prorsùs invisa atque intolerabilis fieret. Non tamen sine ulla culparum distinctione, æqua in omnes exeratur mansuetudo quæ » decipit miseros; ut » qui possunt agere Pœnitentiam ve» ram, & Deo patri & misericordi » precibus & operibus suis satisfa» cere, seducantur ut magis pec» cent (*i*). « Nonnulli quidem naturâ tam duri, tam rudes ac stupidi sunt, ut nihil ratione apud eos agatur, nec, nisi gravis Pœnitentiæ stimulo excitati, se graviter peccasse intelligant. Id observent Confessarii sagaces: diligenter tamen caveant ne justo vehementior metus incutiatur, neve delictorum Confessio impediatur. Præterea nonnullorum infirmitati compatiendum est, quos nempè, sincerum conversionis desiderium præ se ferentes, fortasse animi deficerent, si graviore Pœnitentiâ plecterentur. Tunc expedit Satisfactionis rigorem aliquatenùs mansuescere, aut saltem eam immutari, sic nempè ut ejus asperitas faciliorum operum diuturnitate compensetur.

Libidinosi, quamvis dæmonio immundo liberari, ut plurimùm, sine oratione & jejunio non possint, aliis tamen remediis sapienter additis, ut perfectè curentur, plerumque indigent. *Vinum, in quo est luxuria* (*k*), non bibant omninò, aut saltem aquâ multâ temperent; duro cubili mollitiem subigant. Iis autem cæteræ corporis afflictationes prudenter & circumspectè à Confessario imponantur. Ut enim sapienter observârunt experientissimi quique animarum ductores, sunt quibus earum usus carnis stimulos magis exacueret quàm retunderet. Cautissimè igitur dispiciendum est quid quisque Pœnitens cum fructu exequi possit, quid sine periculo non possit. Non precum diuturnitas, non corporalis Pœnitentiæ austeritas ad eos corrigendos multùm proficit, qui ad turpes cogitationes vel ad solitariam incontinen-

(*h*) S. *Thom.* Quodlibet. 3. *q.* 13. *art.* 1. 28.

(*i*) *S. Cypr. Ep.* 14.

(*k*) *Eph.* 5. 18.

tiam

tiam proni sunt, donec vitiosam consuetudinem aliquatenùs deposuerint. Postquàm Confessarius in charitate Dei & Domini nostri JESU-CHRISTI eos plurimùm rogaverit ut *misereantur* non solùm *animæ suæ* (*l*), verùm etiam corporis, sese ab illa utriusque interfectrice libidine fortiter continentes, ipsos jubeat primo manè surgere, ne fortè *iniquitatem meditentur in cubili suo* (*m*); turpi sermoni non linguam, non aures præbere; nihil obscœni aspicere aut legere; inhonestis cogitationibus sine anxietate obluctari, ab his ad alia placidè mentem dimoventes; Deum semper & ubique, imò in cordis penetralibus præsentem reminisci, cui sæpiùs testentur se nihil aut cogitare aut facere velle quod ipsum offendat. Notandum verò est, quibusdam ingenitum à natura esse, ut ab illo vitio compesci nequeant nisi per conjugium, vel adhibitis medicinæ remediis, quæ salientem in venis ignem, illæso corpore, extinguant, ac ferocientes carnis impetus comprimant.

At generatim hæc Pœnitentia omnibus impudicis tanquam saluberrima & maximè necessaria injungenda est, ut loca cœtusque, ut colloquia & incentiva, ut occasiones sibi anteà perniciosas diligentissimè fugiant, sobriè vivant, à malorum consortio declinent, piorum consuetudine delectentur, piis lectionibus incumbant, frequenter confiteantur; semper aliquid agant, ut tentatori, otiosum, quem sibi adjudicet, quærenti, omnis aditus præcludatur; primis immundiriæ cogitationibus & motibus fortiter obsistant, quasi scintillam insilientem & grave incendium laturam excutientes; mœstitiam vitent, nimiamque solitudinem; Deum enixè orent ut ab illa *ignominiæ passione* liberentur (*n*); *Dei timore carnes suas configant*, ne mortifero concupiscentiæ telo confodiantur (*o*). Sanctorum denique exempla meditentur, quorum alii se totos in aqua gelida aut nive immergere, alii sese prunis ardentibus imponere, alii se spinis convolvere, alii saxo pectus tundere, alii sese flagellis variisque Pœnitentiæ instrumentis dilaniare atque ulcerare non dubitârunt, ne quid in ipsos imperii haberet spiritus immundus: rati scilicet impudicitiâ non modò animæ, sed & corpori dedecus inuri turpissimum; *hominem jumentis insipientibus similem fieri* (*p*); &, postquàm in hac vita miserrimus voluptatum sectator æstuavit, ipsum denique *in stagnum ignis & sulphuris* præcipitem demergi (*q*). Videat tamen Sacerdos diligenter ne quis Pœnitens, juvenilis præsertim ætatis, maximè verò fœminei sexûs, in quo viget imaginandi vis plurima, ullis se inconsultò tradat corporis afflictationibus, quæ, post evanidi fervoris intervallum brevissimum, in solutiorem vitam degenerare possent; undè pietas apud Religionis contemptores ludibrio esset. Nullus demùm, sine consilio pii ac periti Confessarii, quidquam hocce in genere insolitum amplectatur.

(*l*) *Eccli.* 30. 24.
(*m*) *Ps.* 35.
(*n*) *Rom.* 1. 26.
(*o*) *Ps.* 118.
(*p*) *Ps.* 48.
(*q*) *Apoc.* 20. 9.

Superbi suam originem sæpiùs reminiscantur, nihilum, terræ limum; novissima sua, mortem, sepulcrum, pulverem, vermes (*r*). Quotidiè hæc verba recitent : *Memento, homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris*. Et nonnunquam funeribus interesse jubeantur, quò certiùs, quid olim futuri sint, meditentur, & quàm malè *superbiat terra & cinis* (*s*) vehementissimo sensu intelligant. Abjectis in terram capitibus, certas preces recitent; in extremo Ecclesiæ loco semoti orent; cultu modesto utantur; *ne glorientur in vestitu* (*t*); nihil cum laude sua conjunctum loquantur; humilitatis denique opera exerceant.

Avaro injungi fructuosè potest, ut, quod debet, nullâ ultra terminum morâ persolvat, inopesque pro facultatibus adjuvet. Singulis diebus recogitet se *nudum de utero matris egressum, nudumque in terram de qua sumptus est, reversurum* (*u*); *se nihil in hunc mundum intulisse, nec quidquam* indè esse *ablaturum* (*x*); *opera sua*, non divitias *hominem secuturas* (*y*): eum qui *sibi thesauros in cælo congregat* (*z*), summè felicem; *qui* verò *sibi thesaurizat, & non est in Deum dives* (*a*), summè infelicem habendum. Sapienter etiam fiet, si à divitibus, præsertim in avaritiam vergentibus, percontetur Sacerdos quantas possint eleemosynas largiri? ut circa illud certi aliquid per modum Satisfactionis constituatur. Alioquin, ipsorum arbitrio relictæ, aut leviores, aut nullæ forent. Si autem copiosæ futuræ sint, eas, suggerente Confessario, Pœnitens ad optima quæque impendat; pia Instituta, publicas inopum seu infirmorum domos amplificans aut fovens, puerorum aut puellarum Scholas in Parochia erigens, pauperum Clericorum aut scholarium institutionem promovens aut juvans.

Severè puniendi sunt qui per invidiam *proximo detrahunt* (*b*), ei nocent, de eo benignè loquentibus contradicunt, aliorumque beneficia ab ipso avertunt. Pro illis quibus invidebant, Deum orent; de ipsis bona atque honesta prædicent; iis felicissima quæque apprecentur, quinimò, si possint, accersant. Si verò medicinalem hujusmodi Pœnitentiam adimplere detrectent, non absolvantur. Numerent Confessarii inter vitia curatu difficillima invidiam. Quod quidem vitium non rarò justitiæ colorem induit; cùm sæpè, qui invidiâ tabescunt, se existiment legitimis de causis proximi commodo adversari, & de ejus infortuniis meritò gaudere. Et generatim maledici, præcipiente Confessario, delicta seu vitia cujusquam ne sermone attingant quidem; sæpiùs, è contrariò, benignè atque honorificè de proximo loquantur.

Iracundi, & quos furor immodicus in verba aut opera criminosa

(*r*) *Eccli.* 7. 40. & 10. 13. & 19. 3.
(*s*) *Ibid.* 10. 9.
(*t*) *Ibid.* 11. 4.
(*u*) *Job*, 1. 21. *Gen.* 3. 19.
(*x*) 1. *Tim.* 6. 7.
(*y*) *Apoc.* 14. 13.
(*z*) *Matth.* 6. 20.
(*a*) *Luc.* 12. 21.
(*b*) *Ps.* 100.

præcipites solet abripere, quamdiù se commotos sentiunt, nihil omninò loquantur, nihil agant vel constituant, aut priùs Orationem Dominicam Salutationemque Angelicam recitent. Quotidiè in precibus matutinis, à Deo efflagitent ne seipsos sibi derelictos iracundiæ motibus conflictari permittat: quotidiè propositum renovent iis utendi remediis quæ sibi ad refrænandam animi petulantiam à Confessario designata fuerint.

Pigri jubeantur primo manè surgere, semper flexis genibus orare, suum Deo laborem quotidiè offerre. Iis hora præstituatur, quâ per diem unumquodque opus diligentissimè adimpleant: imperatis, nullâ interpositâ morâ, obtemperent, quæcumque vel detrectandi vel morandi causa menti obversetur. Mendaces, si quandò mendacium protulerint, illud continuò retractent. *Quorum Deus venter est* (*c*), ventris ingluviem jejunio castigent. Qui vino inebriari solent, vinum aquâ multâ diluant, imò certis diebus meram aquam bibant; epulas vitent ac popinas. Blasphemi, & qui *Nomen Domini in vanum assumunt*, certam eleemosynam totiès largiantur; vel humi toto corpore prostrati misericordiam implorent; vel, manibus in Crucis modum expansis, Orationem Dominicam & Salutationem Angelicam quinquiès recitent. Quorum *loquela multùm jurans horripilationem capiti statuit* (*d*), vel qui turpia ex consuetudine proferunt, totiès pectus adactâ manu percutiant, veniam à Deo suppliciter exorantes; conscientiæ rationem circa morem hunc pessimum quotidiè à se ipsis exigant; compellanturque totiès terram osculari, vel potiùs impurâ linguâ lingere, quinimò, si suppetat facultas, certam pauperibus eleemosynam largiri, quotiès in alterutro genere peccaverint. Alienorum raptores, & quicumque *æstimaverunt conversationem vitæ compositam ad lucrum, & oportere undecumque, etiam ex malo, acquirere* (*e*), ii, præter debitam restitutionem (de qua proximè sequenti Capite agetur), eleemosynis *radicem omnium malorum cupiditatem* extirpent (*f*); & sæpè illud Apostoli cogitent, ut *qui furabatur, jam non furetur, magis autem laboret, operando manibus suis quod bonum est, ut habeat undè tribuat necessitatem patienti* (*g*).

Mercatores, agricolæ, & quicumque dies Dominicos & Festos à profanis minimè secernunt, vetito labore quæstum promiscuè facientes, eleemosynis intempestivo quæstui paribus, aut etiam potioribus plectantur; maximè verò si, tolerati laboris obtentu, Sacro interesse negligant, quales sunt tonsores, aliique id genus operarii. Raò confitentibus & sæpè in eadem peccata relabentibus, injungenda est frequens Confessio; de propria salute parùm sollicitis, Ecclesiarum divinorumque Officiorum & Sa-

(*c*) *Phil.* 3. 19.
(*d*) *Eccli.* 27. 15.
(*e*) *Sap.* 15. 12.
(*f*) 1. *Tim.* 6. 10.
(*g*) *Eph.* 4. 28.

cramentorum frequentatio. Mundi pompas & vanitates, choreas aliaque hujusmodi satanæ opera consectantibus ea Pœnitentia imponatur, ut, manè, certis per hebdomadam diebus, sanctâ meditatione sibi propositâ, solemnem illam reminiscantur & renovent sponsionem, quâ sacris in Fontibus obstricti sunt; Christo Domino adhærere firmiter constituant; atque iterùm seculi pompis, diabolo ejusque operibus in perpetuum renuntient (*h*).

Præter Satisfactiones quæ hactenùs designatæ sunt, tanquam singulis vitiis contrariæ, ideòque ad vitia extirpanda efficacissimæ, cunctis Pœnitentibus injungendum est ut omnia diligenter fugiant vitiorum blandimenta, omnia libidinum irritamenta, omnes peccati occasiones, cœtus innocentiæ periculosos, *otiositatem*, quæ *multam malitiam docuit* (*i*); ut demùm abstinentias & jejunia, quæ statis diebus Ecclesia præcipit, religiosè observent. Neque enim ad satisfaciendum pro delictis, atque ad cœlestem gloriam promerendam, minùs utilia sunt opera, jubente lege, exequenda, quàm quæ non injuncta voluntarius Pœnitentiæ motus amplectitur. Quamvis igitur tanquam Satisfactionem præcipi vulgò non oporteat illa opera quibus Pœnitens aliundè obstringitur, scilicet ex Dei aut Ecclesiæ mandato, seu ex Voti religione; id tamen, certis in casibus, prudentiæ consentaneum erit, si quandò v. g. prævideat vel jam sentiat Confessarius salubriter indè stimulatum iri Pœnitentem ad eorum quæ alioqui neglecturus videretur, operum executionem; aut cùm ille hujusmodi est, ut per alia opera satisfacere vix possit. Et quoniam plerique homines in suis peccatis ideò torpescunt, quia in audiendo Dei verbo adeundisque sanctitatis fontibus, Sacramentis videlicet, rari admodùm inveniuntur; multùm proderit iis Pœnitentiæ loco injungi ut sacrum Pœnitentiæ Tribunal, ut Catecheses & Conciones impensiore studio frequentent. Singulis diebus *ad ortum lucis* Dominum *adorantes* (*k*), quàm perfectissimum poterùnt de omnibus peccatis suis actum Contritionis emittant; in quorum expiationem se profiteantur & diurnum laborem, & molesta quæque sibi eventura libenti animo suscepturos. Singulis pariter diebus piâ lectione vel meditatione animum reficiant. Diebus Dominicis, commissa per hebdomadam peccata discutiant, quasi statim confessuri; susisque actibus Contritionis, sacrosanctum Missæ Sacrificium propitiationem sibi facere studeant. Quotidiè in vespertinis precibus, quomodò per diem vixerint, recognoscant; peccatum ad quod vehementiùs proni sunt, præcipuè attendant, culpasque agnitas aliquâ sibi impositâ Pœnitentiâ castigent; undè nec recidivi postridiè fiant, nec pravæ consuetudinis molem in se recipiant;

(*h*) *S. Car. Borr. Instr.* de Sacram. Pœnit.

(*i*) *Eccli.* 33. 29.

(*k*) *Sap.* 16. 28.

undè etiam faciliùs ad confitendum disponantur. Pauperum domos adeant, vel publica humanitatis patientis hospitia, ipsosque carceres (*l*); ut ærumnosis, infirmis vinctisque opem ferant & consolationem, utque eleemosynam spiritualem corporali adjungentes, eos de salute animæ & de Confessione instituenda opportunè piéque moneant.

Ex his & singulis operibus vel exercitationibus id eligat Sacerdotis prudentia, quod cuique utilius fore videbitur. *Manducantibus panem doloris* (*m*), operariis nempè & egenis, hæc sola plerumque injungenda est Pœnitentia (quæ fortassè omnium maxima) ut suos labores suamque penuriam æquo animo patiantur, eaque cum JESU CHRISTI *propter nos egeni* paupertate & laboribus conjuncta (*n*), Deo in pœnam delictorum offerant. Pœnitentibus qui piùs deliquerint, quàm satisfacere valeant, quæ scilicet ingens multitudo est, exhibeatur antiquæ Pœnitentiæ disciplina (*o*), diuturnæ laboriosæque probationes, quibus adigebantur quicumque similia perpetrassent; ut sanctæ illius severitatis imagine commori, hodiernæ Pœnitentiæ levitatem interni doloris magnitudine compensent, bona opera multiplicent, quibus *spiritum rectum in suis visceribus innovent* ac foveant (*p*), concessis Indulgentiis ritè sanctèque utantur; vitæ molestias atque amaritudines animo contrito & humiliato sustineant, *viro dolorum* JESU CHRISTO compatientes (*q*). Præcipua scilicet omnium Satisfactio est, vita communis, pœnitentiæ spiritu & Christiano vivendi more sanctificata: si quis nimirùm divinæ voluntatis beneplacito in omnibus æquanimiter acquiescat; laboransque & patiens, Deum præsentem sæpiùs in mente habeat, eique orationis & dilectionis affectu constantissimo adhæreat.

PRO peccatis occultis injungatur Pœnitentia occulta, non verò publica; quæ quidem talis habetur, cùm Pœnitens eam exequi sine delictorum suorum revelatione non potest. Quoniam verò præcipit Gentium Apostolus *peccantes coram omnibus argui, ut & cæteri timorem habeant* (*r*); « quandò ab aliquo publicè & in » multorum conspectu crimen com» missum fuerit, undè alios scan» dalo offensos commotosque fuisse » non sit dubitandum; huic con» dignam pro modo culpæ, Pœni» tentiam publicè injungi oportet; » ut quos exemplo suo ad malos » mores ptovocavit, suæ emen» dationis testimonio ad rectam » revocet vitam (*s*). » Non tamen promiscuè accipi debent & *solemnis* & *publica* Pœnitentia. *Solemnis* ea esse intelligitur, quæ pluribus seculis in usu fuit, & cujus etiamnùm, apud quasdam Diœceses, nonnulla remanent vestigia; dum scilicet, Feriâ quartâ in Capite Jejunii Quadra-

(*l*) *Hebr.* 13. 3.
(*m*) *Ps.* 126.
(*n*) 2. *Cor.* 8. 9.
(*o*) *Vide infrà, cap.* 3.
(*p*) *Ps.* 50.
(*q*) *Ibid. Is.* 53. 3.
(*r*) 1. *Tim.* 5. 20.
(*s*) *Conc. Trid. Sess.* 24. de Ref. *c.* 8.

gesimalis, Pœnitentes Ecclesiâ publicè ejicit Episcopus, donec Feriâ quintâ in Cœna Domini solemniter absolvantur. Ejusmodi Pœnitentiam imponere solius est Episcopi. Alia distinguitur Pœnitentia, quæ insolita, lugubris, amara esset, totumque hominem humilitate gravissimâ deprimeret: si quis v. g. Missam Parochialem audire juberetur extra limen Ecclesiæ, vel intrà Ecclesiam, flexis genibus, dextrâque Cereum ardentem gerens; aut Processionem nudis pedibus, atque in habitu *Pœnitentis* comitari, veniam publicè rogaturus. Ex Pœnitentiæ, cùm in publicum gravi rumore traducantur, quinimò, in Galliis, Pœnitenti vel ejus familiæ dedecus atque infamiam inurere facilè possint, nunquam à Confessariis exigendæ sunt, nisi fortè aliquis Pœnitens ad publicam ejusmodi reparationem fuerit juridicè condemnatus.

Quæ à Confessariis imponentur Pœnitentiæ aliquatenùs publicæ, eæ sint quæ coram omnibus, illæsâ famâ, exolvantur, & quæ sufficiant ut palàm fiat sincerus atque integer à vivendi licentia ad sanctiorem vitam transitus, utque resarciatur illatum scandalum: si quis v. g. jubeatur sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum ad ægros delatum comitari, aut illud quotidiè horis pomeridianis visitare; singulis diebus ad Missam, Dominicis & Festis universo Parochiali Officio non intermissâ sedulitate interesse; superflua vestitûs ornamenta deponere; cauponas, aliaque oblectationis loca devitare; charitatem erga infirmos in Nosocomiis exercere; statis diebus jejunare; periculosas societates vitare. Si quis Pœnitens alia opera, undè magis deprimatur, sponte suâ velit exequi; id, pro suâ prudentiâ, concedere potest Confessarius.

Sunt quædam usitati ordinis Pœnitentiæ, quale est, veniam publicè ab iis rogare in quos publicè contumeliosus aliquis fuerit; coram testibus dolorem profiteri culpæ conjunctam habentis offensionem publicam, & hujusmodi culpam contrariis virtutum actibus palàm retractare; manifestam facere spiritualem resurrectionem vitâ & moribus ad pietatis exemplum compositis, simulque abdicatis mundi vanitatibus & voluptatum illecebris, vitatis cœtibus profanis & cunctis peccandi occasionibus. Publica censetur ea Pœnitentia peccatoris qui dudùm *abierat vagus in via cordis sui*, & quem Deus, per summam misericordiam, ad se *reduxit & sanavit* (t); eamque omninò exigere potest ac debet quivis Confessarius, ut publicæ offensioni satisfiat. Neque ipsimet ægroti qui scandalo priùs fuerint, à publicâ veniæ petitione & mali commissi retractatione eximantur. Exteriùs & coram testibus *pœnitentiam manifestent* (u), nisi vocem præcluserit morbi violentia.

PORRO Confessarii, quò liberiùs Satisfactiones peccatis condignas imponant, & quò certiùs illæsam tueantur auctoritatem illam quæ ipsis, tum in omnibus sacri ministerii partibus, tum præsertim in Pœni-

(t) *Is.* 57. 17. 18. (u) *Eccli.* 20. 4.

tentiæ administratione pernecessaria est, ab omni, ut jam præmonuimus (*x*), avaritiæ labe & suspicione diligenter caveant. Meminerint vetitum Ecclesiasticâ Disciplinâ esse, ne per modum Satisfactionis, pecuniam aliudve quodlibet, sibi aut Communitati, Monasterio, Ecclesiæ, etiam eleemosynæ nomine ac titulo, applicandum, verbis aut signis, directè vel indirectè ab ullo exigant. Cùm igitur eleemosynas pro incerto ære alieno, pro commutatione Votorum, aliisve similibus, erogari oportebit; eæ quidem in pauperes vel pauperum hospitia, aliave pia loca seu opera, consulto priùs, si fieri possit, Diœcesano Pontifice, erogentur. Nunquam autem Sacerdos ab ullo Pœnitente, neque in vita, neque in morte, aliquid per modum substitutionis aut compensationis, in proprium, aut suæ Parochiæ Presbyterorum, Ecclesiæ Communitatisve commodum exigat, vel erogandum suadeat: alioqui meritò argueretur, tanquam qui in temporalis emolumenti consecutionem verendo abusus esset ministerio, cujus est sola animarum lucra sectari. Quin etiam, si quandò necesse fuerit ut Pœnitens Missas loco Satisfactionis celebrari curet, eas non celebret Confessarius (*y*); nec ipse honorarium percipiat, nec suæ Ecclesiæ, Communitati vel Monasterio applicari sinat, multò minùs præcipiat (*z*). Denique, ne ullus relinquatur struendæ in Confessarium criminationi locus, nec ipse pecuniam, aliave restituenda suscipiat, nisi aliter famæ Pœnitentis consuli non possit: & tunc, peractâ restitutione, chirographum recipere non omittat, quem tradat Pœnitenti.

Cæterum de Pœnitentia Infirmis imponendâ obiter diximus, ubi *de Satisfactione* (*a*); & expressiùs dicemus, ubi *de Confessione Infirmorum* (*b*).

(*x*) *Sup.* de Sacram. in gen. *cap. V.*

(*y*) *Stat. D. Odonis* de Sully, *Syn.* 1. *c. an.* 1198, Capitul. circa Confess. *art.* 10, *in Synodico*, *pag.* 7.

(*z*) *S. Car. Borr.* Inst. ad Conf. *tum in Conc. III & IV. Mediol. an.* 1573, & 1576.

(*a*) *Sup. Div. I*, *cap.* 7.

(*b*) *Infrà*, *Div. IX*, *cap.* 5.



CAPUT II.

De prudentia Confessarii in decernenda restitutione.

Quinque sunt hujus Capitis articuli, in ipsius decursu satis distincti.

Restitutio sic definitur, ut sit, *Ablata rei, vel injustè illati detrimenti, proximo facta redditio, vel reparatio.* Quâ quidem ex definitione liquidò patet restitutionem detrimento æqualem esse oportere, eamque ab omnibus qui detrimentum intulerint, esse præstandam (*a*).

Ut autem certò cognoscatur quandonam ad restituendum teneantur Pœnitentes, sciendum est, 1°. Quot sint bonorum species in quibus damnum proximo inferri possit, & quibusnam modis illud ei possit inferri. 2°. Quinam ad restitutionem teneantur. 3°. Quisnam inter eos qui restitutionem debent, sit ordo servandus. 4°. Quid sit advertendum, ut restitutio damnum adæquet. 5°. Quænam sint causæ, quibus à restitutione quisquam fiat immunis.

§. I. *Quot sint bonorum species in quibus damnum proximo inferri possit, & quibusnam modis illud ei possit inferri.*

Quatuor sunt bonorum species in quibus damnum proximo potest inferri: scilicet bona spiritualia, bona naturalia, bona vitæ civilis, & bona fortunæ.

Bona spiritualia ea sunt quæ ad proximi sanctificationem salutemque pertinent, Sacramenta, preces, bona opera, &c. Qui ex officio bona spiritualia proximo administrare tenentur, Parochi v. g. cæterique animarum curam gerentes, proximo damnum inferunt, si hunc necessariis documentis defraudant, si Sacramenta opus habenti denegant, si pro eo Missæ Sacrificium non offerunt, si cætera non præstant quæ præstare ex officiorum vel Beneficiorum ratione tenentur; ipsique à Confessariis adigendi sunt ad resarciendum eo quo potest modo resarciri damnum proximo illatum; sive ingeminatis, vel per se vel per alios, Christiani instituti documentis, sive ad frequentem Confessionem & Communionem inductis iis quibus Sacramenta conferre abnuerint vel neglexerint; sive celebratis Missis, fusisque aliis quas omiserint, precibus; sive restitutis quos injustè perceperint, Beneficiorum fructibus. Ii maximè damnum spirituale resarcire tenentur, qui errorem propinaverunt, vel perditâ ne-

(*a*) *Cond. des Confess.*

quitiâ

quitiâ *lapis offensionis & petra scandali* (*b*) populo fuerunt, quem doctrinâ simul & exemplo ad virtutem informare debuissent.

Quicumque proximum vi aut dolo in errorem vel in scelus conjecerunt, aut à præstando officio dimoverunt, ab exequendo bono opere, ab amplectenda Religione, &c. deterruerunt, verum ei detrimentum intulisse meritò judicantur; tenenturque illud, quà possibile est, resarcire, ipsum ab errore avertentes, ad pœnitentiam inducentes, adempta ei bona quavis ratione accersentes, &c.

Bona naturalia sunt bona corporis & animi: vita scilicet, prospera valetudo, usus rationis & sensuum, libertas, &c. Quicumque igitur in aliquo ex his bonis damnum quodlibet injustum proximo intulerunt, id resarcire quo resarciri potest modo tenentur: adempta bona restituentes, si restitui possint, vel alia ipsi, aut viduæ, aut liberis, si viduam aut liberos egenos relinquat, rependentes, ad damnum compensandum aptissima.

Bona vitæ civilis sunt integra fama, existimatio quâ fruitur proximus apud eos quibus notus est, benevolentia quâ quis eum complectitur, honor & reverentia eidem tributa, ipsique debita. Fit injuria proximo in fama sua per calumniam & per maledicentiam. Versatur illa in falsis adversùs proximi famam criminationibus; hæc verò in manifestando ejus culpas aut occulta vitia iis qui hæc ignorant, nec jus habent ea cognoscendi. Fit injuria proximo in sua existimatione, cùm ipse coram aliis contemnitur. Eidem in benevolentia illi debitâ nocetur, inter amicos dissensione commotâ per occultos sermones, aut per aliam hujusmodi rationem. Proximo denique in honore & reverentia ipsi debitâ nocetur per cavillationes atque irrisiones circa ipsum habitas; & per contumelias quibus afficitur, dum ei coràm exprobrantur suæ culpæ, aut sua vitia, licèt exprobranti nullum sit jus ita faciendi.

Qui gravem in aliqua ejusmodi re injuriam proximo intulerunt, ii, præter lethale peccatum quod admiserunt, & quod lugere coram Deo atque expiare sedulò debent, tenentur etiam ei, quantùm possunt, pro illato damno satisfacere.

Sunt igitur compellendi calumniatores ad manifestandam suorum dictorum falsitatem; maledici, ad multa honorificè de eis prædicanda, quorum culpas aut vitia præposterè revelârunt; qui proximo contemptum pepererunt, ad significandam illius existimationem coram iis à quibus eum contemni effecerunt; qui commoverunt inter amicos dissensionem, ad restituendam omni viâ possibili pristinam inter eos benevolentiam: qui denique irrisionibus proximo nocuerunt, vel eum contumeliosè insecuti sunt, ei se, ut decet, excusent; ipsumque, datâ

(*b*) 1. Petr. 2. 8.

occasione, cum debita reverentia & observantia tractent.

(1) Legs. *Bona fortuna* sunt omnis generis possessiones, ut agrorum, pecuniæ, aliorumque mobilium & immobilium.

Quincuplici autem modo potest in illis bonis injuria proximo fieri.

1°. Si quis, sive clanculùm, sivè apertè, eum injustè suo bono defrauder.

2°. Si quis ab ipso quidquam indebitum exigat: ut fœneratores, qui pro rebus mutuò datis quæstus non legitimos extorquent; personæ publicæ, quæ mercedes non sibi debitas exigunt, aut etiam accipiunt; artifices qui nimium sibi constituunt operæ pretium; mercatores qui merces suas pluris vendunt quàm valent; qui alios vectigalibus, rectò excipiendis militibus, &c. prægravant.

3°. Si quis proximo id quod ejus sit, non tribuat. Hujusmodi peccatum admittunt, qui id quod debent, persolvere, reperta, deposita, commodata restituere, venditas merces tradere abnuunt. Eodem nomine injusti sunt ii Beneficiati, qui, sumptis è suo reditu ad victum cultumque necessariis, Beneficiorum sarta tecta præstare, debitasque eleemosynas erogare parvipendunt.

4°. Si quis impediat ne proximus id quod suum est, obtineat. Talis est eorum injustitia, qui debitoribus consilia præbent, quibus freti justas creditorum postulationes subterfugiant; vel qui eos protegunt, ne creditores jus suum persequantur. Talis etiam est eorum injustitia, qui per vim, calumniam, aliamve iniquam viam, aliquem à munere, Beneficio, legato (1), &c. intercludunt.

5°. Si quis rem proximi deteriorem efficiat. Quod quidem ab iis committitur, qui proximum occidunt aut vulnerant, ejusve animalia; qui ipsius fruges perimunt, arbores succidunt, supellectilem frangunt, &c. Quemadmodùm & villici qui sarta & tecta non habent ædificia quorum curam in se receperunt, sicque in causa sunt cur ea pessùm eant & corruant; tum qui, cùm equos, aliasve res conduxerunt vel mutuati sunt, non iis moderatè utuntur, undè dominis existit detrimentum; atque etiam famuli qui culpâ suâ dominorum supellectilem vel utensilia confringunt aut perdunt, &c.

§. II. *Quinam ad restitutionem teneantur.*

Ad restitutionem teneri, non solùm eos qui damnum proximo intulerint, sed illos etiam qui suam in id injustitiæ operam contulerint, & qui indè fructum ceperint, res est omninò extra controversiam posita. Hi autem omnes revocantur ad personarum species novem, duobus hisce technicis versibus comprehensas.

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,

Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Jussio. Hoc verbo designantur ii quorum jussu & mandato illatum est detrimentum. Mandavit pater

filio, dominus famulo, ductor militibus ut aliquâ proximum injuriâ afficerent; si talis mandati virtute patrata fuerit injuria, tenentur ii pro illa satisfacere. Si verò ante rei executionem jussum revocassent, remque iniquam, nihil obstante revocatione, inferiores commisissent; ad restitutionem non tenerentur Superiores. Etenim jussus revocatus jam nullius est momenti aut roboris; ideòque non eorum jussu, sed inferiorum malitiâ detrimentum fuisset illatum.

Eo pariter *jussionis* nomine includuntur qui inferendi detrimenti negotium imposuerunt, quique ad id, precibus, promissis vel minis quempiam induxerunt. Si detrimento causam præbuerint, illud resarcire profectò debent. Si verò consilium mutaverint, suamque revocationem, antequàm injustitia committeretur, notam fecerint; injustitiæ causa non fuerunt, nec eam resarcire tenentur. Cessat enim muneris impositio, cùm est revocata; promissaque, preces, & minæ vim nullam habent, ex quo significata est eorum revocatio.

Consilium. Hoc verbo designantur primùm ii qui sponte suâ & inconsulti, per meram nequitiam, inferendi detrimenti consilium dederunt atque incitamenta suppeditaverunt. Cùm igitur eorum consilium detrimento causam præbuit, ii detrimentum sarcire procul dubio tenentur.

Notandum verò est quòd, dato perverso consilio, etiamsi animi dolor de illo significatus iis sit quibus datum fuerit, non tamen ea significatio sufficit ut quis immunis fiat resarciendi illius damni, cujus inferendi consilium dederit. Non enim sicut vis mandati ex voluntate mandantis, sic & vis consilii ex auctoris sui voluntate pendet, sed potiùs ex incitamentis eo fine insumptis ut malefici ad nocendum proximo inducerentur. Undè sequitur eos qui damni inferendi consilium dederunt, ad restitutionem teneri, licèt posteà contrarium dederint consilium; nisi rationes atque incitamenta nocendi sic labefactaverint, ut non hujusmodi impulsu commissa fuerit injustitia: tunc enim, cùm ea incitamenta injustitiam proximo illatam non pepererint, nequaquam ii pro illa satisfacere tenentur. Qui igitur per errorem, vel per dolum, allato ad agendum falso incitamento, injustitiam suasisset, eam sarcire non teneretur, si, ante ipsam patratam, malefico suum errorem, suum dolum, vel prolati incitamenti falsitatem manifestasset. Eo siquidem in casu, non ille censeretur injustitiæ causa fuisse, cùm deindè prorsùs ad nihilum redegisset allatum nocendi incitamentum.

Nomine *consilii* designantur etiam personæ, quæ, ex officio vel munere suscepto, in iis peritæ esse debent de quibus consuluntur, & consilium dederunt, quod, sive consulentibus, sive aliis damnum attulerit. Cùm enim hujusmodi consilium dederunt per ignorationem aut imprudentiam in sua professione insolitam (quod quidem in Jure *culpa lata* appellatur) damnum illatum resarcire tenentur. Sic videlicet Medicus, si ex gravi culpa quidquam noxium alicui præscripserit, pro illato detrimento de-

ber ei satisfacere. Sic Patronus in clientem agere tenetur, cui per consilium ex inscitia culpabili datum nocuerit.

Sic & Confessarius in Pœnitentem, si hunc indebitè ad restituendum adegerit; vel in eum cui ne Pœnitens restitueret, cùm deberet, impedierit, si id *ex culpa lata fecerit* (c).

Quòd si verò quædam ex iis personis aliquid stipendii pro datis consiliis accipiant, illatum etiam *ex culpa levi* detrimentum sarcire teneantur (d).

Quandò is qui consultus est non tenetur ex officio in iis peritus esse de quibus consulitur, si peritiam professus fuerit, pro iisdem culpis restituere tenetur perindè ac superiùs dicti. Si peritiam professus non fuerit, damnum consilio illatum resarcire non tenetur, nisi dolosè consilium dederit; nam, juxta Regulam Juris (e), *nullus ex consilio, nisi fraudulentum sit, obligatur*. « Ratio discriminis est, quia prioris generis » personæ, dum peritiam præ se » ferunt, quâ carent, hoc ipso decipiunt alios, qui eorum consi- » lium & auctoritatem per simplici- » tatem sequuntur: qui autem talem » peritiam non profitentur, horum » consilium nemo prudens sequitur, » nisi priùs exploraverit num expe- » diat, necne (f).

Quòd si tamen ex illius qui talem peritiam non profitetur, malo consilio damnum alicui tertio provenerit, si v. g. non esse cuipiam restituendum suaserit; damnum huic illatum resarcire tenebitur, si per inscitiam vel imprudentiam gravem & inexcusabilem suaserit, & per hujusmodi consilium deceptus consultor injuriam faciendam decreverit.

At verò qui consultus respondet juxta opinionem verè probabilem, ad nullam restitutionem tenetur. In eadem conditione versatur is qui admonet se de casu proposito dubitare. Idem quoque de illo sentiendum est, qui affirmat quidem ita sibi videri, sed ut consilium sequatur consultor, minimè suadet. Secùs verò dicendum, si consulenti auctor sit ut suum sequatur consilium, quamvis dubitet an licitum sit id quod suadeat; nisi opinionem verè probabilem tueatur, planèque & sine ambiguitate judicet id licere quod suadeat (g).

Postremò *consilii* nomine includuntur ii, qui, cùm de viis proximo nocendi consulerentur, tales vias suggesserunt quæ optatum exitum habuerint. Deficientibus maleficis, restituere tenentur, quandoquidem perversis consiliis causa detrimenti fuerunt.

Consensus. Hoc verbo comprehunduntur ii omnes quorum ex voluntate pendebat injuria proximo illata, quique eam suo assensu comprobârunt, juxta illud Apostoli: *Non solùm qui mala faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus* (h). Tales sunt, pater qui filio, domi-

(c) *Laiman*, *l.* 1. de Just. *tract.* 2. *cap.* 5.
(d) *Idem*, *ibid.*
(e) *Regula* 62, *in* 6°.
(f) *Laiman*, sup.
(g) *Sylvius.*
(h) *Rom.* 1. 32.

nus qui famulo concessit ut quodvis detrimentum inferrent; Judex qui de re iniqua sententiam dixit; Capituli aut cujuslibet Communitatis membrum, quod in deliberatione injusta & quæ proximo nocuerit, suffragium tulit, &c.

Palpo. Hocce vocabulo designantur ii qui propositam injustitiam laudantes & approbantes, in causa fuerunt cur ea committeretur: tum illi etiam qui vituperant, irrident, minis terrent, vel inclementer accipiunt eos qui malum non operantur; sicque in causa sunt cur proximo noceatur.

Recursus. Hoc nomine includuntur qui maleficos protegunt, ad se receptant, in tuto collocant; res furto sublatas vel subductas asservant, occultant; ut eæ vendantur, adjuvant; aliisve similibus adminiculis causam præbent cur proximo fiat injuria. Eo pariter nomine comprehenduntur caupones, qui vinum aut aliud quodlibet vendunt filiis-familiâs aut famulis quos sciunt pecuniam ad illa impendia suffurari; & generatim ii omnes qui maleficis præstitâ operâ, in causa sunt cur ab iis erga proximum iniquè & injuriosè agatur.

Participans. Hoc verbo duplicis generis personæ designantur: 1°. quidem ii qui fructûs ex injustitia provenientis participes fuerunt, quamvis ad eam patrandam nihil operæ vel auxilii contulerint: talis est ille qui vinum ab aliis furto ablatum potavit. 2°. Qui ad injustitiam patrandam auxilium suum impenderunt: tales sunt Notarii, quibus ministris factæ sunt pactiones usurariæ vel fraudulentæ, ipsique testes qui consciâ mente subscripserunt; fœneratorum negotiis præpositi, qui usurarias schedulas confecerunt; mercatorum institores, qui, jussu dominorum, in venditionibus aut emptionibus iniquè egerunt; causarum Procuratores & Patroni, qui lites manifestè injustas defenderunt, suoque injustitiam præsidio adjuverunt; Dominorum Procuratores, qui in vexandos clientes operam suam contulerunt; ferarum opifices, qui claves adulteras fabricarunt: ac generatim quicumque ad perpetrandam injustitiam instrumenta suppeditarunt, aut quaslibet vias suggesserunt, vel quoquomodò ad inferendam injuriam adjumento fuerunt. Sed nemo restituere tenetur, nisi ad inferendum detrimentum suam operam contulerit; alioquin ejus causa nequaquam esset. Nec restitutionem debet is, qui, licèt injustitiæ confectionem adjuverit, nullam tamen, neque theologicam, neque juridicam culpam admisit.

Mutus. Hocce vocabulo indicantur ii, qui, cùm ex officio vel aliquâ pactione loqui teneantur, ne fiat injuria proximo, silent, sicque in causa sunt cur ille detrimentum patiatur. Hujus generis sunt famuli ad hoc præpositi ut dominorum bonis invigilent, qui damnum iis inferri sinunt, neque monentes, neque obstantes, cùm id impedire prudenti admonitione possint: tum verò tributorum coactor, qui injuriam alicui à consortibus suis fieri perspiciens, pro justitia nihil dicit, suoque silentio in causa est cur fiat injuria: tum etiam Judices, & quicumque in aliquo Ordine jus ferendi suffragii habent, cùm, pronis in aliquam injustitiam animis soda-

lium, absunt, vel silent, sicque injustitiæ favent, dum ei pro sua quisque parte non obsistunt.

Non obstans. Hoc verbo designantur ii, qui, licèt ex officio teneantur conservandis proximi bonis invigilare, atque impedire ne quid ei inferatur detrimenti, suo desunt officio, ideòque quidquid detrimenti per eorum negligentiam passus est proximus, restituere tenentur. Hujusmodi sunt personæ publicæ ad hoc constitutæ ut privatorum bona per earum vigilantiam in tuto sint; tum ii pariter in quos segetum, vinearum, animalium, &c. custodia incumbit.

Non manifestans. Hoc nomine comprehenduntur ii qui maleficos in Judicio manifestare tenentur, ne ab his proximo noceatur, vel ut ipsi pro damno illato satisfacere compellantur, nec tamen manifestant, nullâ licèt excusatione legitimâ interveniente. Qui igitur in jus vocati, juxta veritatem non respondent Judici de factis in expostulatione consignatis, sicque in causa fuerunt cur damnum aliquod passus fuerit proximus, id resarcire tenentur. Idem dicendum est de famulis rem dominorum curandam habentibus, qui dominis prædones bonorum suorum non manifestant, cùm id exequi utiliter prudenterque possunt.

§. III. QUISNAM *inter eos qui restitutionem debent, sit ordo servandus.*

QUANDO illatum proximo detrimentum in alicujus commodum cessit, hic præ cæteris restituere tenetur, etiamsi actûs per quem illatum est detrimentum, nullo modo fuerit particeps.

Ut autem certò constituatur quid restitutionis debeant ii quibus emolumento fuit proximi damnum, in duos ordines sunt dividendi. Primus est eorum qui scienter ex injustitia fructum ceperunt, quique idcircò hunc totum restituere tenentur. Alter eos complectitur, qui ex injustitia fructum ceperunt quidem, at nescientes: hi porrò non quidquid indè consecuti sunt, restituere tenentur, sed id solum quod præ manibus habent residui, cùm primùm eis innotescit rem esse furto ablatam. Qui v. g. ex vino potavit quod subreptum noverat, is quantùm hausit, tantùm pretio debet restituere. Qui autem nesciens bibit, hoc solum quod de suo intactum servavit, alienum bibens, restituere tenetur: si verò indè nil de suo intactum servaverit, nullâ restitutione obstringitur. Quòd si, dum vinum furto ablatum fuisse comperit, residuum ex eo habet aliquid, hoc quidem ei cujus sit, totum restituere tenentur.

Post eos quibus emolumento fuit detrimentum proximo illatum, restituere tenentur ii qui illud inferri jusserunt, cùm eorum jussu id ipsum perpetratum est. In quo quidem ordine collocandi sunt ii, qui, ut injustitia committeretur, negotium dederunt, quique illam, adhibitis precibus, promissis vel minis, committi curaverunt.

Hosce primi ordinis duos proximè sequuntur, præcipuèque ad restitutionem tenentur ii qui Superioris jussu injustitiam patraverunt, vel ut negotium datum exequeren-

tur, vel cujusquam togatu, vel denique promissis illecti, vel minis territi. Si quis detrimenti prima causa fuerit per suum consilium, & per incitamenta, quæ, ut aliquem ad illud inferendum pelliceret, suppeditaverit, restitutionem debet is quidem præ cæteris qui ad exequendam injustitiam adjumento fuerint.

Quatuor hactenùs enumeratos sequuntur ii quos designant vocabula *Consensus*, *Palpo*, *Recursus*; tum qui exequendæ fraudis vias docuerunt, vel quoquomodò ejus exequendæ participes fuerunt. Hi nempè, illis deficientibus, in solidum & per partes æquales restituere tenentur.

Postremi restituere tenentur ii quos indicant hæc verba, *Mutus*, *Non obstans*, *Non manifestans*.

Cùm ii qui primi restitutionis lege obligantur, restitutionem executi sunt, eâ penitùs exolvuntur qui postremo loco veniunt: at verò, cùm hi aliquid restituerunt, id eis rependere illi tenentur.

Quandò unus ex iis qui per partes æquales restituere tenebantur, totum restituit, cæteri partem quisque suam ei rependere tenentur.

Si plures ad aliquam fraudem exequendam conspirassent, eamque unus pro se & pro cæteris executus fuisset, suam duntaxat partem, quemadmodùm & illi, restituere teneretur; ac si pro toto detrimento solus ipse satisfecisset, cæteri suam quisque partem ei rependere omninò deberent.

Cùm incidit Confessarius in Pœnitentem qui aliquâ restitutione faciendâ obstringitur, si non primus sit restitutione faciendâ obstrictus, antequàm hæc ei præcipiatur, ab illo comperiendum est an non restituerit is qui prior illo restituere tenebatur: qui si illud non præstiterit, dicendum Pœnitenti est, eum qui prior damnum resarcire debebat, rependere ipsi debere id quod restituerit; & cùm una solummodò pars restitutionis hunc afficit, huic dicendum est, eos qui toto in solidum restituendo secum tenentur, partem ei rependere quemque debere, quâ restituendâ obstringuntur. Cùm autem ipse primus est restitutioni obnoxius, moneri ab illo cæteros oportet restitutionem esse peractam, ut scilicet compertum habeant se esse hujus onere levatos.

§. IV. *Quid sit advertendum, ut restitutio damnum adæquet.*

Si penès furem adhùc sit res ablata, hanc ab eo restitui oportet; quòd si verò ejus culpâ res de suo pretio quidquam amiserit, inter domini manus compensanda est diminutio. Cùm jam penès furem non est res ablata, persolvendum est ejus pretium.

Nec verò sufficit rem ablatam aut ejus pretium restitui; totum prætereà damnum resarciendum est, quod proximus per injuriam sibi illatam passus fuerit. Si igitur, ablatis ei decem assibus, sextuplum eidem fuerit detrimenti allatum, non sex asses, verùm sexaginta restituendi sunt.

Sed quò pleniùs ac meliùs innotescat quanta esse debeat restitutio ut damnum adæquet, quadruplices distinguendi sunt fructus qui ex ali-

qua re provenire possunt : scilicet fructus naturales, fructus industriæ, fructus mixti, & fructus civiles.

Fructus naturales ii sunt qui sponte suâ, nulloque magno labore necessario gignuntur : ut cæduæ silvæ (1), pratorum & pascuorum gramina, fructus, & arborum ramalia, (2), &c. His annumerandæ sunt agrorum locationes, cæteraque ex se ipsis fructum reddentia; fructuum quippè naturalium loco sunt.

(1) Bois taillis.

(2) Emondes.

Fructus industriæ ii sunt qui nullomodò ex ipsa re proveniunt, sed tantùm ex utentis industriâ. Talis est quæstus è pecunia per negociationem eductus : talis est qui provenit ex vino, frumento, cæterisque quorum fit commercium, quæ comeduntur, quæque alienantur, vel usu consumuntur.

Fructus mixti ii sunt, qui simul ex re fructum faciente, & ex possessoris labore nascuntur : ut grana, vinum, oleum; quæ nempè de terra pariter & de hominum labore accipiuntur. Inter fructus mixtos computantur etiam butyrum, ovina vellera, lapides & metalla quæ humo eruuntur; scilicet propter laborem in hæc insumendum : reditus piscariarum, pontonum (3), &c.

(3) Des Bacs.

Fructus civiles ii sunt, qui ex rebus per se non fructuosis percipiuntur, nec usu consumuntur; locationes v. g. domorum, equorum, cymbarum, instrumentorum, &c.

His positis, ut justa fiat restitutio, malâ fide possessores debent primò quidquid fructuum naturalium perceperunt, restituere, nihil ex iis retinentes præter impendia necessaria quæ non effugisset ipse dominus. Ratio est, quòd, cùm illi fructus è proximi fundo proveniant, ipsius omninò sunt. Quòd si malâ fide possessor ultra necessarium impendia provexerit, non poterit ea retinere, nisi dominus ipsa effugere non potuisset, vel nisi magis fructifera indè res effecta esset.

2°. Malâ fide possessores non tenentur industriæ fructus restituere; ideòque sibi retinere possunt emolumentum quod ex pecunia, frumento, vino, aliisque similibus injustè possessis, per negociationem consecuti sunt. Sufficit ejusmodi rerum pretium ab iis restitui, dominoque omne compensari detrimentum quod ex boni sui privatione passus fuerit.

3°. Fructus mixtos restituere debent, quatenùs ex re fructificante proveniunt, seu *quâ parte naturales sunt ; quia res fructifiat domino suo.* Pretium autem retinere possunt laboris impendiorumque utilium quibus obnoxii fuerunt ad arandam terram, colendam vineam, vindemiamque torculari premendam. Possunt etiam id retinere quod ad rei statum meliorem efficiendum impenderunt, cùm indè utilitas ad dominum provenit, resque magis fructuosa efficitur. At verò impendia sibi vindicare non possunt ea quibus rem sibimetipsis utiliorem & gratiorem effecerunt, cùm istud nihil quidquam domino proficit.

Quandò malâ fide possessor bonum injustè occupatum malè administravit, exiguumque indè fructum culpâ suâ percepit, non sufficit exiguum hujusmodi fructum ab eo restitui : tenetur insupèr tantùm domino rependere, quantùm ei res benè

benè administrata profecisset. Si verò dominus ipse malus esset administrator, exiguumque aut nullum ex bono suo redituum percepturus fuisset; tunc malâ fide possessor id solum rependere debet, quod sibi ex eo profecerit, quantulumcumque sit; huicque etiam concedi potest, ut, quas ad illos fructus obtinendos adhibuerit, impensas necessarias deducat.

4°. Qui rem furati sunt fructus civiles domino producentem, eos restituere tenentur. Qui v. g. equum abduxit, quem dominus locare consueverat, non modò equum debet restituere, verùm etiam tantùm pecuniæ, juxta æquam æstimationem rependere, quantùm ex equi locatione obtinuisset dominus, si equo defraudatus non fuisset.

Bonâ fide possessor, ubi primùm alienam comperit esse rem quâ fruitur, eam debet restituere. Tenetur etiam (prout communi sententiâ constituunt Moralium doctores) omnes fructus reddere, qui adhùc, vel *substantialiter*, vel *æquivalenter* existunt, prætereàque id omne undè divitior per fructus consumptos fuerit, sive ex his fortunam suam amplificaverit, sive sumptus effugerit, quos de propriis bonis fecisset (*i*).

Verùm (ut inter omnes Theologos, Canonistas & Jurisperitos convenit), si bonâ fide possessor per triennium detinuit fructus, sive naturales, sive industriâ comparatos, sive civiles, quos, existente bonâ fide suâ, percepit, non tenetur eos restituere, licèt ex his divitior factus fuerit: ipsos etenim jure præscriptionis legitimè acquisivit. Fructus quippè sunt bona mobilia: nemo autem negaverit triennii præscriptione conferri legitimum dominii jus quoad mobilia (*k*), quandò præscriptionem comitantur conditiones legibus requisitæ ut hæc legitima efficiatur. Quæ quidem conditiones in præsenti casu occurrunt: nam præscriptio, ut supponitur, bonâ fide per triennium perseveravit, fundata nempè in legitimis titulis emptionis, hæreditatis, donationis, aut aliis (*l*).

§. V. *QUÆNAM sint causæ, quibus à restitutione quisquam fiat immunis.*

QUATUOR vulgò numerantur causæ, quibus debitores à restitutione immunes efficiuntur.

Prima est, restituendi impotentia: quæ quidem vel *physica* est, cùm scilicet, quocumque adhibito studio & conatu, restitui omninò non potest; vel *moralis*, cùm nem-

(*i*) Conférences de Paris sur l'usure, Tom. III, pag. 151 & suiv.

(*k*) Si quis alienam rem mobilem bonâ fide per continuum triennium detinuerit, is firmo jure eam possideat, quasi per usucapionem acquisitam. *L. unica*, *c. de usucap.*

(*l*) Confér. de Paris sur l'usure, *ubi suprà.*

pè restitutio sine gravi difficultate aut incommodo non potest fieri.

Impotentia physica, cùm ex facultatum defectu oritur, à restituendo eximit quanto tempore perseverat. Si autem industriâ valet debitor, aut aliàs id acquirere potest quod sit ad exequendam restitutionem necessarium; ejusmodi viis uti omninò tenetur, totumque restituere, vel partem, prout sibi per facultates licebit.

Si impotentia physica ex eo proveniat, quòd ii cognosci non possint, quibus debeatur; eorum intentione, debita consumenda sunt in bona opera: & si subsit aliqua spes ita fore ut ipsi possint aliquandò cognosci; prudenter deponi res eorum poterit in aliquo pauperum hospitio, vel charitatis domo, ut ibi permaneant, si non inveniantur domini, vel ut iis reddantur, si tandem compareant.

Cùm oritur impotentia physica ex natura bonorum quibus defraudatus est proximus, quæ reddi nequeant (ut fit quandò quis interfectus est, membro aliquo truncacatus, diffamatus, &c.); tunc alia bona rependi loco ademptorum oportet. Eleemosynæ v. g. erogandæ, precesque fundendæ pro iis sunt, qui occisi fuerint; eorum viduis aut filiis, si viduæ aut filii egentes supersint, benefaciendum: iis solvenda pensio annua, qui ex inflicto vulnere, vel injustâ infamiâ, de lucro vivere jam non possunt.

Existit *impotentia moralis* vel ex parte ejus cui debetur, vel ex parte debitoris, vel ex parte tertii alicujus.

Ac primò quidem existit ex parte illius cui debetur, cùm huic non potest debitum reddi, quin aliquod detrimentum patiatur: cùm v. g. reddi arma furioso vel irato nequeunt, quin ipsi via suppeditetur, malum sibi, quod mente concepit, inferendi: cùm reddi non potest pecunia juveni dissoluto, quin eam in comessationes flagitiosasque libidines insumat, &c. Prohibet hujusmodi impotentia ne statim fiat restitutio; efficitque ut hæc in aliud tempus differri, salvâ conscientiâ, possit. Quinimò præcipit ipsa charitas ut hoc modo agatur, si debitor sine suo gravi incommodo possit.

Existit impotentia moralis ex parte debitoris, cùm restituere non potest sine suo ipsius gravi detrimento, diverso tamen à restituendæ rei jacturâ. Cùm v. g. debitor alienum bonum restituere nequit, nisi proprium multò minoris quàm valeat, vendat; nisi graves subeat impensas, quas, dilatâ restitutione, vitare possit; nisi alias impensas, easque magnas, ex parte aliorum creditorum suscipiat; nisi se ipse in mendicitatem detrudat, vel efficiat ne possit pro sua conditione vivere, liberos educare; nisi periculum incurrat amittendæ famæ, vitæ, libertatis; nisi se peccandi periculo committat, &c. Hanc sæpiùs impotentiam in excusationem afferunt plerique Pœnitentes, ne restitutiones sibi imperatas exequantur. Sed in hoc minimè à Confessariis audiendi sunt, nisi evidentissima sit impotentia. Plerumque enim Pœnitentes rerum statum dissimulant,

ementitumque rebus colorem affingunt: ex cupiditate suique ipsorum amore, difficultates & pericula imaginantur quæ nulla sunt. Quotidianâ experientiâ teste, cùm, prout urgendi sunt, à Confessario urgentur, ipsi, quo tandem pacto se liberent, ferè semper inveniunt; cùmque manum operi admovent, omnes difficultates evanescunt. Qui primùm, ne debiti partem exiguam restituat, excusatum se vult, nimiam prætendens egestatem, totum nihilominùs restituit, cùm ipsi, restitutionis necessitas quanta sit, ad vivum exhibuit Sacerdos, cùmque hic firmiter & inconcussè Absolutionem ei nullam impertitur, nisi priùs restituerit. Ejusmodi Pœnitentes, ubi primùm liberati sunt, gratiam Confessario tribuunt maximam, quòd ipsos ad hoc præstandum compulerit.

Restituendi moram facere potest debitor, cùm, nec per se, nec per alium, sine gravi suo detrimento restituere potest, dummodò is cui debetur, nihil ex ea mora damni patiatur, vel damnum huic indè proveniens multò levius eo sit quod pateretur debitor statim restituens. Sed tenetur debitor illatum è restitutionis dilatione damnum ei præstare (1) cui restitutio debetur. Quòd si huic tantùm detrimenti ex dilata restitutione, quantùm debitori ex eadem acceleratâ inferretur; non posset debitor, salvâ conscientiâ, restitutionem protrahere.

Existit impotentia moralis ex parte tertii alicujus, cùm, positâ restitutione, insons quispiam damno ingenti afficiendus est. Quandò igitur vir aliquis id omne quod pro furtis debet, solvere non potest, nisi insontis uxoris dotem magna ex parte in hoc insumat, sicque eam immeritâ premat inopiâ; ei licet restitutionem protelare, vel hanc divisim exequi, quantùm sine graviore uxoris incommodo poterit.

Secunda causa debitorem à præstanda restitutione immunem efficiens, est, ab iis quibus debet, ei facta condonatio, modò tamen hæc facta fuerit cum cognitione, non debitoris, at summæ, & rationum faciendæ condonationis, & cum plena atque integra libertate. Quæ enim condonatio per ignorationem, per errorem, aut per vim facta fuisset, haudquaquam à summæ totius restitutione sontem eximeret.

Tertia causa est compensatio, per quam debitor id quod restituere deberet, sibi retinet, ut salvum & incolume habeat quod sibimetipsi ab iis debetur quibus damnum intulit.

Ut verò compensatione uti legitimè possit debitor, sex omninò sunt necessaria. Primò quidem, ut certum sit ei summam deberi, certaque sit ea summa. Secundò, ut summa ad strictum Juris apicem debeatur; si enim ex grato animo duntaxat, aliâve simili ratione deberetur, non esset legitima compensatio. Tertiò, ut non possit, neque viâ Juris, neque alio quovis licito modo, summæ solutio obtineri. Quartò, ut in compensationem nihil ultra debitum retineatur. Quintò, ut compensatio sine scandalo

(1) D'indemniser.

fieri possit, & sine periculo pœnæ ex judicio subeundæ. Sextò, ut, quantùm opus sit, provideatur ne rem compensatam iterùm solvat is in quem debitor compensatione utitur.

Quarta causa quæ ab alieno restituendo eximit, est præscriptio, cùm scilicet comites habet omnes conditiones à lege requisitas. Prima est, ut bonum quod aliquis vi præscriptionis retinere intendit, ex iis sit quæ per præscriptionem acquiri possint: nemo enim usu suum facere quidquam potest, quod usucapi non sinunt Leges, locorumve Constituta. Secunda conditio est, ut ii quorum sit res, privilegio non gaudeant per legem aut loci Constitutum indulto, ne suis juribus præscriptione excidant. Tertia est, ut quis, tanquam suum, possederit bonum illud quod usucapere intendit; si enim id tanquam alterius proprium possedisset, id ipsum usucapere nunquam posset. Quarta est, ut possessionem comitata fuerit bona fides, ita ut recta & legitima verè ex animo credita sit possessio. Quinta, ut possessio & bona fides toto tempore per legem sancito non interrupta perseveraverint: si enim interrupta fuisset possessio, hæc, nisi ab interruptionis clausulâ, non computaretur; ac si bona fides ante expletum tempus necessarium defecisset, non esset legitima præscriptio. Sexta ut extiterit titulus emptionis, donationis, aliusve similis, pro iis præscriptionibus, quæ, juxta legem aut loci Constitutum, titulum requirunt; utque ejusmodi titulus à possessore idoneus ac legitimus creditus fuerit, quamvis reipsa caducus foret, neque legitimus. Diximus quidem, *pro iis præscriptionibus quæ titulum requirunt*; sunt enim quædam præscriptiones pro quibus sufficit possessio sine titulo.

Cùm plures idem bonum per vices possederunt, ultimus possessor, quamvis recens, id ipsum potest usucapere, si hujus possessio superiorum possessioni adjuncta, tempus efficiat à lege sancitum, ac si bonâ fide ipsi omnes possederint.

Mala fides patris, aut cujuslibet, cui succedit aliquis tanquam ex asse hæres (1), impedit ne ab hoc possit usucapi alienum ex hæreditate susceptum, etiamsi bonâ fide possessum tamdiù fuerit, quamdiù lex requirit. Ratio est, quòd transmitti censetur mala fides ad hæredem, qui unus & idem habetur cum persona cujus hæreditatem accepit. At verò, mala fides venditoris, donatoris, aut cujuscumque prætereà, non impedit quominùs ii qui alienum ab ipsis acceperunt, id possint usu suum facere, dummodò idipsum bonâ fide per totum tempus requisitum possederint. Ratio discriminis est, quòd ii cum præfatis non uni & iidem habentur.

Dubium justo fundamento nixum incœptæ bonâ fide possessioni superveniens, præscriptionem minimè abrumpit, si, investigatâ re, non possit veritas perspicuè dignosci: tunc enim non impedit hujusmodi dubium quin ii à quibus veritas, &c

(1) Héritier universel.

ei morem gerant, diligenter investigatur, bonâ fide possidere pergant. At quandò dubium statim cum ipsa possessione exoritur, præscriptioni obicem affert; eò quòd scilicet bonam fidem excludit, quæ justæ possessionis atque præscriptionis fundamentum est.

CAPUT III.

De antiqua Pœnitentiæ administratione; & de prudentia Confessarii in præcipiendis operibus satisfactoriis, aliquatenùs habito Canonum Pœnitentialium respectu.

Quinam publicè, quinam privatim Pœnitentiam olim agerent. A quo, & quânam adhibitâ cautione, imponeretur Pœnitentia publica. Pœnitentiæ susceptio solemnis. Pœnitentium exercitationes. Pœnitentiæ gradus quatuor. Pœnitentium Absolutio solemnis. Hæretici quomodò reconciliati. Clericorum Pœnitentia. Pœnitentiæ commutatio. Quàm profundo consilio instituta Pœnitentia Canonica: quanto detrimento sublata. Quid suadeat hìc exhibita illius imago. Pœnitentia delictis impar non injungenda. Cognitio veterum Pœnitentiæ Canonum, quo fine Confessariis proposita. Quibusdam in antecessum notatis, juxta Decalogi ordinem disponuntur selecti Canones Pœnitentiales.

Quisquis antiquos mores cum hodierna vivendi licentia, & verentem cum ea quæ nunc in usu est, Pœnitentiæ disciplinam contulerit, ipse quidem satis mirari non possit, quòd, cùm olim scelera infrequentia essent, & severa Pœnitentia, his temporibus, inverso rerum ordine, postquàm increbuerunt cujuslibet generis flagitia, propemodùm obliterata Pœnitentialis disciplina evanuerit. Hujus porrò quamdam imaginem, ut in hodiernam mitigationem solutioremque praxim restimonium dicat, hìc exhibendam censuimus.

Primis Ecclesiæ seculis, publicam gravioribus delictis impositam fuisse Pœnitentiam, ex omnibus ferè Conciliis sanctisque Patribus manifestè colligitur (*a*). Utrùm verò immaniora quædam facinora, tam occulta quàm publica, Pœni-

(*a*) *Conc. Elib. Ancyr. c. an.* 314. *Neoc. & Arel. I, eod. an. Nic. I, an.* 315. *Laod. &c. Tert.* de Pœnit. de pudic. *&c. S. Cypr. passim. S. Aug.* de fide & oper. *&c.*

tentiæ publicæ subjecta essent, inter Ecclesiasticæ antiquitatis peritos non convenit. In remotissimorum temporum Canonibus, nulla distinctio inter peccata publica, vel occulta reperitur (*b*): undè aliquis datur conjiciendi locus Pœnitentiam publicam pro utrisque indistinctè (alicubi saltem) viguisse. Constat verò illam ubique deinceps ad publica fuisse crimina restrictam. Scilicet publica pro delictis occultis Pœnitentia nemini imponebatur, nisi se illi sponte subjiceret. Sic, primævi fervoris temporibus, multi Fideles, qui, nisi occultè, non peccaverant, pio illo Pœnitentiæ publicæ spectaculo commoti, ejusmodi expiationem imponi sibi rogabant, vel Pœnitentibus ultrò sese adjungebant, ut laboriosi illius stadii gradus omnes decurrerent. Id prætereà certum est, Pœnitentiam publicam non pro quibuscumque peccatis lethalibus, etiam publicis, impositam fuisse, sed tantùm pro quibusdam atrocioribus (*c*), quæ *Canonica* dicebantur, id est, Canonum severitati obnoxia: quæ quidem primitùs fuerunt idololatria, homicidium, & adulterium; quibus alia postmodùm adjuncta (*d*).

Ad scelerum gravitatem componebatur Pœnitentiæ diuturnitas, sed non sine aliqua diversitate, pro ratione locorum ac temporum; quò enim antiquiores, eò severiores sunt Pœnitentiæ Canones. Constituit S. Basilius annos furto duos, fornicationi septem, perjurio undecim, adulterio quindecim, homicidio viginti, apostasiæ totam vitam. Apostasiæ addita sunt quædam facinora, quibus perpetratis, post exantlatam totius vitæ Pœnitentiam, Corporis Christi Communio, nisi morte imminente, non concedebatur.

Pœnitentiam publicam imponebat Episcopus; hoc absente, Presbyter; iisque deficientibus, aliquandò Diaconus (*e*). Sceleris manifestè convictum, ac præsertim impœnitentem, statim removebat Episcopus à Fidelium Communione: eum verò inter Pœnitentes admitti se postulantem, summâ charitate, ceu filium prodigum ad misericordiæ paternæ viscera confugientem, suscipiebat; sed quasi clementiâ utens non temerè profundendâ. Juvenes non leviter ad Pœnitentiam admissi sunt; ne, propter ætatis fragilitatem atque inconstantiam, firma & solida non esset eorum conversio. Exploratâ per aliquam dilationem sinceritate Pœnitentis, Pontifex, inspectis Canonum regulis, constituebat quàm diu-

(*b*) *S. Basil. can.* 34.

(*c*) *Conc. Carth. III, an.* 397. *can.* 32. *S. Aug. Serm.* 351. (*al. Hom.* 50. *inter* 50.) & *Serm.* 82. (*al.* 16.) de verb. Domini, *c.* 7. 8. *S. Cæsar. Arel. Hom.* 1. in Quadrag. *S. Elig. Hom.* 16.

(*d*) *Vide Petau*, de Pœnit. *l.* 6. *cap.* 2. 3. 4. *Morin.* de Pœnit. *l.* 5. *c.* 31. *Nat. Alex.* dissert. 6. *tom.* 3. *in sæc.* 3. *Mabill. ab hoc cit. tom.* 7. Hist. Eccl. *pag.* 663. *in-fol. Witasse, quæst.* 5. de satisf. *art.* 3. *sect.* 2. *assert.* 1. *Fleury*, Hist. Eccl. *l.* 10. *n.* 17.

(*e*) *Can. Ap.* 51. *Conc. Elib. can.* 32. *Carth. III, can.* 31. *Milev. an.* 402. *can.* 23. *S. Cypr. Ep.* 13. 14. (*al.* 18. 19.)

turna esse deberet Pœnitentia; an secreta, an publica; an ad publici exempli rationem expediret ut Pœnitens publicè confiteretur: porrò secreta, ut plurimùm, erat Confessio.

Qui ergò scelus aliquod cum multorum offensione conjunctum, ideòque publicâ Pœnitentiâ expiandum commiserant, ii vel apud Episcopum, vel apud ejus *Pœnitentiarium* priùs emissâ Confessione, Feriâ quartâ in capite jejunii Quadragesimalis ad fores Ecclesiæ majoris in veste lugubri, lacerâ & squalidâ, nudis pedibus, passis atque hirsutis capillis, vultu in terram demisso, conveniebant. Tum verò Ecclesiam, medio Episcopo sedente, ingrediuntur; flentesque, toto corpore humi prosternuntur. Singulorum capitibus cineres imponit Episcopus, dicens: *Memento, homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris; Pœnitentiam age, & habebis vitam æternam.* Cilicia benedicta singulis distribuit: tum ipse in genua procumbens, Clero populoque ad terram fusis, Pœnitentibus orat conversionis gratiam & veniam. Deindè sermonem habet, quo quidem ipsi, quemadmodùm è Paradiso terrestri ejectus fuit Adam peccator, se pariter ab Ecclesia eliminandos esse admonentur; non tamen animum despondeant, sed potiùs conceptâ in summam Dei misericordiam fiduciâ erigant, si Pœnitentiæ labores fortiter amplectantur. Nec mora: unum ex illis manu accipit, omnesque inter se implicitis manibus cohærentes, simul educit, dum canuntur maledictiones quas Deus Adamum è *Paradiso voluptatis* expellens, in eum pronuntiavit. Pœnitentes ad limen Ecclesiæ in genua provolutos, iterùm hortatur Episcopus ne desperent, sed jejuniis, orationibus, eleemosynis, ceterisque Pœnitentiæ operibus incumbant. Statim coram eis occluduntur Ecclesiæ fores; undè hoc velut sibi dictum intelligant: *Iniquitates vestræ diviserunt inter vos & Deum vestrum; & peccata vestra absconderunt faciem ejus à vobis* (*f*). Tunc Missa inchoatur; quæ, illo die, & per universam Quadragesimam, tota ad Pœnitentiam refertur.

Per totum Pœnitentiæ curriculum, domi, *quasi columbæ meditantes, gemebant* (*g*), secum disquirentes an sincerè in se reversi essent, an peccati gravitatem agnoscerent; an satis vehementer sentirent *quàm miserum sit à Deo recessisse* (*h*), quàm perfidum Baptismi vota violasse; an demùm anteactæ vitæ fœditatem detestarentur, simulque novam vitam, Deo juvante, agere statuerent. Intereà omni oblectatione, negotio, publico munere, omnique, quantùm fieri poterat, cœtu & colloquio, conviviis, balneo, equorum, curruum, armorum, linteorumque usu abstinebant. Sæpè etiam ipso Matrimonii usu carebant: undè peccatores connubiali vinculo sociati, publicam Pœnitentiam, nisi ex mutuo consensu, primitùs non agebant: posteà tamen

(*f*) *Is.* 59. 2. (*g*) *Is.* 59. 11. (*h*) *Jerem.* 2. 19.

omnibus Pœnitentibus relicta est conjugii libertas. In hac tanta solitudine ac terrestrium abnegatione perseverantes, usque ad vesperam, certisque temporibus in pane & aqua jejunabant; semper autem vino carnibusque abstinebant: prolixas, vel genibus advoluti, vel omninò prostrati, nec sine multis lacrymis, coram Deo preces fundebant, vigilantes, humi cubantes, eleemosynam pro facultatibus erogantes. Quas quidem laboriosas exercitationes delictorum gravitati & numero, Pœnitentiumque viribus & fervori diligenter attemperabat eximia Pastorum sapientia. Pœnitentibus domo pedem efferre non licebat, nisi diebus Dominicis & Festis, seu *Stationis*, quibus ad Basilicæ limen conveniebant; ibique, statuto temporis intervallo, per totum Officium divinum velut *castrorum cælestium portis excubantes* morabantur (*i*). Posteà introducti, Lectiones & Conciones audiebant, ante preces atque Oblationem egressuri. Deindè ad orandum cum Fidelibus admissi, in Ecclesia *jacebant consternati super faciem terræ* (*k*): ac demùm, stantes quidem, sed in lævo Basilicæ latere, cum cæteris orabant. Itaque decurrendi erant, præsertim in Ecclesia Græca, Pœnitentiæ gradus quatuor, *Flentium* videlicet, *Audientium*, *Substratorum*, & *Consistentium*, prout, labente sæculo III, vel IV ineunte, institutum fuerat (*l*).

Qui v. g. sese adulterio polluerat, quatuor annos inter *Flentes* commorabatur: id est, horis Liturgiæ & precum, ad Ecclesiæ fores accedebat; ibique, non sub vestibulo, sed in platea, *sacco obsecrationis indutus* (*m*), cilicio accinctus, cinere sordidus, intonsis capillis & promissâ barbâ horridus, Fidelium Ecclesiam ingredientium suffragia humiliter implorabat. Per quinque annos subsequentes, de grege *Audientium* factus, Concionibus sub vestibulo cum Catechumenis intererat, nondùmque incœptis precibus egrediebatur. Indè ad tertium ordinem transiens, prostratus orabat cum erectis Fidelibus; & ante Oblationem cum Catechumenis exibat. Hic autem maximè omnium laboriosus ordo erat; isque propriè ac speciatim *Pœnitentia* dicebatur. Dimissis *Audientibus*, in *Substratos* fiebant frequentes manuum impositiones, variæque super eos preces fundebantur: tum ipsis jejuniorum carnisque afflictationum nova imponebatur austeritas. Adulter, post emensos in hoc ordine annos quatuor, inter *Consistentes* admissus, biennio cum Fidelibus stans orabat; sed neque offerens, neque communicans: ac denique ad sacræ Eucharistiæ participationem admittebatur.

(*i*) *Ep. Cleri Rom. apud S. Cypr.* 31. (*al.* 30.) §. 8.

(*k*) *Dan.* 10. 9.

(*l*) *S. Greg. Thaum.* Epist. Can. *S. Petr. Alex. S. Greg. Nyss.* Epist. Can. *S. Basil. can.* 22. 56. 57. 58. 59. 64. 75. 81. 82. 83. *Conc. Ancyr. can.* 4. 6. 7. 8. 16. *Nic. I, can.* 11. *In Trullo, can.* 87.

(*m*) *Baruch*, 4. 20.

Toto

Toto Pœnitentiæ tempore, Pœnitentes crebrò invisebat Episcopus, aut Presbyter ab eo delegatus; ut, juxta dispositionum varietatem, animos vel terrore percelleret, vel consolationis dulcedine mulceret; alios aliter exhortans, tardiorem stimulans, velociorem reprimens; remedia demùm singulis cautè salubriterque attemperans. Et verò Pœnitentiæ administrationem spiritualis instar medicinæ tractabant veteres, ut potè quibus persuasum erat animarum curationem haud minore scientiâ, arte & patientiâ obtineri, quàm corporum; nec posse ullomodò *corpus peccati* (*n*), quæ est consuetudo vitiosa, nisi longo ac difficili experimento *destrui*. Diligentissimè cavebant, ne, plus æquo rigidi, ullos ad seculum atque ad vitam ethnicam retorquerent: ne verò per immaturam Absolutionem, verso in venenum remedio, animas perderent potiùs quàm salvarent, impatientibus viriliter obsistebant, veræ Pœnitentiæ lacrymis, morumque immutationi aliquatenùs consummatæ perfectam reservantes gratiæ reconciliationem. Nec eorum minis, qui Ecclesiæ fores non pulsare, sed confringere voluissent (*o*), unquam labefactatus est Sacerdotii vigor. Neque enim facilè vinci poterant Pontifices, qui tyrannis, qui tortoribus, qui suppliciis non cesserant. Itaque de gradu in gradum non patebat ascensus, nisi permittente Episcopo; ad quem scilicet unum pertinebat, ut, pro circumstantiis ac Pœnitentium dispositionibus, Pœnitentiam moderaretur (*p*). Quamvis enim post eam duntaxat peractam Absolutio concedi soleret (*q*); ea tamen aliquandò, sive propter Pœnitentis fervorem insolitum, sive propter imminens, vel ex morbo, vel è persecutione periculum, contrahebatur; in illis enim rerum angustiis plurimâ vigilantiâ efficiebatur ne quis Pœnitens ex hac vita discederet non reconciliatus (*r*). Hoc autem legis laxamentum solemnem Pœnitentiam contrahens, *Indulgentia* dicebatur: quæ quidem, sævientibus persecutionibus, vinctorum aut exulum Confessorum deprecationibus non rarò concessa est. Si quis Pœnitens in decursu Pœnitentiæ improvisò moriebatur inabsolutus, de ipsius salute benè sentiebat Ecclesia; & precum suffragia Sacrificiique oblationem pro ejus commendatione non sine multa fiducia impendebat (*s*).

Cùm finem Pœnitentiæ imponendum censebat Episcopus, solemnem Absolutionem *Feriâ quintâ in*

(*n*) *Rom. 6. 6.*

(*o*) *Ep. Cleri Rom. ad S. Cypr.*

(*p*) *Conc. Ancyr. can. 2. 5. Neoc. Can. 3. Calced. gen. IV, an. 451. can. 16. Colon. an. 887. can. 6. Vide S. Athan. Ep.* ad Rufin. *Conc. Carth. III, can. 31. Andeg. an. 453. can. 12. Agath. an. 506. can. 60. Ilerd. an. 524. can. 5. 9. Matisc. I, an. 581. can. 12. Forojul. an. 791. can. 11. Rom sub Leone IV, an. 853; can. 37. Trid. Sess. 25. Decr.* de Indulg.

(*q*) *Ilerd. can. 1. Tolet. III, an. 589, can. 11. S. Cypr. Ep. 11. (al. 15.)*

(*r*) *Idem, Ep. 32. (al. 55.) Conc. Arauf. can. 3.*

(*s*) *Carth. IV, can. 59. Arel. II, an. 452. can. 24.*

Cœna Domini pronuntiabat. Quod quidem ideò solebat desinentis Quadragesimæ tempore observari, ut, qui peccato mortui erant, cum Christo resurgerent, & suæ reconciliationis pactum Agni Paschalis manducatione consignarent. Illo igitur propitiationis die, ad Basilicæ januam præstò sunt Pœnitentes. Episcopus, comitante Archidiacono & Ministris, in genua provolutus, septem Psalmos Pœnitentiales cum Litaniis recitat: duos intereà Subdiaconos, velut pacis nuntios, ad Pœnitentes mittit; atque iterùm duos, spem ferentes & consolationem. Pœnitentibus prostratis, atque in suspiria, in gemitus & lacrymas effusis, ad Pontificem mediâ in Basilica sedentem, utrimque Clero consistente, accedit Archidiaconus orator: Advenisse tandem clementiæ tempus; æquum esse ut, quo tempore in Ecclesiam confluebat grex novus baptizandorum, in eam benignè susciperentur oves errantes: Pœnitentes, coram Antistite, abjectis in terram capitibus humiliatos, postquàm animas suas diù afflixissent, misericordiam fiducialiter implorare. Tum verò Episcopus ad limen procedit: Pœnitentes de divina misericordia, & de immutatione quæ in ipsorum vita elucere debet, alloquitur. Ipsis deindè, in rursùs obligatæ fidei signum, dextram elevare jubet, quasi *testes* appellatos, *quia Dominum, ut ei serviant, ipsi sibi elegerint* (*t*); proximamque pollicetur Absolutionem. Intercessor denuò accedit Archidiaconus, eosque reconciliatione dignos testatur. Pontifex tandem, quasi vincentibus Ecclesiæ votis, unum è Pœnitentibus manu accipit, cæterisque cohærentibus, omnes in Fidelium cœtum reducit. Peractis precibus, solemni promissione obstrictos, absolutoriâ sententiâ publicè in gratiam reconciliat. Continuò egressi, pro sacco & cilicio, lætitiæ vestimenta induunt; cultisque capillis & barbâ, redeunt alacres; ut, in Ecclesiæ Communionem restituti, Sacris intersint, eorumque participes efficiantur.

Qui, Pœnitentiam agens, novo scelere se commaculabat, ei Pœnitentia, quasi nullam egisset, omninò erat integranda. Tardiùs reconciliati sunt negligentes. Nihil proficiens & incorrectus, Absolutionis & Sacramentorum expers remanebat.

Publica & *solemnis Pœnitentia semel tantùm* concedebatur; sed, ex providentissima Canonum dispositione, *privata Pœnitentia quotidiè peccantibus* non denegabatur (*u*).

Qui ab Hæresi ad Ecclesiam confugiebant, cùm se publicum aliquod peccatum admisisse fatebantur, publicam similiter propter illud Pœnitentiam agebant; non autem propter solam Hæresim solumve Schisma, cùm in Hæresi vel Schismate nati erant (*x*). Aliquandò tamen his imposita fuit ejusmodi Pœnitentia, qui propriâ voluntate ab Ecclesia defecerant, aut rebelles extiterant. Hæresis vel Schismatis auctores

(*t*) *Josue*, 24. 22.
(*u*) *Dist.* 5. *cap.* Quamvis.
(*x*) *Conc. Milev. can.* 23. *Elib. can.* 22.

difficiliùs admissi sunt, nisi priùs, quos ab Ecclesia Catholica sibi sequaces abduxerant; in ejusdem sinum, prout potuissent, reduxissent (*y*). Varia fuit, juxta locorum varietatem, illius reconciliationis Cæremonia. Vel non baptizatis, vel in irritum baptizatis, ubique collatus fuit Baptismus; legitimè baptizatis, unctio Chrismatis apud Græcos adhibita. Huic autem unctioni (haud quidem sacramentali) quandoque adjecit Ecclesia Gallicana cæremonialem manuum impositionem; quam solam reliqua Ecclesia Latina vulgò usurpavit. Sed ubique, ab Hæresi ad Catholicam Ecclesiam quicumque traducti erant, Fidem Orthodoxam ejuratis erroribus, profiteri tenebantur, (*z*). Et hi quidem etiam nunc, ut reconcilientur, ejuratis erroribus, ab Excommunicatione absolvuntur: quæ reconciliatio jamdudùm Episcopis reservata est (*a*).

Si quis è Clericis majoribus culpam admittebat Canonum severitati obnoxiam, is antiquitùs Pœnitentiæ publicæ subjiciebatur (*b*). Posteà verò illam suscipere non coacti sunt viri Ecclesiastici, tum propter Sacramenti Ordinis reverentiam, tum verò ne bis plecterentur: satis nempè visum est, ut, gradu dejecti, ad Laïcorum conditionem redigerentur (*c*). Itaque Sacerdos aut Diaconus vel scelus expiabat solâ Depositione, vel Pœnitentiam privatim agendam ei constituebat Episcopus, vel in Monasterium trusus, per totam vitam Pœnitens delitescebat. Cùm tamen aliquis hujusmodi peccator Pœnitentiam publicam expetebat, ea ipsi concedebatur (*d*). Minoribus Clericis graviter sontibus, & Monachis à professione sua deficientibus publicæ Pœnitentiæ lex imponebatur (*e*).

Primævis temporibus, nulla fuit Pœnitentiæ publicæ redemptio, nulla commutatio, vel compensatio. Quarto seculo desinente, ac deinceps, qui ejus immunes esse cupiebant, perpetuam in Monasterio Pœnitentiam profitebantur; & nefas erat ab eo statu resilire (*f*). Hujusmodi verò Pœnitentes maturiùs absolvebantur, & ad sacram Dominici Corporis Communionem admittebantur. Aliæ posteà inductæ sunt commutationes & compensationes: v. g. eleemosynæ, voluntariæ flagellationes cum recitatione Psalmorum, peregrinationes ad Apostolorum limina, ad sanctum Jacobum Compostellanum, ad sanctum Martinum Turonensem, aliave loca, Sanctorum habitatione, Reliquiis & miraculis insignia; atque etiam, singulari temporum ratione, bellum sacrum adversùs Infide-

(*y*) *Tert.* de præscr. *c.* 30.
(*z*) *S. Greg. l.* 9. *Ep.* 61. (*al. l.* 11. *Ep.* 67.)
(*a*) *Conc. Arauf. I, an.* 441. *can.* 1. (*al.* 2.)
(*b*) *Can. Ap.* 61. *Conc. Neoc. can.* 1.
(*c*) *S. Basil. Ep.* 188. *can.* 3. *Conc. Carth. V, an.* 398. *can.* 11.
(*d*) *S. Basil. can.* 3. *Sozom. Hist. l.* 8. *cap.* 6. *Conc. Agath. can.* 50. *Arauf. I, can.* 4. (*e*) *Can. Ap.* 61. *S. Leo, Ep.* 92. (*al.* 2.)
(*f*) *Conc. Arel. II, can.* 25. *Turon. I, an.* 461. *Parif. III, an.* 557. *Barcinon. c. an.* 599. *Tolet. XII, an.* 681. *can.* 2.

les, *in quorum manu facta erant loca sancta, & dilecta civitas, ubi Dominus crucifixus est* (*g*). Nunquam autem concessæ fuerunt eæ compensationes seu dispensationes, nisi pariter injunctis Pœnitentiæ operibus, minùs quidem laboriosis, sed Canonicæ Satisfactionis partem reddentibus.

Talis ad VII^um^ usque seculum perstitit, morum custos, Pœnitentialis disciplinæ severitas. Hujus quidem, pro diversitate locorum ac temporum, diversus fuit apparatus; ejus verò idem semper & ubique scopus, eadem utilitas extitit: ut scilicet vehementer inculcaretur, altèque animis infigeretur quanta esset peccati gravitas, quantaque ab eo tam profundo lapsu resurgendi difficultas. Hinc Pœnitentium erat Contritio exploratior, ideòque certior. Hinc ipsismet insontibus salubris terror incussus, ne brevissima peccati jucunditas tamdiù & tam graviter, vel in hoc mundo, plectenda, imprudentium animos dolo perverteret. Cui v. g. suboriebatur adulterii tentatio, hic secum tacitus semel iterùmque reputabat, num vellet quindecim annorum amaritudine momentaneam expiare dulcedinem; &, quod præcipuè salubetrimâ illâ severitate cogitandum proponebatur, num gauderet fluxâ voluptate sempiternam sibi consciscere damnationem.

Cujus Pœnitentiæ disciplinam optimam ne privati erubescerent aut subterfugerent, ejus immunis haudquaquam fuit ipsa Imperatoria Majestas. Theodosius nempè, septem millibus hominum jussu ipsius Thessalonicæ interemptis, postquàm ab Ecclesiæ ingressu, Ambrosio Episcopalis animi magnitudinem interponente, repulsus fuit, non quidem supradictos Pœnitentiæ gradus decucurrit (*h*), qui fortè in Ecclesia Mediolanensi non vigebant; sed, abjectis Imperatoriis insignibus, gemens ac lugens, octo menses in Palatio delituit: ac denique divinis Officiis non interfuit nisi prostratus, purpurâ exutus ac diademate, pectus percutiens, comam evellens, pavimentum lacrymis irrigans, Deique misericordiam humiliato corde & corpore implorans, donec solemni Absolutione reconciliaretur (*i*).

Atque hujus verendæ sanctæque Disciplinæ, variis in locis, inextincta diù perstitit memoria, imò usque ad ætatem longè à pristina severitate degenerem. Etenim, nono seculo, sic decernit Concilium Parisiense: » Illis est Confessio peccatorum facienda, à quibus subindè, & modus pœnitentiæ, & » & consilium salutis capiatur; & » à quibus, post tempora pœnitentiæ peracta secundùm Canonicam » institutionem, si Episcopus jusserit, reconciliatio mereatur (*k*). » Et in Concilio Anglicano, circa

(*g*) 1. *Mach.* 2. 8. *Apoc.* 20. 8. & 11. 8.

(*h*) *Rufin.* l. 2. c. 18. *Sozom.* Hist. *l.* 7. *c.* 25. *Theodoret. l.* 5. *c.* 18. *S. Ambr. l.* 7. *Ep.* 6. & 7. ad Theod. & or. fun. ipsius Theod. *S. Aug. Hom.* 49. (*al. Serm.* 392. *c.* 3.) *Paulin.* vit. S. Ambr. *n.* 34.

(*i*) *Ibid.*

(*k*) *Conc. Paris. VI, ex quatuor Provinciis, Senonensi, Remensi, Turonensi, Rotomagensi congregatum, an.* 829. *lib.* 1. *c.* 46. *Aderat* Erchanradus II, *Paris. Episc.*

decimi-tertii seculi finem, præscriptum invenitur, ut pro peccaris gravioribus, publicamque offensionem conjunctam habentibus, Pœnitentia solemnis juxta veteres Canones imponatur (*l*). Tum verò, circa eadem tempora, præcipit Guillelmus, Parisiensis Antistes, ut » Presbyteri Parochianos suos solemniter pœnitentes faciant venire in capite jejunii ad Ecclesiam Cathedralem, ut per Episcopum solemniter ab Ecclesia ejiciantur, & similiter in die Jovis proximâ ante Pascha per Episcopum Ecclesiæ reconcilientur (*m*). »

Et quidem nullo Ecclesiæ Decreto abrogata fuit ea disciplina; sed paulatim & mollitiâ Pastorum & contumaciâ populorum in desuetudinem abierunt Canones pœnitentiales; undè coacta est gemens Ecclesia ab antiquo imponendæ Satisfactionis ordine desciscere. Quæ tamen, dum Canonicæ severitatis nervos propter filiorum suorum infirmitatem relaxat, nunc, ut olim, præcipit, & præcipere nunquam desistet, Pœnitentiæ Ministros à sacris regulis nunquam oculos reflectere, Deique offensi justitiam & Pœnitentium vires, cum cæteris dispositionum rerumque adjunctis, quandò satisfactiones imponunt, æquo examine librare.

Si quis veterem illam severitatem non sine stupore vel horrore aliquo reminiscatur; advertat hic pariter, & peccata eo modo expianda tunc temporis inter Christianos rarissima fuisse, &, mollito disciplinæ rigore, mores in pejus magis ac magis ruisse (*n*). Olim Pœnitentiæ pars facilior erat Confessio, & Satisfactio difficilior: nunc, versâ rerum vice, Confessio difficilior, & Satisfactio longè facilior. Non reclamantibus, quinimò forsan conniventibus Pœnitentiæ Ministris, id sibi malè persuadet vulgus Pœnitentium, peractâ delictorum Confessione & qualicumque acceptâ Satisfactione, subsequi statim debere absolutoriæ sententiæ prolationem. Sensim tamen, juxta solitum conversionis ordinem, gratia recuperatur, quæ tota uno perdita momento est. » Si enim tam facilè rediret » homo ad pristinam beatitudinem, » ludus illi esset peccando cadere in » mortem (*o*). » Antiqui Pastores, à sanctis Apostolis edocti, Apostolorum charitate & prudenti zelo imbuti, nihil salubrius, nihil contra noxæ iterationem efficacius invenerant, quàm si peccatores in solitudine perdurantes, contrariis virtutum operibus vitia extirparent; se spontè jejuniis, vigiliis, omnium voluptatum abstinentiâ plecterent; seque in bono proposito per orationem, *æternorumque annorum* meditationem confirmarent (*p*). Has autem exercitationes diuturnas esse voluerant, quò firmiùs constaret certiùsque innotesceret conversionum sinceritas. Scilicet humani

(*l*) *Conc. Lambeth. an.* 1281. constit. 9.
(*m*) *Stat. Syn. D. Guillelmi* de Baufet d'Aurillac, *Parif. Epifc. c. ann.* 1309. *n.* 9. *in Synodico, p.* 19. *Quod in ead. Eccl. observatum priùs fuisse testatur D. Guillelmus* d'Auvergne, *itidem Parif. Epifc. an.* 1230.
(*n*) *Gropperus*, in Instit. Cathol.
(*o*) *S. Aug. Serm.* 34. de div.
(*p*) *Pf.* 76.

cordis naturam introſpexerant, quod nempè affectui affectum non facilè ſubrogat; eoſque non latebat, vitiorum imagines è mentis penetralibus non ſine multo labore profligari, &, niſi longo temporis intervallo, non penitùs obliterari; » nihil apud homines validius eſſe » veteris conſuetudinis tyrannide; » nihil ita turbare animum, etiamſi « utile quidpiam aggrediatur, ut » innovare & peregrinum quid in» ducere (q). » Quapropter meritò cenſuerant non debere alto vulneri diligentem & longam medicinam deeſſe, nec pœnitentiam crimine minorem eſſe oportere (r). Ea denique charitatis pleniſſima ſeveritas hac ſimpliciſſimâ obſervatione ſuos refellit obtrectatores: Nunquam ſanctiores extitère Chriſtiani, quàm cùm viguerunt Pœnitentiæ Canonicæ; nunquam magis à ſanctitate alieni, quàm ex quo ſublatæ è medio fuerunt.

Itaque omnes hujus Diœceſis Confeſſarios, quantùm poſſumus, in Christo Jesu hortamur atque obteſtamur, ut venerandam ſolemnis illius Pœnitentiæ imaginem ſemper in mente habeant. Non quòd his *diebus malis* (s), quibus vix inter Fideles fides invenitur, atque in tam multorum cordibus langueſcit moriens charitas ac deficit Religio, antiquæ Diſciplinæ leges credamus in uſum poſſe revocari. Hinc ſaltem intelligant Sacerdotes, quàm infanda, quàm Deo contumelioſa olim viderentur peccata, quæ paſſim hodiè *velut aquam bibit* maleſanus hominum ſtupor (t); ut ſcelerum nunc adeò frequentium horrorem altiùs animis inſigant; utque ſuos Pœnitentes efficaciùs inducant ad Satisfactionem culparum magnitudini, juxta divinæ juſtitiæ placitum, aliquatenùs æquiparandam. Non aliter miniſterii ſui ſcopum, ſcilicet animarum ſanctificationem, aſſequentur: non aliter Religionem penè à fundamentis convulſam excitabunt: non aliter eorum ſaluti conſulent, qui, cùm frequenter ſacram Pœnitentiæ Piſcinam adeant, nunquam tamen lavantur, & in ea quam ſibi temerè affingunt, juſtitiâ, malè ſecuro (u) animo conquieſcunt.

Et certè ad expiandum cujuſlibet generis delictum levem imponi Satisfactionem, à divinarum Litterarum, Conciliorum, ſanctorumque Patrum diſciplinâ prorſùs alienum eſt. Ac primò quidem Scripturæ ſacræ à peccatoribus id exigunt, ut *dignos pœnitentiæ fructus faciant* (x), utque *in jejunio, & in fletu, & in planctu ad Dominum convertantur* (y). Hinc, variis temporibus, nihil non moliti ſunt Eccleſiæ Pontifices, duce Spiritu ſancto congregati, ut, adversùs increbreſcentem

(q) *S. Chryſ. Hom.* 7. in 1. Cor.
(r) *S. Cypr.* de lapſis.
(s) *Eph.* 5. 16.
(t) *Job*, 15, 16.
(u) *Luc.* 18. 9.
(x) *Luc.* 3. 8.
(y) *Joel*, 2. 12. *Vide S. Car. Borr.* Inſtit. Pœnit.

Diſciplinæ ruinam, ſalutarem Canonum Pœnitentiæ obſervantiam tuerentur. Hinc, nono ſeculo, in Concilio Remenſi diſcuſſus eſt ordo Pœnitentiæ: quinam publicè, quinam ſecretò illam agere deberent; ut Presbyteris modus excipiendi Confeſſiones & imponendi Satisfactiones pleniùs ac meliùs innoteſceret (ζ). Quinimò Satisfactionem delictis parem quanti ſemper fecerit Eccleſia, ipſamet in ſancta œcumenica Tridentina Synodo apertiſſimè teſtatur, dum illam aſſerit maximè ex omnibus Pœnitentiæ partibus ſemper fuiſſe à Patribus commendatam; dumque alienorum delictorum participes fieri pronuntiat eos Sacerdotes, qui leviſſima quædam opera pro graviſſimis delictis injungendo (*a*), cum Pœnitentibus remiſſiùs agunt (*b*). Et quidem nimia hæc indulgentia » præcipuum locum obtinet inter » cauſas deploratæ propemodùm « nunc prolapſæque Religionis, & » quòd hodiè tam perfrictâ fronte, » omnique Chriſtiano pudore ſepo» ſito, crimina perperrentur (*c*). »

Cùm igitur in ſacro Tribunali non modò miſericordiam, ſed & juſtitiam exerceri oporteat, talemque idcircò injungi pœnam, quæ, culparum habitâ ratione, oſtenſo Deo ſatisfaciat; Confeſſariis admodùm neceſſaria eſt veterum Pœnitentiæ Canonum cognitio, quâ duce, peccati cujuſlibet gravitatem intelligant, atque in imponenda Pœnitentia tutiùs dirigantur. Non quòd illos Canones ad amuſſim obſervare teneantur; ſed Eccleſiæ in votis eſt, ut, quantùm fieri poſſit, pro ſua charitate & prudentia, ſeſe ad eorum ſeveritatem componant, perſpectis delictorum gravitate & numero, Pœnitentium ſexu, ætate, viribus, Contritione, cæteriſque diſpoſitionibus, variiſque rerum adjunctis. Si ergò veterem illam diſciplinam ad ſtrictum litteræ apicem non ſequantur (id quod exigit eheu! in peccando validioris, in pœnitendo mollioris ævi conditio), at certè juxta mentem quâ ſuggerente condita fuit ea diſciplina, gerere ſe omninò debent: quæ mens, immutato quoad praxim inſtituto majorum, in hoc jugiter conſiſtit immutabilis, ut & Deo legitimè ſatisfiat, & in bono propoſito perſeveretur; ſicque delicta præterita caſtigentur, & ipſorum iterationi efficaciter obvietur.

Cum autem verbis graviſſimis doceant Eccleſiæ Patres quàm neceſſaria ſit Confeſſariis *Pœnitentialium Canonum* ſcientia, hoſque, à S. Caroli Borromæi ſeculo, ſat multi Rituales Libri contineant; eorum ſummam hìc exhibendam cenſuimus; ut ex iis, quænam ſit Eccleſiæ intentio, faciliùs perſpectum habeant Confeſſarii, Pœnitentibuſque vehementiùs exponant quid Satiſfactionis exequendum ſibi foret, ſi

(ζ) *Conc. Rem. II*, *an.* 813. *can.* 10. 11. 12. 31. *Vide Conc. Cabil. II*, *an.* 813. *can.* 38. *& Pariſ. VI*, *an.* 829. *l.* 1. *c.* 32.

(*a*) *Trid. Seſſ.* 14. *cap.* 8. de Satisf. neceſſ. & fructu.

(*b*) *Ibid.*

(*c*) *Marianus Victorius*, *lib.* de antiq. Pœnit. *in fine.*

adhùc vigeret antiqua illa disciplina (*d*), quæ quidem ultra mille annos in Ecclesia Latina obtinuit. Hinc nimirùm abscedet vanissimus ille Pœnitentium error, quo sua peccata, quia levi Satisfactione plectuntur, levià esse animo fingunt. Quin etiam, quantò in Pœnitentiis Canonum mitigandis benigniorem in se Ecclesiam experientur (*e*), tantò validiùs peccata sua dolebunt, sibique impositam pœnitentiam, tanquam suis delictis imparem, æquo animo suscipient, pleniùs demùm atque uberiùs per voluntariam compensationem satisfacere enitentur.

ITAQUE Pœnitentia olim imponebatur, vel ad dies, vel ad quadragenas, vel ad annos. Si quis tres, decem, viginti vel triginta diebus Pœnitens erat; hoc toto tempore in pane & aqua jejunabat. Cum alicui quadragena imponebatur, totam pariter quadragenam in pane & aqua jejunabat, seorsim manducans, non linteo, non balneo, non armis, non equo, non curru, nec ipso plerumque Matrimonio utens. Quandò plures ad eumdem annum quadragenæ imperabantur, tres vulgò erant: prima ante Festum Natalis Domini, secunda ante Solemnitatem Paschæ agebatur; tertia verò S. Joannis Baptistæ Nativitatem tredecim dierum numero antecedebat. Porrò Pœnitens tres illas quadragenas non quidem integras, sed tantùm *per Ferias legitimas*, id est, Pœnitentiæ diebus ab Ecclesia constituris, Feriis nempè secundâ, quartâ & sextâ (*f*), in pane & aqua jejunabat. Si denique ad annum solidum, vel ad plures annos indicta erat Pœnitentia; primo anno jejunium servabatur in pane & aqua *per Ferias legitimas*; tribus reliquis hebdomadæ diebus concedebantur pisciculi, fructus, olera, legumina, & cervisia; diebus Dominicis & Festis, nec non totâ Paschæ Octavâ, jejunio locus non erat: secundus & tertius annus solâ Feriâ sextâ jejunium in pane & aqua relinquebat, servatis tribus quadragenis, ad quas duntaxat restringebantur, si qui supererant, anni Pœnitentiæ addicti. Prætereà certis peccatis aliquid Pœnitentiæ peculiaris adjungebatur. Atque ubi nulla speciatim pro lethali peccato constituta erat Pœnitentia, hæc septem annos complectebatur. Qui in pane & aqua jejunare non poterat, huic licebat, loco jejunii, quinquaginta Psalmos flexis genibus pro quoque die recitare, & in cibis tantùm Quadragesimalibus jejunare. Psalmorum nescius, eleemosynam, observato similiter Quadragesimali jejunio, pro facultatibus largiebatur, (*g*).

His præmissis, faciliùs intelligentur subjecti Canones Pœnitentiales, juxta Decalogi ordinem dispositi (*h*).

(*d*) *Conc. Mediol. I. an.* 1565. *part.* 2. *tit.* 6. *Morin.* de Pœnit.

(*e*) *Conc. Mediol.* sup.

(*f*) *Dist.* 82. *c.* 5. de Conf. *Vide dist.* 3. *cap.* 16.

(*g*) *Pœnitentiale Rom.*

(*h*) Hi Can. Pœnit. excerpti sunt è

I.

NON HABEBIS DEOS ALIENOS CORAM ME. Exod. 20.

Qui à Fide Catholica desciverit, Pœnitentiam aget annis decem.

Qui auguriis & divinationibus servierit, quive incantationes diabolicas fecerit, Pœnitens erit annos septem.

Qui magos consuluerit, artemve magicam ad quodcumque adhibuerit, in Pœnitentia erit annis quinque.

II.

NON ASSUMES NOMEN DOMINI DEI TUI IN VANUM.

Quicumque sciens pejeraverit, quadraginta dies in pane & aqua, & septem sequentes annos pœniteat; & quot homines in peccatum induxerit, quasi pro totidem perjuriis jejunet.

Si quis Nomen Dei juraverit, si semel nesciens fecerit, Pœnitens aquâ & pane septem dies victiret: si secundò ac tertiò monitus idem fecerit, dies quindecim.

Si quis Deum, vel Beatam Mariam Virginem, aut aliquem Sanctum publicè blasphemaverit; pro foribus Ecclesiæ diebus Dominicis septem, dum Missarum solemnia aguntur, stet in manifesto; ultimoque ex illis die, sine pallio & calceamentis, ligatus corrigiâ circa collum; septemque præcedentibus Feriis sextis in pane & aqua jejunet Ecclesiam nullomodò tunc ingressurus. Singulis pariter septem illis diebus Dominicis, tres aut duos, aut unum pauperem pascat, si potest; si non potest, Pœnitentiam aliter suppleat; abnuens, Ecclesiæ ingressu interdicatur; in obitu, Ecclesiasticâ sepulturâ careat. Dives, à Magistratu mulctetur pœnâ solidorum quadraginta; alioqui, triginta, seu viginti.

III.

MEMENTO UT DIEM SABBATI SANCTIFICES.

Qui opus aliquod servile die dominico vel Festo exercuerit, Pœnitentiam aget tres dies in pane & aqua.

Qui die Dominico iter fecerit sine necessitate, dies septem Pœnitentiam aget.

Si quis ante Ecclesias die Festo saltaverit, Pœnitentiam aget annis tribus.

Si quis in Ecclesia confabuletur, cùm Divina fiunt, Pœnitens erit dies decem in pane & aqua.

IV.

HONORA PATREM TUUM ET MATREM TUAM.

Qui parentibus maledixerit, quadraginta dies Pœnitens sit in pane & aqua.

Qui parentes injuriâ affecerit, tres annos.

Qui percusserit, annos septem.

Conc. *Ancyr. Laod. Elib. Trull. Mogunt. Tolet. VIII, Tribur. &c.* tum è Pœnitentialibus, *Romano veteri, Beda, Rab. Mogunt. &c.* ac denique ex Decretis *Burchardi Worm. Yvonis Carnot. Gratiani;* &c.

Qui ejecerit, tandiù pœniteat, quamdiù in hac impietate perseveraverit.

Si quis contra Episcopum, Pastorem & patrem suum, vel contra Presbyterum insurrexerit, in Monasterio aget Pœnitentiam omnibus vitæ suæ diebus.

Si quis Episcopi, vel Parochi sui doctrinam vel præcepta irriserit, in pane & aqua Pœnitentiam aget dies quadraginta.

V.

Non occides.

Si quis homicidium spontè commiserit; primò jejunet quadraginta dies in pane & aqua, deindè Pœnitentiam agat annis septem.

Si quis hominem necare voluerit, nec potuerit; Pœnitentiâ afficietur ut homicida.

Si quis per iram subitam, aut per rixam, hominem necârit; Pœnitentiam aget annos tres.

Qui homicidii auctor fuit, ob consilium quod dedit, in Pœnitentia erit quadraginta dies in pane & aqua, cum septem Pœnitentiæ annis sequentibus. Idem constituitur in eum qui, alio instigante vel jubente, homicidium fecerit.

Qui insidiatus est alicui ut ab aliis occidatur, licèt ipse non occiderit, eamdem aget Pœnitentiam.

Qui mortem alicui per injustam accusationem accersiverit, Pœnitentiam aget quasi homicida.

Si quis aliquem graviter vulneraverit, vel ei aliquod membrum præciderit, Pœnitentiam aget uno anno per legitimas Ferias.

Si quis iratus ictum proximo inflixerit, nec læserit, tridui Pœnitentiam aget in pane & aqua: Clericus, unius anni & sex mensium.

Si quis aliquem per iram percutiens debilitaverit; solutâ medicamenti impensâ, si sit Laïcus, Pœnitens erit quadraginta dies in pane & aqua; si Clericus, duas quadragesimas; si Presbyter, uno anno.

Si quis fratri suo, quem oderit, reconciliari non vult; in pane & aqua Pœnitentiam aget, quoadusque reconcilietur.

Si qua mulier spontè abortum fecerit, Pœnitentiam aget tres annos; si nolens, tres quadragesimas.

Mulier fœtum suum perimens voluntariè ante quadraginta dies, Pœnitens erit annum unum; si post quadraginta dies, annos tres; si verò postquàm editus est in lucem, tanquam homicida.

Quæ, sceleris occultandi causâ, filium necârit, Pœnitentiam aget annos decem.

Cujus parvulus sine Baptismo per negligentiam moritur, tres annos pœniteat, ex quibus unum in pane & aqua jejunet.

Si quis, explendæ libidinis causâ, vel odii meditatione, ut non ex eo soboles nascatur, homini aut mulieri aliquid fecârit, vel potionem aliquam dederit, ut non possit generare vel concipere; homicida teneatur.

Si mulier maritum suum, fornicationis causâ, veneno seu arte aliâ quacumque interfecerit, seculum relinquat, & in Monasterio pœniteat.

V I.

Non mœchaberis.

Si Laïcus solutus cum fœmina soluta peccaverit, Pœnitens erit an-

nos tres; & quantò sæpiùs, tantò majore afficietur Pœnitentiâ. Similiter qui cum ancilla peccaverit.

Si quis conjugem fornicari consenserit, omnibus vitæ suæ diebus in Pœnitentia erit arbitrio periti Sacerdotis.

Vir solutus, si cum alterius uxore adulterium commiserit, Pœnitentiam aget annos septem; mulier, quinque.

Mulier soluta, cum alterius marito adulterans, decennali Pœnitentiâ afficietur; ille, quinquennali.

Si quis maritus semel lapsus est, Pœnitentiam aget annos quinque; si sæpiùs, amplior accedet Pœnitentia.

Si quis uxorem simul & concubinam habuerit, in Pœnitentia erit annos septem; & ampliùs, pro ratione culpæ.

Maritus, si ancillâ concubinâ utitur, Pœnitentiam aget annum unum, quadragesimas tres, & legitimas Ferias tribus mensibus. Illa, si invita violetur, quadraginta dies; si consentiens, quadragesimas tres, & legitimas Ferias.

Qui cum uxore sua turpiter concubuerit, Pœnitens erit quadraginta dies.

Si quis adolescens cum virgine peccârit, Pœnitentiam aget annum unum.

Qui concupierit virginem, quam postea uxorem duxerit, Pœnitentiam aget annum unum per legitima Ferias; si verò non duxerit, annos duos per legitimas Ferias.

Vidua quæ stuprum admiserit, Pœnitentiam aget annum totum, & prætereà in altero anno dies jejuniorum.

Cum duabus sororibus fornicatus, Pœnitentiam aget toto suæ vitæ tempore.

Qui incestum in secundo gradu commiserit, eodem modo pœnitebit.

Qui minorem incestum commiserit, in eum quidam Canones, quindecim, alii duodecim, alii decem, alii septem Pœnitentiæ annos constituunt.

Quicumque Sacerdos spiritualem filiam violaverit, dignitatis honorem amittet, & Pœnitentiam aget perpetuam.

Qui Monialem violârit, Pœnitens sit annis decem.

Presbyter, si fornicationem admiserit, Pœnitentiam aget annos decem hoc modo: tribus mensibus à cæteris remotus in pane & aqua jejunabit; diebus autem Festis, modico vino, pisciculis & legumine utetur; sacco indutus humi cubabit, diu noctuque misericordiam Dei implorans.

Qui cum brutis coierit, Pœnitentiâ afficietur annorum decem, & diuturniore etiam, pro conditione personæ.

Qui contra naturam coierit, si sit Matrimonio junctus, pœnitebit annos decem; si solutus, annos septem; puer, dies centum; laïcus Matrimonio junctus, si in consuetudine habet, annos quindecim; si Clericus, de gradu amotus, ut laïcus Pœnitentiam aget: qui cum fratre tale scelus admiserit, ab omni carne abstinebit, Pœnitensque erit annos quindecim; si Clericus, diuturniore & graviore Pœnitentiâ afficietur.

Mulier in se, aut cum altera fornicans, duos annos pœnitebit. Vir

ſemel ſe inquinans, dies decem; ſi iterùm, dies viginti; ſi tertiò, dies triginta; ſique nefariè agere perrexerit, Pœnitentiæ acceſſio ei fiet: ſi puer, dies quadraginta; ſi major quindecim annis, dies centum.

Qui complexu fœminæ vel oſculo polluitur, Pœnitentiam aget dies triginta; qui contactu inverecundo, menſes tres.

Qui concupiſcit mente, ſed non potuit perficere, dies decem Pœnitentiam aget.

Qui turpiloquio aſpectuque polluitur negligens, non verò peccare voluit, Pœnitentiam aget dies viginti; ſi autem impugnatione tentationis & cogitationis inquinatur, pœnitebit item dies viginti.

Quicumque lenocinium exercuerit, Pœnitentiam aget annos duos per legitimas Ferias, neque accipiet Communionem, niſi in fine.

Si qua mulier ceruſsâ, aliove pigmento ſe oblinit, ut aliis viris placeat, Pœnitentiâ afficietur annorum trium.

Qui vir faciem ſuam transformaverit habitu muliebri, & mulier habitu virili, Pœnitens ſit annis tribus.

VII.

NON FURTUM FACIES.

Qui de Eccleſiæ ſupellectili vel theſauro aliquid furatus eſt, quod ſuſtulit, reddet, & tres quadragenas cum ſeptem ſequentibus annis pœnitebit.

Qui decimam ſibi retinuerit, aut dare neglexerit, quadruplum reſtituet; & Pœnitentiam aget dies viginti in pane & aqua.

Qui Hoſpitalis-domûs adminiſtrator, aliquid de adminiſtratione ſubtraxerit, reſtituet, ac tres annos Pœnitens erit.

Qui pauperem oppreſſerit ejuſque bona abſtulerit, reddet ei quod ſuum eſt, & Pœnitens erit dies triginta in pane & aqua.

Clericus furtum capitale faciens, ſeptennii Pœnitentiam explebit; Laïcus, quinquenii, & quod furatus eſt, reddet.

Si quis furtum de re minore ſemel aut bis fecerit, annum unum pœnitebit.

Qui rem inventam non reddit, tanquam de furto Pœnitentiam aget.

Si quis uſuras accipit, rapinam facit; ideòque quicumque illas exegerit, Pœnitentiam aget annis tribus, uno in pane & aqua.

VIII.

NON LOQUERIS CONTRA PROXIMUM TUUM FALSUM TESTIMONIUM.

Qui falſum affirmârit, Pœnitentiam aget ut adulter; qui ſpontè id facinus admiſerit, ut homicida.

Qui proximo falſum crimen objicit, Pœnitentiâ afficietur ut falſus teſtis.

Falſarius totâ vitâ Pœnitentiam aget in pane & aqua.

Si quis facilè detraxerit, falſumque in hoc dixerit, Pœnitens erit dies ſeptem in pane & aqua.

Qui leviter detraxerit, tres dies pœnitebit.

Qui falſitatem fraudemve in ponderibus & menſuris admiſerit, præter damni reſtitutionem, Pœnitens erit in pane & aqua dies viginti.

IX.

NON DESIDERABIS UXOREM PROXIMI TUI.

Si quis Presbyter fornicari concupiscit, Pœnitens erit annos quinque; si Diaconus vel Monachus, tres, è quibus unum in pane & aqua; si Clericus aut Laïcus, annos duos.

Si quis in somnis ex immundo desiderio polluitur, surgat & cantet septem Psalmos Pœnitentiales; & die, triginta.

Si Clericus aut Laïcus ex mala cogitatione & concupiscentia semen effuderit, Pœnitens erit dies septem.

X.

NON DESIDERABIS BOVEM PROXIMI TUI, NEC OMNIA QUÆ ILLIUS SUNT.

Rem alienam nefariè concupiscens, avarusque, Pœnitens erit annis tribus.

Qui rem aliquam proximi pretiosam invenire cupit, ut illam sibi retineat, Pœnitentiam aget ut dictum est de furto.

De gula & ebrietate, &c.

Si quis nimio cibo se ingurgitaverit, ut indè dolorem senserit, unum diem Pœnitentiam aget in pane & aqua.

Sacerdos imprudenter ebrius factus, in pane & aqua Pœnitentiam agat dies septem; si negligenter, dies quindecim; si per contemptum, dies quadraginta.

Qui præ ebrietate & crapula vomitum fecerit, si Presbyter aut Diaconus, Pœnitentiam aget dies quadraginta; si Monachus aut Clericus, dies triginta; si Laïcus, dies quindecim.

Qui humanitatis gratiâ alium inebriari cogit, Pœnitentiam aget dies septem; si per contemptum, dies triginta.

Si quis, gulæ causâ, ante horas legitimas jejunium fregerit, duos dies Pœnitentiam aget in pane & aqua.

In Quadragesima carnem edens extra inevitabilem necessitatem, in Pascha non communicet; ac præterea carne abstineat.

Qui in Quadragesima jejunium violaverit, pro uno die Pœnitentiam aget dies septem, jejunans.

Si quis jejunium Quatuor-Temporum non custodierit, Pœnitens erit dies quadraginta in pane & aqua.



CAPUT IV.

De Indulgentiis & Jubilæo; ac de prudentia Confessario necessaria ut Pœnitentes in consequendis Indulgentiis ritè fructuosèque dirigat.

Quædam prænotanda. Quid sit Indulgentia. Hujus fundamentum. Undè ipsa hauriatur. Eam concedere quis possit. Quotuplex distinguatur. Jubilæus. De Indulgentiæ promulgatione. Jubilæi privilegia. Cavendus Indulgentiarum abusus. Ad consequendam Indulgentiam quid requiratur. Per Jubilæum non tollitur Satisfactionis cujuscumque necessitas. Jubilæi gratia imparatis differri potest. De Absolutione à Censuris occasione Jubilæi, quædam observanda. Quibusnam prætereà conditionibus annexa sit Indulgentiæ consecutio. De mensura relaxationis quam pariunt Indulgentiæ. Defunctis quomodò prosint.

Satisfactionis illius tam severæ quam præscribunt veteres Canones, subeundæ, nulla quidem hodiè remanet necessitas; sed cuicumque ineluctabilis perseverat ea divinæ justitiæ lex, ut pro peccatis à se post Baptismum admissis dignè satisfaciat : quod profectò certiùs ac tutiùs olim per Canonicam Pœnitentiam explebatur, quàm per leviora ista opera quæ ex hodierno usu solent à Confessariis imponi. Itaque solemnis illius Satisfactionis defectum supplet Indulgentia; quam quidem veteres aliis quoque nominibus *humanitatem*, *clementiam*, *misericordiam*, *veniam*, *pacem*, *gratiam* & *beneficium* dixerunt (*a*) : supplet autem, id remittendo quod luendum foret, si pro delictis imposita fuisset Canonica Pœnitentia; simulque pœnam relaxat temporalem, quæ modò dictæ Canonum Pœnitentiæ respondet, Deo judice, ad quem solum pertinet utriusque comparationem instituere. Nedùm igitur, desuetis Canonibus, inutiles factæ fuerint Indulgentiæ, nunc magis necessariæ sunt quàm ullo tempore fuerint; ut nempè suppleatur momentaneum & leve Satisfactionis quæ nostrâ ætate peragitur, dum veteris illius Pœnitentiæ ne *diem* quidem *pro anno* imputari sibi

(*a*) *Conc. Ancyr. c. an.* 314. *Nic. gen. I, an.* 325. *can.* 12. *Calced. gen. IV, an.* 451. *Colon. an.* 887. *can.* 6. *S. Chrys. Hom.* 4. in 2. *Cor.*

patiuntur hodiernæ mollitiei peccatores (*b*). Et quidem, cùm plurimorum brevior sit hominum vita, valetudoque vel potiùs pietas infirmior, quàm ut parem sceleribus Satisfactionem adimplere possint, gaudet pia mater Ecclesia cœlestes thesauros aperire, quibus filiorum suorum inopiæ succurrat. Hinc Fideles de sua salute solliciti, nullam Indulgentiarum occcasionem prætermittunt.

Itaque Indulgentia est *Gratia à legitimo Superiore extra Sacramentum concessa, quâ, per applicationem satisfactionum Christi & Sanctorum, tanquam Christo Capiti & Sanctificatori suo adunatorum, certis sub conditionibus relaxatur pœna temporalis, quæ pro peccatis actualibus, licèt jam quoad culpam & pœnam æternam dimissis, divinæ Justitiæ debetur.*

De Indulgentiis tria tenenda esse statuit sancta Tridentina Synodus: primò, indultam Ecclesiæ à Christo fuisse potestatem Indulgentias concedendi; deindè hac sibi divinitùs traditâ potestate illam antiquissimis etiam temporibus usam fuisse; postremò Indulgentiarum usum Christiano populo maximè esse salutarem, ideòque in Ecclesia retinendum, resectis tamen pravarum consuetudinum corruptelis, si quæ fortè latenter irrepserint (*c*).

Quòd autem à Christo impertitum jus Indulgentias concedendi acceperit Ecclesia, liquet ex Evangelio. Ipse enim Dominus ac Redemptor noster, nullâ factâ limitatione, nullâ temporalis vel æternæ pœnæ distinctione, Apostolis dixit: *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo; & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo* (*d*). Nullum autem ævum, ab Ecclesia condita, potest assignari, quo non illa per suos Pontifices hujusmodi potestatem exercuerit. Eâ siquidem nascente, Gentium Apostolus incesto Corinthio, post impletum acerbissimæ Pœnitentiæ annum solidum, veniam & pacem *in persona Christi* impertitus est (*e*), tum ut Fidelium Corinthiorum votis annueret, tum verò ne ille *abundantiori tristitiâ*, ex prorogatione Pœnitentiæ, *absorberetur* (*f*). Quo tam illustri exemplo commoti, Apostolorum successores Episcopi, satisfactorias pœnas vel minuerunt, vel commutârunt, sive urgente mortis periculo, sive cùm Pœnitentiæ diuturnitas eximio fervore satis compensata videbatur. Quin etiam libellos supplices, in Pœnitentium gratiam sibi à Confessoribus transmissos, benignè suscipiebant; eorumque patrocinio, ut decebat, annuentes, Pœnitentiæ Canonicæ partem aliquam peccatoribus condonare non dubitabant (*g*). Credidit enim tunc temporis, atque etiamnùm in-

(*b*) *Ezech.* 4. 6.
(*c*) *Conc. Trid. Sess.* 25. decr. de Indulg.
(*d*) *Matth.* 18. 18.
(*e*) 2. *Cor.* 2. 10.
(*f*) *Ibid. v.* 7.
(*g*) *Tert.* ad Mart. *l.* 1. *c.* 1. & de pudic. *c.* 22. *S. Cypr. Ep.* 10. 11. 12. & de lapsis. *Ep. Confess. apud eumd.* 17. 22. *Euseb.* Hist. *l.* 6. *c.* 42.

tegerrimâ fide credit Ecclesia, pro Fidelium peccatis satisfieri per Sanctorum suffragia, virtute Communionis illius arctissimæ, quâ inter se, tanquam ejusdem corporis membra, colligantur. Quòd si verò Religionis athletas, sanctissimos quidem, sed nondùm coronatos, tantâ apud Deum gratiâ valere arbitrati sunt antiqui; quantò magis credendum est Beatos in cœlo triumphantes, & *jam de sua immortalitate securos* (*h*), id per sua suffragia obtinere à Deo posse, ut, respectu meritorum Christi, quem *apud ipsum habemus Mediatorem & Advocatum* (*i*), jam dimissis iniquitatibus cumulatissimè propitietur?

Thesaurus autem undè Indulgentias haurit Ecclesia, earumque fundamentum sunt exuberantes JESU CHRISTI satisfactiones (*k*); qui nempè, cùm vel uno suspiritu, vel unâ infiniti pretii stillâ Sanguinis Deum placare potuisset, in toto Sanguine suo, velut quodam profluvio, nos à peccatis nostris abluere dignatus est (*l*): quo quidem superabundanti pretio infinitus atque inexhaustus aggeritur meritorum thesaurus. Hùc accedunt, per modum suffragii, Beatæ Mariæ Virginis merita, Sanctorum bona opera, passiones, satisfactiones in multis superabundantes, atque idcircò in Ecclesiæ thesauris signatæ. Quæ cùm è Christi satisfactionibus vim suam omninò traxerint, cohærentibus videlicet augustissimo Capiti membris gloriosis, hinc iisdem Christi satisfactionibus nullâ ipsius injuriâ coadunantur, imò ipsius esse meritò censentur. Cujus in thesauri participationem ita veniunt Fideles, ut iis applicentur Christi merita, eò quòd cum Christo, quasi membra cum capite, unum sint; & iis pariter Sanctorum bona opera suffragentur, eò quòd ejusdem corporis (Ecclesiæ videlicet) membra totidem esse reputentur.

Atque ut paucis modò dicta complectamur, habet ea relaxatio fundamentum in infinita JESU CHRISTI Redemptoris nostri satisfactione, atque in abundantia satisfactionum quas ex augustissimi Capitis influxu viva ejusdem membra divinæ Justitiæ obtulerunt. Tam scilicet accepta Deo est fraterna charitas Sanctorumque communio, ut per sanctiora Filii sui membra placatus, voluntariæ Satisfactionis sacrificium ab iis acceptet, non modò ut ipsis, sed ut aliis quoque propitius fiat, pœnasque his præparatas indulgeat. Porrò vigere in Ecclesia potestatem dispensandi per Indulgentiam merita CHRISTI JESU, nemo non fateatur, qui meminerit, quod paulò antè diximus, collatam ipsi non restrictè ab eodem fuisse ligandi atque solvendi facultatem; quæ profectò solvendi facultas non omnem ad quem valet, sortiretur effectum, nisi merita divini ejusdem Salvatoris per Indulgentiam applicarentur.

Ex hoc inæstimabili thesauro proferuntur divitiæ spirituales, quas

(*h*) *S. Cypr.* de mortal.
(*i*) 1. *Tim.* 2. 5. 1. *Joan.* 2. 1.
(*k*) *Bellarm.* de Indulg. *l.* 1 *c.* 3. resp. ad 3. obj. *Vide l.* 1. *c.* 2.
(*l*) *Apoc.* 1. 5.

propter

propter Ecclesiæ utilitatem erogant vel summus Pontifex, aut Concilium generale in tota Ecclesia, vel Episcopi, unusquisque intrà Jurisdictionis suæ limites, cum ea tamen restrictione quam constituit Synodus Tridentina, cujus nempè intentio est ut in hisce relaxationibus concedendis moderatio, juxta veterem & probatam in Ecclesia consuetudinem, adhibeatur, ne nimiâ facilitate Ecclesiastica Disciplina enervetur (*m*). Poterant olim Episcopi Indulgentias etiam *plenarias* in sua quisque Diœcesi impertire: hæc autem potestas à Concilio Lateranensi IV restricta est ad concedendam quadraginta dierum Indulgentiam; nisi fortè solemnem Ecclesiæ alicujus Dedicationem & Consecrationem celebrent, quo quidem die integrum Indulgentiæ annum pro jure suo impertiuntur (*n*).

Nullus autem, præter summum Pontificem & Episcopos, quamlibet Indulgentiam concedere potest. Ad hoc scilicet non valent secundi Ordinis Sacerdotes, neque alii extra Episcopalem Ordinem quocumque titulo Prælati. Nec verò summus Pontifex, nec Diœcesani Antistites ullam Indulgentiam, nisi caussis adducti gravissimis, concedunt. Divinæ siquidem Justitiæ jura in *pœnas redemptrices peccatorum* non temerè à Dei Ministris relaxantur. Finis intentus, non modò pium aliquid esse debet, simulque utile, verùm etiam aliquid Deo gratius quàm Satisfactio per Indulgentiam relaxata; ita ut, & gloria Deo manifestè amplior, & Ecclesiæ magnum indè adjumentum accrescat, perfectiorisque Satisfactionis dignum compendium, ac divini auxilii non leve auspicium affulgeat.

PORRO multiplicis sunt generis Indulgentiæ. Aliæ *generales*, toti videlicet Eccesiæ, vel omnibus certæ regionis Fidelibus communes. Aliæ *particulares*, seu *personales*, id est, certis personis, Congregationibus, Communitatibus, Confraternitatibus tributæ & concessæ. Aliæ *indefinitæ*, seu *perpetuæ*, quæ nempè sine ulla temporis limitatione conceduntur. Quæ autem hoc titulo insignitæ in *Brevibus* occurrunt, ipso effectu sunt perpetuæ (*o*), licèt quidam Theologi eas ad viginti aut viginti tres duntaxat annos valere existimaverint (*p*). Aliæ *temporariæ*, ad certos annos (vulgò ad septennium) concessæ; quo quidem temporis intervallo percipi possunt, ultra quod jam non valent: hæ verò non à die promulgationis, sed ab ipso dati *Brevis* die fluere incipiunt. Aliæ *partiales*, quæ partem relaxant Pœnitentiæ, quæ, juxta Canonum severitatem, peccatoribus im-

(*m*) *Conc. Trid. Sess.* 25. decr. de Indulg.

(*n*) Cùm ex eo, *extrà*, de Pœnitentiis & remiss.

(*o*) Theodor à *Spir. S.* consultor Congreg. *Indulg.* in Tract. quem Romæ edidit an. 1743. *Vide* apud Servatium *le Fevre*, in opere cui tit. *Tractatus triplex*, Duaci, 1755, Decretum supradictæ Congreg. datum 22 Jan. 1753, quo quidem Indulgentiæ perpetuæ veritas inconcussè astruitur.

(*p*) *Gamache*, *Pontas.*

poni debuisset; unàque partem remittunt pœnæ temporalis, quæ priori illi in Dei æstimatione respondet. Hinc scilicet quadraginta dierum, unius anni, vel plurium annorum Indulgentiæ. Aliæ *plenariæ*, quarum virtute id omne relaxari potest quod subeundum superest de Pœnitentia quæ nobis ex Canonum instituto fuisset imponenda, simulque dimitti tota pœna temporalis quam sibi persolvendam expectat Justitia divina, & quam, nisi in hac vita persolveretur vel dimitteretur, *usque ad novissimum quadrantem* (*q*) in Purgatoriis ignibus exigeret. Indulgentia *plenaria*, quæcumque sit, quantùm ad pœnæ condonationem, prorsùs eadem est, licèt, adjunctis privilegiis, una differre ab alia possit: cujusmodi est Jubilæus.

Indulgentia autem hæc, omnium maxima & plenissima, nomen mutuatur à Judæorum veteri *Jubilæo* (*r*), qui anno quinquagesimo quoque recurrebat. Eo videlicet *remissionis anno* (*s*), Filii Israel hæreditates abalienatas vel oppigneratas recuperabant; & quos debitores in fratrum suorum servitutem redegerat necessitas, ii se manumitti gaudebant: quâ Religione perpetuâ reminisceretur antiquus Populus se fuisse ab Ægypti servitute, Deo vindice, liberatum. Illo etiam anno, quemadmodùm sabbatico, quiescebat tellus inarata, cui, ut *fructus trium annorum* faceret, anno superiore summus naturæ moderator benedictionem profuderat (*t*). *Hæc* autem omnia *in figura facta sunt nostri* (*u*); qui scilicet, novi Jubilæi *Indulgentiam & annum placabilem* prædicante Jesu Christi Vicario (*x*), à nostris debitis, scilicet peccatis, atque à dæmonis tyrannide liberati, in jus gratiæ & filiorum Dei libertatem asserimur, ut *ab operibus mortuis* cessemus, utque *incrementa frugum justitiæ* nostræ per integram spiritûs renovationem augeantur (*y*).

Quamvis autem à Bonifacio VIII renovata potiùs quàm instituta fuerit solemnis illa Indulgentia (*z*), huic tamen accepta meritò refertur præsens forma *Jubilæi*. Cùm enim ex toto terrarum orbe innumerabiles Romam confluerent peregrini, quòd scilicet ex majorum traditione accepissent, eos omnes qui eam in urbem ad Basilicas Apostolorum ultimo seculi cujusque anno venirent, uberrimam Indulgentiam consequi; statuit modò dictus Pontifex, ut, anno 1300, & centesimo quoque in posterum, quicumque *ad* prædictas *Ecclesias reverenter, verè pœnitentes & confessi accederent, non solùm plenam & largiorem, imò plenissimam omnium delictorum suorum veniam consequerentur* (*a*). Posteà secum reputans Clemens VI quàm *breves dies hominis sint* (*b*), quàm pauci propterea illius Indulgentiæ participes fu-

(*q*) *Matth.* 5. 26.
(*r*) *Levit.* 25. 8. *& seq.*
(*s*) *Deut.* 15. 2.
(*t*) *Levit.* 25. 21.
(*u*) 1. *Cor.* 10. 6.
(*x*) *Is.* 61. 1. 2.
(*y*) 2. *Cor.* 9. 10.
(*z*) *Extrav.* Antiquorum, *de pœnitentiis*, *l.* 5. *tit.* 9. *c.* 1.
(*a*) *Ibid.*
(*b*) *Job*, 14. 5.

turi essent, breviandum censuit longiorem seculi terminum; & quinquagesimo quoque anno *thesauros Ecclesiæ aperiri* (*c*) voluit (scilicet is primus eam loquendi formulam invexit); annoque 1350, quatuor præcipuas urbis Romæ Basilicas visitantibus parem concessit Indulgentiam (*d*). Quod quidem usque ad Pauli II tempora fixum ratumque permansit; qui, anno 1470, etiam longius dimidii seculi spatium ad annos quinque & viginti contraxit (*e*). Atque id usu perpetuo hactenùs viguit, ex quo posterius hoc Decretum à se confirmatum executus est, anno 1475, Pauli successor Sixtus IV, qui primus Indulgentiam illam, propter aliquam ipsius cum Israëlitico Jubilæo similitudinem, *Jubilæi* nomine insignivit (*f*). Sanxit quoque idem Pontifex, ut omnes quæcumque Indulgentiæ, etiam *plenariæ*, vel *ad instar Jubilæi*, quibuscumque Ecclesiis & piis locis extra Urbem, & sub quacumque forma per Apostolicam Sedem concessæ, dum Romæ celebraretur *Anni sancti Jubilæus*, suspensæ in posterum manerent, nec interim cuiquam suffragari possent (*g*): quod etiamnùm observatur; nisi fortè, speciali Rescripto, *Bullæ Jubilæi* derogetur. Quanquam, vel deficiente hujusmodi Rescripto, prout definivit Urbanus VIII, illæsa permanet Indulgentia *in articulo mortis*. Porrò Jubilæi Indulgentiam ad omnes Christiani Orbis Ecclesias primus extensam voluit Paulus II: undè illam consequi possunt non modò Romam peregrinantes, sed & reliqui Fideles per loca dispersi, dummodò, in sua quisque commoratione, designatas ab Ordinario Ecclesias visitent, cæterasque in Pontificio Diplomate indictas conditiones expleant. Summi denique Pontifices, non modò Ecclesiæ regimen auspicantes, verùm etiam in aliis gravissimi momenti circumstantiis, ut cœleste præsidium implorent, Jubilæum, seu Indulgentiam *ad instar Jubilæi*, certis Catholici orbis regionibus concedere assueverunt.

Nullus autem sive Secularis sive Regularis Presbyter, etiam Episcopali Jurisdictione immunis, quamcumque Indulgentiam, sine Ordinarii expressâ scriptoque concessâ licentiâ, promulgare licitè potest. Pontificias enimverò Litteras recognoscere ad Ordinarium pertinet; prætereàque facultates ipsarum te-

(*c*) *Bulla* 27 *Januar.* 1343. *Vide Extrav.* Unigenitus, *de pœnitentiis, l.* 5. *c.* 2.

(*d*) Anno 1389, *Urbanus VI*, Romæ sedens, dum Avenione sederet *Clemens VII*, solemnem hujusmodi Indulgentiam ad annum sequentem, ac deinceps tertio & trigesimo quoque anno renovandam indixit, in honorem trium & triginta annorum, quibus, juxta vulgarem opinionem, in terris vixit Christus Dominus. Quod quidem, anno 1390, executus est *Urbani* successor *Bonifacius IX*; sed nemo posteà. Ipse autem *Bonifacius*, ad annum 1391, Indulgentiam Romanæ Indulgentiæ parem Coloniæ-Agrippinæ civitati concessit: quæ fuit origo dispensationis ad consequendam, sine Romana peregrinatione, Jubilæi gratiam.

(*e*) *Extrav.* Quemadmodùm, *ubi suprà.*

(*f*) *Ibid.*

(*g*) *Extrav.* Quemadmodùm, *& omnes Bullæ Jubil.*

nore indultas, etiam concesso Jubilæo, (si gravis atque ex animarum utilitatibus deducta causa interveniat) restringere. Attentè ergò legendum, fideliterque implendum est Episcopale Mandatum; cavendumque insupèr ne Indulgentiæ ultra tempus in Pontificio Diplomate & Episcopali Mandato definitum extendantur.

Nullius quidem, præter Jubilæum, Indulgentiæ virtus est, ut, ipsius occasione, nova quælibet facultas Confessariis à summo Pontifice vel à Diœcesano Præsule concedatur, nisi aliundè sit concessa. Quod ad Jubilæum attinet, multis privilegiis cumulatur ipsius Indulgentia. Scilicet omnibus Christi Fidelibus permittitur, ut semel, ad effectum Jubilæi, quemlibet sive Secularem sive Regularem Presbyterum ab Ordinario approbatum, sibi Confessarium eligant. Omnibus etiam Confessariis hæc vulgò tribuitur facultas, ut à quibuscumque Censuris & peccatis, sive summo Pontifici, sive Diœcesano Antistiti quantumlibet reservatis absolvant, & Vota omnia simplicia (prærerquàm Religionis & perpetuæ castitatis) in alia pietatis opera commutent; si tamen istud Jubilæi Diplomate disertè exprimatur.

Quoniam igitur non omnes, nec semper eædem in omni Jubilæo conceduntur facultates; quid pro tempore concedat summus Pontifex, & quid ratum habeat Ordinarius, diligenter investigandum est. Quæ quidem concessiones *tantùm valent quantùm sonant:* undè à Jubilæo ad Jubilæum, à facultate ad facultatem non valet consequentia. Cùmque, sive à Casibus, sive à Censuris, prout vel Sedi Apostolicæ, vel Diœcesano Episcopo reservantur, distinctæ sint absolvendi facultates, concessâ facultate à Pontificiis Casibus absolvendi, non ideò concessa, vel ipso Jubilæi tempore, censetur à Casibus Episcopalibus absolvendi facultas. Ad hos, tam in Jubilæo quàm extra Jubilæum, requiritur Ordinarii approbatio, sive quibusdam Confessariis speciatim indulta, sive omnibus Confessariis approbatis per Litterarum Pontificalium promulgationem non restrictam concessa. Advertant etiam Confessarii diligenter nunquam concedi potestatem dispensandi in iis quorum Dispensationem Jus reservat; v. g. in Irregularitatibus Matrimoniique Impedimentis, etiam occultis, in Votis, in Juramentis, in Suspensionibus, pœnæ rationem habentibus, sive temporariis, sive perpetuis: nunquam pariter, Jubilæi virtute, Clericum Irregularem ad Ordines vel ad Beneficia idoneum posse fieri, vel in Beneficium (etiam in foro interno) restitui.

Quæ, Jubilæi occasione, conceduntur facultates, eæ cum illo incipiunt, & cum illo pariter desinunt, nisi aliud Pontificio Diplomate & Episcopali Mandato constituatur. Neque omninò nisi ad consequendam Jubilæi gratiam valent: undè, si quis eam percipere non intendit, vel eâ jam donatus fuerit, is quidem neque à Reservatis, Jubilæi virtute, absolvi, neque ex alio quoquam Jubilæi privilegio com-

modum ſpetare ullum poteſt. Jubilæi gratia nec dimidiatur, nec iteratur vel geminatur. Ejus beneficia non ſeorſim, non applicatione repetitâ conceduntur. Facultates tunc temporis indultæ, ſemel tantùm atque indiviſim erga eundem Pœnitentem ſuum effectum ſortiuntur. Si quis tamen Pœnitens, ineunte Jubilæo, à Caſibus vel Cenſuris reſervatis abſolutus, ante operum omnium conſummationem mutatâ voluntate, imperfectum quoad ſe Jubilæum relinqueret; non minùs valeret Abſolutio ſuſcepta, nec ille iterùm confiteri teneretur apud Sacerdotem circa Reſervata pollentem, dummodò, Abſolutionem tempore Jubilæi ſuſcipiens, ſincero animo conſtituiſſet cuncta pro Jubilæo injuncta explere uſque ad finem: qui enim ejus gratiam conſequi non intendunt, ii quidem, ex modò dictis, Abſolutionem ullius Caſûs reſervati percipere non poſſunt à Confeſſariis ſolâ Jubilæi virtute ad Reſervata pollentibus.

Nulli Sacerdoti per Jubilæum datur Approbatio, ſeu Juriſdictio, ad audiendas Confeſſiones validèque abſolvendum neceſſaria. Quinimò ſpeciales Jubilæi facultates, juxta Pontificalium Litterarum tenorem, non alii præter *Confeſſarios à locorum Ordinariis approbatos* conſequuntur. Itaque Approbationes ante Jubilæum conceſſæ, iiſdem, quibus anteà, limitibus quoad perſonas, locum & tempus, vel medio Jubilæo, circumſcribuntur; nec aliam, Jubilæi virtute, quàm circa Vota, Caſus reſervatos, & Cenſuras extenſionem accipiunt: quæ quidem in ſolo Pœnitentiæ Tribunali exerceri, & in ſolo conſcientiæ foro valida eſſe poteſt. Quin etiam attentè dignoſcendum eſt an ſpeciales circa hæc facultates concedat ſummus Pontifex; an etiam Ordinarius Diploma ejus promulgans, ipſas nullâ limitatione coërceat. Prætereà Confeſſarii ad Sanctimonialium Confeſſiones excipiendas non approbati, hanc facultatem Jubilæi virtute non acquirunt. Poſtremò, Regulares à Superioribus duntaxat Regularibus, non autem à Diœceſano Pontifice approbati, nullum, neque ſecularem, neque Ordinis diverſi Regularem, ad effectum Jubilæi validè poſſunt abſolvere.

CAVEANT porrò, tum Parochi, tum cæteri Sacerdotes in ſacro Tribunali animarum curam gerentes, ne ullos abuſus, quoſcumque circa Indulgentias, vel ſuperſtitio, vel ignorantia, vel irreverentia fortaſsè invexerit, unquam ſuâ auctoritate firmare videantur; hinc ſiquidem in contemptum adducerentur Indulgentiæ. Prætereà luculenter accuratèque edoceantur Fideles quænam ſit Indulgentiarum natura uſuſque legitimus, quid fructûs ex iis percipiatur, quomodò præparati earum finem ab Eccleſia intentum conſequi poſſint. Sic videlicet pretioſum hoc munus *piè, ſanctè & incorruptè* omnibus, ut præcipit Eccleſia, *diſpenſabitur* (*h*).

(*h*) *Conc. Trid. Seſſ.* 25. *decr.* de Indulg.

Ad consequendam cujusvis generis Indulgentiam requiritur imprimis, juxta expressam omnium Indulgentiæ Diplomatum doctrinam, ut *verè contritus & pœnitens* sit peccator, ut delicta confessus fuerit (saltem si agatur de Indulgentia plenaria), eorumque Absolutionem obtinuerit. Sine Contritione non deletur peccatorum lethalium macula, nec dimittitur pœna æterna: ideòque, sine illa, nec pœna temporalis per ipsam Indulgentiam tollitur. Quinimò nihil circa venialia prosunt Indulgentiæ, nisi quis ea sincerè detestetur, eorumque affectum deponat. Pœna enim peccato debita non dimittitur, nisi dimissâ culpâ: nullum autem peccatum, etiam veniale, sine Contritione & firmo emendationis proposito deletur. Insupèr necessaria est Confessio; quam utique, ad obtinendum Indulgentiæ finem, non supplet Contritio perfecta, saltem erga eos qui lethaliter peccaverunt. Cùm autem longè maximus sit horum numerus, multique sibi hocce in negotio malè blandiri possent; omnes Fideles Indulgentiæ gratiam consequi cupientes, seipsos Sacerdori ostendant; ut, qui peccator est, legitimè reconcilietur, &, *qui justus est, justificetur adhùc* (*i*). Et quamvis lethalium expertes non tam videantur Indulgentiæ fructu indigere, hæc tamen ipsis quoque multùm prodesse potest. Prætereà verò, & gratissimum Deo, & Ecclesiæ utilissimum quiddam facient, si, cum tota Ecclesia jejunantes atque orantes, peccatoribus misericordiam gratiamque concilient. Sed cùm, in hac seculorum ferrugine, vix ullus reperiatur qui aliquo lethali peccato stolæ Baptismalis candorem non inquinaverit, quis se Indulgentiis non opus habere confidat? Cæterùm, apertis, tempore Jubilæi, Ecclesiæ thesauris, expedit ut omnes Fideles opera Litteris Pontificiis indicta ordiantur à Confessione: scilicet, percepto Absolutionis beneficio, atque infuso sanctificantis gratiæ habitu, Deo acceptiora ipsisque utiliora efficientur.

Porrò meminerint altoque animo repositum gerant omnes sive Seculares, sive Regulares Diœcesis nostræ Confessarii, non esse ulli Pœnitenti qui dispositionibus aliàs necessariò requisitis careat, concedendam Absolutionem occasione cujuslibet Indulgentiæ, neque etiam ipso Jubilæi tempore; imò verò, quò pretiosius atque excellentius donum est, eò perfectiores sanctioresque dispositiones jure meritòque esse expetendas. Si quis igitur publicas occultasve inimicitias exerceat; si ablata aut malè parta restituere, vel pro læso honore satisfacere abneget; si, ex inveterata consuetudine, lethalia eadem peccata frequenter committat; si sit proximâ peccandi occasione implicitus; si demùm in casu aliquo versetur, propter quem aliàs ei, juxta leges superiùs expositas (*k*), deneganda vel differenda sit reconciliatio; illis quoque *diebus salutis* ad tempus dimittatur; nec priùs absolvatur, quàm exequenda ritè executus fuerit, moresque in melius

(*i*) *Apoc.* 22. 11. (*k*) *Div. VI, cap.* 1.

immutaverit. Indulgentiarum enim beneficium, ne quis ipso temerè & cum animæ suæ dispendio innitatur, semper ex voluntate Christi, secundùm leges ab ipso vel Ecclesia sponsa institutas, integerrimè dispensandum est. Nunquam igitur, etiam reseratis Ecclesiæ thesauris amplissimis, Confessarii à sacris Regulis, quas sanctorum Patrum magisterio edocti tradidimus (*l*), oculos reflectant; nec quemquam legitimâ probatione per quamlibet Indulgentiam eximi arbitrentur. Quemadmodùm in Pascha, ita etiam in Jubilæo, Absolutionem imparatis suspendere possunt ac debent; eosque tunc demùm Indulgentiæ participes facere poterunt, cùm ipsos reconciliationis gratiâ dignos prudenter judicaverint.

Præterea requiritur efficax Deo & proximo satisfaciendi propositum. Ab hoc scilicet Evangelii præcepto, *Facite fructus dignos Pœnitentiæ* (*m*), peccatorem eximere nullus potest. Indulgentiam incesto Corinthio non concessit Apostolus, nisi post exactam unius jam anni pœnitentiam. Et firmissima illa fidei ac disciplinæ columna S. Cyprianus, eos Presbyteros vehementer arguebat, qui Fideles in persecutione lapsos faciliùs reconciliabant, priusquàm Pœnitentiam egissent *justæ satisfactioni proximam* (*n*). Thesaurus enimverò quem Christus Ecclesiæ militanti fuso sanguine acquisivit, supplendæ quidem Fidelium inopiæ ac sublevandæ infirmitati reservatus est; non autem eâ mente congestus, nunquam eo consilio apertus, ut tollerentur Satisfactiones Deo & proximo debitæ: alioqui certè in animarum perniciem redundaret, peccatique horrorem minueret, dum viderentur scelera tam facilè dimitti quàm perpetrari, & homicidia quasi manuum ablutione deleri. His de causis gravissimis, summi Pontifices, cùm Indulgentias, etiam *plenarias*, concedunt, salutares convenientesque Satisfactiones à Confessariis imponi semper jubent; ut videlicet *potestate quam Dominus in ædificationem dedit, in destructionem* non utantur (*o*). Quamobrem seipsos miserrimè decipiunt, qui, nullâ præmissâ aut susceptâ Pœnitentiâ, de percepto Indulgentiarum beneficio sibi gratulantur; qui se per Indulgentias ab omni Satisfactione eximi putant; qui, mollem ac desidiosam vitam agentes, sese, Indulgentiarum prætextu, Deo gratos fore confidunt, quamvis nullâ aut certè levissimâ pœnitentiâ culpas vel gravissimas expiaverint. Ecclesia nulli unquam Pœnitenti, etiam à Confessoribus commendato, Satisfactionem totam, sed partem Satisfactionis condonavit. *Pœnitenti, operanti, roganti, potest clementer ignoscere* (*p*); cessanti nullomodò intendit connivere: & cùm irrita declarare nequeat jura divinæ Justitiæ, huic omnem Pœnitentem pro viribus satisfacere præcipit. Quo-

(*l*) *Ibid. & cap.* 2. 3. 4. & 5.
(*m*) *Luc.* 3. 8.
(*n*) *S. Cypr.* de lapsis. *Ep.* 10. (*al.* 16.) *Ep.* 11. (*al.* 15.) *Vide Tert.* ad Mart. *l.* 1. *c.* 1.
(*o*) 2. *Cor.* 13. 10.
(*p*) *S. Cypr.* de lapsis.

niam verò, quidquid diligentiæ adhibeant, sua debita vix unquam possunt exsolvere; iis quod reliquum est, vel totum, vel ex parte, benigna mater dimittit (*q*).

Itaque Indulgentia Pœnitentiæ jam in cursu positæ remuneratio est, compendium verò impotentiæ, oblatumque supplementum iis qui se impares satisfaciendo gemunt, quique Domino abundè satisfacere vehementer optarent; non verò subsidium inertiæ est, non fomentum impœnitentiæ. Multò minùs Indulgentia quemquam eximit ab ea Satisfactione, quam Sacerdos *ad novæ vitæ custodiam & infirmitatis medicamentum* (*r*) injungere tenetur. Intendit Ecclesia *bonum de suis thesauris proferre* (*s*), perfectam scilicet animarum curationem; nequaquam verò *novum genus cladis* (*t*), perniciosam nempè securitatem falsamque Pœnitentiam effundere. Videant igitur Confessarii diligenter, ne, Indulgentiarum occasione, accedat ad corruptelæ cumulum, sub misericordiæ titulo, malum fallax & blanda pernicies, nimia videlicet absolvendi facilitas (*u*). Impœnitentibus & de Indulgentiarum virtute plus æquo præsumentibus nullomodò prodesset, quinimò plurimùm noceret intempestivè irrogata Ecclesiæ benignitas; hincque malè obsequiosi Sacerdotes non salutis adjumentum, sed potiùs æternæ damnationis causam animabus adderent.

Cùm Absolutionem differri postulat debita Sacramento reverentia, ipsaque ad peccatoris salutem adhibenda cautio; potest Confessarius consequendam Jubilæi gratiam pariter in aliud tempus differre Pœnitenti, modò tamen is Pœnitentiæ Tribunal Jubilæi tempore adierit, cæteraque summi Pontificis Diplomate injuncta ritè perficiat: quæ tamen commutare licebit, & quidem satius erit, si, post elapsum Jubilæi tempus, illæsâ Pœnitentis famâ, expleri nequeant. Poterit quoque Sacerdos facultates Jubilæum comitantes erga eumdem exercere, cùm ei Absolutionis beneficium impertietur; si tamen erga illum Jurisdictione aut Approbatione adhùc valeat, si pariter hæc specialis circa dilationem facultas & Pontificio Diplomate & Episcopali Mandato disertè exprimatur.

Cùm prohibet Jubilæi Diploma quemquam à Sede Apostolica, vel ab Episcopo, vel ab Ecclesiastico Judice excommunicatum vel suspensum, quamvis non singulatim denuntiatum, à qualibet Censura aut peccato absolvi, nisi ante Jubilæi finem iis quorum interfuerit, omninò satisfecerit, damnumque illatum resarserit; tunc non potest Confessarius ejusmodi Pœnitentem ante peractam satisfactionem aut restitutionem absolvere; nec sufficit satisfactionis vel restitutionis promissio, etiam jurejurando firmata. Atque hæc regula eos pariter afficit, qui latam per Litteras *Monitorias* excom-

(*q*) *Conc. Nic. I, can.* 12.
(*r*) *Trid. Sess.* 14. *cap.* 8.
(*s*) *Luc.* 6. 45.
(*t*) *S. Cypr.* de lapsis.
(*u*) *Ibid.*

municationem

municationem incurrerunt; quia, etsi non quidem nominatim, per generalem tamen Sententiam denuntiati sunt. Cùm autem summus Pontifex novam satisfaciendi aut restituendi legem non imponat, idque solum intendat, ut quæ jam imposita fuerit, adimpleatur; si judicetur Pœnitens nunquam posse restituere, nihil impediet quin, etiam nullâ præstitâ restitutione, absolvatur. Si verò nihil sit præter magnam (non tamen insuperabilem ac perpetuam) restituendi difficultatem, eum oportebit à persona læsa dilationem vel condonationem priùs obtinere quàm reconcilietur: ac demùm, si modò dictam rei conficiendæ rationem dissuadeat prudentia, ipse nihilominùs absolvi poterit, modò tamen firmam atque inconcussam præ se ferat voluntatem satisfaciendi cùm primùm per facultates licuerit.

Porro, ad consequendam Jubilæi aut cujusvis Indulgentiæ gratiam, opera Pontificio Diplomate & Episcopali Mandato injuncta, eleemosynæ scilicet, jejunia, Ecclesiarum visitationes, aliaque id genus, religiosè pièque, pœnitenti contritoque animo, integrè, in loco, tempore & ordine præscriptis, cum intentione assignata, & propter finem indictum perficienda sunt. Neque hìc supplet bona fides, aut excusat oblivio. Indulgentia enim gratia est, quæ ex concedentis intentione pendet, nec præter ejus voluntatem operatur. Si quis igitur aliquod ex operibus injunctis, vel partem operis ingentem, etiam ex inscitia, ex memoriæ defectu, vel impotentia omittat; si quis similiter, vel impœnitens, vel sine præscripta intentione, saltem *virtuali*, injuncta opera exequatur; nihil obtinet, ut potè qui eas quibus annexa est Indulgentia, conditiones minimè impleat. Quod tamen spectat infirmos cæterosque legitimè impeditos, Confessariis facultas vulgò tribuitur indicta pietatis opera commutandi, vel consequendæ Indulgentiæ tempus prorogandi, idque prudenter injungendi quod præstare valeat quisque Pœnitens (*x*).

Cæteris ad percipiendam Indulgentiæ plenariæ gratiam dispositionibus complementum accedat digna sanctissimæ Eucharistiæ susceptio; quæ tamen ut postremo loco expleatur, haud quidem necesse est: id verò duntaxat observandum, ad consequendam Indulgentiam requiri statum gratiæ sanctificantis, saltem quo tempore ultimum ex operibus injunctis adimpletur, cùm scilicet percipiendus est Indulgentiæ fructus. Qui enim lethaliter peccavit, hic certè, cùm membri cujusdam mortui instar habeatur, divini Capitis membrorumque vivorum influentia munera suscipere non potest. Per peccatum Deo factus inimicus, diaboloque mancipatus, suam Inferno animam obstrinxit: omninò pactum illud rescindi oportet; alioquin ipsa *redimi non poterit, etiam*

(*x*) *Bulla Jubil. an.* 1758, *Pontificatum ineunte* Clem. XIII. *&c.*

in Jubilæo (*y*). Est enim Indulgentia remissio pœnæ culpis debitæ: pœna autem illa temporalis nunquam remittitur, nisi priùs culpa per infusam gratiam deleta fuerit, dimissaque pœna æterna. Ut tamen opera quæ gratiam præcedunt, ad finem Indulgentiæ obtinendum valeant, ipsa quidem religioso pœnitentique animo adimpleri sufficit. Sic videlicet primitivæ Ecclesiæ Pœnitentes laboriosis sese operibus diù exercebant, donec misericorditer cum iis ageretur.

Atque hæc de conditionibus quibus annexa est Indulgentiæ consecutio, dicta sufficiant. Quod spectat relaxationis mensuram quam pariunt Indulgentiæ, certum est, modò adimpleantur opera præscripta, eas *tantùm valere quantùm pronuntiant aut sonant;* alioqnin ad nihilum utiles essent, nisi ad Fideles pio errore decipiendos. Verùm inter Theologos non satis convenit quo sensu intelligendum sit illud axioma: an scilicet qui plenariam obtinet Indulgentiam, opera injuncta exequendo, reipsâ consequatur omnium pœnarum remissionem; & similiter, qui septem v. g. annorum Indulgentiam obtinet, an remissionem adipiscatur totidem annis pœnitentiæ canonicæ respondentem; an verò ex præfatis Indulgentiis utrique remissio applicetur cum proportione modi, pietatis videlicet atque fervoris quo persoluta fuerint opera injuncta; ita ut ejusmodi plenitudo, vel annorum mensura, significet solummodò quousque se extendat Indulgentia, si adsint pietas & fervor, ac denique omnia requisita, quantùm necesse est ad talem remissionem consequendam. Posterior sententia plerisque hodiè magis probatur. Quidquid sit, hoc saltem probabilius videtur, scilicet, ad uberiorem Indulgentiarum fructum non parùm conducere pietatis fervorem quo persolvuntur opera indicta; indèque fieri ut alii majorem, alii minorem Indulgentiæ fructum percipiant.

Cum *venit nox, quandò nemo potest operari* (*z*), animâ scilicet à corpore digressâ, peccati reliquias in altera vita expiantibus defunctis nullus quidem per se remanet merendi locus; sed vivorum charitate sublevatur mortuorum impotentia. Virtute Communionis illius arctissimæ per quam Ecclesia triumphans, militans & patiens unum corpus efficiunt, cujus caput Christus est, possunt opera satisfactoria iis applicari animabus quæ in Purgatorio patiuntur. « Neque enim dubitandum est orationibus sanctæ » Ecclesiæ, & Sacrificio salutari, » & eleemosynis quæ pro mortuo» rum spiritibus erogantur, eos ad» juvari (*a*). » Itaque Fidelibus defunctis prodest Indulgentia, non quidem viâ judicii & Absolutionis (neque enim jus in mortuos ullum habet Ecclesia), sed per modum

(*y*) *Levit.* 25. 30.
(*z*) *Joan.* 9. 4.

(*a*) *S. Aug.* de verb. Ap. *Serm.* 172. *cap.* 1.

suffragii atque intercessionis (*b*); dum scilicet vivi Indulgentiam consequentes, preces bonaque opera, Jesu Christi meritis Sanctorumque Satisfactionibus conjuncta, specialiùs atque efficaciùs ad sublevandos mortuos offerunt. Animabus in altera vita patientibus Ecclesiæ suffragia inæqualiter prodesse, cùm inæqualia sint earum merita, satis quidem probabile videtur. Quanta verò in singulas sit misericordiæ mensura, soli Deo notum est; idque homines frustrà investigent. Si quis autem consideret, se, cujuslibet Indulgentiæ virtute, certò à piacularibus flammis liberatum esse animam, vel quam Deus voluerit, vel (quòd etiam superstitiosum magis) quam ipsemet elegerit; esset is profectò judicandus fictitiis credere documentis, atque ab errore ad simplicem Ecclesiæ fidem ministerio Pastoris aut Confessarii revocandus.

(*b*) *Bellarm.* de Indulg. *l.* 1. *cap.* 14. *Cajet. tract.* 15. *c.* 5. *Domin. Soto*, *in* 4. *dist.* 21. *q.* 2. *art.* 2. *concl.* 3. *Navar.* de Jubil. *notab.* 22. *n.* 6.



DIVISIO VIII.

ERIT hujus Divisionis argumentum, ut dicatur, 1°. De prudentia Confessarii erga impuberes: 2°. De prudentia Confessarii erga mulieres: 3°. De prudentia Confessarii erga scrupulosos.

CAPUT PRIMUM.

DE prudentia Confessarii erga impuberes.

IMPUBERES ad Confessionem inducendi, primisque de ipsa documentis imbuendi. Proxima puerorum ad Confessionem præparatio. Eorum peccata, præsertim nascens immunditiæ labes, quomodò investiganda. Solitarium carnis vitium. Interrogationum verecundia & parcitas. Quædam observanda.

QUANAM ætate impuberes ad Confessionem accedere primùm oporteat, definire non intendimus. Pro certo verò tenendum est eos, cùm ad annos discretionis pervenerint, debere, ut Ecclesiæ præcepto satisfaciant, saltem semel unoquoque anno peccata confiteri. Ne igitur desit Pastorum cæterorumque Confessariorum diligentia in eorum Confessionibus audiendis, cùm octavum ætatis annum ingressi, ad bonum malumque internoscendum sufficienti rationis acumine pollere judicantur. Quidam enim ex iis, & Contritionis, & Absolutionis jam tum capaces esse meritò existimantur. Omnes autem in sacro Tribunali ad pietatem informari opportuniùs possunt, quàm in Catecheticis Institutionibus. Præterea, cùm ex Confessione profundiùs introspiciatur eorum indoles ac vivendi ratio, sic eos feliciùs à vitio retrahit & virtutis amore accendit sapiens animarum ductor. Quin etiam rectè confiteri assuescunt, & plures utilissimam frequentis Confessionis assuetudinem ineunt. Quam, erga impuberes speciatim, vel deficientem inducere, vel inductam fovere, pro ratione ætatis, studeant Pastores, cæterique Sacerdotes ad animarum regimen assumpti.

ITAQUE pueros & puellas ad Confessionem blandè alliciant; neque eos confitentes audire morentur donec satis adoleverint ut ipsos necesse sit ad primam Communionem disponi. Etsi enim paucos absolvi sinit ipsa ætas immatura, simulque insita huic ætati levitas; iis tamen multùm proderit Confessio, cùm primùm id malè agi intellexerint, si quandò Deum precari manè & vespere omittant, si mentiantur, si obedire detrectent, si cum sodalibus convicientur, vel si quid eis noceant. Hinc morum indoles primis disciplinæ documentis formatur. Hinc munitur innocentia Baptismalis adversùs halitum circumfusæ corruptelæ & gliscentes *coinquinationes mundi* (*a*) qui *totus in maligno positus est* (*b*). Hinc animos occupat amor virtutis, ne vitium pro natura inolescat.

Ac primò quidem dignoscendum est cujusque ingenium, observandique habitus nascentes. Edocendi autem sunt quid sit Confessio, statim atque rei intelligendæ capaces existimantur. Jam tum pro ætatis captu sentiant neminem confiteri debere nisi mente sincerâ, nisi eo proposito ut melior fiat; alioqui Deum irrideri, hominique non gratiam, sed damnationem acquiri. Pastorali sollicitudini viam sternente parentûm vel magistrorum diligentiâ, expectetur pueri culpa utcumque gravior, cujus eum acriter pudeat & pigeat. De Confessione jam edoctus, solarium sibi ex ea petere ultrò concupiscet. Tum efficiatur ut vehementissimum culpæ dolorem in semetipso excitet, ac lenimentum angustiæ maximum è sacramentali accusatione percipiat. Sic affecto animo, è prima ejusmodi Confessione in subsequentes derivabitur fons gratiæ uberrimus. Jam tunc, pio suggerente Confessario, prægustent pueri quàm eximium, quàm jucundum sit Deo servire. Neque illorum animis Deus exhibeatur ut Judex immitis, ut censor asper ac tetricus; sed ut pater amantissimus, filios non volens sibi subjectos, nisi ut fiut felices.

HIS observatis, Pastores, cæterique Pastorum onus & charitatem partientes, non, quasi rem ludo similem, impuberum Confessionem parvipendant: in iis enim lethalia peccata non raro inveniuntur; imò difficiliùs quàm plerique existimant, deteguntur. Itaque pueri & puellæ non gregarim, at singuli ex ordine; nec tantùm semel, saltem verò ter aut quater singulis annis confitentes audiantur. Cùm plures simul in Ecclesiam ad confitendum conveniunt, expedit ut, præter Catechesium diligentiam, ad rem tanti momenti proximè præparentur. Eos Confessarius genua flectere jubeat: & ipse, præmissâ sancti Spiritûs publicâ invocatione, dispositiones ad Confessionem requisitas perstringet; Dei & Ecclesiæ Mandata recitabit; quid in singula peccare potuerint, admonebit; puerorum officia communiora paucis attinget. Deindè peccati dolorem, prout feret ætas, exci-

(*a*) 2. *Petr.* 2. 20. (*b*) 1. *Joan.* 5. 19.

tabit : actum Contritionis clarâ voce pronuntiabit, quem submissâ voce atque ex intimo corde omnes conjunctim persequantur. Tandem ad sacrum Tribunal modesti, silentes, atque ordine præstituto venient. Quo quidem iu Tribunali Confessarium experiantur ut patrem dulcissimè blandientem. Ibi, quodcumque malum de ipsis aliundè resciverit aut ipse viderit, & objurgatione, & minis prorsùs abstineat. Non hic locus eos corripiendi, sed suaviter in eorum animos illabendi. Cùmque, vel metu vel pudore, delicta, ut plurimùm, celent; ab iis quærat benignè, an non peccata confiteri velint? Adjiciat, Deo, cui nota sunt omnia, non esse mentiendum, sed ab illo veniam sincerâ Confessione obtinendam. Ad ea quæ cum aliis delinquere potuerint, investiganda, quæri juvabit an non aliquid cum sodalibus malitiosè fecerint? Si responsione locus detur, detegendum erit malitiæ genus; ac deinceps ab uno actu ad alium per interrogationes devenire oportebit, quoadusque nihil ultrà inveniatur.

Porrò, quia *sensus & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua* (c), imò quia pueritiam vel tenerrimam sæpiùs inficit immunditiæ labes; circa illud vitium tam prudenter examinandi sunt utriusque sexûs impuberes, ut commissa detegantur, sed minimè commissa nemo doceatur. Quæri à pueris forsitan poterit, an non familiariùs cum puellis coævis colluserint? an non solus cum sola fuerit? A puellis autem, an non liberiùs in se à pueris agi permiserint? Si negent, Sacerdos ulteriùs ne progrediatur. Si affirment, aut ambiguè vel difficilè respondeant; insistat lenis & cautus. Tum, si quid osculi vel parùm pudicæ attrectationis deprehenderit, clanculariam ejusmodi sodalium consuetudinem vitare jubeat; ac demùm gravissimis verbis admoneat, Dei ubique præsentis oculo patere omnia, etiam in tenebris constituta (d), Deoque summoperè invisos esse & proprii & alieni corporis irreverentes.

Cùmque ejusdem sexûs impuberes, dum prima erumpit vitii macula, inter se impudici aliquandò inveniantur, ipsi quidem interrogentur num sint modesti, vel modestæ, quibuscum sibi frequentior est vivendi consuetudo? Si quid immodesti à se visum fuisse respondeant, rei veritas, utcumque poterit, detegatur; ac denique investigetur an non id quod viderunt, & ipsi fecerint, aut in se fieri permiserint. His interrogationibus opportunè & sapienter adhibitis, tantùm labis reperietur, quantùm in hac tenella ætate esse potest: alioquin *ingredietur bestia latibulum, & in antro suo morabitur* (e), indè vix aliquandò excutienda. Hoc siquidem mali genus quò seriùs detegitur, eò difficiliùs & rariùs curatur.

Immunditiam fateri minùs gravantur impuberes in urbibus educati. Rure autem, multò difficiliùs vincitur pudor illud confitendi quod committere non pudet agrestem pueritiam, eòque ad malum proclivio-

(c) *Gen.* 8. 21.
(d) *Ps.* 138. *Prov.* 15. 3. *Eccli.* 23. 25. 26. 27. 28. 29. *Is.* 29. 15.
(e) *Job*, 37. 8.

rem, quò frequentiùs *turpem sermonem* de ore rusticorum sonantem auribus excipit (*f*); undè inficiuntur animi, in id quod audiunt, faciendum, naturâ præcipites. Vulgò incipiunt impuberes satis appositè ad interrogata respondere: cùm autem ab iis quæritur aliquid certi & peculiaris, in lacrymas erumpunt; turpiter à se commissa fateri non audent, vel jam confessa penitùs retractant. Tunc eos Confessarius blando alloquio consoletur: Num velint se à Deo maximè diligi, & veniam ab illo consequi? commissa libertimè fateantur. Cùm sibi profectò nihil posteà simile agendum constituant, jam nullam superesse difficultatem in eo confitendo quod detestantur. Cohibere quidem debere à peccando pudorem peccati; sed peccato infeliciter commisso, malo pudore fieri, si non illud cum omni fiducia deponatur apud Sacerdotem qui amicus & pater est. Quòd si Sacerdos honestis interrogationibus nihil ultrà proficiat, satis erit ut polliceantur pueri se nunquam omninò cum immodestiæ sociis clanculùm futuros. Illos ad extremum eò adducat exhortatio lenissima, ut aliàs integriùs & liberiùs confiteantur, utque in posterum id facere vereantur, quod confiteri sit pudor. Confessario sic pronum erit nascentem detegere & compescere corruptelam, ne malum inveteratum fiat robustius. Nam carnis vitium, nisi primis aufertur annis, diu celatum, nulloque fræno cohibitum, penè immedicabili deinceps pravitate invalescit.

Multi, cùm jam in pubertatem adolescere incipiunt, quidam etiam (eheu prolapsæ atque ad illicita prægestientis naturæ conditionem!) quidam pueruli à sexto vel septimo ætatis anno peccatores, nefarium incontinentiæ solitariæ opus exercent. Ac primò quidem peccare se nesciunt plurimi; sicque pessima inolescit consuetudo in corporis simul & animæ perniciem, dum utrumque, mediis silentii caliginisque illecebris, exitiosâ voluptate contaminat. Hoc malum, fœcunditatis germen aut funditùs extirpans, aut graviter labefactans, quotidiè magis ac magis invalescit. Qui enim integri supersunt, hoc vitium addiscunt ab aliis grandioribus, à famulis, ab ancillis; forsitanque, prout observârunt Medici & Confessarii, latiùs inter puellas quàm inter pueros extenditur fœda hæc libido: & quidem semper latebrosiùs in sexum muliebrem sævit, haud dubiè verò funestiùs. Quam quidem si maturè prudenterque investigent ac refrænent Pœnitentiæ Ministri; & de Religione castissima, & de humanitate Religioni charissima egregiè mereri se pro certo teneant.

Cum autem sensus plerumque magis afficiat temporalis & præsentis, quàm spiritualis futurique damni objecta species; cùmque præterea timor Dei qui corpus & animam condidit, quidquam fieri vetet quod ipsimet corpori noceat; eos qui sic naturam offendunt, quantùm detrimenti physicæ constitutioni suæ afferant, admoneri plurimùm juvabit. Hic enim sibi mutuò cohæ-

(*f*) *Col.* 3. 8.

tent corporum vigor, & morum disciplina; valetudinis nervus, & Religionis sanctimonia. Hinc præsertim, conquerentibus Medicis & Physiologis (1), natura humana in tot hominibus degener ac ferè ad nihilum redacta est, dum huic libidini mancipatos deficiunt vires quibus florentis ævi sanguinem nutriant, solidoque corporis incremento in virum perfectum adolescant. Hinc terris incubat tot morborum atque infirmitatum cohors teterrima, quibus horrendum in modum grassantibus, tam multi *dies suos non dimidiant* (g). Hinc animi languor in affecto corpore, sensuum torpor insanabilis; ad quæcumque studia, negotia, munia iners hebetudo; ipsaque præclusa spes conjugi. Hinc necessarium vitæ segregis latibulum; ne excavati & extincti oculi, plumbea facies, crura laborantia, æger anhelitus, eminens angustia interior, turpitudinem toto corporis habitu manifestam revelent. Hinc demùm illa spontaneæ miseriæ conscientia intolerabilis, facilèque in desperationem præceps. Incredibile dictu est quàm gravi pondere incumbat ferreæ illius consuetudinis jugum, quàm pertinaciter ipsa & corporeæ & spirituali curationi resistat, nisi principiis obstetur. Indè scilicet maximè comprobatur quod scriptum est: *Ossa ejus implebuntur vitiis adolescentiæ ejus, & cum eo in pulvere dormient* (h).

(1) Les Naturalistes.

Parcè tamen & circumspectè, pro ingeniorum varietate, hæc Pœnitentibus sive pueris sive adolescentibus eâ labe infectis objicienda sunt, ne plus æquo terreantur quibus infirmior esset imaginandi vis: hinc enim fortassè malum ægresceret, dum per desperationem ipsa etiam respuerentur naturalia remedia.

Est autem Confessario diligenter videndum ne quid zelus peccet imprudens, neve innocentium, si qui sint, puritati quidquam labis afflet interrogatio non satis opportuna. Si suspicioni locus detur, quæri forsitan, oblatâ occasione, poterit, an non aliquid soli fecerint, quod vel uno teste facere erubuissent? Sed alia potiùs erit expectanda Confessio, quàm committendum ut *scandalizetur unus pusillus* (i). Ne ergò Sacerdos pueris aut puellis plus æquo timidis & verecundis sit molestior, ut integram ab iis semper extundat delictorum Confessionem. Hinc enim à sacro Tribunali fortassè averterentur; eòque pertinaciùs vulnera sua tegerent, quò ardentiùs ea scrutaretur importunus disquisitor. Plurimâ quidem patientiâ & mansuetudine opus est, ut ipsi inducantur ad id confitendum quod tenellam gravat conscientiam. Præterea verò sola sæpiùs initia & præludia Confessionis sunt priores eorum Confessiones; nec eas, ut plurimùm, sequi debet Absolutio. Cùm jam satis judicio vigere existimantur, Religionemque & Sacramenta satis venerari, delictorum gravitatem sentire, & sufficientem emittere posse Contritionis Actum; tunc demùm ab iis quæritur Con-

(g) *Ps.* 54. (h) *Job*, 20. 11. (i) *Matth.* 18. 6.

fessio

fessio generalis, diligentiùs ac profundiùs excutiuntur; & si de ipsorum sinceritate adhùc supersit dubitandi locus, nondùm absolvuntur. Non autem ad primam Communionem admittendi sunt, nisi præmissâ Confessione generali, cujus ope corrigantur præcedentium vitiositates.

QUOTIES autem pueri & puellæ ad sacrum Tribunal accedunt, curet Confessarius eos totam confitendi formulam diligenter observare. Saluriferæ Crucis signum sibi à fronte ad pectus adhibeant; benedictionem petant; omnia religiosè exequantur; omnia distinctè & submissâ voce pronuntient. Seipsos accusare, nec solummodò ad interrogata respondere assuescant. Quod nisi à tam multis Confessariis anteà neglectum fuisset, non tam multi invenirentur provectæ ætatis viri ac fœminæ statam confitendi formulam nescientes. Subjunget brevem exhortationem, plerumque per modum Catechesis: Pœnitentiam, qualis huic ætati competit, iis imponet. Eosdem jubebit Contritionis Actum emittere; ipsisque intereà benedicet, juxta formulam quæ in Pastoralis hujus parte Rituali post adultorum Absolutionem invenietur: & priusquàm dimittantur, inquirendum à singulis erit, num impositam sibi Pœnitentiam memoriâ teneant? eam enim solent oblivisci. Iis denique lex ponatur inviolabilis ne quid sibi à Confessario dictum revelent; nec de Pœnitentia sibi injuncta, nec de Absolutione dilata vel concessa, si jam sint ejus capaces, unquam inter se confabulentur. Quod quidem ab utriusque sexûs impuberibus religiosè observari præcipiat Sacerdos, curent parentes & magistri; undè Sacramenti sanctitatem inaccessumque arcanum, ut decet, venerari quasi à teneris assuefiant.

CAPUT II.

DE prudentia Confessarii erga mulieres.

PERICULA directionis fœminarum. Non longiore cum fœminis directione agendum. Leges prudentiæ erga mulieres frequenter confitentes; erga ipsasmet Sanctimoniales. Circa mulierum Vota, quædam observantur. Hora & locus audiendi mulierum Confessiones.

AD audiendas fœminarum Confessiones multâ prudentiâ & circumspectione, maturâ ætate, solidâ præsertim virtute opus est (*a*). Cedri Libani ex eo ministerio quassatæ sunt: paveant arundines vento

(*a*) *Conc. Mediol. I, an.* 1565. *part.* 2. de Pœnit. *tit.* 6.

agitatæ. Extra Confessionis Tribunal, Sacerdotes cum fœminis pœnitentibus frequentiora & prolixiora, etiam directionis prætextu, colloquia non misceant. Eas crebriùs non visitent, nec ab iis visitentur: minimum indè nascens periculum illud esset, ne ministerii sui dignitatem ac libertatem non satis tuerentur. Si quid colloquii necessariò sit ineundum, id paucis & gravibus verbis prudentes & simplices absolvant; *colloquium enim mulieris quasi ignis exardescit* (*b*). E Sacerdotum frequentiore cum sexûs fœminei Pœnitentibus consuetudine sequitur saltem jactura temporis; sæpè animorum mutua & periculosa colligatio; aliquandò scandalum.


In ipso Pœnitentiæ Tribunali, non longiore cum fœminis directione agatur, etiamsi verè & solidè virtutem colant. Meminerit Confessarius veram pietatem non multo sermone delectari, sed, jacto semel fundamento, brevibus documentis esse contentam; magisque prodesse, cum paucis & necessariis monitis, frequentes fervidasque pii Sacerdotis orationes pro sanctificatione animarum quas dirigendas suscepit, quàm si totos dies in Pœnitentibus audiendis consumeret. Metuendum est videlicet ne paulatim ex nimia familiaritate *corrumpantur sensus, & excidant à simplicitate quæ est in Christo* (*c*); sicque, *postquàm* Confessarius & addicta Pœnitens *spiritu cœperint, carne consummentur* infelices (*d*). Quod malum ne unquam accidat, eam animi propensionem cohibeat Sacerdos, quâ mallet fœminarum quàm virorum Confessiones excipere. Mulieres frequenter confitentes non sinat longo sermone inutilia persequi. Etiamsi aliqua tantæ tamque eminentis sit pietatis, ut quotidianâ Communione digna judicetur; eam semel tantùm singulis hebdomadis confitentem audiat, bis autem rarissimè; omninò non singulis diebus: quæ quidem quotidiana Confessio non sine malignis multorum irrisionibus institueretur. Suum Tribunal adeuntes *anus ut matres* habeat, *juvenculas ut sorores, in omni castitate* (*e*). Sanctimoniales revereatur, ut Sponsas Domini: & quamvis in horto Sponsi religione perpetuâ sint conclusæ (*f*), non minùs periculosam existimet frequentiorem cum illis junctam consuetudinem; ex qua nempè si rariùs ignes exardescunt, non raro fumus emergens animas Deo sacras utrimque obscurare potest. Nullam è Pœnitentibus, sive Religiosis sive Secularibus, quocumque allato prætextu, ad sibi soli confitendum inducat (*g*), nisi fortè sit scrupulosa; quinimò id ultrò vovere aut promittere qualibet ex causa volentem, à proposito deterreat. Nec Vota quælibet castitatis, etiam ad tempus, à puellis

(*b*) *Eccli.* 9. 11.
(*c*) *Conc. Camer. II*, *an.* 1586. *tit.* 8. *cap.* 10. 2. *Cor.* 11. 3.
(*d*) *Gal.* 3. 3.
(*e*) 1. *Tim.* 5. 2.
(*f*) *Cant.* 5. 1.
(*g*) *Conc. Camer. III*, *an.* 1631. *tit.* 10. *cap.* 12. *c.* 12. *Mechlin. an.* 1607.

exigantur; neque verò sponté oblata recipiantur, nisi re maturiùs discussâ (si præsertim agatur de Votis perpetuis): & tunc Præsulis Diœcesani consilium requiri satius erit (*h*).

Porrò, ut vitetur omne scandalum, utque Sacerdotes animarum sanctificatione occupati, famam custodiant inviolabilem, nec ante ortam lucem, nec post ejus discessum confitentes in Ecclesia mulieres audiantur, nisi splendeat lucerna (*i*); nunquam autem nisi in loco patenti & conspicuo; nunquam in Ecclesiæ angulo, vel Sacelli obscuri latibulo; nunquam extra sedem Confessionalem (*k*), sed semper cancellis interpositis, & quidem è latere tantùm. Quod si tamen, alicujus necessitatis habitâ ratione, suadeat prudens charitas ut quædam mulieres extra sedem Confessionum audiantur, id fieri poterit; tuncque observabitur ut situs Confessarii & Pœnitentis ad decentiam sedis Confessionalis quàm proximè accedat. Sanctimonialium verò Confessiones semper in consueto loco excipiantur, & nunquam in eo qui ad colloquendum cum exteris institutus est. Neque in Vestiario Confessiones fœminarum audiantur, nisi alicujus vel surditas vel alia infirmitas necessariam patiatur exceptionem. Neque (extra necessitatem, aut certè gravissimam causam) audiatur sola remanens in Ecclesia, etiam januis apertis. Nulla autem in domo sua confitens audiatur, nisi ad Ecclesiam accedere infirma non valeat: quo quidem in casu pateat cubiculi janua.

(*h*) *Camer. III.* sup.
(*i*) *Ibid. cap. 6. S. Car. Borr. Inst.* de Pœnit. *& Conc. Mediol. I. sup.*
(*k*) *Stat. D. Lud. Ant.* de Noailles, *Paris. Archiep. Syn. ann.* 1697. art. 10.



CAPUT III.

De prudentia Confessarii erga scrupulosos.

Conscientia erronea, dubia, timorata, scrupulosa. Quid Sacerdos primùm investigare, quid erga Pœnitentem verè scrupulosum observare debeat. Scrupulorum causæ aliæ externæ, *aliæ* internæ : *pro earum diversitate, quomodò dirigendi scrupulosi. Vanæ dubitationes quomodò amputandæ. In disquisitione cogitationum pravorumque affectuum anxiè religiosi : qui Confessiones generales antehàc bonâ fide emissas iterare volunt : qui, post Confessiones suas, non possunt quin redeant levia & inutilia confessuri : qui anxietatem patiuntur circa veritatem Contritionis, circa Communionem, circa orationum vocalium recitationem, circa intentionis puritatem : qui ex nimia austeritate scrupulosi sunt : qui omnibus venialibus, etiam levissimis, carere contendunt : ii omnes quomodò dirigendi. Scrupulosi ex melancholicis vertiginibus peccantes. Quidam verè scrupulosi lethalia sæpè committentes. Scrupulorum remedia generalia. Ultimæ scrupulorum causæ, ingenii parvitas, & inscitia.*

NON parva suboritur difficultas, si quandò dirigendi occurrant Pœnitentes qui scrupulis torqueantur. Sed ante omnia explorandum Sacerdoti est an verè scrupulosi sint qui tales videntur. Alia quippè est conscientia *erronea*, alia *dubia*, alia *timorata*, seu *tenera*; alia denique *scrupulosa*. Quæ quidem variæ species prudenti animarum ductori sedulò internoscendæ sunt.

Conscientia *erronea* lumine veritatis illustranda est, & salutaribus monitis corrigenda. Quidam scilicet à levibus delictis abhorrent, & scelera forsitan perpettare non dubitant. Sic Judæis religio erat *prætorium introire, ut non* immunditiâ legali *contaminarentur* (*a*); nec sibi ullomodò crimini ducebant quòd *Sanctum & Justum* ad necem implacato furore deposcerent (*b*). Multi, Pharisæorum instar, pietatis operibus nullâ lege præscriptis adhærent constantissimè; atque intereà Legem Domini securo animo transgrediuntur, sibique in lethalibus peccatis liberrimè indulgent. Qui quidem falsi scrupulosi, quæ falsæ pietaticultrices, *excolantes culicem, ca-*

(*a*) *Joan.* 18. 28. (*b*) *Act.* 3. 14.

melum autem glutientes (*c*), suggerente Confessario, intelligant nihil coram Deo prodesse bona quæcumque opera, nisi prorsùs vitetur omne peccatum lethale, totaque Lex observetur. Arguantur hypocritæ hujusmodi; nec priùs absolvantur, quàm, satis probati, ac perniciosâ mentis caligine liberati, non jam illud incurrant Salvatoris anathema: *Væ vobis Pharisæis, quia decimatis mentham, & rutam, & omne olus, & præteritis judicium & charitatem Dei; hæc autem oportuit facere, & illa non omittere* (*d*). Ne igitur hoc genus Pœnitentium, seipsos voluntario errore decipientium, incauti Sacerdotis religionem intercipat, investiget ipse diligenter an illi angores ex timore peccati originem sumant, simulque an depositus fuerit vel minimus peccati affectus. Qui enim inordinato quolibet æstu, vanitate, irâ, invidiâ præcipites feruntur, qui suæ conditionis officia postponunt, nec talem vitæ rationem in melius immutare curant, ii, quantumlibet sese internis conflictari perturbationibus asseverent, non tam scrupulosi quàm hypocritæ judicandi sunt.

Conscientia *dubia* sæpiùs damnanda est, tanquam sæpiùs criminosa; dubium enim, ut plurimùm, excuti potuit. *Timorata* fovenda est, ut potè laudabilis; ideò quippè *nihil negligit*, quòd *Deum timet* (*e*). Conscientia demùm quæ verè *scrupulosa* esse deprehenditur, dolenda simul & curanda est, cùm inter animi morbos jure ac meritò recenseatur. Conscientia timorata à culpis vel levissimis abhorret, sed integro judicio illæsâque mentis tranquillitate. Scrupulosa, haud minùs quidem à peccato abhorrens, non ratione ducitur, sed multâ perturbatione & sollicitudine quassatur. Qui tali conscientiâ laborant, ii de suarum anxietatum causis non judicant per solidum aliquod ratiocinium, sed per lymphatica quædam somnia, quibus non minùs fortiter innituntur, quàm si fulgeret ipsiusmet veritatis radius: iis multùm similes, qui, cùm sint naturâ meticulosi, dum mediis in tenebris incedunt, vanas imaginantur species, trepidique fugiunt, quasi portentosum ac terribile quiddam reipsâ viderint.

Ac primùm quidem sciendum Sacerdoti est an scrupulosus aut in scrupulum vergens ille sit, quem sibi addictum habet Pœnitentem. Huic infirmitati ab initio prudenter simul & fortiter obsistendum est: alioqui fortassè invalescet immedicabilis. Optimum ergò erit, si Sacerdos præviâ curatione scrupulis nascentibus medeatur. Sic videlicet Pœnitenti, sic & sibimetipsi præclarè consulet. An verò planè atque ex toto scrupulosus sit Pœnitens, id quidem poterit certis indubitatisque signis nec longo experimento dignoscere; si v. g. eum alioqui timoratum, *ab omni specie mala abstinentem* (*f*), suæque salu-

(*c*) *Matth.* 23. 24.
(*d*) *Luc.* 11. 42.
(*e*) *Eccli.* 7. 19.
(*f*) 1. *Thess.* 5. 22.

tis studiosum, & tamen angoribus ferè perpetuis inquietum perspiciat; præsertim circa cogitationes, an iis consenserit; circa orationes vocales, an satis attentè ipsas recitaverit; circa Confessiones, an legitimè atque integrè peccata declaraverit; circa Satisfactiones, an eas ritè adimpleverit; aliaque hujusmodi.

Cùm igitur status Pœnitentis, qualis verè est, Confessario innotuit; si constet eum peccati affectu omninò carere, & tamen scrupulis angi; nihil omittendum erit, cujus ope *timores & perturbationes ab anima languente expellantur* (g): quem ad finem obtinendum, hic primus est gradus. Cùm ea semper sit hujus miseriæ natura, ut, quò quisque scrupulosior est, eò se difficiliùs scrupulosum fateatur, quinimò talem se esse neget pertinaciùs; conetur Sacerdos Pœnitentem eò adducere, ut se circa hanc illamve materiam in qua illum scrupulos pati senserit, scrupulosum esse agnoscat; conscientiam autem scrupulosam, eâ scilicet in parte infirmam, cæcutientem atque errore præoccupatam, de rebus, quales sint, recto judicio pronuntiare non posse, sed alieno prorsùs dirigendam esse consilio. Sic deindè ipsius captet fiduciam, ut ille pro certo teneat ducem sibi esse tutissimum atque in dijudicando animarum statu perspicacissimum; qui prætereà nolit cuiquam malè blandiri, nec in iis parcere quæ ad ejus salutem necessaria fuerint.

Efficiendum quoque erit ut credat se non peccaturum, si Confessarii mandatis simpliciter absolutèque obtemperet, quamvis inter agendum suboriatur peccandi metus, vel dubitatio, quamvis etiam evidenter sibi peccare videatur. Quæ scilicet inanis persuasio, non aliundè quàm ex Dei offendendi timore, pio quidem, sed sanctiùs dirigendo, proficiscitur. Quòd si opponat nemini unquam licere, ut, sive in dubio, sive contra conscientiæ dictamen agat; doceat Confessarius non hùc pertinere scrupulosi dubitationem vel conscientiam. Innocuum esse, vel potiùs Deo gratissimum, si contemnantur dubitationes & malè præjudicata delicti certitudo, ex quo pronuntiavit Dei personam sustinens Minister vanas esse illas dubitationes, commentitiam illam certitudinem, curam superfluam, ut potè scrupulis exortam. Uno verbo, intelligat, eas quibus miserrimè æstuat, dubitationes, non aliam ob causam sibi legitimas videri, quàm quòd impediat scrupulosa conscientia ne de ipsis rectè judicet; in iis verò dubitationibus scrupuloso semper licere, ut illud quod sibi fingit, peccatum, nullum esse credat.

Sed quò certiùs huic animi morbo convenientem possit curationis modum attemperare, investiget Sacerdos quænam sit in Pœnitente scrupuloso, anxietatum quas patitur, causa & origo. Multiplices autem distinguuntur scrupulorum causæ; quarum aliæ externæ sunt, aliæ verò internæ.

(g) *Sap.* 17. 8.

CAUSÆ *externæ* sunt, vel ipse Deus, ad pœnam, ad probationem, ad suggerendam cautionem scrupulos immittens: vel spiritus nequam, eos ad pusillanimitatem ac desperationem ingerens: vel denique inita cum scrupulosis societas & vitæ consuetudo.

Si quis ex Dei voluntate semper æquâ & sanctâ scrupulos patiatur, dispiciendum erit num fortè omninò sint justè remordentis conscientiæ angores de prætetito, vel teneritas animæ pro futuro; iis enim feliciter uti potest Confessarius ad perfectionem Pœnitentis altiùs provehendam.

Si quis, exagitante satanâ, scrupulis torqueatur; oratione, humiliatæ mentis obsequio, sensuum mortificatione, aliisque piis operibus sedandi erunt.

Quòd si verò conscientiæ angores è scrupulosorum frequentatione originem sumant, jubeatur Pœnitens illam abrumpere, & cum iis societatem inire, qui Domino in veritate simul & alacritate serviant; quorum scilicet in vultu emineat gaudium animæ Deum suum placidè timentis, nec minùs sincerè diligentis.

CAUSÆ *internæ* sunt aliquod animi aut corporis vitium.

Inter animi vitia quæ scrupulos pariunt, primum locum obtinet coloratus atque infucatus quidam suîipsius amor, & nimis exquisita conscientiæ teneritas, cujus instinctu nihil vellet scrupulosus animò suo molestum sentire. Nimirùm sensibili pace frui ambiret: se gratiâ sanctificante præditum quasi pro certo habere appeteret; aut saltem ex conscientiæ testimonio aliquatenùs rescire vellet se officio fungi, se ritè validèque confessum, à se lethalia non peccari. Suggerente Confessario, abigenda sunt vana illa desideria; ut pax malè quæsita, per internam subjectionem obtineatur. Scilicet hos animi cruciatus, sicut & corporis dolores, pro sua summa sapientia, Deus temperat vel permittit. Ne quærat scrupulosus, Deo non concedente, adimpleti officii & in se regnantis gratiæ certitudinem. Eam utique, dum in terris viverent, non habuerunt Sancti; nec illam quidem ambierunt: in Deo confidebant, & in hac fiducia suam inveniebant requiem. Præterea non advertit scrupulosus, se, per illam de animæ suæ statu anxietatem, divinæ misericordiæ injuriam inferre, seque in operibus suis fundare velle salutis propriæ certitudinem. Etiamsi verò de suorum actuum sanctitate, de bonitate Confessionum, de sanctificantis gratiæ habitu certus esset, non ex eo præcisè salvaretur; ad hæc enim accedat oportet perseverantiæ donum, quod scilicet ex divinæ misericordiæ largitate expectandum est. Scrupulosus Deo judicium de suis operibus & de suo statu permittat; & cùm officio satisfacere conatus fuerit, se nihil egisse humiliter agnoscat, juxta illud Christi Domini effatum: *Cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus* (*h*). Deo miserenti se totum committat: hìc securus hæreat: *Nul-*

(*h*) *Luc.* 17. 10.

lus enim *speravit in Domino, & confusus est* (*i*).

Alterum animi vitium ex quo oriuntur scrupuli, est occulta superbia, undè existit ingenium indocile, suisque opinionibus pertinaciter insistens. Hinc perpetuæ illæ ratiocinationes, quibus se tueri conatur scrupulosus, ne Confessario sapienter monenti obtemperet. Sua illum usque adeò excæcat arrogantia, ut firmissimè credat se sibi apprimè notum esse, neque omninò scrupulosum; Confessarium autem errare, nec ei se, qualis sit, introspici. Necessaria quidem illi foret simplex & absoluta docilitas: eum oporteret suæ peritiæ diffidere, non tam *in suo sensu abundare*, non usque adeò verbis & ratiocinationibus contendere, breviare Confessiones, tot circumstantias inutiles non contexere, prætetita non iterare. Frustrà verò hæc illi præcipiuntur: fixus immotusque in sua sententia permanet, sibique & Confessario aliam ex alia creat molestiam.

Si quis igitur animi angoribus ideò conflictetur, quòd, cùm superbus sit, vel inobsequens, proprio judicio pertinaciùs adhæreat; nihil omittat Pœnitentiæ Minister quo possit ejusmodi superbiam retundere & contumaciam frangere. Quod quidem nullo labore perficiet, si hujusce indolis Pœnitentem aliquandò inscitiæ convincat; ut in magnam salubremque verecundiam adductus, non sibi tam facilè credat, seque humilem præbeat & docilem. Nullum utique efficacius mali hujus remedium excogitari potest, quàm omnimoda conscientiæ moderatori obedientia. In eo vertitur summa curationis; eoque sublato, nihil proficiet. Sunt tamen scrupulosi qui sæpiùs ab hujusmodi obsequio incredibilem in modum abhorrent; ideòque ad ea quæ nimis repugnanter exequerentur, non compellendi sunt, nisi pervideatur ad compescendos eorum timores & serenitatem in ipsorum animos reducendam utile fore exertæ auctoritatis adminiculum. Si enim vi augeatur jam nimia perturbatio, malum ægrescit, nedùm curetur. His tamen Sacerdos omni ope atque operâ humilitatem suggerat, & obsequium fiduciâ delinitum. Prohibeat ne ex propriis cogitatis vel anxietatibus animæ suæ statum æstiment; sed de illo patrem spiritualem audiant, cui nempè, tanquam *Angelo* ductori, *de se mandavit Deus* optimus (*k*): cui proindè, etiam erranti, si fideliter in omnibus obtemperent, non iis coram Deo versum iri ad culpam, sed ad magnum obsequii meritum; cui si parère detrectent, non ipsis ad justitiam, sed ad pertinaciam & condemnationem esse reputandum. Quòd si verò scrupulosus, dum se subjicit, angorem perturbationemque experiatur; hæc ferat simpliciter & patienter: sic nempè tutò & *confidenter ambulavit* (*l*). Licèt per viam sibi ignotam ducatur, eâ tamen, ad vocem Confessarii prò Deo loquentis, perseveranter insistat, fidelis Abrahæ exemplo, qui Deo jubenti

(*i*) *Eccli.* 2. 11. (*k*) *Ps.* 90. (*l*) *Prov.* 10. 9.

obedivit

obedivit, & exiit, nesciens quò iret (*m*). Hoc nimirùm deficiente obsequio, nullâ unquam fruetur quiete; sibique relictus, pacis expers & solatii, pertinaciæ superbiæque suæ pœnas dabit gravissimas.

Etsi verò cum talibus imperio præsertim agendum est; studeat tamen Confessarius eam quam exigit, scrupulosi fiduciam, doctrinâ, pietate, lenitate & patientiâ mereri. Obtineat autem ut solus ab eo consulatur; ne opinionum diversitate perturbetur animus jam nimis perplexus. Videat porrò Sacerdos ne & ipse scrupulosè, timidè, & quasi dubitanter scrupulosam tractet conscientiam. Anxiè religiosum fidenter alloquatur, nec multis cum illo ratiociniis utatur, sed brevi sermone, sed alloquio facilè animum subeunte. Difficultatibus, si quæ occurrant, semel *ad sanctuarii pondus* expensis, totâ re Deo commendatâ, pressè & peremptoriè id omne scrupuloso respondeat vel præcipiat, quod ipsius saluti consentaneum magis coram Deo in Christo judicaverit. Neque in consiliis vacillet; sed cùm semel directionis cuique convenientis modum prudenter constituerit, in eo persistat immotus: alioquin incredibile dictu est in quantam perplexitatis fluctuationem, per Sacerdotis inconstantiam, demergenda sit conscientia scrupulosa.

SED præcipua inter animi vitia quæ scrupulos generant, refertur imaginandi vis quædam fervida & vividè perculsa, quâ dominante, objectæ res omninò aliæ ac reverâ sunt, æstimantur. Scrupulosi enim pro liberis operationibus sunt motus indeliberati, pro voluntatis actibus tentationes & cunctæ commotiones animi, pro consensu mentis sensuum affectiones, ac denique pro peccatis omnes prorsùs delectationes. Modò videre sibi videtur nubem officiorum & Votorum quibus non satisfecit, modò multitudinem peccatorum quæ non confessus est, quæ etiam ne confiteri quidem ausus fuit, multasque circumstantias à quibus declarandis abstinuit, & quas se omninò celavisse. Hinc difficillimum est illum convincere erroris quo ipsius innituntur judicia; multòque difficilius ipsum eò tandem adducere ut judicia ex isto errore nascentia corrigat, licèt quandoque id verè & ex animo cupiat. Undè ille, quidquid ad solvendas falsi nominis difficultates edocuit sapiens Confessarius, statim oblivioni tradit, perpetuoque circulo ad eumdem nodum revertitur. Sic nempè fit ut sæpiùs eadem ipsi à Confessario iteranda sint: quod quidem fastidiosum procul dubio esset, si fastidium sciret charitas. Scrupulosi præterea non pauci, angore continuo, ipsius corporis sanitatem amittunt. In seipsis denique non rarò motus experiuntur animi deficientis, diffidentiæ, murmurationis, non modò adversùs proximum, sed etiam adversùs Deum, impatientiæ & iræ; quibus tamen

(*m*) *Hebr.* 11. 8. *Gen.* 12. 4.

ne consentiant, plurimùm timent. Quæ quidem omnia, & Pœnitenti gravissima sunt, & laborem Confessario ingentem afferunt.

Qui ergò, sine ulla probabili ratione, anxiè dubitant num culpæ vel minutissimæ lethalia sint peccata, ab iis in posterum declarandis abstinere jubeantur. Quod nempè dubitationem vocant, non vera est dubitatio, sed anxietas mera, cui nullomodò ipsos inhærere oportet. Persuasum idcircò habeant non se teneri ad ea confitenda de quibus dubitent an lethalia sint, sed illa tantùm quæ certò ac dilucidè talia esse perspexerint; neque ad ea declaranda de quibus dubitent utrùm ipsa commiserint, vel anteà sint confessi. Peccati enim acriore sensu afficiuntur, quàm ut obliviscantur culpæ ullius, si quam lethalem certò commiserint; & de Confessionis integritate laborant vehementiùs, quàm ut verè lethalia confiteri omittant.

Plurimùm verò interest ut Confessarius illud omne diligenter vitet, quod frequenter confitentibus scrupulos possit injicere. Scrupulosi, aut in scrupulum vergentes, minuta quædam ex vano metu magnificare solent; præcipuè circa pravas cogitationes, quibus se consentire arbitrantur, etiam dum ab iis quàm maximè abhorrent; propterea quòd imaginandi vim, quæ est animæ superficies, & motum non voluntarium animæ per inferiorem suî partem verita concupiscentis, non satis distinguunt ab ipso motu voluntatis, quæ suggestam *peccati jucunditatem* ultrò amplectitur (*n*). Cùm ergò intellexerit Confessarius scrupulosum Pœnitentem in his recensendis nimiâ sollicitudine torqueri, studiosè caveat ne & ipse ea magnificare videatur, prolixiùs de illis inquirens, vel ambiguè ea resolvens; sed potiùs ista parvi ducere se ostendat; quandoquidem scrupulosi, & ii omnes quibus est conscientia pusillanimis, nunquam aut rarò in iis peccant, in quibus magis peccare se credunt. Circumstantias inutiles ab iis enarrari nunquam sinat, multò minùs jubeat. Simpliciter enimverò paucisque verbis declaranda sunt peccata. Confessione simplici conscientia sublevatur: plus justo prolixâ enarratione laborat. Memoriæ potiùs quàm animæ exonerandæ infestvit multiloquium. In humili dolore & in obedientia invenitur pax mentis & conscientiæ serenitas. Sacerdos levia delicta nunquam ut aliquid grave objiciat scrupulosis: multò minùs peccatum quærat ubi nullum est. Quandò mentem in oratione divagantem commemorant; inquirat, num fortè, contra Sapientis documentum, *verba in oratione iterent* (*o*)? quod quidem sæpè scrupulorum initium est, quod proindè fieri omninò prohibeat. Eo docente, noverint, altèque infixum gerant, nullum esse peccatum in mentis evagationibus, pravis cogitationibus ac desideriis quæ patiuntur inviti, & à quibus mentem dimovere conantur (*p*). Assuescant prætereà conscientiam quieto animo discutere; &

(*n*) *Hebr.* 11. 25. (*o*) *Eccli.* 7. 15. (*p*) *S. Greg. Hom.* 16. in Ev.

cùm delicta quæ Confessionis materia sint, memoriæ non occurrunt, minimè ideò sese angoribus dedere. Sentiant inimici dolum, unicam suggerentis de conscientiæ disquisitione sollicitudinem, nullo aut levissimo Contritionis habito respectu, undè Confessiones emittantur æquè operosæ atque inutiles.

Omnibus quidem auxiâ religione laborantibus semper concedi potest ut actus exteriores in quibus peccaverint, sigillatim disquirant & confiteantur. Quidam autem sunt quibus cogitationum & pravorum quos interiùs experiuntur, affectuum est omninò interdicenda disquisitio. Circa horum Confessionem, iis præcipiatur generalis formula, in hunc modum: *Accuso me omnium cogitationum, & pravorum quos sensi, affectuum, in quibus peccare potui.* Hi nempè vehementer timent ne hujusmodi instigationibus consentiant, iis pungere incipientibus statim obluctantur; &, mediâ suî recognitione, hærent ancipites num eo in conflictu quidquam peccaverint; undè perpetuo curarum æstu volvuntur, quæ vel eos à Confessione avertunt, vel iis persuadent se nunquam satis dilucidè confessos; sicque, ut sese ex illa anxietate quoquomodò extricent, consensum qui nullus fuit, in accusationem contra se afferunt. Nec verò timendi locus est ne Pœnitentes à pravo consensu tantoperè alieni, tamque solliciti ne quid inimicæ fraudis cor suum occupet, confiteri omittant, examinis defectu, consensum voluntarium, si quis hujusmodi fuerit; hoc enim posito, conscientia usque adeò tenera ipsum haud dubiè sine ulla disquisitione sentiret.

Hujus indolis scrupulosos exhortetur Confessarius, ne se existimeut pravis cogitationibus & vitiosis propensionibus carere omninò posse: quod neque sanctissimis, neque ipsimet Paulo Apostolo fuit concessum (q). Et illud quidem, Deo sapienter ordinante, accidit; ut nempè servos suos fidelissimos in humilitate, in suiipsorum diffidentiâ, in perpetua vigilantia contineat, iisque copiosam præbeat meritorum segetem, dum ipsi secum assiduè depugnant, & assiduè seipsos vincunt. Nemo igitur, propter tentationes interiùs tumultuantes, à Deo se derelictum arbitrari debet; sed potiùs existimare hanc sibi à Deo suppeditari inviolatæ subjectionis exhibendæ occasionem; sed pro certo tenere se hac mentis ærumnâ, ceu quodam igne tribulationum, probari. Multiplici quippè ratione Deus *virtutem in infirmitate perficit* (r), ut suos magis ac magis purificet; sicque *faciens cum tentatione proventum* (s), ad majora in dies gratiæ suæ dona consequenda disponat. Scilicet eò majoris meriti occasio est ille scrupulorum tentationumque status, quò est idem ipse molestior. Itaque, quò miseriores se putant animæ hujusmodi, hòc misericordiâ digniores sunt, hòc minùs in diffidentiam abripi debent.

Si scrupulosum hæc remordere cura videatur ne internis tentatio-

(q) *Rom.* 7. 23. 2. *Cor.* 12. 7. (r) *Ibid.* v. 9. (s) 1. *Cor.* 10. 13.

nibus non satis fideliter obsistar, iis nempè aliquandò se delectari sentiens; exponendum illi erit, neminem unquam eo tentationis sensu peccare, sed tantùm consensu voluntatis, quam non reluctantem momorderit illicita delectatio; cùmque à tentationibus & propositâ voluptate mentem confestim amoveat, ipsum ideò prorsùs culpâ carere. Ad hæc vulgò reponit scrupulosus, quietum sibi animum fore, si certò cognosceret se hujusmodi tentationibus non consentire; timere autem se ne ipsis illectus consentiat. Quod quidem ut refellat Confessarius, satis erit si affirmet, ex illo timore manifestum fieri eum instigationibus mentem pulsantibus non consentire, licèt aliquam indè voluptatem experiatur. Illum posteà erecto esse animo jubeat, nec istius contra Deum, contra fidem cogitationis recursum, cæterasque quas experiri solet, tentationes metuere, ut potè quòd ex illo metu & crebriùs insiliunt, & pejùs crucianr: unus sit timor ne ipsis voluntarius adjungatur consensus. Vetet prætereà Sacerdos, ne immoretur ille in responsionibus ad pravas cogitationes, etiam eas rejiciendi prætextu. Injungat potiùs ut ab iis ad alia cogitanda mentem placidè avertat, nec eas unquam in memoriam revocet, quasi discussurus num illis consenserit, & confessurus; ex illa enim investigatione seipsum fortassè in novas tentationes atque anxietates miserrimè conjiceret.

Nec illi scrupulosi audiantur, qui Confessiones generales antehàc bonâ fide emissas iterare volunt; hoc enim semel concesso, idem recurret anxiæ repetitionis prurirus. A Confessario edoceantur id satis esse, ut quis delictorum Confessionem emiserit quàm potuerit perfectissimè ad illam præparatus, ita ut nihil grave omissum occurrat. Si enim hujusmodi Confessio propter occultam vitiositatem irrita fuisset, haud dubiè rolleretur hæc vitiositas per Confessiones legitimas subsequentes, etiam non repetitâ eâ quæ irrita supponeretur. Iis denique vix unquam permittantur Confessiones generales, nunquam autem quotidianæ; rarissimè verò *directionis colloquia*. In suî recognitione, sive quotidianâ, sive Confessionibus præviâ, modum ponere jubeantur; ne ex immoderata cogitationum vel actuum disquisitione oriatur anxietas, undè pax animi & serenitas conscientiæ, qui dulcissimus est pietatis fructus, amittatur (*t*).

Si quandò scrupulosi occurrant qui à Confessione recentes sibi temperare non possint quin redeant levia & inutilia declaraturi, quæ se vel omisisse vel non satis explicuisse arbitrentur; postquàm Sacerdos supervacua esse hæc supplementa demonstraverit, si nihilominùs redeant, illos audire immotus abneget: alioqui, novæ pullulabunt accusationes, quibus si nolit patientem aurem accommodare, tandem aliquandò conquiescent; & sic è medio tolletur consuetudo vanissima. Quod qui-

(*t*) *Vide suprà*, de prud. Conf. circa Confessiones gen. *Div. VI*, *cap.* 6.

dem ne molestiùs ferant, ipsos intelligere curet, ea quæ fusiùs explicare volunt, in præcedenti Confessione satis fuisse comprehensa: sufficere autem in præsenti ut Contritionis Actum emittant, donec illud omne quod sibi omissum fingunt anxiè religiosi, in proxima Confessione, si voluerint, exponant: ne interim abstineant à sacra Communione, cujus nempè hæc virtus est ut venialia per se deleat quibus mens nullo adhæret affectu. Quorum animis recursant peccata vel circumstantiæ in præcedentibus Confessionibus omissæ; cùm semel id scrupulis tribuendum esse innotuit, ipsi quoque, firmo & inconcusso proposito, nisi de peccatis ab ultima Confessione admissis non audiantur.

Qui de sua Contritione ancipites fluctuant, requisitam Contritionem eam esse noverint, non quæ sensus & imaginandi vim afficiat, sed quæ mentem & voluntatem possideat; ita ut peccatum verè detestari censeatur is qui detestationis illius incitamenta secum revolvens, de præterito sincerè dolet, de futuro autem, ne quid sibi dolendum ulteriùs committat, firmiter constituit; in qua quidem mentis dispositione sita est vera Contritio, quamvis pars animæ inferior nullum experiatur sensibilem dolorem.

Qui de Confessione, illi pariter & de Communione anxii laborant. Ad hanc nimirùm, aut vix, aut nullomodò possunt accedere, quin rursùs confiteantur propter accusationes omissas, vel propter nova delicta quæ sibi malè objiciunt. Ad ea Confessionum supplementa venientes, leniter à Sacerdote inducantur ut sine nova Confessione communicent. Piè sanctèque divinam Hostiam suscepturos se intelligant, si veniam à Deo postulent eorum quæ sibi plus æquo religiosi & jam sincerâ Confessione purgati objiciunt: quòd si ad extremum ea confiteri cupiant, ipsos in Confessione proxima suum hoc desiderium liberrimè expleturos. Fieri quidem poterit ut respondeant, lethale forsitan peccatum illud esse quod menti anxietatem parit; nec verò sibi esse liberum ut ad Corporis Christi Communionem accedant, nisi certò noverint, se, quamvis lethale foret id quo laborat conscientia, non propterea indignè sine nova Confessione communicaturos. Reponat Sacerdos vanam esse illam quam sibi fingunt, lethalis peccati speciem; eosque rem Domino gratissimam facturos, si ad ejus Mensam præsentes animæ suæ dispositiones perferant, Sacerdotisque judicio proprium submittant judicium: prætereà, etiamsi lethalia sint ea peccata, ipsa nihilominùs, cùm inculpabiliter omissa fuerint, in præcedenti Confessione deleta fuisse, satisque futurum, si, ita jubente Sacerdote, in subsequenti declarentur; interimque à Communione haudquaquam esse recedendum: ac denique nisi vanum illum pietatique damnosum terrorem viriliter excutiant, eo se liberari nunquam posse. His imbuti documentis, eâ paulatim conscientiæ firmitudine, si Deus adjuvet, convalescent, ut, propter anxietates è scrupulis exortas, jam non posteà solitis Communionibus abstineant.

Quod pertinet ad orationum vo-

calium recitationem : quos tenet sollicitudo ne circa illam satis attenti fuerint, ii quidem cæteros inter scrupulosos miseratione dignissimi sunt. Nullum quippè scrupulorum genus corporeæ valetudini magis infensum est, nullum curatu difficilius. Hos nempè deflendos orationum iteratores illudit hujusmodi error, ut nunquam se attentos fuisse existiment, nisi attentionem in singulorum prolatione verborum quasi aculeo pungentem senserint. Quod cùm difficile, vel potiùs omninò impossibile sit, incredibilem sibi vim adhibent, quâ toti obruuntur & contabescunt. Studeat Confessarius in eorum animos tranquillitatem his documentis opportunè subministratis reducere. Inter se multùm discrepant attentio, & sensus attentionis. Quamvis eam non sentiat aliquis, hic tamen ipsam retinet, vel mediis animi aberrationibus non liberis, quantumcumque diuturnis. Necessaria quidem est attentio *virtualis*, ea nimirùm quæ in tota oratione perseveret, virtute illius attentionis quæ *actualis* esse debuit cùm oratio inciperetur : illa autem intentio salva & integra custodirur, cùm neque directè, neque indirectè revocata fuit, cùm scilicet mens non liberè deflexit ad cogitationes cum ea insociabiles. Itaque satis est ut evagantis animi mobilitas, ubi primùm advertitur, animo ad Deum levato coërceatur; sicque pergendum est, quasi nulla fuisset evagatio. Undè, qui metuunt ne locum eum non recitaverint qui primus collectæ menti occurrit, subsequentia recitare jubendi sunt, etiamsi de præcedentibus ancipiti judicio hæreant, num ea recitaverint. Eos, juxta moralem æstimationem, nihil omisisse constat; quæ quidem certitudo abundè sufficit ut à peccato excusentur. Nunquam verò iis concedendum est ut suas orationes, vel ex toto, vel minutim iterent, quantumlibet gravi præcepto ad illas teneantur.

Nec desunt qui circa intentionis puritatem scrupulos patiuntur. Sæpiùs in die profitentur velle se omnia in Dei gloriam exequi ; & tamen sibi videntur alio fine semper agere. Frustrà vanitatem, sensuum banditias, iracundiam abnegant : animo fingunt sese nihilominùs vanitatis impulsu eleemosynam largiri, voluptatis invitamento manducare, iracundiæ motu corripere delinquentes; undè perpetuo angore discruciati, bonis operibus non rarò abstinent, ne intentionis pravitate offensam incurrant. Quæ quidem anxietas ut depellatur, hæc doceat Confessarius. Magnum discrimen est inter cogitationem inanis gloriæ motu suggestam, aliamve similem quæ in medio actu menti obversatur, & intentionem malo fine agendi, quæ nempè nulla unquam est, nisi malus hic finis cum deliberatione & libertate præstitutus fuerit. Cùm verò quemlibet vitiosum finem detestentur ii scrupulosi; quod sibi tanquam actuum suorum finem imputant, nihil est aliud præter adventitias contemnendasque inimici suggestiones; ita ut, quidquid boni operis exequendum occurrit, id, quasi nulla eveniat hujusmodi tentatio, liberrimè exequi debeant, hoc ipsum Deo identidem offerentes, manè præsertim, iis præcogi-

tatis quæ sibi agenda per diem contingere poterunt.

Aliæ permultæ sunt difficultates à scrupulosis proponi solitæ, ex quibus frequentiores elegimus, remediaque ad scrupulorum curationem adhibenda strictim indicavimus. Scrupulosi enim ægrorum instar, & scrupuli velut morbi tractandi sunt; nec proindè iis laborantes unquam durè corripiendi, etiamsi nihil aut parùm cum illis ratio & cura proficiant; in multa verò patientia, benignitate & charitate erga ipsos agendum est. Si quandò in culpam, etiam graviorem, inciderint, non terreantur, jam plus æquo dejecti; *semper enim præsumit sæva, perturbata conscientia* (*u*): imò suaviter exsuscitentur eorum animi, plurimâ in immensam Dei bonitatem & misericordiam suggestâ fiduciâ, undè fortiores à lapsu resurgant.

Animadvertendum quoque erit num fortè inconsiderata vivendi severitas imaginandi vim exaggeret, vehementiùsque inflammet. Quòd si igitur in Pœnitente strictissimam pietatem profitente scrupulorum causa sit nimia austeritas; interdicendæ nonnunquam, aut saltem minuendæ erunt meditationes, carnis afflictationes, vigiliæ, nimius amor secessûs. In quo tamen diligenter caveatur ne Pœnitens ab uno extremo in aliud non minùs vitiosum, quæ hominis natura est, desiliat; sic nempè conscientiam scrupulosam deponens, ut teneram pariter amittat, & quæ strictior fuerat ad anxietatem, laxior fiat ad perditionem.

Si verò ex iis sit quos excruciat inquieta animi sollicitudo de vitandis omnibus peccatis venialibus, etiam levissimis; prudenter suggerente Confessario, advertat *septiès cadere justum, & resurgere* (*x*), neminique, præter Beatam Virginem Mariam Deiparam, id privilegii concessum fuisse ut peccatis vel levissimis careret (*y*). Videat quidem ipse, sed temperato ac sedato animo, ne *spernens modica*, in graviora *decidat*; videat autem non minùs diligenter, ne, dum anxiè quærit esse omninò impeccabilis (quod non sinit humanæ conditionis infirmitas), humilitatem amittat, quæ est virtutum omnium fundamentum, fiatque ex occulta superbia peccator.

Præterea, ut diximus, causis scrupulorum *internis* annumeratur corporis vitium, id est, melancholica ejus constitutio: undè per miseras vertigines (1) quæ imaginandi facultatem obsident atque perturbant, simulque libertatem vel tollunt, vel magnoperè imminuunt, aliqui incidunt in iram, in juramenta, in calumnias, in desperationis cogitationes, aliave peccata ex quibus sequitur consciæ mentis dejectio & tristitia vehemens. Hi forsitan Medico potiùs quàm Confessario indigent. His nempè restinguendus est nimius

(1) Vapeurs.

(*u*) *Sap.* 17. 10. (*x*) *Prov.* 24. 16. *Conc. Trid. sess.* 6. *cap.* 11.

(*y*) *S. Aug.* de nat. & gratia, *c.* 36. *n.* 42. *Conc. Trid. sup. can.* 23.

ardor sanguinis, animusque honestè recreandus, ut, quâ toti æstuant, imaginandi petulantia sedetur & conquiescat. Donec verò hujusmodi scrupulosus corporis valetudinem placidumque & æquabilem animum medicæ artis subsidio recuperaverit, summâ interim adhibitâ charitate & mansuetudine tractetur. Nec ipsi, ut plurimùm, Absolutio denegetur ob delicta quibus causa fuerit physicè vitiosa corporis habitudo; hinc enim scrupulis ingravescentibus, fortasse in vetam desperationem infelix pertraheretur. Quin potiùs ei consolationis dulcedinem instillet *lingua curationis, & mitigationis, & misericordiæ* (ʒ). Et quidem, cùm Deo nota sit ejus infirmitas, divinæ justitiæ consentaneum videtur ut ea non illi strictè imputet à quibus temperare vix potuerit; satisque illud habendum est ut ipsum pœniteat quatenùs peccandi capax fuerit, utque sincero proposito constituat se nunquam velle iis delictis plenâ deliberatione consentire. Præterea, etiamsi aliquandò graviter peccent melancholici tentationibus abrepti, non ideò compellendi sunt ad eas tentationes sigillatim aperiendas, quæ tam multæ in eorum animis pullulare solent, quamvis objiciant fieri posse ut grave aliquod peccatum commiserint. Nunquàm enim in lethalem culpam incidunt, quin eam sentiant, & se meminerint ad confitendum teneri. Quotiès igitur dubitant utrùm lethale aliquod peccatum admiserint, vel utrùm in præcedenti Confessione illud declarare obliti fuerint; pro certo tenendum est eos neque delictum istud commisisse, neque ipsius declarationem omisisse.

Sunt etiam nonnulli Pœnitentes, qui, licèt verè scrupulosi sint, frequenter tamen in peccata lethalia ruunt præcipites, propter ingenitam fragilitatem, propter veterem consuetudinem, periculosamve occasionem quam relinquere non possunt. Hós autem scrupulis torqueri ex eo facilè dignoscitur, quòd, cùm *extrema gaudii* criminosi statim *luctus* atque amaritudo ingens *occupet* (*a*), quoad cætera miserè anguntur, quemadmodùm reliqui scrupulosi. Erga hujusmodi Pœnitentes, summa in Confessario prudentia requiritur, lenitasque singularis. Quid in ipsis maximè dominetur, an consuetudo peccati, an scrupulus, diligenter investigandum est; & ; quâ parte malum sævit acriùs, hac potior adhibenda curatio. Efficiendum quidem est ut peccati consuetudo extirpetur; sed cavendum etiam atque etiam ne scrupuli jam nimis pungentes, asperitate curationis ægrescant. Itaque Sacerdos in iis Pœnitentibus absolvendis non plus æquo difficilem se præbeat. Non tamen committat ut ad vitiosum morem pro nihilo ducendum nimiâ indulgentiâ impellantur. Hos igitur nec omninò velut ex consuetudine peccantes, nec omninò velut scrupulosos sibi tractandos constituat. Suam

(ʒ) *Eccli.* 26. 25. (*a*) *Prov.* 14. 13.

in ipsos agendi rationem sic temperet, ut, dum illos probat quasi ex consuetudine peccantes, eosdem non adhùc scrupulosos magis, ideòque magis flebiles efficiat; dum autem quasi scrupulosis indulget, non iis, pro misero illo mentis tumultu, falsam pacem inducat, undè forsan immedicabilis fiat prava consuetudo. Atque ut rei sensibilis exemplo illustretur hocce argumentum, sit Confessarius prudentis instar medici, qui, si occurrat æger implicatis inter se morbis affectus, vario ancipitique malo curationem sic attemperat, ne, dum ex una parte mederi cupit, ex altera malum augeat, sed ut graviorem leniat ægrotationem, nec tamen leviorem negligat, ac tandem, utraque profligatâ, valetudinem in integrum restituat.

Porrò scrupulosos, quoadusque sanentur, prolixis orationibus aut gravibus satisfactionibus onerari non expedit. Satius videtur iis exercitationes corporis injungi, eorumque laborem ac pietatis opera sapienter ordinari. Et quidem generatim multùm proderit ad cujuscumque generis scrupulosos curandos, ut *tristitiam, quæ multos occidit* (*b*), longè à se repellant, ideòque ut semper exteriore opere distineantur. Frequenti societate & colloquio jungantur cum personis pietatem profitentibus, non tamen scrupulosis: animum relaxent honestis oblectationibus, nimiamque vitent solitudinem. Quantùm noceant scrupuli, aliquoriès recogitent. Scilicet adversantur pietati, quam extinguunt; *spiritui gratiæ & precum* (*c*), quem, si minùs excludunt, saltem præpediunt; mentis tranquillitati, quam malè perturbant; conscientiæ serenitati, quam obnubilant. Discant hilari mente Domino servire (*d*); & felici experientiâ cognoscere nitantur quàm meritò à Propheta dictum fuerit: *Justitiæ* (1) *Domini lætificantes corda* (*e*). Scrupulorum quidem non rara causa est, immodicus Dei judiciorum metus: hic autem non est verus Dei timor, qui nempè comitem semper habet misericordiæ fiduciam; cùm, è contrario, metus ille non benè ordinatus solam afferat perturbationem, falsasque de Dei justitiâ & misericordiâ opiniones ingerat, eum quasi durum inexorabilemque dominum exhibens. *Sentiat* homo Christianus de Deo *in bonitate*; nec Deum quærat in anxietate, sed *in simplicitate cordis* (*f*). Scilicet *jugum* Domini *suave est*, *& onus* ipsius *leve* (*g*): *mandata ejus* legitimè intellecta, & in multa pace animi observata, *gravia non sunt* (*h*).

(1) *Id est*, præcepta.

Et quoniam aliquandò scrupulosi occurrunt non rectis opinionibus imbuti, prætereàque meticulosi & judicio infirmi, qui Religionem non ex hujus præcellenti naturâ, sed ex ingenii sui an-

(*b*) *Eccli.* 30. 25.
(*c*) *Zach.* 2. 10. *Vide* de imit. Christ. *l.* 4. *c.* 10. *n.* 3.
(*d*) *Ps.* 99.
(*e*) *Ps.* 18.
(*f*) *Sap.* 1. 1.
(*g*) *Matth.* 11. 30.
(*h*) 1. *Joan.* 5. 3.

gustissimi parvitate metiuntur; ii', docente Confessario, intelligant, Religionem ad homines vel in hac vita beatos efficiendos, non autem ad ipsos cruciandos institutam esse; pietatemque, non morosam, exilem & abjectam in semetipsis ostendant, sed, qualis reverâ est, serenam & praclarâ simplicitate sublimem. Neque existiment sibi apud Deum vel apud homines commendationi fore, si minutis occupati, anxii, tristes, sibimetipsis & forsan aliis graves quotidiè inveniantur.

Si denique causa scrupulorum sit mera inscitia, Pœnitentem sic erudiat Sacerdos, ut cum ignorantia simul anxietatem deponat.



DIVISIO IX.

In hac Divisione differetur, 1°. *De annua Confessione* : 2°. *De frequenti Confessione* : 3°. *De Confessione Infirmorum* : 4°. *De Pœnitentialis ministerii arcano*, seu *de Confessionis sigillo.*

CAPUT PRIMUM.

De annua Confessione.

CANON Omnis utriusque sexûs. *Quisnam sit proprius Sacerdos. Annuæ Confessionis tempus. Propter Communionem Paschalem non temerè profundenda reconciliatio, sed vitanda severitas repellens. Annua Confessio tempestivè incipienda. Quædam notanda. De licentia confitendi apud alienum Sacerdotem. De annua Confessione peregrinorum, advenarum, &c. De iis qui propter solam Communionem Paschalem confitentur. Variæ observationes.*

CONFESSIONEM sacramentalem Jure divino necessariam esse, jam suprà suo loco ostendimus (*a*). Ad astruendam verò illius necessitatem, cum Jure divino consentit præceptum Ecclesiasticum, quod in Concilio Lateranensi IV œcumenico his verbis promulgatum est : » Omnis » utriusque sexûs Fidelis, postquàm » ad annos discretionis pervenerit, » omnia sua solus peccata confiteatur fideliter, saltem semel in an» no, proprio Sacerdoti, & injun» ctam sibi pœnitentiam studeat » pro viribus adimplere, suscipiens » reverenter ad minùs in Pascha » Eucharistiæ Sacramentum ; nisi » fortè, de consilio proprii Sacer» dotis, ob aliquam rationabilem » causam, ad tempus ab ejus per» ceptione duxerit abstinendum : » alioquin, & vivens ab ingressu

(*a*) *Divis. I, cap.* 5.

» Ecclesiæ arceatur, & moriens » Christianâ careat sepulturâ. Undè » hoc salutare Statutum frequenter » in Ecclesiis publicetur; ne quis» quam, ignorantiæ cæcitate, vela» men excusationis assumat. Si quis » autem alieno Sacerdoti voluerit, » justâ de causa, sua confiteri pec» cata; licentiam priùs postulet & » obtineat à proprio Sacerdote (*b*).

Proprius autem Sacerdos ille est, cui credita fuit, certo in territorio, animarum cura, de quibus rationem Deo reddendam suscepit, quique idcircò eas cognoscere & in pascua salutis deducere tenetur; qui demùm & ægris Sacramenta ministrare, & defunctos sepulturâ Ecclesiasticâ donare pro jure suo potest atque ex officio debet: scilicet Parochiæ Pastor, seu Parochus. Non tamen indè excluditur totius Diœcesis speculator, primitivus ac præcipuus omnium gregis ovilium Pastor, ut potè ex eorum numero, quibus dictum est: *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei* (*c*). Cùm enim Patres Lateranenses annuæ Confessionis audiendæ Ministrum constituunt *proprium* Sacerdotem, *alienum* quidem disertè excludunt, sed *communem* excludere profectò non intendunt. Neque verò existimandi sunt primi Pastores jus Episcopale in Parochias suæ ditioni subjectas ideò abdicare vel amittere, quòd suæ jurisdictionis partem secundi Ordinis Pastoribus per institutionem seu missionem Canonicam largiantur. Quinimò in omnes & singulos cujuscumque Parochiæ Fideles Diœcesanos amplior est Episcopi auctoritas, quàm ipsius Parochi immediata in Parochianos Jurisdictio: Episcopus enim, tanquam supremâ fungens legatione *Salvatoris nostri Dei*, supremus est Sacramentorum Minister, & ad regendam pascendamque Ecclesiam secundi ordinis Pastoribus antecellit. Hinc potest Fidelibus Diœcesanis eam licentiam, si res ita tulerit, concedere, ut, inconsulto, aut etiam repugnante Parocho, alienum Sacerdotem pro annua Confessione adeant. Absit verò ut quisquam venerabilium Consacerdotum Ecclesiis Parochialibus præpositorum, Nobis suâ culpâ locum præbeat nostræ auctoritatis in tali casu exercendæ.

QUAMVIS autem Lateranensis Concilii Decreto nullum definitè anni tempus huic officio adimplendo præfixum fuerit, suam tamen hac de re intentionem subindicare videtur, dum annuæ Confessionis Paschalisque Communionis ambo præcepta uno eodemque Decreto, quasi inter se connexa (*d*) proponit. » Undè jam » in universa Ecclesia, cum ingenti » animarum Fidelium fructu, obser» vatur mos ille salutaris confitendi » sacro illo & maximè acceptabili

(*b*) *Conc. Later. IV œcum. an.* 1215. *can.* 21.

(*c*) *Act.* 20. 28.

(*d*) *Peccata confiteatur* fideliter, saltem semel in anno, & injunctam sibi Pœnitentiam studeat pro viribus adimplere, *suscipiens* reverenter ad minùs in Pascha Eucharistiæ Sacramentum.

» tempore Quadragesimæ : quem » morem sancta (Tridentina) Synodus maximè probat & amplectitur, tanquam pium & meritò retinendum (e) ». Qui prætereà cùm totius Ecclesiæ Gallicanæ Decretis, ac speciatim hujusce Diœceseos antiquâ religione consecratus sit (f), eum omnibus qui Nobis in Christo subjecti sunt, Fidelibus districtè commendamus; ut ea nimirùm censeatur & reverà sit annua Confessio, quâ Fideles ad injunctam Canone Lateranensi Communionem sanctè proximèque præparentur. Olim Absolutio solemnis, post emensum Pœnitentiæ publicæ curriculum, *Feriâ quintâ in Cœna Domini* Pœnitentes reconciliabat (g). Tempus igitur annuæ Confessioni magis idoneum, habito præsertim eorum respectu, qui, per negligentiam vituperio dignam, confitendi moras toto anno protraxerunt, initium Quadragesimæ est (h): quo quidem tempore, dum *inter vestibulum & altare plorant Sacerdotes* (i), & *populum congregant in domum Dei* (k), *annuntiantes hominibus ut omnes ubique pœnitentiam agant* (l), ipsi peccatores, totius Ecclesiæ flentis & orantis spectaculo commoti, per sacram jejunii observantiam, per contriti cordis gemitus, aliosque *dignos pœnitentiæ fructus* (m), sinceræ conversionis gratiam sibi concilient; ut, *in novitate vitæ ambulantes* (n), cum Christo resurgant, & perfectam cum Deo reconciliationem Agni Paschalis manducatione consignent. Nullus verò propter instantem Paschæ Festivitatem justo faciliùs ociùsve absolvatur. Nullum tempus est, quo quisquam sapientissimis eximi possit Ecclesiæ regulis; nullus dies, quo Sacerdotii vigor ad cujuslibet arbitrium infringi aut labefactari debeat (o).

Videat porrò Sacerdos etiam atque etiam, ne, quod adhùc fidei & religionis, ceu *linum fumigans*, in hac ævi senescentis caligine superest, malè severus extinguat. Qui Paschale officium, etiam justè suspenso Absolutionis beneficio, implere vel semel omiserunt, ii nonnunquam Sacramentorum incuriâ per multos annos in suis iniquitatibus miserrimè computrescunt : atque idcircò ejusmodi Pœnitentes in Pascha nondùm ritè dispositos ad breve tempus dimitti expedit; ut, suggestâ, si fieri possit, Communionis Paschalis æmulatione, non multò post ad illam admitti, Deo juvante, mereantur.

Ne verò minùs fructuosæ aut

(e) *Conc. Trid. sess.* 14. *cap.* 5. de Confess. *Vide Sixti IV Bull.* Vices illius, *Extrav. comm.* de treuga & pace. *l.* 1. *c.* 2. §. 3.

(f) *Stat. D. Odonis* de Sully, *Paris. Episc. Syn.* 1. *c. an.* 1198, Capitul. circa Confession. *art.* 11. *in Synodico*, *pag.* 7.

(g) *S. Greg. Nyss.* Ep. can. præf. *S. Ambr. l.* 2. *Ep.* 4. (*al.* 20.) ad Marcell. *n.* 26. *Inn. I, Ep.* 1. *c.* 7. *Conc. Cabil. II, an.* 813. *vel* 815. *can.* 47.

(h) *Vide S. Ambr.* Serm. 34. (*al.* 25.)

(i) *Joel.* 2. 17.

(k) *Joel.* 1. 14.

(l) *Act.* 17. 30.

(m) *Luc.* 3. 8.

(n) *Rom.* 6. 4.

(o) *S. Cypr. Ep.* 55. (*al.* 59.) *n.* 2.

etiam irritæ per nimiam properationem efficiantur Confessiones, dum Sacerdotes Pœnitentium turbis ipso Paschali tempore confluentibus obruti, justam ac sufficientem curam singulis impendere nequeunt; neve Pœnitentium intrà brevissimi temporis limites ad sacrum Tribunal accedentium impediat multitudo, quominùs Hebdomadæ Sanctæ Paschaliumque Festorum divina Officia eâ quâ decet gravitate & pietate celebrentur (*p*); Pastores sæpiùs Quadragesimali Tempore suos Parochianos admoneant, illos præcipuè qui anno integro confiteri distulerint, ut per eos *salutis dies*, aperto Pœnitentiæ curriculo, ad Confessionem saltem incipiendam se maturiùs accingant, nec illam, prout sæpè contingit, usque ad Majorem Hebdomadam procrastinent. Quinimò denuntient è Concionum Suggestu, eos qui usque ad extremum illum sacri temporis limitem confiteri neglexerint, non esse nisi peractâ Festorum Paschalium celebratione admittendos: quod quidem reverà exequi poterunt Ecclesiarum Parochialium Rectores, ipsorumque in sacro ministerio adjutores, modò nullum indè immineat scandalum aut grave incommodum. Si quid verò hujusmodi metuendum aut suspicandum videatur, tardiùs licèt ad inchoandam Confessionem accedentes benignè leniterque suscipiant; quam plenam atque integram, justâ interpositâ dilatione, post elapsos quindecim dies Paschales audiant; quò certiùs & explorandæ singulorum conscientiæ, & curandis animarum vulneribus debitum adhibeatur temporis intervallum.

Et quidem, admonentibus Pastoribus, intelligant segniores Parochiani, minimè consentaneum æquitati esse ut cum cæteris intrà dies Paschales ad sacram Synaxim admittantur. Sic nempè, & noxia hujusmodi negligentia plectetur: sic & profundiore examine discutienda multorum conscientia moram non afferet injucundam perindè atque injustam reconciliandis Fidelibus diligentioribus, qui per Quadragesimam confessi fuerint.

Parochi verò, ut in Confessionibus Paschali Communioni præviis ordo aliquis observetur, certos dies per singulas Quadragesimæ hebdomades certis familiis aut vicis assignent; vel, si fieri commodè possit, aliis diebus viros, aliis fœminas, horâ indictâ, audituros se præmoneant. Ipsi autem patres & matres, domini & dominæ, filios & filias, famulos & ancillas in Ecclesiam convenire sinant, imò jubeant, Confessionis annuæ præcepto satisfacturos.

Nullus verò existimet se posse per irritam & sacrilegam Confessionem Ecclesiæ præcepto satisfacere. Ecclesia videlicet pium sanctumque opus, non impiam Religionis violationem præcipit. Eam intendit peragendam esse Confessionem, quæ peccatorem cum Deo ita reconciliet, ut per illam ad suscipiendum

(*p*) *Syn. Carnot. an.* 1526.

Paschalibus diebus sacrosanctum Dominici Corporis Sacramentum disponatur. Præterea, cùm divinum Confessionis præceptum saltem semel in anno adimplendum determinat, talem profectò Confessionem cuique Fidelium exequendam, constitutâ lege, intendit sacra Dei interpres, qualem Deus probat & injungit: divinum autem præceptum per irritam aut sacrilegam Confessionem adimpleri, impius sit qui ausit affirmare.

Licèt autem ii duntaxat quos lethalis peccati remordet conscientia, Confessionis annuæ præcepto, saltem quâ parte divinum est, obstringantur; qui tamen sola venialia commiserunt, tam præposterè quàm temerè agerent, si proprio Sacerdoti semel in anno sese non ostenderent ea ipsa delicta confitentes (q). Ad hoc enim multiplici nomine ac titulo tenentur: primùm scilicet ut debitam suo Præposito subjectionem profiteantur, quia *pervigilat quasi rationem pro animabus eorum redditurus* (r), ideòque ad ipsum pertinet, non modò ut *gregis sui vultum agnoscat* (s), verùm etiam ut animarum penetralia introspiciat, quò certiùs convenientia cuique salutis monita, aut virtutis incitamenta prudenter subministret: deindè verò ne sint in propria causa judices, & semetipsos gravi errore decipiant in distinctione peccati lethalis à veniali, quæ ipsimet Ecclesiæ lumini Augustino *difficillima & periculosissima* videbatur (t); neve ex iis sint *qui justificant seipsos* (u), cùm tamen à Deo condemnentur: postremò ut suum Ecclesiæ matri testentur obsequium, eoque humilitatis actu magis conformes illius imagini efficiantur, quem in Sacramento velut exinanitum suscepturi sunt.

Cæterùm, qui paucis ante annuam Confessionem diebus alieno Sacerdoti peccata confitentur, ne illa proprio Pastori detegant, ii plerumque graviter peccant, hypocrisis videlicet aut superbiæ motu incitati.

JAM verò Pastoribus quantâ maximâ poterunt sollicitudine curandum est ut piè religiosèque impleatur sanctum illud atque salutiferum annuæ Confessionis præceptum. Multâ igitur lenitate, atque indutâ CHRISTI JESU in peccatores benignissimâ charitate, quoscumque ad Pœnitentiam accedentes excipiant. Neminem ad suum Tribunal venientem repellant: si quis verò alium Sacerdotem approbatum adire velit, non prohibeant. Scilicet Confessionem quæ Communioni Paschali præmittenda est, ideò sanxit Ecclesia proprium apud Sacerdotem emitti oportere, ut Fideles huic debitum exhiberent obsequii testimonium, utque ipsorum diligentia in exequendo Paschali officio faciliùs eidem perspecta esset; non autem ut Confessionis libertati quidquam detraheretur. Caveant igitur Parochi ne ex eo quod sapienter fuit insti-

(q) *S. Thom.* in 4. sent. *dist.* 17. *q.* 3. *a.* 1. *S. Bonav.* in 4. sent. *dist.* 17. *q.* 3. *a.* 2. *in corp.*
(r) *Hebr.* 13. 17.
(s) *Prov.* 27. 23.
(t) *S. Aug.* de civ. Dei, *c. ult. n.* 5.
(u) *Luc.* 10. 29.

rutum, indè aggravandi præcepti sumatur occasio: si nempè licentiam apud alienum Sacerdotem confitendi cuiquam Parochianorum ægrè invitoque animo concederent (*x*). Quod quidem dicimus de locis minùs populosis, in quibus singulatim Fideli cuivis petenti per schedulam datur ejusmodi licentia; non autem de Regia Urbe, & sicubi prætereà incolarum frequentia tanta sit, ut generaliter è sacro Suggestu concedendum sit illud de quo agitur, extra Parochiam confitendi permissum.

Absit verò ut quisquam Parochus, injustis aut futilibus de causis, ullum Parochianum confitentem audire abneget, nec apud alium Sacerdotem confiteri permittat. Nihil utique Pastori magis indecorum, nihil ab ea quam sustinet personâ magis alienum esset, quàm si vel suas, vel propinquorum aut amicorum partes eo studio animiquè æstu amplecteretur, ut propterea quemquam ab exequendo Paschali officio verbis acribus vel austerâ facie retraheret. Quinimò in Pœnitentiæ administratione tanta sit Pastoris cujusque integritas, ut ipse, non modò nullam huic sancto muneri admisceat privati commodi curam, sed labis istius vel minimam suspicionem longissimè arceat. Corpore & animâ constantes, temporalia quidem propter spiritualia curare ac tueri debemus: *quorum* autem *conversatio spesque in cœlis est* (*y*), eos lucris terrenis, cum sacri ministerii dedecore, cupidiùs intentos esse non oportet. Si quis igitur Parochianus, sive Decimarum similiumve redituum occasione, sive aliter, Pastoris haud dubiè debitor sit, nec ei satisfacere in animum inducat, proptereàque illum ipse, tutâ conscientiâ, absolvere non possit; videndum erit ne ministerii sui decus malignæ obtrectationi impetendum objiciat: quam certè non effugeret, hujusmodi Pœnitentem ad suum Tribunal admittens, nec eum absolvens. Non enim justi Judicis, sed hominis propter vilis emolumenti consectationem irati speciem gereret. Itaque, si de re aliqua temporali, quæ ad tuenda Beneficii jura pertineat, Pastori cum aliquo è suis Parochianis publica intercedat præsertimque juridica disceptatio, neque hæc amicè & Christianâ charitate componi eatenùs potuerit, undè hominem à justitia devium absolvi prohibeant sacræ Regulæ; suadet quidem prudentia ut eum non ipse audiat confitentem, ne Judex in propria causa sedere, & spirituale Tribunal in forum seculare versum esse videatur; sed præcipit æquitas ut ipsum, datâ schedulâ, permittat sese ad alium Sacerdotem conferre; qui, nullo propriæ utilitatis respectu, nullâ insuper collusionis aut favoris suspicione perpensâ litigantis intentione, mente, proposito, excusâ quam fortè sibi exteriùs ille affingit, bonâ fide, quod justum fuerit, in foro conscientiæ coram Deo in Christo judicet. Eodem modo se geret Parochus, si quis (quod absit) acerbè atque injustè in ipsum egerit, aut contu-

(*x*) *Conc. Burdig. an.* 1624. (*y*) *Col.* 1. 5. & *Phil.* 3. 20.

meliosè

meliosè de ipso fuerit locutus, undè ad satisfactionem pro læso honore, vel pro damno illato, erga Pastorem teneatur.

Ne autem Pastor ullus, Paschalis præcepti occasione, Fideles auctoritati suæ subjectos ad quem libuerit finem inflectere contendat. Ne quemquam suis commodis, præjudicatis opinionibus, incœptis patrocinari, sibique adversùs alios Parochianos in omnibus morem gerere persuadeat. Sic enim profectò sacrilegè non minùs quàm tyrannicè sancto ministerio abuteretur, propriæque salutis immemor, terrena cœlestibus ac divinis humana præferre meritò judicaretur. Pacis Minister, animorum æstus, lites & inimicitias in sacro Tribunali non foveat. Cupiditatum humanarum curator, Fidelium mentibus suas aut alienas non afflet cupiditates.

VIDEANT etiam Pastores ne zelo imprudenti officiant animarum utilitatibus: si nempè aliquem, ut sibi confiteatur, ambitiosiùs inducant. Multiplici enim atque infelici constat experientiâ, eos qui sibi tanquam eximium quiddam gratulantur quòd omnes usque ad unum Parochianos suos apud se confitentes collegerint, sacrilegiis committendis locum præbere. Sæpiùs videlicet ora Pœnitentium præcludit metus vel pudor, ne apud Parochum liberè, sincerè atque integrè confiteantur. Quod quidem junioribus præsertim & fœminis contingit, iisque multò magis qui Parocho obnoxii, sive cæteris notiores sunt, maximè verò si sint ejus familiares.

Cùm autem venerabiles nostræ Diœcesis Parochos hortamur, ne apud alienos Sacerdotes confitendi licentiam difficiliùs concedant, iniquam solummodò repulsam excludimus; quæ quidem si ad Nos deferretur, non possemus quin, pro jure nostro, permissum injustè denegatum impertiremur apud Nos querenti. Id verò non intendimus sic esse accipiendum, ut ne Pastoralis prudentia delectum aliquem habere possit & debeat. Quidam enim hujusmodi licentiam eo animo flagitant, ut ipsâ in suî detrimentum spirituale abutantur. Si ergò suspicandi locus emerserit, aliquem ideò apud suum Pastorem confiteri nolle, ut faciliùs absolvatur ab alieno Sacerdote, cui sit omninò vel ferè ignotus; impediat, modò possit, animarum zelator Parochus, ne falsus Pœnitens sibi malè ascitum conscientiæ moderatorem, vel potiùs seipsum decipiat, immeritamque suffuretur Absolutionem. Neque enim sine causa Pastoris severitatem reformidat; cùm scilicet ab instituto quod sine peccato gerere non possit, recedere abnuat, vel inimicitias deponere, offenso satisfacere, vel offensus ignoscere, bona malè parta, seu quæcumque aliena injustè retenta restituere, scandalum illatum resarcire, pravam destruere consuetudinem, proximam derelinquere peccati occasionem. Si Parocho notus sit hominis Confessarius, rei statum, prout se habet (dummodò eum Confessionis viâ non cognoverit), huic prudenter & sub secreto naturali aperiat. Verumtamen Pastoribus dili-

genter cavendum est ne in schedulam quâ Fideli cuivis alieni Sacerdotis adeundi licentiam concedunt, verbum ullum inferant quod Pœnitentis famæ nocere possit. Quòd si requirat necessitas ut de certis quibusdam rerum adjunctis, non quidem in Sacramenti arcano depositis, præmonendus sit electus Confessarius; illud cautè & secretò, non litteris, sed, quantùm feret opportunitas, præsenti sermone peragatur; ita ut in mente Pœnitentis nulla exoriri valeat suspicio legitima, undè ipsi aut Confessionis odium exardescat, aut Confessarii terror incutiatur, sicque is ab emittenda Confessione integra refugiat. Caveant pariter alieni Confessarii, ne se ab ullo præmonitos, etiam obliquè, revelent: notitiâ deinque eo modo comparatâ secundùm absolutissimæ prudentiæ leges utantur.

Satius quidem plerumque esset ut non cujuslibet indistinctè, sed Parocho noti & probati Sacerdotis adeundi licentia concederetur. Saltem eos qui indistinctam hujusmodi licentiam petunt, gravissimis verbis, prout exigit rei momentum ingens, cohortetur Parochus ut quàm optimum sibi eligant conscientiæ moderatorem, *nec se*, juxta Sapientis consilium, *omni homini pro peccato subjiciant* (z). Iis insupèr unum vel plures designet, quorum ipse & peritiam & zelum noverit. Non tamen vehementiùs urgeat, neque insistat certi alicujus Confessarii nimius laudator; ne fortè suspicaces ab illo conveniendo deterreat potiùs, quàm libentes ei conciliet Pœnitentes.

Qui de proprii Sacerdotis sive speciali, sive generali licentia, extra Parochiam confessi sunt, ii quemadmodùm cæteri, ad Communionem Paschalem in propria Parochiali Ecclesia suscipiendam nihilominùs tenentur; nisi proprius Sacerdos aliter fieri expressè per schedulam concesserit.

Peregrini & advenæ, vel qui certum domicilium non habent, ii etiam qui propter negotiorum necessitatem, aliamve causam legitimam, per dies Paschales bonâ fide in aliena Parochia commorantur, si ad Parochum accesserint, benignè ab eo suscipiantur sua peccata confessuri; vel ab ipso alieni Sacerdotis conveniendi licentiam obtineant. Posteà verò in suam Parochiam reduces, adimpleti Paschalis officii testimonium proprio Pastori, ut decet, exhibeant, si, prout jam expressiùs dictum est (a), ad sacram Synaxim admitti prudenter potuerint.

Porrò, qui non solent nisi propter Communionem Paschalem confiteri, his, datâ illâ occasione, vehementiorem æternæ salutis curam suggerant Confessarii. Commoneantur iidem prætereà, nihil desipientius esse, quàm si delicta delictis per totum annum cumulantes, mortis incertæ periculum, Deo non placato, incurrant: Ecclesiæ de annua

(z) *Eccli.* 4. 31. (a) *De Sacram. Euch. Div. IV, cap.* 2.

Confessione præceptum diligenter quidem observandum esse, nec sine piaculo posse violari; non tamen nisi *ad duritiam cordis* restrictam sic fuisse Confessionis legem: Ecclesiam utique de filiis suis *meliora & viciniora saluti confidere* (*b*), frequentiorem scilicet dignamque Sacramentorum perceptionem. Ne autem Fideles à Confessionis Tribunali sæpiùs adeundo quidquam arceat, sed ut potiùs ad illud frequentandum alliciantur, cunctos, etiam rudiores, benignè suscipiant & patienter audiant Pœnitentiæ Ministri. Tum verò segnibus animis de Sacramentorum incuria scrupulum eâ dexteritate injiciant, ut ad crebriorem Confessionem inducantur; quam non modò ipsis commendare, sed &, pro sua prudentia, per modum Pœnitentiæ injungere poterunt.

Si quis autem exequendi Paschalis officii moras sibi prorogari postulet, Parochus nihil hujusmodi, nisi priùs auditâ Confessione, concedat. Urget enim Ecclesiæ præceptum, nullamque admittit cunctationem, præterquàm cognitis ac sedulò discussis Pœnitentium dispositionibus.

Erga eos qui annuæ Confessionis præceptum adimplere neglexerint, quomodò agendum sit, jam suprà, ubi *de Communione Paschali*, conjunctim exposuimus (*c*).

Qui Confessionis annuæ præcepto, sive ob causam legitimam, sive ex negligentia, non satisfecerunt, ei quamprimùm satisfacere tenentur.

Ægri, etiam paucis antè diebus confessi, rursùs, si per ægrotationem liceat, confiteantur, ut Paschalis Communionis participes fiant.

(*b*) *Hebr. 6. 9.* (*c*) De Sacram. Euch. *Div. IV, cap. 2.*

CAPUT II.

De frequenti Confessione.

QUÆDAM prænotanda. Quibusnam suadenda frequens Confessio: varii status distinguendi. De frequenti venialium Confessione.

QUANDOQUIDEM non una est pietatis mensura, non unus perfectionis gradus, prætereàque varii sunt animarum status, varia Pœnitentium ingenia, variæque hominum conditiones; quàm sæpè ad Confessionem accedere quisque debeat, non potest nisi generatim constitui. Quid postulet cujusque Pœnitentis utilitas, summâ prudentiâ Confessario explorandum definiendumque est. Sunt qui gratiam pietatemque Christianam diutiùs illæsam in seipsis tuentur; qui nempè

hominum congressu sæpiùs abstinent, *seque ab hoc seculo immaculatos custodiunt* (*a*). Alii non tam constantes in Dei amicitiâ permanent; ideòque sæpiùs quàm cæteri ad Confessionis remedium confugere tenentur. Cùm verò eadem omnibus regula præscribi nequeat, meritò quidem in universum constituitur, frequentem Confessionis usum omnibus esse utilem, imò plerisque necessarium, ut in statu gratiæ perseverent. Atque idcircò, prout jam superiùs observatum fuit (*b*), Pastorum munus est Parochianos sæpissimè adhortari ut ad sacrum Tribunal, non modò vicinis Paschæ temporibus, verùm etiam ad præcipuas anni Festivitates dignè celebrandas pio religiosoque animo accedant. Quod quidem, ineunte Adventu, instantibusque majoribus Solemnitatibus, diligenter è sacro Suggestu præmoneantur (*c*).

Itaque alii sæpiùs confiteri debent, aliis minùs necessaria est frequens Confessio. Quod quidem dijudicandum etsi penès Confessarii sapientiam esse non ignoramus, hìc tamen aliquot regulas proponere juvat, quæ ad animarum salutem opportunè adhibeantur.

Iis magnoperè suadenda est frequens Confessio, quibus ad devitandum lethalis peccati statum necessaria est: quales sunt ii quos multâ vi aggreditur peccandi libido, sive propter æstum animi vehementem, sive propter consuetudinem tenacem, vel occasionem proximam quam deserere non possunt: iis etiam qui, cùm sint in gratia constituti, mox tamen, probabili conjecturâ, in lethale peccatum relapsuri sunt, nisi è Confessione vires hauriant sibi necessarias, ut ingruentibus tentationibus inconcussi permaneant. Tales sunt qui in occasionibus periculosis nullâ suâ culpâ versantur; qui, cùm non ita pridem è limo pravæ consuetudinis emerserint, adhùc infirmæ & caducæ virtutis sunt; qui naturâ leves & occasionibus obsequiosi; qui, quotiès confitentur, totiès in aliqua culpa lethali esse inveniuntur. Hi omnes, pro ratione periculi, frequentiùs aut rariùs sacrum Tribunal adeant; ut è Sacramenti gratiâ, aut saltem ex humili Confessione & sapientibus Confessarii monitis, opportunam sibi medelam consequantur.

Et frequenter ad Pœnitentiæ Sacramentum accedant, qui ad Christianam perfectionem enixè contendunt; neque enim possunt alio magis efficaci auxilio mundari, renovari, muniri & accendi. Sic tamen ordinentur eorum Confessiones, ut à conditionis suæ officiis nullomodò retrahantur. Non omnes Religionis virtutisque sectatores ad similem Confessionis frequentationem impellandi sunt. Qui priùs annuam Confessionem sibi satis habebant, illi ad hoc sensim excitandi sunt, ut quinquiès saltem vel sexiès per annum, id est, in præcipuis Festivitatibus confiteantur. Quibus per negotia sæpiùs

(*a*) *Jac.* 1. 27.
(*b*) De Sacram. Euch. *Div. IV*, c. 2.
(*c*) *Conc. Senon. cui aderat D. Guill.* Chartier, *Paris. Episc. an.* 1460, *art.* 4, *cap.* 1.

confiteri licet, ad sacrum Tribunal veniant, alii singulis mensibus, alii quinto-decimo quoque die, prout se habet cujusque indoles; ita ut singuli è Sacramentorum frequentatione proficiant.

Quod ad pietatis cultores atque in solida virtute fundatos attinet, perspectâ eorum indole, constituendum est quàm sæpè confiteantur. Qui sunt naturâ placidi, temperati & æquanimi, neque scrupulis, neque aliis anxietatibus laborantes, eos quidem intrà dies octo semel confitentes audiri sufficiat, quamvis semel aut iterùm per hebdomadam communicent. Ipsis autem rectè suadebitur ut ad Mensam Domini more suo accedant, si quandò conscientiæ moderatorem post octo dies adire sine incommodo non possint, neque in graves culpas inciderint. Qui infirmo & inquieto sunt animo, cum illis *in omni patientia & longanimitate* agendum est (*d*); iis enim *virtus in infirmitate perficitur* (*e*). Conetur officiosa Sacerdotis charitas ejusmodi Pœnitentibus, medias inter difficultates ad *bravium supernæ vocationis persequentibus* (*f*), & quasi per abrupta ægrè reptantibus, planum iter facere. Illi ad sacrum Pœnitentiæ Tribunal, tanquam ad solatii & consilii fontem, bis per hebdomadam admittendi sunt, si frequentiore quàm octavi cujusque diei Communione digni judicentur. Ad unicam tamen cujusque hebdomadæ Confessionem paulatim inducantur: quibus enim conceditur frequens Communio, ipsi, extra insolita quædam rerum adjuncta, sic vitam instituere debent, ut sæpiùs quàm semel per hebdomadam confiteri non egeant.

Nec verò omnibus promiscuè suadenda est frequens peccatorum Confessio. Posset enim periculosa esse, 1°. iis qui in scrupulum vergunt, quique, nisi conscientiæ moderatori ad sacram Synaxim accedere jubenti obtemperare assuescant, nullâ animi pace, qui tamen suavissimus est pietatis fructus, unquam fruentur: 2°. Quibusdam fœminis, atque etiam Sanctimonialibus, quæ in Confessione minùs conscientiæ munditiam quærunt, quàm naturale quoddam solatium, tædii ac forsitan otii allevamentum, colloquiive saltem inutilis occasionem: 3°. Illis qui, cùm in pietate parùm proficiant, vix aliud ex frequenti Confessione quàm immeritum pietatis nomen ambiunt.

Primis Ecclesiæ seculis, usque adeò puris & de solida perfectione sollicitis, non videtur Confessio delictorum venialium in usu tam frequenti fuisse. Sanctus quidem Carolus Borromæus quotidiè confitebatur: & multi pariter, hisce novissimis temporibus, ter vel quater singulis hebdomadis confiteri solebant. Cùm acerrimo Pœnitentiæ sensu imbuti essent, iis haud dubiè sancta illa consuetudo proficiebat. Aliis verò multis frequentiorem Confessionem plus nocere quàm prodesse, experientiâ compertum est. Scilicet Absolutioni plus æquo fidentes, nec de Contritione, nec de emendatione satis cogitant. In hoc sibi ve-

(*d*) *Col.* 1. 11. (*e*) 2. *Cor.* 12. 9. (*f*) *Phil.* 3. 14.

hementer indulget suiipsius amor, culpæ conscientiam non ferens; cùm tamen multò præstantius foret, si humilitas per aliquot dies ingemiscens, admissa delicta contrariis virtutum operibus emendaret. In errore versatur, si quis in Confessione quæ statim oblivioni traditur, totam reponat perfectionem. Plerique tam frequenter confitentes, non magis sibimetipsis mortui, minùsve imperfecti post multos annos inveniuntur. Qui igitur, suadente pio prudentique Confessario, singulis diebus Dominicis communicant, ii semel octavo quoque die sacrum Pœnitentiæ Tribunal adeant. Quod quidem & iis pariter, ut plurimùm, sufficiat, qui Mensæ Domini pluriès per hebdomadam participes esse digni judicantur; satisque habeant, reliquis diebus, leves imperfectionis humanæ culpas dolere, misericordiæque vel pœnitentiæ actu aliquo expiare, priusquàm ad Corporis Christi Communionem accedant; nisi fortè expediat magis ut ab ipsa humiliter abstineant, donec constitutus recurrat Confessionis dies: quod videlicet tunc præsertim satius erit, cùm aliquid, etsi veniale, tamen solito gravius peccaverint. Admodùm verisimile est fructum indè colligi posse uberiorem. Sic enim profectò solidior existeret pietas; quam qui profitentur, Deo magis quàm hominibus debent adhærere.

Et certè, cùm sola recensentur venialia, frequentissimè confiteri ordinariè non expedit. Illâ enim Confessionum assiduitate Sacerdotibus de solido die pars magna demitur; quæ quidem in sacra lectione, in Catechesium & Concionum præparatione, in infirmorum visitatione, in aliis denique sacri ministerii operibus longè utiliùs consumeretur. Forsitan prætereà metuendum est, ne frequentior cum mulieribus communicatio, vincula innectens animis, *contaminet omnia, & inferat plagam magnam castitati* (g); aut certè, ne, per *linguam mendacii* (h), Sacerdotali famæ labes inuratur. Hinc saltem exoritur cum utriusque sexûs Pœnitentibus nimia familiaritas, & Sacramenti reverentiæ & Patris spiritualis gravitati non parùm detrahens. Sensim denique accidit ut ad frequentem venialium Confessionem, nisi ex consuetudine, non ferantur ejusmodi Pœnitentes; qui, cùm hanc sibi legem imposuerint, magis de invenienda, quæ Confessionem expleat, materiâ, quàm de culparum dolore & fuga solliciti sunt: indèque Confessio in quamdam exercitationem veluti humanam, vel potiùs Judaïcam, ut potè spiritu destitutam, facilè vertitur.

Quod malum ne unquam eveniat in Congregationibus Deo sacris, quarum Regulis frequentes præcipiuntur Confessiones, pio Instituto sic obediant animæ Religiosæ, ut hinc vigilantiores semper fiant, nec sine interioris spiritûs renovatione ullo die confiteantur. Quia tamen, pro humana fragilitate, fieri posset ut aliquotiès perfunctoriè lex illa observaretur, hanc animi habitudinem

(g) 1. *Mach.* 14. 36. (h) *Prov.* 12. 19.

Confessario manifestare non omittant; qui hujusce indolis Pœnitentibus solam impertiatur Benedictionem, reservatâ iis peccatis Absolutione sacramentali, à quibus abstinere desiderio vehementiore constituerint. At nihilominùs Dominici Corporis Communionem iis indulgere poterit, dummodò tamen quod ipsi peccaverint, emendaturos se polliceantur. Scilicet, qui nullâ Contritione affectus sola confitetur venialia, horum remissionem in Pœnitentiæ Sacramento non consequitur. Cùm enim ad Pœnitentiæ essentiam pertineat Contritio, nullum quantulumcumque peccatum sine Contritione, saltem virtuali & implicita, Sacramenti virtute condonatur (*i*).

Quod ad eos pertinet qui venialia confitentes, non sibi animo fixum immotumque constituunt ne ullum hujusmodi posteà committant; ii remissionem venialium de quibus vitandis firmum propositum ineunt, Sacramenti virtute consequuntur. Contritio quæ ob lethalia peccata concipitur, firmam procul dubio & inconcussam includere necessariò debet voluntatem ab omni deinceps ejusmodi peccato abstinendi; id siquidem nobis, juvante gratiâ, possibile est: imò verò, si deficeret illud propositum, non susciperetur gratia justificans, cujus infusioni obicem ponit lethalium affectus; undè nec seorsim remitti possunt. Dispar est venialium ratio. Sufficit nempè, ut qui ea confitentur, eadem commissa doleant, & in posterum pro viribus devitare constituant; nec ullâ lege obstringuntur ad constituendum præterea ne ullum unquam veniale peccatum admittant: peccatis enim venialibus per totam vitam omninò carere, humanæ infirmitati impossibile est (*k*). Quin etiam, si quis de uno veniali contritus, alteri tamen adhæreat; illius remissionem obtinet, hoc non dimisso: venialia quippè seorsim condonari possunt.

Videant tamen *omnes qui piè volunt vivere in* CHRISTO JESU (*l*), videantque omninò diligenter, ne sua sponte & voluntate in actu aliquo perseverent, quem Domino displicere aliquâ ratione noverint; Deus enim cui serviunt, *Deus* est *æmulator* (*m*).

Atque id sedulò cavendum est, ne cum præfatis dispositionibus imperfectis, sine serio dolore veroque emendationis proposito, & velut ex consuetudine, ad sacrum Tribunal accedatur. Quædam potiùs delicta quæ ex declaratis venialibus graviora & vitatu magis necessaria videbuntur, seligenda sunt, de quibus præcipuè doleatur, & quibus emendandis aut certè minuendis præcipua cura impendatur. At verò, cùm leviora illa & quotidiana peccata quæ Dei amicitiam & charitatem non extinguunt, tam vehementem non exigant dolorem quàm noxæ illæ graviores quæ uno velut ictu animam interimunt; cùmque charita-

(*i*) *S. Thom.* 3. *p. q.* 87. *a.* 1. *in corp.*
(*k*) *Idem, in* 4. *dist.* 16. *q.* 2. *a.* 2. *q.* 2. *ad* 2.
(*l*) 2. *Tim.* 3. 12.
(*m*) *Deut.* 4. 24.

tis habitus, qui in justis omnibus inest, ad Contritionis affectum suapte naturâ inclinet; non facilè scrupulus & anxia religio viris timoratis movenda est, quasi qui, deficiente debito dolore, Sacramentum Pœnitentiæ sacrilegâ forsitan susceptione profanum faciant. Sacramenti profanatio sacrilegium quidem est; istius autem profanationis reatum minimè incurrit, si quis per levem negligentiam aliquod Sacramentum sui fructûs expers aut etiam irritum faciat (*n*). Qui ergò sine dolore sufficienti, quo tamen se affectos bonâ fide existimant, venialia confitentur, illi ad Pœnitentiæ Sacramentum inaniter quidem accedere, non tamen sacrilegii *formalis* noxam incurrere lethaliterque peccare pronuntiandi sunt; neque ad iterandam Confessionem tenentur. De his nempè dici potest: *Evadunt offensam, quamvis non acquirant gloriam* (*o*).

(*n*) *S. Bonav. in 4. dist. 9. a. 2. q. 3. in corp.*

(*o*) *Idem, dist. 17. p. 2. a. 1. q. 4. ad 4.*

CAPUT III.

De Confessione Infirmorum.

Ne quis Fidelium non reconciliatus moriatur, quid animarum & corporum medicis sit injunctum. Morbi periculum quàm malè Infirmo tegatur. Modus visitandi Infirmos, eisque spiritualia remedia offerendi. De illis qui ad extrema vitæ Confessionem procrastinant. Confiteri detrectantes, quomodò ad confitendum impellendi. Æger in periculo dilationem non ferente constitutus: æger qui non potest integrè confiteri, &c. æger loquelâ & sensuum usu destitutus. Quædam observanda.

TANTO salutis humanæ studio semper flagravit pia Mater Ecclesia, ut impensissimâ cautione providendum per omnem rettò antiquitatem censuerit, ne Fideles, nisi priùs reconciliati, ad tremendum illum devenirent mortalis ævi limitem, quo cuique homini deficit tempus atque incipit æternitas. Hinc Pastoribus, cæterisque animarum curam quovis nomine ac titulo gerentibus, majorem in modum anteà præcepit, atque etiamnùm præcipit, ut » Infirmos sæpiùs visitent & consolentur, ac de salute animæ moneant » (*a*) », ipsosque quantâ maximâ diligentiâ

(*a*) *Conc. Narb. an 1609. cap. 32.* de Parochis.

diligentiâ inducant ad consulendum suæ conscientiæ rationibus, non in supremo desperatæ sanationis discrimine, sed maturè, & antequàm mens ac memoria deficere incipiant; quo scilicet observato, possint iidem, si malum ægrescat, Sacramenta minore animi perturbatione & majore fructu percipere. Quod quidem semel atque iterùm sanxit unus inter piissimos hujus Ecclesiæ Antistites (*b*).

Hinc etiam in Concilio Lateranensi IV œcumenico (*c*), his verbis edixit Ecclesia: « Cùm infirmitas corporalis nonnunquam ex peccato » proveniat, dicente Domino languido quem sanaverat: *Vade, & noli ampliùs peccare, ne deterius aliquid tibi contingat*; » Decreto præsenti statuimus & » districtè præcipimus Medicis corporum, ut, cùm eos ad Infirmos vocari contigerit, ipsos » ante omnia moneant & inducant » quòd Medicos advocent animarum; ut, postquàm Infirmis fuerit de spiritali salute provisum, » ad corporalis medicinæ remedium » salubriùs procedatur. Si quis autem Medicorum hujus nostræ Constitutionis, postquàm per Prælatos locorum fuerit publicata, » transgressor extiterit, tamdiù ab » ingressu Ecclesiæ arceatur, donec » pro transgressione hujusmodi satisfecerit competenter. » Atque hoc Decretum Apostolicâ auctoritate renovârunt & confirmârunt summi Pontifices S. Pius V (*d*) & Gregorius XIII (*e*), suumque pariter fecerunt pleræque Galliarum Ecclesiæ, tum Conciliorum, tum Ritualium sanctionibus, imprimìsque decimo-quinto seculo ratum habuit Concilium Parisiense (*f*); posteàque duo ex Decessoribus nostris egregii Pontifices (*g*).

Quin etiam, ne in tanti momenti negotio deesset politicæ auctoritatis interventus, Regiâ Ludovici, tam Religione quàm rebus gestis Magni Declaratione (*h*), interpositis gravibus pœnis, injunctum est, ut Medici, Chirurgi, cæterique medendi artem quovis nomine ac titulo exercentes, postquàm ægros semel atque iterùm visitassent, eos de confitendis peccatis admonere, Pastoremque, seu Vicarium, de Infirmi statu certiorem facere non omitterent; neque ipsi tertiò inviserent lecto decumbentem, quin priùs accersitum fuisse Confessarium scripto sibi constaret.

Nos autem, quæcumque salubriter ab Antecessoribus nostris hac in parte sancita sunt, quatenùs ad animarum corporumque Medicos, pro diverso utrorumque officio, pertinet, quantùm opus esse potest, renovamus & confirmamus.

(*b*) *Ordonn. de M. le Card.* de Noailles, *pour recommander le soin de préparer de bonne heure les Malades à la mort : du 9 Mars* 1707 *: renouvellée par Mandement du 16 Fevr.* 1712. *Synodic. Parif. pag.* 388, *&* 417.

(*c*) *An.* 1215. *can.* 22.

(*d*) *Bulla* Super greg. 8. *Mart.* 1566.

(*e*) *Bulla* Aliàs piè. 30. *Mart.* 1581.

(*f*) *An.* 1429. *can.* 29. *Aderat D. Jacobus* du Chastellier, *Parif. Episc.*

(*g*) *Stat. Syn. D. Stephani* Poncher, *Parif. Episc. ante an.* 1519. *Ordonn. de M. le Card.* de Noailles, *ci-dessus. Synodic. Parif.*

(*h*) 8 *Mars* 1712.

Jam verò, quoniam Infirmorum hactenùs impœnitentium infirma plerumque, instante supremo transitu, & maximè dubia est Pœnitentia, curæ suæ commissos Fideles frequenter admoneant Parochi, ut eam sequantur vivendi rationem quæ sibi ad mortem continua quædam sit præparatio : vitam in virtutis exercitatione traductam pio sanctoque fine coronari; in Dei offensâ exactam, *morte peccatorum pessimâ* sæpiùs terminari (*i*). Quinimò doceatur unusquisque, teneri se ad propinquos & amicos de morbi periculo admonendos; ut Sacramenta tempestivè & cum fructu, non autem quasi animam exhalantes frustràque suscipiant. In eo siquidem rerum articulo, animus æger in affecto corpore, mortis terrore conturbatus, nec tantùm proprio dolore, sed & circumfusæ familiæ gemitibus atque amicorum lacrymis obrutus, non potest, ut plurimùm, nec peccata recogitare, nec de illis sincerè atque efficaciter dolere. Et quamvis non sint omninò desperabiles qui Sacramentorum susceptionem ad extrema vitæ procrastinant, quia nempè infinita est Dei misericordia; eorum tamen salus, experientiâ teste, in tremendo periculo versatur; Pastoresque, dum ejusmodi moribundum absolvunt, spem inter & metum fluctuantes, illud sancti Augustini mœrentibus animis cogitant : *Pœnitentiam damus, securitatem non damus*. Qui ergò, ne Infirmorum mentibus terror injiciatur, eos, nisi in extremis, non admonent ut & conscientiæ & *domui suæ disponant* (*k*), ii certè falsâ & iniquâ, vel potiùs crudeli miseratione commoti, nec verè amicos, nec etiam Christianos se ostendunt.

Parochi, datâ occasione, illam reprehendant agendi rationem, heu! tanto animarum dispendio frequentiorem. Suos etiam Parochianos gravissimis verbis cohortentur, ut, quotiès aliquem domi ægrotantem habuerint, maximèque si gravis & periculosus morbus videatur, se statim, quasi opportunos in afflictione consolatores admoneant, vel admoneri provideant. Ipsi autem, vel sæpiùs ingeminato hujusmodi hortamento, nequaquam expectent, ægros invisuri, donec à Medicis aut familiaribus plerumque negligentibus accersantur. Quin etiam, ubi audierit Pastor aut Vicarius, aliquem è Parochiæ Fidelibus ex morbo decumbere, eum, nullâ interpositâ morâ, in charitate Domini nostri Jesu Christi conveniat; paternoque affectu accedens, vultuque ad lenitatem & miserationem composito, fiduciam ejus captans, primùm sciscitetur undè morbus eruperit? quænam sit ejus natura? quænam hactenùs adhibita remedia? obiterque (si fortè hujusmodi cautionem aliquandò suggerat prudentia) moneatur ægrotus ut ab iis caveat circumforaneis medicis, qui ad sanandum corpus, aliquid suaderent superstitiosum, aut aliàs divinâ lege prohibitum, animæque idcircò exitiosum (*l*). Eam in medium afferant

(*i*) *Ps.* 33. (*k*) *Is.* 38. 1.

(*l*) *Stat. Syn. D. Stephani* Poncher, *Paris. Episc. ante an.* 1519. *Synodic. Eccl. Paris.*

Sapientis commonitionem : *In tua infirmitate ora Dominum, & ipse curabit te* (*m*); undè scilicet in eo qui *percutit & sanat, vulnerat & medetur* (*n*), spem collocent præcipuam. Ipse verò Sacerdos non facilè adducatur ut remedium ullum administret vel suadeat. Solis ex officio addictus curandis animæ morbis, sanandum corpus Medici disciplinæ relinquat (*o*) : studeatque tantummodò, præsertimque erga pauperes, ut peritus quamprimùm advocetur Medicus, sive ex professo, sive charitatis impulsu hanc artem exerceat ; nisi fortè obvia quædam remedia, & quæ plurimùm valere jam anteà sit expertus, cautè suggerat, vel noxia per inscitiam aut levitatem adhiberi prohibeat. Efficere demùm eloquii suavitate conetur, ut ægrotantes sese ad Dei judicium præparent, quasi morituri, dum tamen remediis naturalibus utuntur quasi sanandi. Decet enim hominem Christianum semper ad omnem eventum, juxta Dei voluntatem paratum esse (*p*); sed imprimìs cùm de morte vel certò vel probabiliter instante morbus admonet.

Post primum humanitatis colloquium, opportunè datâque occasione innuat Sacerdos Infirmo confugiendum toto animo esse ad opem divinam, optandaque homini remedia spiritualia quæ à Christo Jesu Ecclesiæ tradita sunt; quo quidem infirmitatibus nostris suavissimum in modum compatiente, per divinæ charitatis instrumenta sublevetur animus, peccata deleantur, ac denique, præ gaudio spiritùs cum Deo reconciliati, ipsa etiam *caro mirificè recreata in Deum vivum exultet* (*q*). Hæc Infirmo suggerens, benignæ charitatis adhibeat unctionem, tanquam super omnia profuturam; &, si patiatur Infirmi status, piam consolatoriamque allocutionem confirmet Scripturæ sacræ aut Patrum sententiis atque Sanctorum exemplis. His præmissis, inducendus ille erit, ut ab initio morbi confiteatur, neque Confessionis » sibi tempus in fine vitæ suæ con» stituat, quam periculosè ignoran» tia humana concludit, ut ad pau» carum horarum spatium se refer» vet incertum; nec, cùm possit » pleniore satisfactione indulgen» tiam promereri, illius temporis » angustias eligat, quo vix inveniat » spatium, vel Confessio Pœniten» tis, vel reconciliatio Sacerdotis » (*r*). »

Non desunt, qui, salutaria hæc monita parvi ducentes, moras confitendi usque ad extrema vitæ prorogant : quia nempè alii mortem metuunt, cujus velut infaustum quemdam nuntium cohorrent Sacerdotem; alii desperant, qui scilicet, cùm hucusque *judicia Dei abstulerint à facie sua* (*s*), nunc tandem, serò licèt, quàm *horrendum*

(*m*) *Eccli.* 38. 9.
(*n*) *Job*, 5. 18.
(*o*) *Eccli.* 38. 3.
(*p*) *S. Basil. Hom.* 21. §. 2.
(*q*) *Ps.* 83.
(*r*) *S. Leo*, *Ep.* 91. (*al.* 83.) *ad Theodor. c.* 5.
(*s*) *Ps.* 9.

sit *incidere in manus Dei viventis* (*t*), intelligunt; alii onetatâ atque intricatâ conscientiâ laborant; alii, adhùc vigentibus in afflictato corpore vitiosis affectibus, nondùmque detelictis, quinimò etiamnùm dilectis occasionibus, ideò tantùm à peccando cessant, quia peccandi vires deficiunt; alii ex inertia, vel stupore, dum mentem occupat seculi fallacia, à salutis æternæ cogitatione retrahuntur.

Ubi Parochus causam detrectandæ Confessionis introspexerit, eam summâ prudentiâ & sermonis lenitate auferre studeat. Quòd si verò aliquid difficultatis vincendum animo præsumat, non statim de Confessione apertè loquatur; sed, quasi actis cuniculis, ad animam *aversatricem* occultè progrediatur (*u*); eamque tantâ solertiâ tractet, ut non velut alieno impulsu, sed proprio quasi motu cum gratiarum actione ad Dominum revertatur. Quærat Sacerdos ab ægro, an infirmitatem suam, quæ Dei miserentis potiùs quàm sævientis visitatio est, sibi ad vitam æternam proficere velit? an sibi cupiat certiorem corporalis ipsius curationis spem affulgere? hæc ut obtineat, non peccatorum, sed Sanctorum more patiatur; *deponat omne pondus & circumstans se peccatum* (*x*), quo prægravatus miserum in modum atteritur; conscientiæ remordenti satisfaciat, statimque ex animi tranquillitate magnum corpori levamen accessurum. Subjungat autem, se libentissimè præstò ei futurum esse salutis ministrum, ut plenâ atque integrâ Confessione cum Deo & secum ipse reconcilietur.

Quòd si opponat Infirmus non sibi spem recuperandæ sanitatis esse ablatam, seque, ubi convaluerit, de Confessione cogitaturum; Infirmo frequentandis Sacramentis assueto respondeat Sacerdos, illud ab ipso expectari pietatis exemplum, ut, nullâ interpositâ morâ, confiteatur; nec fortassè multum reluctantem experietur: Infirmum autem jamdiù à Sacramentis alienum difficilè expugnabit. Prima hortamenta ægrè admodùm excipere solet *duro corde, qui longè est à justitia* (*y*); animoque impœnitenti malè tutus, plerumque ultra modum recalcitrat. Ut tamen Pastor ipse *animam suam liberet* (*z*), circumfusam ægri animo caliginem oblato veritatis lumine prudenter discutiens, innuet quàm poterit solertissimè ac lenissimè, Infirmos complures, ejusmodi spe convalescendi malè deceptos, Sacramentorum perceptione caruisse; à nemine unquam *percussum fœdus cum morte* (*a*), ut obsequiosa expectet morantem: fieri posse ut morbus initio fortassè non periculosus, derepentè ingravescat, sensibusque affectis & præclusâ voce, omninò tollatur confitendi facultas. Antiqui hostis frequentem hanc esse astutiam, ut, quamdiù sensus & valetudinis recuperandæ spes aliqua viget, fallacem ac perniciosam Infirmis suggerat conversionis dilationem; nec rarò id evenire quod

(*t*) *Hebr.* 10. 31.
(*u*) *Jerem.* 3. 12.
(*x*) *Hebr.* 12. 1.
(*y*) *Is.* 46. 12.
(*z*) *Ezech.* 3. 19.
(*a*) *Is.* 28. 15.

scripsit Apostolus : *Cùm dixerint, pax & securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus ; & non effugient* (*b*). Neque igitur Medicorum pollicitis, neque propinquorum blanditiis plùs æquo fidendum esse, nisi exitium omni exitio pejus experiri quisquam velit. Quòd si hujusmodi cunctatores, dato aliquo resipiscendi intervallo, sed jam præclusâ omni spe curationis, tandem aliquandò ad confitenda peccata mentem appellere constituant; tunc maximam & penè insuperabilem in tanti momenti negotio difficultatem occurrere ; tunc proximæ mortis horrorem, *judiciique* & Inferni *terribilem expectationem* fatiscenti animo incumbere (*c*); tunc suî disquisitionem, atque adeò Confessionem, quodammodò impossibilem fieri ; tunc denique metuendam esse eorum sortem, qui Deum non quæsierunt, dum inveniri poterat (*d*), & de quibus ipsa Veritas dixit : *Quæretis me, & non invenietis; & in peccato vestro moriemini* (*e*).

Horum aut similium verborum fulgura multiplicans divinæ charitatis minister, si non moveat contumacem, tamen à proposito non desistat. Deum obtestetur ut cor ejus per sinceram pœnitentiam emolliat. Propinquos & familiares hortetur, ut, junctis viribus, impœnitentem secum aggrediantur, dum adhùc *patienter propter eum agit Pater misericordiarum* (*f*). Illum ipse revisens, rebellem vehementiùs oppugnet, imminentemque supremi Judicis sententiam denuntiet. Forsassè tam perseveranti Sacerdotis charitate & zelo commotus acquiescet peccator ; ac tandem, *qui* longo animi sopore *dormit, adjiciet ut resurgat* (*g*). Tum, ubi Sacerdos *diruptam petram & fluentes* compunctionis lacrymas viderit (*h*), immensam prædicet Dei benignitatem : conversionem, cujus difficultas portenti simillima ipsi videbatur, juvante Deo, non ita operosam fore ; peccatorem enim vel maximè inveteratum, sed toto corde resipiscentem, *de profundo inferni in excelsum suprà, expansis* divinæ misericordiæ *alis* mirabiliter assumi (*i*).

Postquam Infirmus confitendi voluntatem ostenderit, illum admoneat Pastor eam ipsi emittendam esse Confessionem, quâ fretus, *justitias judicaturi* Dei Tribunal adire cum fiducia possit (*k*); ideòque, si qua mentem remordeat præcedentium Confessionum vitiositas, iterari eas oportere. Responsionem dijudicet Confessarii prudentia. Videat ne peccatores plus æquo terreantur, morte præsertim instante, cùm salutis humanæ hostis infensissimus pessimam omnium tentationem, quæ est desperatio, malignè intorquet. Nemini tamen sic blandiatur, ut à necessariis moni-

(*b*) 1. *Thess.* 5. 3.
(*c*) *Hebr.* 10. 27.
(*d*) *Is.* 55. 6.
(*e*) *Joan.* 8. 21.
(*f*) 2. *Petr.* 3. 9. 2. *Cor.* 1. 3.
(*g*) *Ps.* 40.
(*h*) *Ps.* 77.
(*i*) *Is.* 7. 11. *Deut.* 32. 11.
(*k*) *Ps.* 74.

tis abstineat. Qui enim commissa non dolent; qui reconciliari, qui restituere, qui damnum aut scandalum illatum resarcire, qui peccandi consuetudinem vel occasionem proximam, aut illicitum vitæ institutum relinquere detrectant; iis, etiam in articulo mortis, minimè concedenda est Absolutio; quæ nempè sic affectis plùs noceret quàm prodesset, dum reliqua scelera infando sacrilegio cumularentur.

Cùm æger in periculo est nullam dilationem ferente, statim atque contritus & ad necessaria exequenda pronus videtur, licèt dubiæ adhùc sint ejus dispositiones, absolvi debet, si tempus non suppetat aliquid expressius expectandi, si præsertim morbus ex eorum numero sit qui sæpiùs ad mortem ducant. Priùs tamen omnis cura diligentiaque adhibeatur, ut, pro statu conscientiæ, restituendis ablatis eo ipso tempore animum adjiciat (sive scriptâ schedulâ, sive condito Testamento, sive alio quovis modo certo & efficaci); ut inimicitiam deponat; ut pro læso honore aut illato scandalo satisfaciat; ut peccandi occasionem proximam derelicturum se promittat, & reverâ, si possit, jam tum derelinquat; ut à peccati consuetudine cessaturum se firmiter polliceatur. Nec Sacerdos cuiquam in ullo hujusmodi casu mollior blandiatur. Qui autem non periculosè ægrotaret, ei malè profunderetur Absolutio præceps. Pauci ex infirmitate meliores fiunt: multi, quod periclitantes promisère, incolumes statim obliviscuntur. Itaque non facilè credat Confessarius Infirmis peccati consuetudine vel occasione proximâ implicitis: ipsoque monente, intelligant longiore probatione sibi opus esse, & expectandum ægritudinis eventum: si convaluerint, ad conversionis maturitatem spatium fore; si periculum emergat improvisum, neque Absolutionem, neque alia Sacramenta verè pœnitentibus defutura.

Ut autem de ægrotantium periculo rectè judicetur, non solius morbi est habenda ratio, verùm etiam ætatis ac physicæ constitutionis. Senes quippè & naturâ debiles, sæpiùs gravissimum ex malis in speciem levissimis periculum incurrunt. Graviter ægrotantes, qui, ob longiora locorum intervalla, à Confessario frequenter visitari nequeunt, eorum instar habendi sunt qui periculosè ægrotant; cùm nempè timendi locus est, ne, variante atque adeò ingravescente morbo, Absolutionis expertes moriantur; ideòque absolvendi sunt, cùm primùm pœnitentes videntur, omninòque dociles. Plerumque autem, suadente prudentiâ, illis Pœnitentiæ loco rectè injungitur ut quamprimùm, si convaluerint, Confessionis Tribunal adeant, quò certiùs monita salutis condignamque pœnitentiam accipiant, nisi justa & sufficiens jam tum eis sub conditione imponatur.

QUANDO Infirmus in eo statu versatur, ut, propter debilitatem aut suffocationem, integrè confiteri jam nequeat; tunc sufficiat quod speciatim enuntiare possit, cum cæterorum accusatione generali; quam quidem, si necesse fuerit,

ipse Sacerdos, ægro interiùs comitante, pronuntiet. Priùs verò quàm ei Absolutionis beneficium impertiatur, illum ad Contritionem, propositis gravioribus incitamentis, excitare non omittat. Si consensum nutu aliove signo manifestare valeat, talis ab eo postuletur consensûs testificatio: huic deindè Pœnitentia, qualem capit ejus infirmitas, imponatur, pii v. g. quidam affectus, vel sola interior Nominis Jesu invocatio, vel subjecti cordis elevatio, ut morbi angustias Domino in delictorum expiationem offerat. Tunc scilicet animi affectus, per quem ægritudinis ac mortis ipsius fit acceptio voluntaria, Satisfactionis locum obtinere intelligitur.

Si inter confitendum, aut etiam nondùm inceptâ Confessione, vox & loquela ægrum subitò deficiant; Sacerdos nutibus & signis, quantùm poterit, elicitis, ipsius delicta introspicere nitatur: quibus utcumque, vel generatim, vel speciatim cognitis, ei Absolutionis gratia concedatur. Pariter ubi Infirmus cum Sacerdote solus esse non potest, & morbi status nullam Confessionis neque dilationem neque interruptionem patitur; in hujusmodi necessitate sufficit ut ipse generatim se accuset, Actumque Contritionis proferat. Si non sit omninò præclusa spes valetudinis à morbo recreandæ, Confessarius, antequàm ægrum absolvat, ei Pœnitentiam imponat, quam, refecto corpore, exequatur: alioquin, ignoto, vel non satis cognito Infirmi statu spirituali, huic denuntietur Satisfactio conveniens tunc imponenda; cùm posteà ritè perfecteque confessus fuerit. Qui enim in ejusmodi casu periculoso nullam dilationem patiente confestim absolvuntur, ii, ne malè securi torpeant, diligenter admonendi sunt, se propter illam duntaxat necessitatem absolvi; atque idcircò, si, Deo favente, prosperam valetudinem recuperent, eodem modo gerere se debere, ac si omninò non absoluti fuissent. Quin etiam iis suadendum, vel potiùs districtè injungendum est, ut, statim atque convaluerint, sacrum Pœnitentiæ Tribunal adeant, delicta pleniùs confessuri, aut saltem Confessarium de suo interiore statu certiorem facturi, eique pravos habitus detecturi, propter quos, extra hujusmodi periculum, Absolutionis dilationem experti haud dubiè fuissent.

Quin etiam Infirmus, qui tam gravi sensuum stupore premitur, ut neque confiteri, neque ullum Contritionis signum exhibere possit, si signo aliquo testificetur se reconciliationis beneficium desiderare, vel si id exoptare se priùs manifestaverit, etiam implicitè, Sacerdotem scilicet advocari postulans, vel Pœnitentiæ aut Religionis quodcumque testimonium edens; à quolibet Sacerdote præsente absolvendus est (*l*).

Quod ad eos pertinet qui reconciliationem minimè postulârunt, neque ullo signo, etiam dubio,

(*l*) *Conc. Carth. IV, an. 398, can. 76. Arauf. I, an. 441. can. 12.*

nec præsente Sacerdote, nec aliis præsentibus qui Sacerdoti sufficientem rei fidem faciant, suum desiderium manifestare potuerunt, si Religionem Catholicam professi & Christiano more vitam exigere visi fuerint, neque ulla sit ratio propter quam tunc impœnitentes judicentur; eorum sententiam Theologorum qui hujusmodi ægris Absolutionem concedi posse existimant, tutâ conscientiâ, in praxi sequentur Confessarii, donec aliud ab Ecclesia constitutum fuerit. Evenire quidem potest ut Absolutiò, in hujusmodi casu, propter Contritionis defectum sit irrita. Satius tamen videtur non conficiendi Sacramenti periculum adire, quàm committere, ut, eo deficiente, perdatur anima, cujus in gratiam illud institutum fuit; cùm præsertim fieri possit ut ad ejus effectum percipiendum sit idonea, si Infirmus (prout nonnunquam accidit), quod exteriùs prodere nequit, interiùs sentiat. Nec quemquam moveat quòd Sacramenta cum materia dubia confici vel administrari non oporteat; omnibus enim fatentibus, huic legi, quoad Baptismum, derogare licet: *quæ autem Baptismatis, eadem reconciliationis est causa* (*m*), propter æqualem utriusque in diversis casibus necessitatem.

Major est de illo moribundo difficultas, qui cum fide & spe Christiana Religionem Catholicam professus, ad ejus tamen instituta vitam moresque non ut Christianum decet, componere sollicitus, repentè amisso loquelæ sensuumque omnium usu, obmutescit, nullumque omninò pœnitentiæ signum ostendit. Cùm verò eatenùs in Catholicæ Religionis professione perstiterit, quæ quidem professio adjunctam habet fidem spemque Christianam, etiam in peccatoribus manentem, censeri debet implicitè saltem voluisse ac postulasse ut sibi in tanto periculo Sacramenta ad salutem necessaria conferrentur; *nec illum ipsum ex hac vita sine arrha suæ pacis exire velle* matrem Ecclesiam piè credimus (*n*). Atque illud, quia in extremis extrema tentanda sunt, in praxi tenendum esse existimant multi non infimæ notæ Theologi; saltem si ejusmodi moribundus neque apertè criminosus fuerit, neque in ipso flagitio repentinæ mortis angustiis oppressus.

Jam verò in talibus rerum adjunctis, ubi æger vi subitâ morbi vel inopinato casu oppressus, nec voce, nec ullo signo assentiri potest, semper illi ante Absolutionem distinctè pronuntianda est Confessionis generalis formula, & Contritionis Actus; ut, si fortè interiore sensu vigeat, interiùs assentiatur: & si, post susceptam Absolutionem, illi redeat sermo externusque sensus, de ea certior fiat; ut illam, emisso Contritionis Actu, ratam habeat, utque, cumptimùm poterit, confiteatur.

(*m*) *S. Aug.* de adult. conj. *l.* 1. *c.* 28. (*al.* 35.)
(*n*) *Ibid. Vide Conc. Carth. III*, *an.* 397. *can.* 34. *C.* 26. *q.* 6. *c.* 7. De Pœnit. *dist.* 7. *c.* 2. 3. 4. 6. *S. Leon. Ep.* 91. (*al.* 83.) *c.* 5.

QUOD

Quod si ebrius, aut irâ vehementissimâ percitus ille sit, cui ex ingenti vulnere immineat mortis periculum; eo quidem in statu non est Absolutionis capax: id unum præstare potest Sacerdos, ut summâ charitate & patientiâ Ministerii sui opportunitatem expectet. Interim non moveatur, si verbis furore plenis hominem debacchantem audiat. Pro salute ipsius divinam imploret misericordiam, donec rationis usum recuperaverit, inimico ignoverit, Pœnitentiæ signa qualiacumque ediderit; ac tandem Absolutione dignus ut cumque videatur.

Esset quidem vehementer optandum ut Infirmi suos potissimùm Pastores eligerent quibus confiterentur, suprema scilicet Religionis auxilia eorum ministerio suscepturi, à quibus regenerationis aquâ tincti fuêre, & in quos ex officio incumbit animarum cura; quas proindè *in occursum Dei præparare* nemo striĉtiùs tenetur (*o*). Cùm tamen periculosissimum foret molestiam ullam in extrema vitæ deficientis angustiâ generare Fidelium conscientiis, cùmque tunc præsertim expediat obices difficultatesque removeri, plana omnia fieri, solatia favoresque multiplicari; si Parochi dubitent num Infirmi quos visitant, apud se confiteri velint, his ultrò & sponte suâ alios Confessarios offerant; simulque affirment, se non minore studio ipsis ad cætera sui ministerii officia præstò futuros. Confessarii autem, sive Seculares, sive Regulares, ad audiendas Infirmorum Confessiones accersiti, eas, nisi priùs admonito Pastore, non audiant; ut, quidquid recti ordinis, quidquid condecentiæ, quidquid Pastoralis sollicitudinis ratio suaserit, communicatis consiliis, exequantur. Si tamen, absente Parocho seu Vicario, vel deficiente ad eos vocandos necessario tempore, æger in mortis periculo imminente sit constitutus; statim excipiatur ejus Confessio, quam quidem exceptam fuisse, nullâ interpositâ morâ, Pastori nuntietur.

Si gravis morbus appareat; postquàm absolutus fuerit cujuslibet generis Infirmus, sive tunc tantùm ad bonam frugem conversus, sive jampridem moribus Christianis informatus, eum Sacerdos ad sacri Viatici & Extremæ-Unctionis Sacramenta opportunè fructuosèque suscipienda quamprimùm disponet.

(*o*) *Amos*, 4. 12.



CAPUT IV.

De Pœnitentialis ministerii arcano, *seu* de Confessionis sigillo.

TRIPLICI Jure nixa sigilli obligatio. In ejus violatores pœna irrogata. Ejus violationis malitia triplex, & peccati gravitas. Sigilli materia. Directè vel indirectè violatur sigillum. Consultus in sacro Tribunali, vel extra ipsum. An liceat Pœnitentem de auditis in sua Confessione alloqui. Ad consulendum de iis quæ ad Pœnitentis conscientiam pertinent, quid requiratur. Quàm sacrum, quàm fragile sit Confessionis sigillum. Pœnitentes ad quædam extra Confessionem revelanda nonnunquam adigendi. Sigilli obligatio ex parte ipsorum Laïcorum.

EA Sacramentalis sigilli ratio est, ut, Jure naturali, divino & Ecclesiastico, altissimi atque inviolabilis silentii religionem imponat Pœnitentiæ Ministris, circa illud omne quod eis per Confessionem innotuerit, & quo imprudenter revelato, despectui esset Pœnitens, vel dedecore afficeretur, molestiamve aliquam pateretur. Primò quidem Jure naturali: lex enim naturæ est, ut secretò commissa taceantur; cùm præsertim de fama & publica existimatione agitur, quæ quidem, revelatâ Confessione, sæpiùs laboraret. Deindè Jure divino; nam Pœnitentiæ Sacramento intrinsecum est sigillum, necessariòque ex ejus institutione sequitur. Eo quippè in Tribunali, Sacerdos vicem Dei sustinet, à quo tegitur id omne quod homo detexit. Præterea, sublato sigillo, tollitur & ipsa Confessio, vel sinceritatis defectu irrita efficitur. Quis enim confiteri, aut saltem integrè confiteri velit, nisi certò sciat *tenebroso oblivionis velamento* circumtecta (*a*), ac perpetui silentii sigillo obsignata esse omnia quæ confiteatur? nisi etiam velut *projecta in profundum maris omnia peccata sua* non minùs ex parte conscii Sacerdotis quàm ex parte Dei miserentis confidat (*b*)? Sublato igitur Sacramentali sigillo, ad nihilum, nisi ad hominum perniciem, valet Confessio; quia nempè sinceritatem Confessionis abigit metus revelationis; sicque non delentur peccata, sed multiplicantur sacrilegia. Postremò Jure Ecclesiastico; multis enim Decretis, interpositâ gravium pœnarum interminatione, jam antiquitùs ab Ecclesia sancitum est, ne

(*a*) *Sap.* 17. 3. (*b*) *Michææ* 7. 19.

quis Presbyter culpam ullam in sacro Tribunali auditam revelet (c). Primùm quidem hujus legis violatores, & gradûs amissione, & perpetuâ peregrinatione plectebantur (d). Quâ pœnâ lapsu temporis obsoletâ, sic pronuntiavit Concilium Lateranense IV : » Caveat omninò (Confessarius) ne verbo, aut signo, » aut alio quovis modo, aliquatenùs » prodat peccatorem; sed, si prudentiorum consilio indiguerit, illud » absque ulla expressione personæ » requirat : quoniam qui peccatum » in pœnitentiali judicio sibi delatum præsumpserit revelare, non » solùm à Sacerdotali officio deponendum decernimus, verùm » etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam in arctum monasterium » detrudendum (e) : » quod quidem in foro Ecclesiastico etiamnùm observatur. Animadversioni Canonicæ adjungitur Legum secularium vindicta. In Italia & Hispania, vivi comburuntur Sacerdotes Confessionis sigillum violantes. Nulla quidem apud nos specialiter definita est pœna civilis : eam, pro circumstantiis, irrogant Judices, decretâ insupèr damni compensatione, vel scandali reparatione.

Sigilli autem sacramentalis violatio triplicem includit malitiam : 1°. Sacrilegii, propter violatam Sacramenti reverentiam : 2°. Injustitiæ, quia per hanc Pœnitenti injustè inuritur infamia : 3°. Infidelitatis ; nam Sacerdos Confessiones excipiens tacito pacto se sigilli religione obstringit. Hoc verò peccatum à lethali excusari non potest ob ipsam materiæ levitatem. Neque enim ducitur obligatio sigilli ex gravitate delictorum quæ celari debeant ; sed ex eo potiùs quòd summoperè intersit ne inferatur injuria Sacramento quod in secreto Dei totum abscondirur, quam certè injuriam non tollit levitas peccati revelati ; tum etiam ex eo quòd summâ curâ ac diligentiâ providendum sit ne invisum reddatur Sacramentum usque adeò necessarium & salutiferum, sicque ab eo retrahantur Fideles.

Jam verò materia sigilli sunt peccata quælibet, seu lethalia, seu venialia, & peccatorum circumstantiæ ; ipsamet peccata publica, quatenùs Confessione cognita. Hinc Sacramenti sigillum violaret Confessarius homicidæ publici morte damnari, si cuiquam manifestaret declaratum sibi ab eo fuisse homicidium.

Et sigilli religionem imponit Confessio sacramentalis, sive perfecta, sive tantùm incœpta ; sive legitima, sive irrita ; ipsaque non propriè sacramentalis Confessio hypocritæ hominis, qui ad sacrum Tribunal non animo accusatorio & pœnitenti accedit, ut peccata sua clavibus Ecclesiæ subjiciat, sed ut hominibus ad Confessionem acces-

(c) *Conc. Lateran. IV*, *an.* 1215. *can.* 22.

(d) De Pœnit. *dist.* 6. *c.* 2. *Stat. D. Odonis* de Sully, *Paris. Episc. Syn.* 1. *c. an.* 1198, Capit. circa Confession. *art.* 13. *in Synod. p.* 7. *Conc. Later. sup. l.* 5. *tit.* 38, *c.* 12. *Vide Paulin.* de vita Ambr. *n.* 39.

(e) *Ubi suprà.*

fiſſe videatur, & Confeſſionis teſtimonium à Sacerdote obtineat, quo nempè ad ſuſcipiendum v. g. Matrimonii Sacramentum indiget. Eum ullomodò detegere non licet, ſive ſuam ipſe fateatur hypocriſin, ſive eam aliundè ſuſpicetur Confeſſarius. Ipſum quidem paternè admonere & cohortari debet, ne Sacramenta, Deumque ipſum irrideat, nec animam ſuam in perpetuæ damnationis periculum adducat. Si Sacerdos nihil apud eum proficiat, non idcircò minùs ad ſigillum tenebitur. Et ſi quis fortè imprudenter à Confeſſario quærat an hujuſce indolis homines reipsâ confeſſi fuerint? an eos abſolverit, iiſque Euchariſtiæ perceptionem conceſſerit? omninò ſileat: non verò ſtupens videatur; ſic enim Confeſſionem ſaltem obliquè revelaret. Perindè etiam ad ſigillum eſt, ſi quis apud eum confiteatur, qui abſolvendi poteſtatem habeat, vel habere credatur; ſive ille reverâ ſit Sacerdos, ſive talis exiſtimetur. Nec refert an voce, an ſcripto, an ſigno vel nutu confeſſus fuerit Pœnitens: quoquomodò peccata ſint cognita, ſilentii legem æqualiter imponunt. Servandum quoque eſt ſub ſigillo peccatum complicis quod ex ſola Confeſſione innotuit; quo nimirùm detecto, nonnunquam detegeretur Pœnitens. Idem dicendum de tertii alicujus peccato, ſi Pœnitens ad plenam ſuiipſius accuſationem illud declaraverit; vel ſi neceſſe fuerit eam quæ peccato locum dederit perſonam deſignari. Et ſigilli materia ſunt ipſa peccata quorum detrectata fuit Confeſſio; nec enim poteſt Confeſſarius licitè cuiquam dicere, ſe hujus aut illius peccati Confeſſionem (vel poſtquàm id in publicam cognitionem erupit) à Pœnitente extundere non potuiſſe: ſic nempè eum malè confeſſum, &, ſecutâ Abſolutione, ſacrilegum fuiſſe revelaret. Sub ſigillum etiam cadunt quæcumque illius violandi periculum inducerent, vel in Pœnitentis infamiam, aliudve ipſius gravamen redundarent, vel à Pœnitentiæ Sacramento quemquam retrahere poſſent. Licet tamen Sacerdoti per ſolam Confeſſionis viam acquiſitâ cognitione uti ad acuendam ſibi in moralibus peritiam; tum propter ſuam aliorumve directionem; tum etiam conſilii exquirendi gratiâ, dummodò ſuperiùs expreſſa cautio adhibeatur.

Neque ad ſola peccata extenditur Confeſſionis ſigillum, verùm etiam indirectè ad mandata, ad monita, ad conſilia, ad ipſamet prævia aut ſubſequentia moderandæ conſcientiæ colloquia; imò ad ea omnia quæ ad Confeſſionem quoquomodò pertinent, vel ordinantur. Ad ſigillum tenetur ipſe Superior, à quo licentiam poſtulavit Pœnitens ut Casûs aut Cenſuræ reſervatæ Abſolutionem à ſuo Confeſſario acciperet; incluſa ſiquidem in hac petitione declaratio cùm ad Abſolutionem referatur, ad Confeſſionem ſacramentalem pertinet. Extenditur ſigillum ad ſecularia ipſa Pœnitentis negotia, ad ipſa corporis aut animi vitia naturalia quæ Confeſſionis occaſione innotuerunt: ſi quis v. g. epilepticus ſit, indolis aſperæ, anguſti ingenii. Cætera quæ in Confeſſione narrari contigerit, quamvis

ad Confessionem ipsam nullomodò pertineant, nullumque Pœnitenti detrimentum, nullam infamiam aut verecundiam afferant, non temerè idcircò leviterque evulganda sunt, quò tutiùs vitetur scandalum, neve ipsa quæ Sacramenti sigillum spectant, multiloquio imprudenter admisceri contingat. Imò, etiamsi nullum esset neque scandali, neque frangendi sigilli periculum, multùm vituperandus esset Confessarius qui audita in sacro Tribunali per jocum referret; profectò enim violaretur debita Sacramento reverentia, si ea quæ per illud cognita essent, quasi ad oblectamentum assumerentur.

Duplici autem modo violari potest Confessionis sigillum: scilicet *directè* vel *indirectè*. Violatur *directè*, quandò peccatum Confessione cognitum, & Pœnitens qui illud confessus est, expresse manifestantur: quandò, etiam non expressâ delicti specie, designatus aliquis Pœnitens à Confessario dicitur Casum reservatum commisisse, in Censuram incidisse, peccatum lethale aut veniale confessus esse, certo vitio obnoxius, Dominici Corporis Communione indignus, scrupulosus, Irregularis; certis muneribus, certæ administrationi, sive seculari, sive Ecclesiasticæ inhabilis; ad Ordines non promovendus, ad Professionem Religiosam non admittendus: cùm denique vel Confessio, vel aliquid ad Confessionem pertinens, verbo, scripto, gestu, nutu, conjectu oculi, risu, aliove signo quocumque (*f*), ab ipso revelatur; licèt hæc aut similia detegens, mentiendo moneat se eorum notitiam ex Confessione non esse mutuatum. Ejusdem sacrilegii reatum incurrit, qui, à Pœnitente non rogatus, cum altero Confessario colloquitur de peccatis Pœnitentis, quem uterque confitentem audivit. Illicita sunt hujusmodi colloquia inter duos ejusdem Pœnitentis Confessarios, etiam ut hunc faciliùs atque utiliùs dirigant. Directè similiter violati sigilli offensionem incurrere existimandus esset ille Presbyter, qui, auditâ Rei alicujus Confessione, Judicem ex ejus condemnatione anxium, quieto esse animo juberet; sic enim satis superque huic manifestaret sontem reverà illum fuisse, justoque judicio condemnatum.

Indirectè verò sigillum à Confessario violatur, si revelet denegatam à se Absolutionem *tali* Pœnitenti nominatim expresso, eive *talem* impositam fuisse Pœnitentiam; si dicat se illi Communionem dissuasisse; si, comparationem inter duos Pœnitentes instituens, unum ex iis affirmet in lethale peccatum nunquam incidere, iracundiæ, seu alteri vitio non esse obnoxium, undè colligere pronum videatur, alterum non esse lethali peccato immunem, aut vitiis laborare quibus alter careat; pariter, si, pluribus Pœnitentibus commemoratis, exprimat non se omnibus, sed qui-

(*f*) *Conc. Later. IV, suprà.*

busdam solummodò Absolutionem impertitum esse, aut ex iis unum duntaxat nominatim designatum, lethalia non confessum; si de certa Communitate loquens, de certa Parochia vel urbe, de certo loco ubi Confessiones excepit, affirmet certa ibi delicta, vel generatim gravia peccata committi, quæ solâ Confessionis viâ cognoscat; si Præfectum urbis, Magistratum, aliumve in sublimitate vel Ecclesiastica vel civili constitutum admoneat, etiam secretò, scandala in urbe grassari, opertas tumescere seditiones, aliave recto Societatis ordini contraria cæco tumultu moveri aut perpetrari, de quibus nihil extra Pœnitentiæ Tribunal audierit; si publicè docens, moresque perstringens, conqueratur scelera in Parochia committi quæ non ipsi aliundè quàm è sacramentali accusatione innotuerint; tum, si de vitiis & vitiorum circumstantiis ita in sacro Suggestu disserat, ut conjiciendi locus sit hanc ei cognitionem ex pœnitentiali ministerio provenisse; si, dum Pœnitentem audit sese accusantem, gestu vel sono vocis insueto locum suspicandi præbeat ipsum gravia tunc temporis delicta confiteri; aut si hunc non satis repressâ voce corripiens, peccati confessi gravitatem prodat circumstantibus; si extra Pœnitentiæ Tribunal erga Pœnitentem ita se gerat, ut confessi ab illo peccati suspicionem intuentibus afferat, vel ut Pœnitentis status interior possit ex ipsius Confessarii nutu aliquove signo conjici; si in familiari convictu insolitè agat cum Pœnitente, qui indè peccati quod confessus fuerit, quasi tacitam patiatur exprobationem; si Pœnitenti Absolutionem deneget ob delicta quæ ille fateri nolit, & quæ solâ complicis accusatione Confessario innotuerint; si quem repellat, etiam privatim, à Corporis Christi Communione, propter scelus quod per solam Confessionem cognoscat: si, non aliundè Impedimenti conscius quod virum inter & fœminam intercedat, eos extra Pœnitentiæ Tribunal postulantes Matrimonio jungere detrectet; si, puellam aut viduam non aliter sciens fornicariam, aliquem ab ea uxore ducenda idcircò deterreat; si de audita Confessione scriptum testimonium iis concedat quos absolverit, iis verò deneget quos inabsolutos dimiserit; si ejus consortium fugiat, quem solâ pariter Confessionis viâ excomunicatum noverit; si, cùm sit Superior, non se extra Confessionem in muniis suis obeundis perindè gerat ac si nihil omninò per eam noscere; si, ob solam notitiam ex ea comparatam, exuat sibi subjectum officio, etiam ad nutum revocabili; si indigno qui exteriùs dignior videatur, suffragium deneget; si Clericum ab Ordinibus, si Novitium à Professione repellat; si hominem, quem indignum per solam Confessionem cognoverit, à munere aut administratione, sive Ecclesiastica, sive seculari submoveat, etiam occultè, nec cuiquam manifestatâ ejus indignitate; si famulum, quem eâdem viâ infidelem aut aliàs graviter sontem resciverit, etiam probabili exteriùs adhibito prætextu, dimittat; si demùm, in dubiis con-

ſulens, peccati circumſtantias ita explicet, ut is qui conſulitur facilè poſſit peccatorem dignoſcere, aut ſaltem vehementer ſuſpicari.

Qui in ſacro Tribunali, ſive ante, ſive poſt delictorum accuſationem à Pœnitente conſulitur, ad ipſum tenetur Confeſſionis ſigillum; & illud procul dubio *directè* violaret ejuſmodi conſultationem detegens. Quinimò, ſi quis proprium Confeſſarium extra Pœnitentiæ Tribunal conſulat, eique ſua peccata, aut quædam eorum adjuncta explicet reſpectu habito Confeſſionis ſive priùs emiſſæ, ſive poſteà emittendæ; ſigilli lege obſtringitur Confeſſarius: & ſi quid de illa conſultatione revelaret, iiſdem ſubjaceret pœnis, ac ſi *directè* ſigillum violaſſet. Qui verò extra Confeſſionem & nullâ ejus habitâ ratione conſulitur, cùm non ſit perſonæ conſulentis Confeſſarius, minimè quidem ſigillo aſtringitur, nec pœnas ejus violatoribus irrogatas incurrit; ſed, Jure naturali, conſultationem alto ſilentio premere tenetur; & ſecùs agens, lethaliter peccaret. Ab hac lege excipiuntur conſultationes propter facta publica ſcripto conſignatæ; de quibus nempè juſtam ob cauſam colloqui licet.

Jam verò de prætetitis Confeſſionibus Pœnitentem alloqui poteſt Sacerdos in ſacro Tribunali (modò tamen id prudenter fiat), ut neceſſaria ipſi monita ſuppeditentur, vel ut ipſe inducatur ad ſupplendas Confeſſiones quæ antehàc imperfectæ eſſe potuiſſent. Deficiente hujuſmodi causâ, non licitè in hujuſmodi colloquium deſcenderet, niſi priùs disertè conceſſiſſet Pœnitens. Nec ſine hujus conſenſu ipſum de quibuſcumque in ſua Confeſſione auditis alloqui licet extra Pœnitentiæ Tribunal, niſi, ad Confeſſionis complementum, ſtatim poſt impoſitam Pœnitentiam indultamque Abſolutionem aliquid obſervandum vel explicandum attingatur. Si verò poſteà animadvertat Confeſſarius ſe aliquid grave ad ſuum miniſterium pertinens omiſiſſe, v. g. debitam non injunxiſſe reſtitutionem, pro læſo honore ſatisfactionem, cum inimico reconciliationem, nullam Pœnitentiam impoſuiſſe, Matrimonii Impedimentum occultum & per ejuſdem Pœnitentis Confeſſionem detectum non indicaſſe; cavendum quidem erit ne hujuſmodi omiſſionem Pœnitenti extra Confeſſionem manifeſtet; curandum verò ut Pœnitentem ad ſacrum Tribunal repetendum quàm ſolertiſſimè inducat, intrà quod, illo aſſentiente, id quod defuerit, ſuppleat. Quòd ſi tamen Pœnitens confitendi moras longiùs protrahere velle videatur, & monitionis urgeat neceſſitas; eum benignè roget Confeſſarius ne moleſtè ferat quòd ſibi quædam maximi momenti in memoriam revocentur. Aliàs, omninò non debet Sacerdos cum Pœnitente extra Confeſſionis Tribunal de hujus peccatis colloqui, niſi juſtis de cauſis roget ac velit ipſe Pœnitens. Nunquam autem, niſi cauſa urgeat graviſſima, hanc licentiam poſtulet. Quam ſi deneget Pœnitens, vel triſtis & quaſi invitus concedat,

non instet conscientiæ moderator; tum ut ejus parcat verecundiæ, tum etiam ne Confessionis odium excitetur. Nec verò licet, eò quòd nondùm perfecta sit Confessio Pœnitentis, vel jam effluxerit tempus ad quod dimissus fuerit, eum hortari (etiam privatim) ut ad sacrum Pœnitentiæ Tribunal redeat Confessionem perfecturus; hinc enim Sacramentum odio haberetur.

Ut de rebus ad conscientiam pertinentibus cum Pœnitente colloquatur spiritualis ductor, implicitus quidem huic sufficit illius consensus: ut verò quidquam hujusmodi cum aliis tractare possit, necessaria est expressa Pœnitentis licentia; quæ quidem nisi ob causas admodùm graves non est postulanda. Et quamvis Pœnitens eam ex lévi ratione concedat, ne tamen facilè ipsâ utatur Confessarius, non modò ut vitetur scandalum, verùm etiam quia timendum fortè est ne ille idcircò tantùm assentiatur, quia denegare non ausit. Hujus autem postulationis frequentior atque probabilior causa est, si Confessarius, propter aliquam difficultatem quam solvere solus nequeat, aut solvendam in se non recipiat, peritos consulere exoptet (*g*). Quo quidem in casu diligenter caveat ne Pœnitens extra ineluctabilem necessitatem detegatur: & cùm adest hujusmodi necessitas, obtinenda nihilominùs est expressa Pœnitentis assensio.

Quandò igitur in audiendis Confessionibus aliqua occurrit difficultas quæ peritorum consilium requirat; tantâ prudentiâ consulat Sacerdos, ut Pœnitens dignosci nullomodò possit (*h*): ideòque eas proposito Casui affingat circumstantias, quæ à consultis vel levissimam removeant personæ suspicionem. Nunquam exprimat consultor, neque locum, neque tempus quo apud suum Tribunal emissa fuerit Confessio difficultati locum præbens: dicat generatim se difficilis Casûs exquirere solutionem; aliquem verò apud se confessum esse, omninò reticeat. In locis non multùm populosis, ubi alius alium facilè cognoscit, abstineant Confessarii à consulendis ejusdem loci Presbyteris; difficile enim admodùm esset illæsum tueri sigillum. Quòd si necessaria sit consultatio; ea sic instituatur, ut Pœnitentes detegi prorsùs nequeant. Aliquandò satius esset, idque unum fortasse tutum, si, certis in Casibus de quibus consuli sine periculo vix possunt Presbyteri Diœcesani, aut ipsemet Ordinarius loci Pontifex, seu Vicarii-generales, consilium extra Diœcesim quæreretur; vel si mitteretur ipse Pœnitens doctores consulturus. Et fieri nonnunquam potest ut revelationis metus omnem prorsùs consultationem excludat. Tunc Sacerdos probatissimorum in moralibus Auctorum lectioni incumbat, à quibus *illuminationem scientiæ* (*i*), præsertim invocato *Patre luminum* (*k*), sibi mutuetur: ac denique, si deficiat ipsa

(*g*) *Conc. Ticin. an.* 860. *can.* 6.
(*h*) *Later. IV*, *cap.* 21.
(*i*) 2. *Cor.* 4. 6.
(*k*) *Jac.* 1. 17.

ipsa librorum doctrina, orationi instet ferventiùs, ut ipse sibi consiliarius factus, rem transigat quàm poterit sapientissimè.

Itaque ad sigillum adeò strictè tenetur Confessarius, ut eo eximi nunquam possit, vel propter ullam necessitatem, sive publicam, sive privatam, sive spiritualem, sive temporalem; vel propter ullius, quantacumque auctoritate pollentis, voluntatem exequendam; vel propter ullum, sive exterius, sive interius, sive publicum, sive privatum domesticumve regimen (*l*); vel propter ullam causam, etiam ad impedienda peccata, profanationes, ipsamque sacrilegam divinæ Eucharistiæ sumptionem, Hæreses, seditiones, incendia, vastationes, direptiones; ad arcendum à Parochiali Beneficio malum Sacerdotem, qui lupus in vestimento Pastoris futurus esset; quid plura? etiamsi propriæ aut aliorum vitæ, salutis animarum, Parochiæ, urbis, Reipublicæ totiusque orbis periculum immineret.

Si quis igitur Confessarium interrogare ausit de Pœnitentis Confessione, de scelere cujus illi aspersa inhæreat suspicio, de sua in eum circa Absolutionis beneficium agendi ratione; pro responsione hæc malè curiosum perstringat Sacerdotis objurgatio: Non Christiani, sed impii esse talem quæstionem; officio functum se esse, de quo nulla cuivis homini sit ratio reddenda. Huic responsioni firmiter insistat, etiamsi affirmet temerarius interrogator se delicta Pœnitentis ex eo ipso cognoscere, à quo scilicet acceperit eumdem cuncta in Confessione declarasse. Si tamen consilium petenti respondere necessariò debeat, asseveret primò se nihil omninò de tali Pœnitente posse dicere; si verò generatim de *tali* casu consulatur, generatim respondeat, maximèque caveat ne quid de statu Pœnitentis possit intelligi. Quinimò juridicè interrogatus de alicujus peccato quod ex sola Confessione cognoverit, affirmare (etiam jurejurando) potest ac debet se illud nescire. Ne autem vanâ mendacii & perjurii specie perturbetur animus: etenim Confessario, non tanquam homini, sed tanquam Deo, delictum à Pœnitente revelatum est: & quamcumque interrogationem ulteriùs adhibeat Judex, priori responso eadem simplicitate semper inhæreat. In quolibet eventu, ad detegendum scelus quodcumque, nullius momenti aut roboris esse potest Confessarii testimonium (*m*). In judicium vocatus, se Confessarium esse respondeat; nihilque ultrà loquatur. Propositis tormentis, præsente morte, *obediat Deo magis quàm hominibus* (*n*). Felix ille, cujus sors fuerit cum sancto Joanne *Nepomuceno*; à quo nempè uxoris Confessionem cùm sibi revelari contenderet Princeps effrænato zelotypiæ motu percitus, ipse silentii religiosè tenax, quamvis *jussio atrox ur-*

(*l*) *Sylvius*, in suppl. q. 11. art. 1. q. 3.

(*m*) *Honor. III. l. 5. tit. 31. c. 13.*

(*n*) *Act. 5. 29.*

geret (*o*), *non fecit secundùm verbum Regis*, *sed secundùm verbum Legis* (*p*); ac denique sacramentalis sigilli Martyr occubuit (*q*).

Quemadmodùm verò omnes revelandi modos probibet hoc sigillum (*r*), sic omnia tempora includit ejus obligatio. Post mortem Pœnitentis adhùc illa perseverat; neque enim Confessario licet mortuis Pœnitentibus magis quàm viventibus detrahere: ac si profani meritò habentur ii qui cineres tumulo quiescentes violare non perhorrescunt, multò minùs puri existimandi essent qui ad commaculandam famam cineri superstitem sacro ministerio abuti non vererentur. Nec fas est in gratiam aut commendationem Pœnitentis sacramentale quidquam revelare. Haud quidem insons diceret Confessarius se *tali* Pœnitenti Absolutionem impertitum esse, & Communionem permisisse; eum bonæ atque integræ esse conscientiæ. Nec revelare potest, etiam eo mortuo, ipsum nunquam nisi venialia confessum; sic enim, quod de illo prædicaret, de aliis negare videretur laudator imprudens.

Ex dictis intelligere est quàm sacrum & simul quàm fragile sit Confessionis sigillum. *Ponant* igitur Confessarii *custodiam ori suo* & *ostium circumstantiæ labiis suis* (*s*), ne *verba præcipitationis* & inconsiderantiæ (*t*), cum illius detrimento, erumpant. Altâ mente repositum gerant sese notitiâ per Confessionem acquisitâ uti nunquam posse, nisi intrà ipsum Pœnitentiæ Tribunal, atque erga eumdem Pœnitentem; nec sibi licere cum iis ipsis qui delictorum apud se confessorum participes fuerint, de his delictis colloqui, nisi hæc etiam aliundè comperta habeant; tuncque ut vitetur scandalum, hujusmodi colloquium extra casum veræ necessitatis institui non debere. De peccatis in sacro Tribunali auditis nunquam inter se confabulentur. Quòd si tamen aliquâ necessitate cogantur sese mutuò de quibusdam noxis apud se depositis consulere, id nisi magnâ adhibitâ circumspectione non peragant, ne labiis imprudentibus effluat Confessionis arcanum. Nunquam autem consultoria de suis Parochianis aut Pœnitentibus colloquia misceant coram Laïcis. Primò enim hujusmodi consultatio grave illis pareret scandalum, eosque à Confessione averteret. Prætereà verò, licèt detegi nequaquàm posse existimentur qui talia confessi fue-

(*o*) *Dan*. 3. 22.
(*p*) 1. *Mach*. 2. 33. & 2. *Mach*. 7. 30.
(*q*) Erat Ecclesiæ Pragensis Canonicus, Wenceslai IV Imperatoris & Bohemiæ Regis frustratâ curiositate sacrilegâ, carcerem passus & immania tormenta, vinctis manibus ac pedibus in Vuldaviam flumen demersus est, 16 Maii 1383. Eum inter Sanctos retulit Bened. XIII, an. 1729. Voy. les *Vies des Saints*, par M. l'Abbé Godescard, Chan. de S. Honoré, nouv. éd. Paris, Barbou, 1784; Tom. IV, pag. 335.
(*r*) *Conc. Later. IV*, *can*. 21.
(*s*) *Ps*. 140.
(*t*) *Ps*. 51.

tint, periculum tamen ibi adest revelationis, ubi adesse minimùm creditur; atque interdùm contigit ut astantes, ex variis rerum adjunctis inter se coagmentatis, in personarum notitiam aut vehementem suspicionem devenerint.

Et ne quid prætereamus quo possit illud arcanum asseri atque in tuto collocari, hoc etiam commonendum censemus (quod utinam commonere supervacuum esset!): Sacerdos Confessionibus audiendis præpositus, nulla unquam nisi *sobrietatis verba* efferat (*u*). In homine, præsertim Christiano, turpissima est ebrietas, in Presbytero abominanda (*x*), in Confessario infanda. Quod vitium nisi hic penitùs devitet, in perpetuo sigilli violandi periculo versabitur; *nullum* enim *secretum est, ubi regnat ebrietas* (*y*).

Quod si verò Pœnitentiæ Minister nunquam neque *directè*, neque *indirectè*, Confessionis sigillum violare debet; aliquandò, è contrario, evenire potest ut Pœnitens aliquid ad suam Confessionem pertinens extra forum internum revelare teneatur: ut fit, cùm necessaria est hujusmodi revelatio ad avertendum grave malum imminens quod injustè alicui tertio inferretur, cujusmodi sunt mors innocentis, domorum incendia, conjuratio adversùs Regem aut Rempublicam. Extra hos vel similes casus, peccaret Pœnitens atque imprudenter se gereret, si peccata declarata, si Satisfactionem sibi impositam, si specialia ipsa Confessarii monita cuiquam sine causa sufficienti manifestaret.


Porrò ex parte Confessarii non violatur sigillum, si quandò à nocentibus incarceratis exigat ut sua Judici seculari juridicè interroganti scelera fateantur, ut scelerum socios detegant, ut calumnias retractent, ut aliud quidquam ad damna resarcienda, seu ad mala impedienda necessarium exequantur. Tunc enim ipse nihil revelat, sed tantùm Pœnitentibus id quod præstare debent, ex officio injungit; quibus utique non obtemperantibus Absolutionem deneget, & sileat. Si verò aliquid non sub peccati reatu sit necessariò revelandum, minimè compellendus est Pœnitens ad hanc revelationem, etiamsi utilis fore existimetur.

Cæterum, lege naturali, ad sigillum tenentur etiam Laïci, qui fortuitò aliquem se in sacro Tribunali accusantem audierint, vel scriptam ejus Confessionem casu amissam repererint; qui ad confitendum interpretes ei fuerint; qui ab imprudenti Confessario, seu à quovis alio, peccatum in Confessione depositum quoquomodò resciverint. Quod ad eos at-

(*u*) *Act.* 26. 25.
(*x*) *Conc. Venet. an.* 465. *can.* 13. *Agath. an.* 506. *can.* 41. *Cloveshov. II, an.* 747. *can.* 21. *Later. IV, cap.* 15.
(*y*) *Prov.* 31. 4.

tinet qui scriptam Confessionem repererunt, ii graviter peccant, si, delictorum memoriale esse ubi primùm senserint, id legant malè curiosi. Debent igitur statim ejusmodi chartam igni tradere. Quòd si ex animi simplicitate eam ad Parochum aliumve Sacerdotem detulerint; eam ipse non lectam, continuò coram ipsis exurat, vel minutim conscindat.





APPENDIX PŒNITENTIÆ: DE CENSURIS.

Sic distribuetur hujus Appendicis materia, ut disseratur, 1°. *De Censuris in genere :* 2°. *De Censurarum divisionibus, aliisque circa ipsas generaliter observandis :* 3°. *De Excommunicatione :* 4°. *De Excommunicatione ad finem revelationis,* seu *de Monitoriis,* 5°. *De Suspensione :* 6°. *De Interdicto :* 7°. *De Absolutione à Censuris :* 8°. *De Cessatione à Divinis.*

CAPUT PRIMUM.

De Censuris in genere.

Censoris potestas apud Romanos. In Ecclesia, quanam auctoritate feratur Censura. Quid sit ; à quibus, propter quid, quo fine, in quos infligatur ; quæ bona per ipsam adimantur.

Olim apud Romanos fuit magistratus insignis, *Censura* videlicet; quam qui gerebant, maximâ erant auctoritate præditi ad continendos in officio cives, omniumque ordinum mores justâ severitate corrigendos. Ii nempè quoscumque perditos ac dissolutos honore civium privare, tribu movere, de gradu dejicere, ipsosque Patricios & Consulares, primarios viros, si quid probrosum atque ab imperii majestate alienum ausi fuissent, Senatu expellere (1) poterant, quin potiùs ex officio tenebantur ; certis etiam notatis artibus, quas qui exercerent, publicè infames haberentur, censoriæque animadversioni essent quasi ipso jure obnoxii. Sic » cùm » artem ludicram scenamque totam » in probro ducerent (Romani), » genus id hominum non modò ho» nore civium reliquorum carere, » sed etiam tribu moveri notatione » censoriâ voluerant (*a*). » Simili quadam ratione Ecclesia Dei aliquas

(1) Cic. *de Senect.* n. 42.

(*a*) *Fragm. Cic.* de Republ. *l.* 4. *apud S. Aug.* de civ. Dei *l.* 2. *c.* 13.

ad correctionem delinquentium infligendas instituit pœnas severas, quas quidem *Censuras* appellat, quibus ceu disciplinæ Ecclesiasticæ nervis, ad cohibendos in officio, vel ad ipsum revocandos, & filios, & Ministros suos utitur: saluberrimo utique consilio, si modò sobriè & circumspectè adhibeantur.

Cùm igitur Absolutio à Censuris sit actus potestatis Clavium, earumque cognitio Confessariis maximè necessaria, ne in absolvendis Pœnitentibus facultates sibi concessas prætergrediantur; hìc brevem de Censuris subjungendam esse duximus Appendicem.

Esse in Ecclesia potestatem Clavium, ad quam pertineat ferendarum Censurarum auctoritas, ex hac Domini sententiâ liquet: *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhibe tecum unum vel duos. Quòd si non audierit eos, dic Ecclesiæ; si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo* (*b*).

Nequaquam igitur à Populo Christiano in primos Ecclesiæ Pastores, sed ab ipsomet Christo Pastorum Principe derivata est ferendarum Censurarum auctoritas; eamque illi, nomine & vice Christi, non verò nomine totius Corporis Fidelium exercent. Et quidem eâ potestate divinitùs concessâ, & regimini Ecclesiastico necessariâ, ab ipsis Ecclesiæ incunabulis ad nostram ætatem usi sunt Apostoli, eorumque successores Episcopi, ut colligitur ex omnibus ferè Conciliis ac plerisque sanctis Patribus. Simon Magus, ut intellectum legimus in Canone inter *Apostolicos* trigesimo, à Beato Petro excommunicatus fuit his verbis: *Non est tibi pars neque sors in sermone isto* (*c*). Incestum Corinthium (*d*), Hymenæum & Alexandrum excommunicavit Gentium Apostolus, cùm eos *tradidit satanæ* (*e*). Ac semper deinceps, ubi se dedit occasio, Censuris usa est Ecclesia: quo quidem velut fræno coërcerentur delinquentes, eorumque frangeretur contumacia, cæteri cautiores efficerentur, publicæque offensioni satisfieret. « Nemo igitur » contemnat vincula Ecclesiastica; » non enim homo est qui ligat, » sed Christus, qui dedit hanc li» gandi potestatem (*f*). » Docentibus Pastoribus, intelligat unusquisque Fidelis quàm formidandæ sint ejusmodi *castigationes & Censuræ divinæ* (*g*). Quæ quidem *arma non carnalia sunt, sed potentia Deo; ad destruendam omnem altitudinem extollentem se* adversùs Dei & Ecclesiæ mandata (*h*); undè Sponsa Christi, gemens columba, semperque divini Sponsi *mansuetudinem & modestiam* retinens, in promptu

(*b*) *Matth.* 18. 15. 16. 17. 18.
(*c*) *Act.* 8. 21.
(*d*) 1. *Cor.* 5. 3. 4. 5.
(*e*) 1. *Tim.* 1. 20.
(*f*) *S. Chrys. Hom.* 4. in Ep. ad Hebr.
(*g*) *Tert.* Apol. *c.* 39.
(*h*) 2. *Cor.* 10. 4. 5.

habeat *ulcisci omnem inobedientiam* (*i*).

Itaque Censura est *Pœna Ecclesiastica, spiritualis & medicinalis, ob grave peccatum in foro externo pronuntiata; per quam homo baptizatus, pubertatis annos adeptus, delinquens & contumax, privatur usu bonorum spiritualium Fidelibus communium, quæ sunt in Ecclesiæ potestate.*

Pœna est, ideòque peccatum supponit: in quo quidem Censura distinguitur ab *Irregularitate*, quæ sæpiùs oritur ex solo corporis aut animi defectu inculpato, & potest in integerrimo quoque reperiri. Hinc pariter non includit *Cessationem à Divinis*, quæ non tam pœna est, quàm luctûs tristitiæque signum.

Est *pœna Ecclesiastica* (*k*), id est, à Superioribus Ecclesiasticis Jurisdictionem in foro externo habentibus infligenda; scilicet à Conciliis, tum Œcumenicis, tum Provincialibus, à summo Pontifice in tota Ecclesia, ab Episcopis, unoquoque in sua Diœcesi, eorumque Vicariis-generalibus, seu Officialibus, vel Officialium vices gerentibus, ab ipsismet Cathedralium Ecclesiarum Capitulis per suos Vicarios-generales, Episcopali Sede vacante; quin etiam ab iis qui Jurisdictione *quasi Episcopali* fruuntur, servatis tamen iis quæ servari Jus præcipit; ab iis etiam quibus legitimè delegata fuerit hæc potestas, servatâ limitatione ad tempus, ad personas, ad crimina, ad conditiones, quâ delegatio circumscribitur. Nec pendet ab Ordine illa auctoritas; sed requirit tantummodò ut qui eam exercet, Clericus sit, Jurisdictionem habens fori externi. Presbyteri, etiam Parochi, nullam ex se habent potestatem ferendi Censuras, nisi quatenùs à summo Pontifice, vel ab Episcopis delegati. Eæ verò à quibuscumque, de mandato Superiorum, promulgari, seu *intimari* possunt. Quinimò ad eas promulgandas tenentur ipsimet Regulares, etiam ab Episcopali Jurisdictione immunes (*l*).

Est *pœna spiritualis*; etenim per Censuram adimitur delinquenti usus bonorum spiritualium, qualia sunt Sacramentorum participatio atque administratio, jus ad Missæ divinorumque Officiorum auditionem, ad publica suffragia, ad sepulturam Ecclesiasticam, &c. Interdùm etiam temporalia quædam bona auferunt Censuræ, non quidem per se, sed virtute legum quas Principes Christiani, quoad fieri potuit, ad morum Evangelicæque disciplinæ tutelam attemperaverunt (*m*). Sic nempè, Excommunicati, quamdiù ligati remanent, infames habentur, intestabiles, atque ad plurima vitæ civilis munia inhabiles (*n*).

(*i*) *Ibid. v.* 1. & 6.
(*k*) *Decret. Greg. IX, l.* 1. *tit.* 31. de off. Judicis ordin.
(*l*) *Conc. Trid. Sess.* 25. *c.* 12.
(*m*) *Bossuet*, defens. Cleri Gall. *p.* 2. *l.* 5. *c.* 22.
(*n*) *Conc. Narb. an.* 1551. *can.* 60.

Est *pœna medicinalis*; & consequenter ex se non est perpetua. Ecclesia siquidem, pia mater, vel æquissimæ ultionis flagella in filios rebelles non quatit nisi gemens atque invita: eorum quos amanter castigat, resipiscentiam semper in votis habet, *vulnerans ut medeatur* (*o*), sæviens ut prosit (*p*). In quo quidem Censura differre intelligitur à pœnis solam pœnarum naturam habentibus, quales sunt *depositio*, *degradatio*, &c. quæ ex se perpetuæ sunt, neque instar medelæ, sed ad vindictam terroremque infliguntur.

Fertur *ob grave peccatum*. Cùm Censura pœna sit gravissima, positum hoc ipso intelligitur delictum gravissimum; æquum est enim ut *Judex pœnam metiatur ex culpa* (*q*). Nemo igitur ob solum veniale delictum Censurâ perstringi posset, nisi fortè *Excommunicatione minore*, quæ non propriè & strictè Censura est, & nonnunquam ex culpa non ita gravi incurritur. Vera Censura non infligitur nisi propter lethale peccatum. At verò peccati gravitas non modò ex illius naturâ æstimatur, sed etiam ex causa ferendæ Censuræ, ex variis denique circumstantiis; v. g. è scandalo, ex oppositione actûs cum bono publico, vel cum decentia instituti Clericalis, ex infractione notabili Ecclesiasticæ politiæ, ex contumacia detrectandi mandatum Ecclesiasticum. Nec tantùm requiritur ut peccatum quod Censurâ plectitur, sit lethale, sed etiam ut sit exterius, in suo genere completum & consummatum, ac disciplinæ contrarium. Exterius quidem, de quo nempè in foro externo judicare possit Ecclesia. Solus Deus cordis penetralia intuetur (*r*); Ecclesia de internis, scilicet de cogitationibus, desideriis, intentionibus, nisi in arcano Pœnitentiæ Tribunali, non judicat. Necesse est præstereà ut peccatum sit in suo genere completum & consummatum; nec sufficit *malevolam animam* verbis, minis, signis exterioribus prodiisse: requiritur ut actus in ea sit perfectus morali specie quæ per Censuram prohibetur; nisi fortè in ipsum actum solummodò inchoatum & attentatum expresè lata fuerit Censura. Diximus *expressè*; lex quippè humana neque obstringit, neque operatur ultra Superioris intentionem, quæ ex ejus verbis ad litteræ apicem explicanda est, juxta illud Juris effatum: *In pœnis benignior est interpretatio facienda* (*s*).

Pronuntiatur *in foro externo*: illi enim Censuram ferunt, quibus competit Ecclesiastici regiminis exterioris Jurisdictio, licèt Ordinis potestate careant; cùm, è contrario, Pœnitentiæ Minister peccatorem à sacra Mensa submovens, & sic eum boni spiritualis exortem faciens, nullâ eum Censurâ constringat.

Censura fertur *in hominem baptizatum*:

(*o*) *Job*, 5. 18.
(*p*) 1. *Cor.* 5. 5.
(*q*) De pœnis, *cap.* 5. *in* 6. *Vide Conc. Aurel. V*, *an.* 589, *can.* 2. *Aderat* Saffaracus, *Parif. Epifc.*
(*r*) 1. *Reg.* 16. 7.
(*s*) *Juris regula* 49. *in* 6.

zatum : in eos qui baptizati non sunt, nullam Jurisdictionem habet Ecclesia; *quid enim mihi*, inquit Apostolus, *de iis qui foris sunt, judicare* (t)?

Nec satis est ut, per Baptismum, Ecclesiæ ipsique Superiori Censuram infligenti subjectus sit is qui pœnâ hujusmodi plectitur; sed præterea requiritur ut sit adultus, & rationis usu polleat, ideòque sit obligationis & delicti capax. Imò, quidquid sit de quæstione Juris inter Theologos controversâ, utrùm expediat Censuris ligari impuberes, id est, mares, quatuordecim, & fœminas duodecim annis minores, id certè constat, nec Censuras *ab homine* in eos ferri debere, nec ipsos iis latis astringi; tum quia praxis contraria gravissimis obnoxia foret difficultatibus, quas pia mater Ecclesia, quantùm potest, removet; tum quia *in pueris relinquitur inultum*, scilicet non eodem modo ultum, *quod in aliis provectioris ætatis severiùs est puniendum* (u). Nos quidem eam praxim quæ ab omnibus Censuris impuberes eximit, hac in Diœcesi servandam esse intendimus.

Fertur *in delinquentem*. Quale debeat esse delictum, jàm diximus.

Postremò requiritur ut delinquens sit *contumax*. Intendit Ecclesia medelam peccato adhibere: sed medela hujusmodi erga eos solos impenditur, qui obstinato animo in culpa sua perseverant, non autem in eos qui culpam emendârunt (x). Nam quemadmodùm sapiens medicus ignem aut ferrum membro affecto haudquaquam admovet, nisi vulnus, incassùm adhibitis omnibus medicamentis, aliter sanari non possit; sic Ecclesia bonorum spiritualium imminutione in quemquam non sævit, nisi priùs ipse, *Ecclesiam non audiens* (y), repetitis ejus monitis rebellem se exhibuerit, nec possit aliâ mitiore animadversione ad officium ac saniorem mentem revocari. Enimverò » diligentis & » pii simul Pastoris officium est, » morbis ovium levia primùm ad- » hibere fomenta; pòst, ubi morbi » gravitas ita postulet, ad acriora » & graviora remedia descendere: » sin autem ne ea quidem profi- » ciant illis submovendis, cæteras » saltem oves à contagionis peri- » culo liberare (z). » Hinc semper vult Ecclesia, sive Legis promulgationem, sive monitiones Canonicas, ceu fulmini fulgur, Censuris præire; ne Fideles eam pœnam ignorent quâ plectendi sunt, si scelera committant, aut si parem commissis pœnitentiam agere detrectent. Atque idcircò, qui peccatum quod committit, sub pœna Censuræ prohiberi nullâ suâ culpâ ignorat, Censuram minimè incurrit, saltem in foro interno.

Adimitur verò per Censuram *usus bonorum spiritualium quæ sunt in Ecclesiæ potestate*. Quod quidem ut intelligatur, observandum est in

(t) 1. *Cor.* 5. 12.
(u) *Cap.* 10, de delictis puerorum.
(x) *S. Thom.* addit. ad 4. part. q. 21. a. 3.
(y) *Matth.* 18. 17.
(z) *Conc. Trid. Sess.* 13. de Ref. c. 1.

Ecclesia triplicis generis bona distingui : alia nempè quæ Christus, tanquam caput in membra influens, per se ipse infundit, ut gratiarum virtutumque dona ; alia quæ, nisi per suos Ministros, non communicat, ut Sacramenta, Beneficia, &c. alia demùm quæ ex communi membrorum nexu & consortio exurgunt, ut orationum suffragia, mutuaque subsidia. Primis generis bona, ceu gratia sanctificans & actualis, quæ sunt privata & recipientis propria, semper à Christo concedi possunt : undè ipsa Excommunicationis Censura per se non impedit quin Excommunicatus auxilia supernaturalia à Christo recipiat, quibus moveatur ad Contritionem perfectam, quam statim subsequitur gratia sanctificans. Censura igitur non spoliat nisi bonis secundi & tertii generis, quorum utique administratio ad Ecclesiam pertinet. Ea quidem aufert *immediatè ; mediatè* verò & indirectè quædam bona temporalia, ut Beneficii fructus qui à spiritualibus pendent ; ex se enim privare non potest aliis bonis temporalibus quæ ipsius Jurisdictioni atque administrationi non subjacent.

Porrò, cùm cujuslibet Censuræ ferendæ potestas *in ædificationem* concessa fuerit, non verò *in destructionem*, hinc facilè intelligitur, cætera remedia quæ suggerit charitas, priùs tentanda esse quàm Censurarum severitas exeratur : atque idcircò « in causis judicialibus mandatur (à Synodo Tridentina) omnibus Judicibus Ecclesiasticis, ut, quandocumque executio realis vel personalis in qualibet parte judicii propriâ auctoritate ab ipsis fieri poterit, abstineant se, tam in procedendo quam in definiendo, à Censuris Ecclesiasticis (*a*). »

(*a*) *Conc. Trid. Sess.* 25. *cap.* 3. de Ref.



CAPUT II.

De Censurarum divisionibus, aliisque circa ipsas generaliter observandis.

Censura à Jure, *Censura* ab homine. *Censura* latæ sententiæ : *Censura* ferendæ sententiæ. *An Censura sit semper justa & valida. Quomodò gerere se debeat is qui se existimat injustâ Censurâ percussum. Quibusnam formis ferantur Censuræ. Quomodò in eos agere liceat, qui Censuris ligati, nec tamen denuntiati sunt ; & quibusnam formis observatis denuntiandi sint. Quid observandum aliquâ Censurâ ligatis, nec tamen denuntiatis. Quænam ignorantia eximat à Censuris. Quinam Censuris obnoxii. Censurarum divisio solemnis in* Excommunicationem, Suspensionem & Interdictum.

Censuræ aliæ sunt *à Jure*, aliæ verò *ab homine* (*a*). Censura *à Jure*, ea est quæ sanctione generali & permanente, per modum Legis fertur in omnes tale crimen commissuros, non tam ut scelus admissum puniat, quam ut ab eo admittendo deterreat : & hæc non alias, quàm ipsa Lex, formas requirit. Ejusmodi Censuræ generales in Conciliorum & summorum Pontificum Decretis, seu in Jure Canonico, & in Synodalibus Diœceseôn Statutis, necnon Episcoporum Mandatis generalibus & permanentibus consignantur, tamdiùque obstringunt, quamdiù non sunt abrogatæ ; ita ut, quanto tempore Lex viget, qui in delictum per hanc Legem prohibitum inciderint, Censuræ gladio subjaceant. Censura *ab homine*, ea est quæ transitorio Mandato, vel Sententiâ Judicis, per modum Judicii pronuntiatur in certos quosdam privatos, propter peccatum jam commissum ; sive persona Judici nota sit, ut quandò nominatim excommunicatur *Titius* ; sive ignota, ut quandò excommunicatur qui in tali incendio quidquam furatus est, nisi, post Monitorii promulgationem, ablatum restituat (*b*).

Est autem aliud genus Censuræ *ab homine*, quæ fertur non modò ut peccatum jam admissum puniatur, verùm etiam ne in posterum committatur : exempli gratiâ, si sub pœna Suspensionis prohibeat Episcopus ne Clerici in popina comedant aut bibant. Jam verò, inter ejusmodi Censuram per modum

(*a*) De sent. Excomm. *in* 6. (*b*) *Ibid.*

Mandati generalis ab Episcopo latam, & Censuram *à Jure*, nullum aliud discrimen est, quàm quod apponit Episcopi Legislatoris intentio; qui cùm legem perpetuam ferre constituit, eo ipso Censuram *à Jure* ferre intendit: si verò Legem nolit ferre perpetuam, sed, ipso vel Jurisdictione orbato vel mortuo, suspendendam vel cessaturam; tunc Censuram *ab homine* ferre censetur. Quibus autem notis & characteribus discernenda sit utraque illa intentio, ideòque internoscenda Censura *generalis ab homine*, & Censura *à Jure*, non multùm laborandum est; quia nempè Censuræ generales *ab homine* non solùm raræ sed (præsertim in Galliis) prorsùs inusiratæ sunt. Quæ ergò passim in hujus *Appendicis* decursu de Censuris *ab homine* dicentur, hæc de specialibus intelligi oportet, nisi aliud disertè exprimatur.

Censura omnis *à Jure* sine ullâ forma judiciaria vim habet, & incurritur post *cessum & decessum* Superioris à quo sancita est. Formâ autem judiciariâ indui debet Censura *ab homine*, non in forma Mandati generalis pronuntiata: & hæc desinit per mortem vel abdicationem Præsulis qui eam tulit; ita ut, nisi ante ipsius *cessum* vel *decessum* jam contracta fuerit, posteà non incurratur. Nam, desinente Superioris vitâ, desinit ipsius voluntas specialis; desinente Jurisdictione, desinit Mandatum speciale, ipsa proindè Censura. Undè, si Judex Ecclesiasticus Sententiam Excommunicationis in quempiam sub hac conditione ferat, *nisi intrà mensem præcepto optemperaverit*, nondùmque elapso mense Judex moriatur, vel Jurisdictionem amittat, non incurritur Excommunicatio. Qui autem, eo vivente & Jurisdictionem retinente, Censuram incurrit, ligatus manet, etiamsi intereat vel Jurisdictione excidat ille Superior; & ab ejus Successore, vel à Capituli Vicariis-generalibus, Episcopali Sede vacante, absolvendus est.

CENSURA insupèr, alia dicitur *latæ sententiæ*, alia *ferendæ*. Prior solâ Legis infractione incurritur, & secum executionem involvit, sine alia cujusvis generis declaratione: posterior verò non incurritur nisi accedat Sententia Superioris, vel Judicis Ecclesiastici; & *comminatoria* dicitur. Signa *latæ sententiæ* dignoscuntur ex ipso tenore Legis, in qua ponuntur verba sive *de præsenti* sive *de præterito*; exempli causâ: *Sit anathema, sit excommunicatus; suspensionem incurrat, sciat*, (vel *noverit*) *se esse interdictum; eo ipso, ipso facto, ipso Jure sit excommunicatus, suspensus, interdictus; suspendimus; excommunicatur; habeatur pro excommunicato, suspenso, &c.* Censura autem *ferendæ sententiæ* verbis comminatoriis & futuri temporis concipitur, in hunc modum: *Sub pœna excommunicationis, sub interminatione anathematis; suspendatur; suspendi debet; excommunicabitur, suspendetur; ab ingressu Ecclesiæ arcebitur, &c.*

Cæterùm, quidquid sit de præfatis aliisque similibus notis & characteribus quibus distingui solent utriusque hujus generis Censuræ, de

quorum nonnullis dissentiunt Theologi & Jurisperiti, hìc duo, tanquam certa, observanda sunt: 1°. in iis spectandum esse usum communem, atque Legislatoris intentionem: 2°. in dubio judicandum Censuram *ferendæ sententiæ* esse; quia scilicet, ut jam diximus, *in pœnis benignior est interpretatio facienda.*

CENSURA *à Jure*, seu *à Canone*, semper valida & justa est: undè pervulgatum illud effatum: *A pœna Juris non appellatur.* » Sed Censura *ab homine* nonnunquam potest esse injusta ex parte excommunicantis; qui, verbi gratiâ, » ex ira vel odio excommunicat, » aut formalitates accidentales omittit (*c*). » Irrita pariter esse potest Censura *ab homine*; si nempè feratur ab eo qui Jurisdictione careat; si feratur ob causam non sufficientem aut falsam, nullo videlicet crimine commisso, vel eo quod commissum fuerit, non satis probato; aut si, prætermissis formis de Jure necessariis, vel post legitimam appellationem feratur. Quòd si Censura evidenter & *notoriè* sit irrita vel injusta; nec coram Deo, nec coram hominibus ligat. Censura, in se, non verò publicè & notoriè irrita vel injusta, haud quidem, coram Deo, sed coram hominibus vim suam obtinet. Hinc illud sancti Gregorii Magni: *Pastor quisque indiscretè timeat ligare; is autem qui sub manu Pastoris est, ligari timeat, vel injustè* (*d*). Et cùm nemo sit in causa propria judex, qui injustam vel irritam existimat Censuram quâ perculsus est, eam nihilominùs servare debet, saltem exteriùs & publicè; ea verò nunquam *in pace*, id est, indifferenter tolerari debet; nisi cùm certò irrita est: quod quidem non temerè, sed maturo consilio judicandum.

Quamvis autem læso cuique pateat *appellationis* perfugium, ea tamen via nemini temerè suadenda est. Quòd si, delatâ re ad pietatis eximiæ personas, veritatem, non obsequium promittentes, à proprii commodi respectu alienas, atque in rebus Ecclesiasticis versatissimas, justum adesse judicetur appellationis fundamentum, adhiberi quidem ea poterit: sed (quod sedulò est observandum), tametsi appellatio justam ob causam interjecta, pendente adhùc comminatione Censuræ, impedit quominùs hæc incurratur, id tamen impedire non poterit, latâ Censurâ. Undè inefficax erit appellatio, si latam Censuræ Sententiam non præveniat, quemadmodùm & si appellandi justa causa non fuerit; ideòque, pendente lite, diligenter observanda erit Censura, quæ non impunè violaretur: hujusmodi enim appellatio non est Judicium, sed læsæ personæ expostulatio; neque *suspensivo*, sed tantùm *devolutivo* pollet effectu. Quæ autem *in limine litis* datur Absolutio *ad cautelam*, ad hoc tantùm valet ut possit Reus sese in Judicio de-

(*c*) *S. Thom.* in 4. dist. 18. *a.* 1. (*d*) *S. Greg. Hom.* 26. in Ev.

fendere (e). » Si nulla in promptu » sint Juris remedia; qui injustâ & » irritâ Censurâ perculsus est, eam » debet humiliter sustinere, ut hu» militatis meritum recompenset Ex» communicationis damnum : nec » Pastoris sui Judicium reprehendat; » ne, etsi injustè ligatus est, ex ipsa » tumidæ reprehensionis superbia, » culpa quæ non erat, fiat (f). » Debet quoque, saltem exterius, iis omnibus quæ verè excommunicatis interdicuntur, abstinere, ut procul amoveatur scandalum, & illæsa servetur Superioris auctoritas.

Censura *à Jure* nullam requirit formam. Sufficit ut Lex eodem ritu promulgata fuerit quo cæteræ leges; & tunc pro monitione est ipsamet Legis ritè promulgatæ Censuramque ferentis *notorietas*. Lex nempè, quamdiù viget, subjectos satis superque monet ne Mandato parére detrectent : quod si fècerint, sine ulla declaratione Censuram incurrunt, nisi Lex ipsa novam præscribat monitionem.

Censura *ab homine* easdem requirit formas ac Sententia judiciaria; in qua nempè edicitur nomen Rei, ejus crimen, & pœna ad quam damnatur. Ac primum omnium, tres Judicio præmittuntur monitiones. Ex tertio quoque die Reo denuntiantur coram duobus testibus, qui singularum monitionum instrumento subscripserint. Quòd si res urgeat, possunt monitiones intrà breviùs intervallum cogi, imò unica fieri monitio, quâ declaretur eam pro tribus valituram; cùm scilicet causa moram excludens, legitimè suadet ut Superior vel Judex Ecclesiasticus Judicii sui emissionem acceleret. Aliquandò nimirùm tanta manifestè prodit Rei contumacia, tamque urget ferendæ Censuræ necessitas, ut Judiciorum mori consueto aliquatenùs derogandum censeatur. Si quid formæ necessariæ omissum fuerit, irrita est Censura. Si nihil desit necessarium, sed tantùm judiciarius ordo sit violatus, aut prætermissa *accidentalis* aliqua forma; non ideò Censura in irritum pronuntiata censebitur.

Porrò ejusmodi regulæ in ferendis Censuris adhibitæ, non modò innituntur solitâ formâ Judiciorum, quibuscum Censuræ nonnullam habent similitudinem, verùm etiam originem ducunt ex Ecclesiæ, piæ matris, visceribus tenerrimis; quæ quidem non sævit, nisi posteaquàm *arguendo, obsecrando, increpando in omni patientia* (g), nihil profecit in rebelles; & charitatis suæ tentamentis omnibus ad corrigendos peccatores publicos incassùm exhaustis, cùm pœnam repetitâ monitione satis prænuntiavit, tam aspera tamque lamentabilia Censurarum remedia in filios sibi charissimos, licèt pervicaces, extremâ tandem urgente necessitate, mœrens gemebundaque impendit.

Hæ verò monitiones, ut jam in-

(e) Ester à droit. *Vide* Declar. *an.* 1666. *mense Apr. datam, requirentib. Cleri Gall. Comitiis gen.*

(f) *S. Thom. & S. Greg. sup.*

(g) 2. *Tim.* 4. 2.

nuimus, (quemadmodùm & Censuræ) scripto peraguntur, juridicèque denuntiantur. Si defuerint monitiones, irrita erit Censura. Attamen, quibusdam in Casibus, qui se interiùs agnoscit crimen commisisse ptopter quod lata est Censura *ipsò facto* incurrenda, quasi eâ ligatum gerere se debet, etiamsi nondùm ulla sibi fuerit adhibita monitio vel citario, nullaque denuntiata Sententia. Sed quemcumque effectum in foro interno sortiantur hujusmodi Censuræ, nullam in foro externo vim habent, nisi post Judicis Sententiam legitimè pronuntiatam & ritè declaratam.

Olim Ecclesiasticis Legibus vetitum erat, ne quis, ante ipsammet denuntiationem, cum iis communicaret, quos sciret Excommunicationis Censurâ ligatos (*h*). Sed huic disciplinæ deinceps prudenti moderatione derogatum est in Concilio Constantiensi œcumenico; atque « ad » evitanda scandala & multa pericula, subveniendumque conscien» tiis timoratis, misericorditer in» dultum, quòd nemo deinceps à » communione alicujus in Sacramen» torum administratione vel recep» tione, aut aliis quibuscumque Di» vinis, sub prætextu cujuscumque » Sententiæ aut Censuræ Ecclesiasti» cæ *à Jure* vel *ab homine* promul» gatæ, teneatur abstinere, vel ali» quem vitare, nisi Sententia vel » Censura hujusmodi fuerit à Ju» dice publicata & denuntiata spe» cialiter & expresse (*i*). »

Ea verò specialis & expressa denuntiario tunc solùm fieri legitimè potest, cùm, ritè præmissâ citatione ad Tribunal Judicis Ecclesiastici, reus est auditus, si steterit in Judicio præsens, & cùm cæteræ observatæ sunt formæ judiciariæ, prout is confessus est vel negavit. Quòd si verò ad Judicium non adfuerit, contumax declaratur, & ipse Censuram incurrisse nominatim pronuntiatur. Atque ut compleatur Excommunicati denuntiatio juridica, neve possit sese prætextâ ignorationis causâ tueri, jubente Officiali, nominatim excommunicatus denuntiatur intrà Missæ Parochialis solemnia, & Sententia Excommunicationis ad Ecclesiæ fores affixa propalatur. Hæc omnia nisi priùs observata fuerint, licèt is in foro interno ligatus sit, & tanquam verè excommunicatum gerere se debeat, eum tamen in foro externo ut talem habere nemo tenetur; & ipse non potest, vel quandò celebratur Sacrificium, Ecclesiæ aditu prohiberi. Hæc est Jurisprudentia in Galliis constanter observata (*k*), nullo casu excepto, ne ipso qui-

(*h*) Excommunicatos nullus recipiat; nec cum eis in oratione, aut cibo, aut potu, aut osculo communicet, nec *ave* eis dicat; quia quicumque in his vel aliis prohibitis, scienter excommunicatis communicaverit,... ipse simili excommunicatione subjacebit. *Can.* Excommunicatos, *c.* 11. *q.* 3.

(*i*) *Constit. Mart. V, in Conc. Constantiensi, ut creditur, condita vel approbata. Vide S. Antonin*, Sum. Theol. *part.* 3. *tit.* 25. c. 2. *cæterosque Theol. & Canon. citatos apud Eveillon*, Traité des Excomm. *chap.* 3. *art.* 1. *D'Héric.* Loix Eccl. *part.* 1. *chap.* 22. *n.* 56. *Ducasse*, *part.* 1. c. 11. *sect.* 1. *n.* 3.

(*k*) *Nouv. Mém. du Clergé, tom.* 7.

dem, quo quis, propter *notoriam* Clerici percussionem, Excommunicationis Censuram *notoriè* incurrisset, quamvis hujusmodi Casum exceperit Concilium Constantiense (*l*); neque Casu manifestissimæ & evidentissimæ *notorietatis* in quocumque facinore annexam habente Censuram, licèt hunc posteà exceperint Concilia duo, Basileense (*m*) nimirùm & Lateranense (*n*).

Hìc tamen diligenter observandum est, eâ Ecclesiæ indulgentiâ nequaquam derogatum fuisse præcepto naturali, per quod omnis interdicitur societas cum iis quos ligat Excommunicationis vinculum, etiamsi non fuerint denuntiati, si talis communicatio scandalum generare possit, aut peccatores in rebellione adversùs Ecclesiastica mandata velut quadam auctoritate confirmare (*o*), aut Fideles cum pervicacibus communicantes in peccandi periculo constituere. Nec magis hinc derogatum censetur præcepto naturali ac divino, quo prohibetur dari *Sanctum canibus* (*p*), scilicet indignis; nisi fortè Sacramenta his denegari non possint illæso strictiore præcepto, quale est Confessionis sigillum, iisve quæ suprà exposuimus ubi de Communione Eucharistiæ peccatoribus sive publicis, sive occultis, sive publicè, sive occultè petentibus administrandâ vel denegandâ (*q*).

Quamvis autem non jubeat Ecclesia ejusmodi homines propter Excommunicationem à cæteris Fidelibus vitari, non idcircò tamen vetat quominùs ab iisdem vitentur: quod quidem fieri quandoque potest, imò expedit, tum ad significandum horrorem ex criminibus quæ perpetrârunt, incussum, tum ad pudorem ipsis injiciendum, quo salubriter suffusi, ad pœnitentiam agendam impellantur; modò tamen ex iis vitatis nullum proveniat scandalum.

Jam verò, quia Decretum modò citatum, non ad favendum iis qui Excommunicationis Censurâ constricti sunt, sed in gratiam cæterorum duntaxat Fidelium latum fuisse constat, ideò hæc Censura, illius Decreti vigore, nihilominùs in foro interno suum sortitur effectum, vel antequàm fiat denuntiatio (*r*). Itaque Excommunicati totiès peccant, quotiès bonis spiritualibus sibi ademptis sine legitima excusatione utuntur. Ipsi videlicet, etiam non denuntiati, *sicut Ethnici & publicani* coram Deo sunt (*s*); participatione carent suffragiorum quæ pro filiis suis Fidelibus adhibet Ecclesia; atque in irritum iis Beneficia conferuntur. Attamen, quandò Beneficium confert summus Pontifex;

pag. 608. & 609. *Vide decr. Inn. IV* de Censuris, *in Conc. Lugd. I, an.* 1245. *Julius Clar.* Praxis crimin. *l.* 5. *q.* 31. *pag.* 472. *ed. Lugd.* 1672. *D'Héric.* Loix Eccl. *part.* 1. *chap.* 22. *n.* 58. *Ducasse, part.* 1. *c.* 11. *n.* 5.

(*l*) *Idem, ibid. sect.* 1. *n.* 3.

(*m*) *An.* 1431. (*n*) *An.* 1512.

(*o*) *Conc. Aquisgr. I, an.* 816. *l.* 1. *cap.* 134. (*p*) *Matth.* 7. 6.

(*q*) De Sacram. Euch. *Divis. III, c.* 3.

(*r*) *Cap.* Ad evit. scand.

(*s*) *Matth.* 18. 17.

ab omnibus Censuris solet ad hunc effectum absolvere : undè collatio ab ipso facta homini excommunicato, valida est, nisi sit propter hæresim excommunicatus ; quo quidem in casu necessaria illi est specialis Absolutio quæ Beneficii collationem antecesserit. Præterea licito Jurisdictionis usu & exercitio privatur is qui Censurâ nondùm denuntiatâ constrictus est ; ipsius autem validum usum & exercitium retinet. Postremò cujuscumque Censuræ (etiam non denuntiatæ) violatores *Irregularitatem* incurrunt, positis Casibus in quibus ejusmodi effectum parit ea violatio. Posteaquàm Censuris constricti nominatim denuntiati sunt, tenetur omnis Fidelis cavere diligenter ne cum illis consortio jungatur in usu bonorum spiritualium quibus exciderunt per Censuras. Ii verò soli qui præcisos à Communione in societatem adhibent, *Excommunicationem minorem* incurrunt, cujus tamen à vinculo eximuntur in Casibus infrà explicandis (*t*) : sed nunc ipsam non incurrunt ii quibus consuetudo fuit cum illis qui præcisos à Communione in societatem adhibuerunt ; prudenter enim sublata est ea Censurarum communicatio in infinitum.

PORRO qui Censuram bonâ fide ignorat, non eam incurrit, quamvis non ignoret culpam cui sit annexa Censura, Legi naturali seu positivæ esse contrariam. Scilicet ignorantia non multùm culpabilis eximit à Censura (*u*) ; hæc enim, ut incurratur, non modò lethale peccatum, sed in lethali peccato contumaciam supponit. Cujus autem affectata vel æquivalens ignorantia est, is quidem minimè à Censura eximitur. *Virtualiter* quippè, & ideò satis contumax reputatur, cùm non sine gravi culpa negligat Legem cognoscere pervulgatam, quæ, quantùm in se est, & quasi voce continuâ omnibus & singulis clamat ne seipsos sub ejus anathemate constituant. Ignorantia *facti* à Censura pariter excusat, dummodò non sit voluntaria. Sic, qui virum Ecclesiasticum graviter vulnerat, Laïcum putans, Excommunicationem minimè incurrit. In dubio legitimo & ratione subnixo, sive *Juris*, utrùm nempè Censura existat, sive *facti*, an videlicet illud commissum fuerit quod sub pœna Censuræ prohibetur, se quisque debet, in praxi, tanquam Censurâ ligatum gerere.

NEMO quidem Censurâ ligatur, nisi obnoxius ditioni sit illius Superioris à quo lata fuerit. Extraneus autem in illius territorio peccans, fit ipsi subjectus ; & Censuram, si hanc satis notam habuerit, incurrit ; *ubi* enim *delictum*, *ibi forum* : & quamvis alienam Diœcesim petierit, adversùs eum ferri Sententia potest à Judice loci in quo peccavit. Verumtamen, si nolit Superior ut in suo territorio Censuris à se latis subjaceant extranei qui in eo versantur sine animo ibidem commorandi per tempus aliquod notabile, exempli gratiâ, sex men-

(*t*) *Cap. III.* (*u*) *Cap* 2. de Constit. *in* 6.

ses, in illo Casu censendum est ejusmodi extraneos his non subjacere Censuris; nam Censuræ ultra intentionem ferentis non operantur. Censuræ pariter obnoxii sunt quicumque Superiori subjacent iis in rebus de quibus fertur Censura, licèt ipsius Jurisdictione sint in aliis immunes. Undè Regulares, quoad Sacramentorum administrationem, Festorum ac Jejuniorum observantiam, aliaque plura in quibus non est immunitati locus, pronuntiatas ab Ordinario Censuras incurrunt, atque ad eas servandas sub pœnis Juris renentur. Qui Censuram sciens & volens transgreditur, gravissimi peccati reum se constituit, Ecclesiam spernens in gravissimi momenti negotio divinâ auctoritate præcipientem.

Cæterum dividuntur Censuræ in *Excommunicationem*, *Suspensionem* & *Interdictum*. Suspensio fertur in solos Clericos & Religiosos: Excommunicatione & Interdicto feriuntur Clerici & Laïci. Hodiè Excommunicatio non infligitur ad tempus definitum; sed ita ut permaneat quoadusque per Absolutionem tollatur. Contrà, Suspensio & Interdictum certo temporis intervallo definiri possunt; quo quidem elapso, sine ulla cujusvis generis Absolutione finem accipiunt. Et quandò pro limitibus certas habent conditiones, impletis conditionibus, pariter desinunt.

Nunc de Excommunicatione, Suspensione & Interdicto seorsim est agendum.

CAPUT III.

De Excommunicatione.

Quid sit Excommunicatio. Quanam auctoritate, in quos, & quo proposito feratur. In Hæreticos antiqua severitas. Quid sit Anathema, *& in quos præsertim infligeretur. Excommuninatio alia* totalis, *alia* partialis. *Excommunicatio* major *&* minor *: utriusque effectus. In quibus communicare non liceat cum Excommunicatis : quibusnam in Casibus & quousque impunè cum ipsis communicetur : de his explicantur duo versus technici. Quomodò gerere se debeant Excommunicati tolerati. Quomodò erga illos agendum. Quædam notanda.*

Excommunicationem variis nominibus Patres dixerunt, ut patet ex veteribus Ecclesiæ monumentis. Eam sæpiùs vocant *abstensionem*,

sequestrationem, remotionem, segregationem (*a*). Excommunicatis nomina erant, *à Communione abjectis, alienis, suspensis, remotis, seclusis, ab Ecclesia alienis, extraneis, exclusis, arcendis* (*b*).

Excommunicatio autem est *Censura Ecclesiastica, quâ Fidelis separatur à Communione Sanctorum, seu privatur usu bonorum spiritualium Fidelibus communium, vel ex toto, vel ex parte.*

Vigere in Ecclesia potestatem excommunicandi, liquet ex Apostolo, qui, ut jam suprà diximus, peccatores *Satanæ tradebat* (*c*): quod quidem de Excommunicatione intellexit universa Patrum Traditio (*d*). Hac potestate semper usa est Ecclesia in Fideles qui per actus criminosos scandalo erant fratribus; ut observaretur quod jusserat idem Gentium Apostolus: *Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit? Expurgate vetus fermentum. Ne commisceamini fornicariis. Scripsi vobis non commisceri, si is qui frater nominatur, est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum ejusmodi nec cibum sumere. Auferte malum ex vobis ipsis* (*e*).

Coram Deo ligantur in cœlis, qui per Excommunicationem ligantur in terris: » qui enim justè punitus est & excommunicatus, idem » à vita immortali & gloria rejectus » est (*f*). » Sed Excommunicatio non fertur nisi in peccatorem contumacem. » Cum dolore amputatur » etiam quæ putruit pars corporis; » & diù tractatur, si potest sanari » medicamentis: si non potest, tunc » à medico bono abscinditur. Sic » Episcopus affectûs boni est, ut » optet sanare infirmos, serpentia » auferre ulcera, adurere aliqua, » non abscindere; postremò, quod » sanari non potest, cum dolore » abscindere (*g*). » Itaque finis Excommunicationis est peccatoris emendatio. Apostolus quippè incestum Corinthium *Satanæ tradit, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri* JESU CHRISTI (*h*); Hymenæum & Alexandrum, *ut discant non blasphemare* (*i*). Undè Pœnitentibus publicis non minima Pœnitentiæ pars erat Excommunicatio (*k*). Cùmque hæc Censura *nervus sit Ecclesiasticæ Disciplinæ*,

(*a*) *Conc. Elib. c. an.* 304. *can.* 16. *Cabil. can.* 11. *Turon. II, an.* 567. *can.* 11. *Can. Ap.* 5.

(*b*) *Conc. Nic. œcum. an.* 325. *can.* 5. *Andeg. an.* 453. *can.* 4. *Aurel. IV, an.* 541. *can.* 12. 15. 25. *Aurel. V, an.* 549. *Arel. II, an.* 452. *Turon. II, sup. Tolet. XIII, an.* 683. *can.* 5.

(*c*) 1. *Cor.* 5. 5. 1. *Tim.* 1. 20.

(*d*) *Orig. Hom.* 2. in 2 Judic. *S. Chrys. Hom.* 5. in 1. Tim. & *Hom.* 4. in 2 Cor. *S. Hier. Ep.* 1. (*al.* 5.) *S. Ambr.* de Pœnit. *l.* 1. *c.* 13. (*al.* 65.) & *c.* 15. *al.* 78.) *Paulin.* vita S. Ambr. *n.* 43. *S. Aug.* de fide & oper. *c.* 26. (*al.* 48.)

(*e*) 1. *Cor.* 5. 6. 7. 9. 11. 13.

(*f*) *Const. Ap. l.* 2. *c.* 47. *Vide Syn. Ebroïc. an.* 1576, *ap. Laur. Bouchel*, Decr. Eccl. Gallic. *lib.* 2.

(*g*) *S. Ambr.* de Off. *l.* 2. *c.* 27. (*al.* 135.) *Vide Syn. Ebroïc. sup.*

(*h*) 1. *Cor.* 5. 5. 2. *Cor.* 2. 3.

(*i*) 1. *Tim.* 1. 20.

(*k*) *Conc. Elib. can.* 61. *S. Aug.* Ep. 108. (*al.* 265.) *n.* 7.

& *ad continendos in officio populos valdè salutaris* (*l*); ea fertut *ut & cæteri timorem habeant* (*m*), neque in semetipsos arma usque adeò metuenda scelerum atrocitate detorqueant. Ad ferendam Excommunicationem alia quoque impellit evidens Ecclesiæ utilitas, ne scilicet mali contagio ad reliquos pertineat. Quamobrem ea Censura pronuntiatur in peccatores publicos, rebelles præsertim (*n*), maximèque in Hæreticos, ut potè » adversarios & insidiatores Ecclesiæ, qui corrumpunt gregem, & fœdant hæreditatem (*o*). »

Quæ quidem in eos agendi ratio è sanctorum Apostolorum magisterio duxit originem, cùm scripserit S. Joannes: *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert; nolite recipere eum in domum, nec AVE ei dixeritis. Qui enim dicit illi AVE, communicat operibus ejus malignis* (*p*). Quod præcipiebat *amantissimus Domini*, & Domino charissimus ille Discipulus, hoc ipse diligenter exequebatur. Cùm enim die quodam balneum ingressus, ibi Cerinthum reperisset, statim exiit; metuens, inquiebat, ne repentinâ ædificii ruinâ cum Hæretico opprimeretur. » Tantùm Apostoli & eorum discipuli habuerunt timorem, » ne verbo tenùs communicarent » alicui eorum qui adulteraverant » veritatem (*q*)! » Quòd si verò S. Joannes Hæreticos ne salutandos quidem censuerat, multò minùs in precibus & Religione cum iis Fideles communicare permisisset. Quin potiùs antiquissimo Canone sancitum est: » Impios Hæreticos non pœnitentes discludite, & semovete à » Fidelibus, & eis Ecclesiam Dei » interdicite; ut omnibus modis ab » eis declinent, neque ulla cum eis » sit sermonis aut precationis communitas (*r*). » Sed nonnunquam, prudentis temperamenti causâ, cum Hæreticis aliquatenùs communicatum est. Sic ille vigentis animi in infirmo corpore S. Basilius Magnus, postquàm nec blandienti nec sævienti Præfecto cessit ut Imperatori Ariano morem gereret, Valentis offusâ caligine attoniti, labantibusque genibus trementis oblationem ab Altari sancto non prohibuit (*s*).

VARIÆ autem sunt Excommunicationis species, juxta varietatem bonorum quibus privari potest homo Christianus. Maxima omnium *Anathema* dicitur, & execrationem addit Excommunicationi: sic nempè testantur Fideles quantoperè scelerum atque errorum portenta exhorrescant. *Anathema quasi æternæ mortis damnatio* reputatur; atque idcircò *nonnisi pro mortali debet imponi crimine & illi qui aliter non potuerit corrigi* (*t*).

(*l*) *Conc. Trid. Sess.* 25. de Ref. *c.* 3.
(*m*) 1. *Tim.* 5. 20.
(*n*) *S. Cypr.* Ep. 64. (*al.* 65.)
(*o*) *Const. Ap. l.* 6. *c.* 18.
(*p*) 2. *Joan.* 10. 11.
(*q*) *S. Iren.* adv. Hær. *l.* 3. *c.* 3.
(*r*) *Const. Ap. l.* 6. *c.* 18. *Vide Conc. Nic: I œcum. an.* 325. *can.* 5. & *Aquisgr. I, an.* 816. *l.* 1. *cap.* 134.
(*s*) *Sozom.* Hist. *l.* 6. *c.* 16.
(*t*) *Conc. Paris.* (*al. Meld.*) *cui aderat* Erchenradus, II *Paris. Episc. an.* 846. *can.* 56.

In Hæreſes præſertim atque Hæreticos anathema infligebatur: undè, qui ab Hæreſi ad Catholicæ veritatis unitatem redeunt, quos ejurant errores, Eccleſiâ præcipiente, anathematizant (*u*). Excommunicatio alia *totalis* erat, ſpolians omnibus bonis Fidelium ſocietati communibus: alia *partialis*, aliqua tantùm ex iis bonis auferens. Olim ſæpè ad tempus definitum, ad dies ſeptem, ad menſes duos vel tres, ad annos tres, quinque, & multò plures (*x*), nunquam in perpetuum ferebatur. Quidam ultrò diſcedebant ab aliorum Communione (*y*); ſicque illos, tanquam Excommunicatione dignos, à Communione tacitè ſecludebant, vel ſecludendos judicabant; & tunc prorsùs abſtinebant eorum ſocietate, juxta illud Apoſtoli: *Denuntiamus vobis, fratres, in nomine Domini noſtri* JESU CHRISTI, *ut ſubtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non ſecundùm traditionem quam acceperunt à nobis* (*z*). Qui autem ſine cauſa legitima *ſegregabant ſemetipſos* (*a*), *ſchiſmatici* dicebantur, ut potè qui Eccleſiæ unitatem *ſcinderent*.

Excommunicatio, quatenùs vel omnia bona ſpiritualia, vel eorum partem adimit, duplex diſtinguitur: *major* & *minor*. Excommunicatio major ea eſt, quâ homo baptizatus ab Eccleſiæ corpore & à Fidelium Communione omninò ſecluditur. Hæc hominem Chriſtianum à Sacramentis tum ſuſcipiendis, tum adminiſtrandis, à communibus precum ſuffragiis, & à quolibet Eccleſiaſticæ Juriſdictionis uſu removet: pœna haud dubiè terribilis, quâ quidem, qui in ſceleribus contumaces adversùs Eccleſiam rebellant, ab illius ſocietate ſegregantur. Per Excommunicationem minorem id efficitur, ut neque Sacramenta percipere, neque ad ullum Beneficium aut Dignitatem Eccleſiaſticam eligi aut promoveri licitè poſſit qui talem Cenſuram incurrit (*b*). Hæc autem non incurritur niſi per communicationem exteriorem cum Excommunicatis denuntiatis; & nunquam eſt reſervata (*c*). Qui Excommunicatione minore ligatur, huic nihilominùs fas eſt Fidelium uti conſortio, Miſſæque Sacrificio & publicis precibus cum iiſdem intereſſe; ipſe pariter jus retinet Beneficia conferendi, quinimò & Sacramenta miniſtrandi; ſed debet, ſi ſit Presbyter, à Sacrificii celebratione abſtinere, eò quòd in ipſa percipiendum ſit Euchariſtiæ Sacramentum (*d*).

Excommunicatio totiès *major eſſe* intelligitur, quotiès, ſive *à Jure*, ſive *ab homine*, Excommunicatio pronuntiatur (*e*). Hæc longè graviſſima eſt omnium pœnarum quæ ab

(*u*) *Gangr. IV ſæc.* præf. *S. Chryſ. Serm.* de anath.

(*x*) *Conc. Venet. an.* 555. *can.* 14. *Agath. an.* 506. *can.* 55. *Elib. can.* 16. *Aurel. V, can.* 17. *Can. Ap.* 23.

(*y*) *Conc. Calc. gen. IV, an.* 451. *Act.* 10. *Lugd. I, an.* 517. *can.* 3.

(*z*) 2. *Theſſ.* 3. 6.

(*a*) *Judæ*, *v.* 19.

(*b*) De ſent. Exc. *in* 6.

(*c*) *Decret. l.* 5. *tit.* 39.

(*d*) *Greg. IX*, *cap.* Si celebrat. *De Cleric. exc. min.*

(*e*) De ſent. Exc. *cap.* 57.

Ecclesia infligi possunt, olimque *mortalis* dicebatur; » summumque » futuri judicii præjudicium erat, » si quis ita deliquisset, ut à com- » municatione orationis, & con- » ventûs, & omnis sancti commer- » cii relegaretur (*f*). » Enimverò quicumque hac terribili *castigatione* perstringitur (*g*), Baptismi non quidem charactere, sed juribus spoliatur, fit *anathema à Christo* (*h*), dum à corpore Christi, quod est Ecclesia, ceu membrum vitiatum, spirituali gladio resecatur; è Christiano demùm efficitur *sicut Ethnicus* (*i*). » Nihil porrò sic debet for- » midare Christianus, quàm sepa- » rari à corpore Christi. Si enim » separatur à corpore Christi, non » est membrum ejus; si non est » membrum, non vegetatur spiritu » ejus: *si quis autem*, inquit Apo- » stolus, *spiritum Christi non habet*, » *hic non est ejus* (*k*). »

Vulnera igitur quæ infligit Excommunicatio *major*, multò acerbiora sunt quàm quod acerbissimum fingi aut excogitari potest. » Illud » enim, ***Si nec Ecclesiam audierit***, » ***sit tibi tanquàm*** *ethnicus & publi-* » *canus*, gravius est quàm si gladio » feriretur, si flammis absumere- » tur (*l*). » Excommunicationis *majoris* vinculo constrictus, iis privatur omnibus bonis, quorum dispensatio ad Ecclesiam pertinet. Ac primò quidem à societate orationis; tum publicæ, tum privatæ, ceu profanus, arcetur, atque à divini cultûs communione segregatur (*m*). Nec Missæ Sacrificio, nec divinis Officiis, cæterisve Ecclesiæ precibus interesse potest. Nefas est ejus nomen commemorare, ejusve oblationes vel munera suscipere. Non licet cuiquam Sacerdoti, tanquam Ecclesiæ Ministro, pro illo Sacrificium salutis offerre, seu *Collectas* recitare, preces palàm fundere; quæ scilicet nihil ei proficerent. Possunt tamen Sacerdotes cæterique Fideles pro Excommunicato privatim orare, ut Pœnitentiæ spiritum & compunctionis gratiam largiente Deo, tandem *convertat se à nequitia sua* (*n*), tantùmque Ecclesiam resipiscentiâ lætificet, quantùm eam pervicaciâ contristaverat. Exceptis ejusmodi privatis orationibus, Excommunicati penitùs amittunt participationem suffragiorum, bonorum operum, Indulgentiarum, omnium denique fructuum spiritualium, qui Fidelium societati universæ membrisque singulis sunt communes.

Quòd si, nondùm incœpto Officio divino, vel post illud incœptum, comperiat Sacerdos Excommunicatum adesse in Ecclesia, idque tam publicè & ipsi & astantibus innotuerit, ut his nullomodò celari possit; eum multâ sermonis

(*f*) *Tert.* Apol. *c.* 39.
(*g*) *Ibid.*
(*h*) *Rom.* 9. 3.
(*i*) *Matth.* 18. 17.
(*k*) *S. Aug. tract.* 27. in Joan. Contra adversar. Leg. & Proph. *l.* 1. *c.* 17. (*al.* 36.) *Vide Syn. Ebroïc. an.* 1576, *ap. Laur. Bouchel*, Decr. Eccl. Gall. *l.* 2.
(*l*) *S. Aug. suprà.*
(*m*) *S. Ambr. Ep.* 51. ad Theod. *Cap.* Sicut Apostoli, *cum* 3. *seq. C.* Nuper, *de sent. Exc. & C.* Alma, *in* 6.
(*n*) *Act.* 3. 26.

gravitate, sed miserantis potiùs quàm indignantis vultum gerens, egredi jubeat. Illo detrectante, Officium vel non incipiat, vel non prosequatur; ipsum Missæ Sacrificium abrumpat, & sacras vestes exuat, si nondùm ad *Canonem* devenerit; tunc enim Liturgiam usque ad Communionem inclusivè prosequi debet, ac posteà in Vestiarium secedere, ubi reliquas preces submissâ voce recitet. Alioqui, coram Excommunicato Sacra faciens, vel divina Officia peragens, Interdictum *ipso facto* incurreret (*o*), à quo non absolveretur, nisi post condignam satisfactionem à Superiore impositam. Hæc autem, & similia, de solis Excommunicatis denuntiatis intelligenda sunt. Cæterùm Excommunicato cuique conceditur ut verbi divini prædicationem audiat in Ecclesia; quin etiam illud ei magnoperè suadendum est, quò certiùs & sui officii rationem, & quomodò se Deo Ecclesiæque per Pœnitentiam reconciliare possit, docente Pastore, intelligat. Sed, peractâ Concione, statim egrediatur, ne Mysteriorum vel publicæ Orationis celebrationem suâ præsentiâ impediat. Si autem aliquis dominus, vel quicumque alius, auctoritate suâ (quod absit) rebellionem adversùs Ecclesiam fovens, fontem tutaretur ne exiret, impositamque Satisfactionem adimpleret; ille, *ipso facto*, ejusdem Excommunicationis vinculo innecteretur.

Prætereà, qui ab Ecclesiæ Communione segregatus est, si sit Clericus, nullam potest cujuslibet Ordinis functionem exercere, nullum neque suscipere, neque administrare Sacramentum (*p*), nisi fortè in extrema necessitate; tunc enim Presbytero excommunicato licet moribundum absolvere. Multò magis Presbyter nullâ Censurâ ligatus, Excommunicatum, etiam denuntiatum, in mortis periculo constitutum, atque erga Ecclesiam matrem, cujus in se iram concitavit, tardâ licèt pietate obsequiosum absolvere potest ac debet, servatis quæ in hujusmodi Casibus servari jubet prudentia ac disciplina. Presbyter autem quodlibet Sacramentum præter Pœnitentiam in articulo mortis Excommunicato denuntiato administrans, Interdictum *ipso facto* incurrit; & contra illum per Excommunicationem procedi jubet Ecclesia (*q*).

Insupèr, qui Excommunicationis *majoris* vinculo constrictus est, ad Beneficia, Officia, vel Dignitates Ecclesiasticas nec promovere nec promoveri, nec eligere nec eligi potest; proindè fructus eorum non facit suos. Attamen Beneficio quod quis legitimè ante contractam Excommunicationem adeptus est, per hanc posteà contractam non spoliatur, imò nec ejus fructibus, quamvis eâdem Censurâ manente, sed ante amissum Judicis Sententiâ titulum perceptis; tum quia gravis ejus-

(*o*) *Cap.* Episcoporum, *de privil. in 6.*
(*p*) *Conc. Carth. II, an.* 390. *can.* 8. *Cap.* Cùm illorum, *Extrà, de sent. Exc. Cap.* Illud Dominus, *Extrà, de Cleric. exc. min.*
(*q*) *Cap.* Episcoporum, *sup.*

modi pœna nullo Juris Decreto sancita reperitur, quod tamen, ut inflicta dici possit, omninò est necessarium; tum quia in hocce Regno Christianissimo, quemadmodùm & in aliis quibusdam, viget consuetudo jure ac meritò introducta, ut scilicet Excommunicati, cùm resipiscunt, fructuum de quibus agitur, condonationem à summo Pontifice non requirant, eò quòd ipsos legitimè percepisse & suos fecisse reputentur. Cæterùm omni functione & Jurisdictione Ecclesiasticâ excidit Excommunicatus denuntiatus (*r*). Sed Beneficiorum collationes, actusque Jurisdictionis, seu voluntariæ, seu contentiosæ, quos exerceret Excommunicatus non denuntiatus, quamvis illicita, nihilominùs rata & valida essent, quemadmodùm & Absolutio quam impertiretur, etiam extra casum necessitatis (*s*). Denuntiatus verò, accusare omninò non potest, neque audiri in Judicio, nec Judicem Ecclesiasticum in suî tutamen implorare (*t*), neque in Ecclesiæ foro Judiciali etiam per monitiones agere, judicare, corrigere, ferre Censuram. Hæc omnia constituit Jus commune; si quid autem aliud velit Jurisprudentia Gallicana, juxta illam, consulto priùs Diœcesano Pontifice, agendum est.

Eidem quoque interdicitur omnis exterior cum Fidelibus communicatio, extra Casus à Jure exceptos (*u*).

Denique sacris Canonibus institutum est « ut quibus non communicavimus vivis, non communicemus defunctis; & ut careant Ecclesiasticâ sepulturâ, qui priùs erant ab Ecclesiastica unitate præcisi, nec in articulo mortis Ecclesiæ reconciliati fuerint (*x*). » Itaque Excommunicati, si in Excommunicatione moriantur, publicis Ecclesiæ suffragiis & Christianâ sepulturâ privandi sunt (*y*). Et si quis terram sanctam sive Ecclesiam, sive Cœmeterium Excommunicati denuntiati corpore funestaverit, quod certè fieri non potest quin Excommunicatio *ipso facto* incurratur (*z*); præcipiunt Ecclesiasticæ Leges profanum cadaver ex indebito sepulcro effodi, locumque pollutum censeri, quoadusque Ecclesiæ precibus & reconciliatione solemni, ab Episcopo, vel à Presbytero de Episcopi licentia expietur. Quocumque signo pœnitentiam testatus fuerit moriens Excommunicatus denuntiatus, ipsum quidem in terra sancta humari non oportet, neque ejus memoriam publicis precibus honestari, quandò non impetratâ Absolutione interiit. Sed potest Ecclesia eum mortuum absolvere, id est, in suam Communionem restituere, cùm ejus pœnitentia certis indubitatisque signis innotuit.

(*r*) *Cœlest. III, Decret. l.* 1. *tit.* 6. *c.* 34. & *l.* 5. *tit.* 27. *c.* 7.

(*s*) *Constit. Mart. V*, Ad evitanda scandala.

(*t*) *Rebuff.* de concord.

(*u*) 2. *Cor.* 5. 11. *S. Iren.* adv. Hær. *l.* 1. *c.* 13. *Can.* Sicut Apostoli, *cap.* 11. *q.* 3. & *Cap.* Ad mensam, *ibid.*

(*x*) *Cap.* 12. de sepult.

(*y*) *Inn. III, Decret. l.* 3. *tit.* 28. *c.* 12. *Clem. V. in Conc. Vienn. œcum. an.* 1311. *Clementin. l.* 3. *tit.* 7. *c.* 1. *Conc. Tull. II apud Tusiac. an.* 860. *can.* 1.

(*z*) *Clement.* Eos qui, *c.* 1. *de sepult.*

tuit.

tuit. Mortui propriè excommunicari non possunt, neque absolvi; verumtamen declarari potest, illos, si viverent, à Communione Fidelium fore separandos, vel in eam restituendos: neque ipsi alio sensu anathematizantur, excommunicantur, aut absolvuntur (*a*). In Pastoralis hujus parte Rituali (1), ubi describitur *Ordo ministrandi Sacramentum Pœnitentiæ*, invenietur forma hujus Absolutionis; quæ quidem Nobis, seu Vicariis nostris generalibus, semper est reservata, neque adhiberi potest ab ullo Sacerdote, nisi expressam ad hoc licentiam obtinuerit. Quoniam autem ea quæ circa sepulturam Ecclesiasticam Excommunicatis denegandam observanda modò præscripsimus, multis & gravissimis incommodis & periculis obnoxia forent, si temerè in praxim redigerentur; de casibus hanc materiam spectantibus ad Præsulem Diœcesanum aut ejus Vicarium - generalem referendum est; nihilque, ipso inconsulto, eâ in re moliri debent Ecclesiarum Parochialium Rectores.

EXCOMMUNICATOS non toleratos, seu denuntiatos, vitare tenetur unusquisque Fidelium; quasi per denuntiationem tremenda illa vox intonet: *Recedite, recedite* (*b*), *exite de medio eorum, & separamini, & immundum ne tetigeritis* (*c*), sicut leprosum à Deo percussum, atque è Sanctorum castris exterminatum, vel potiùs *sicut vulneratum dormientem in sepulcro, cujus nemo est memor ampliùs* (*d*). Jam verò quibus in rebus nefas sit cum Excommunicatis communicare, breviter memoriæ commendat technicus ille versiculus: (1) Tom. III.

Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

Os: hinc illicitum est, verbis, signis, aut nutibus, mutuis Epistolis, sive alio quocumque modo, cum Excommunicato colloqui (*e*).

Orare: nefas est cum ipso privatim vel publicè orare, Missæ, vel Divinis interesse, Cursum Canonicum recitare, & pro eodem publicè precari. Fidelibus semper vetitum fuit ne ullam cum Excommunicatis inirent societatem, in iis præsertim quæ Religionem spectant. Et ne quis à Communione præcisus justorum congregationi profanum se immisceret, nullus advena in Ecclesiam admitti solebat, nisi priùs exhibitis Episcopi sui Litteris *communicatoriis;* prætereàque nomina Excommunicatorum vicinis Collegis transmittebant Episcopi, ne quis hujusmodi in Fidelium exterorum Communionem latens irreperet (*f*).

Vale: non licet Excommunicatum salutare, honore ullo præveni-

(*a*) *Inn. III, l. 5. tit. 39. c. 28.* Anobis.
(*b*) *Is. 52. 11.*
(*c*) *2. Cor. 6. 17.*
(*d*) *Ps. 87.*
(*e*) *Conc. Arel. II, an. 452. can. 49. Tolet I, an. 400. can. 5.*
(*f*) *Carth. I, an. 348. can. 7. Vasense, can. 1. Joan. VIII, c. 11. q. 3. can. 20.*

re, ullo observantiæ comitatisve testimonio colere, ei munera largiri vel ab eo suscipere. Quod de Hæretico præceperat sanctus Joannes, *Nec* AVE *ei dixeritis* (*g*), id de quolibet Excommunicato nominatim denuntiato intelligitur.

Communio : hinc scilicet, contubernii, hospitii, itineris, laboris, oblectationis, mercaturæ, conventi, Matrimonii contrahendi societas omnis cum Excommunicato prohibetur (*h*).

Mensa : illud est quod de variis peccatoribus à Paulo Apostolo sancitum fuerat : *Cum ejusmodi nec cibum sumere* (*i*).

In quolibet horum quinque si quis Fidelis Excommunicatum attingat ullâ conjunctione, præterquàm quòd graviter peccat, Ecclesiam non audiens ejusque proposito resistens, quo Excommunicatum quemque, ex eo quòd omnium Fidelium societate excludatur, incussi pudoris adminiculo ad officium reflectere intendit; præterquàm quòd debitam proximo charitatem lædit, eum indè in sua perversitate suaque adversùs Ecclesiam rebellione confirmans; insupèr Excommunicationem minorem *ipso facto* incurrit, certis Casibus à Jure exceptis, quos exponit sequens versiculus mnemonicus :

Utile, lex, humile, res ignorata, necesse.

Utile : si quandò manifestè affulgeat ingens utilitas, sive spiritualis, sive temporalis, vel ex parte communicantis, vel ex parte Excommunicati; si maximè talis extra ordinem communicatio spem afferre videatur, fontem eò adductum iri ut resipiscat, & dignos faciat Pœnitentiæ fructus. Hæc tamen exceptio præsertim Rectores animarum spectat, virosque Ordinis Ecclesiastici eâ doctrinâ & pietate commendabiles, ut contumacem possint ad officium revocare. Quin etiam tantâ modestiâ tantâque gravitate exortem Communionis adire debent, ut ipso alloquentium intuitu vel invitus intelligat quàm horrendum sit illud scelus quod ipse perpetravit. Non igitur omnibus indistinctè, per speciem revocandi Excommunicatos ad obsequium Ecclesiæ debitum, eos frequentare licet; iis verò duntaxat in quos salutis ipsorum cura incumbit, qualis est Parochus seu Vicarius; aliisve Clericis, aut etiam gravibus Laïcis, quibus id specialiter commiserit Episcopus, aut prudens suggesserit charitas.

Lex : si nempè intercedat Matrimonii vinculum, licet conjugi societatem habere cum conjuge excommunicato, eique solita officia præstare (*k*).

Humile : hoc est, debiti obsequii respectus. Cùm enim Excommunicatio sit pœna merè spiritualis, nemo per ipsam juribus sibi legitimè ante pronuntiatam Censuram in certas personas acquisitis spoliari po-

(*g*) 2. *Joan. v.* 10.

(*h*) 2. *Thess.* 3. 6. *Conc. Elib. can.* 16. 17. *Laod. c. an.* 368. *can.* 10. 32. *Tolet. I, can.* 15.

(*i*) 1. *Cor.* 5. 11. *Conc. Arel. II, & Tolet. sup.*

(*k*) *Greg. VII, c.* 11. *q.* 3. *c.* 103.

test. Quemadmodùm ergò propter illam neque vir ab uxore, neque uxor à viro separari debent, sed possunt, ut priùs, cohabitare, & in omnibus civilibus, non tamen in Divinis, communicare; ita nempè liberis, famulis & ancillis, beneficiariis clientibus (1), subjectis, consuetudinem habere licet cum parentibus, heris, dominis, Principibus summam potestatem obtinentibus, & iis qui Principum auctoritate publicum aliquod ministerium exercent. Absit ut Ecclesia Dei temporalia cum spiritualibus promiscuè habens, Regum sceptra & gladium Excommunicationis inter se committat, & JESU CHRISTI regnum è cœlesti terrenum, è sacro profanum faciens, Principes excommunicatos (si quem ex iis, quod absit, excommunicari compellat necessitas) jam non esse Principes affirmet. Opus divinæ bonitatis, Religio sanctissima, pacem & charitatem spirans, odio verteretur, si quidquam rerum humanarum ordini detraheret Excommunicatio, *Disciplinæ* quidem *nervus*, sed ad temporales hujusmodi effectus telum prorsùs imbelle, frustratoque ictu incassùm recidens. Nulla unquam impedit Censura quominùs singulis respectivè opera, honor, fides, militia, vectigal, obsequium debeatur atque præstetur, modò cum ipsis *in crimine criminoso* & in cultu divino non communicetur. Circa hæc duo si quid molestiæ patiantur inferiores, quod præsertim vergat in contemptum Legis, & potestatis à Christo Domino concreditæ, cum omni modestia & humilitate respondeant Superioribus, *esse Deum in cælo potentem, qui sibi magis quàm hominibus obtemperari jusserit* (*l*).

(1) Vassaux.

Res ignorata: hinc qui excommunicatum fuisse aliquem bonâ fide ignorant, vel eum adesse imprudenter non advertunt, haud quidem peccant, neque Excommunicationem minorem incurrunt cum ipso communicantes.

Necesse: excusantur pariter ii qui ad ineundum cum Excommunicatis consortium aliquâ ineluctabili necessitate compelluntur (*m*); sive corpus, sive animam, sive communicantem, sive Excommunicatum afficiat illa necessitas. Qui ergò incœptâ lite adversùs Excommunicatum agir, hic potest litem persequi, seu novam intentare vel instruere, prout necessitatis ratio suggesserit. Nec dubium est quin Medici, Chirurgi, Pharmacopolæ, Obstetrices opem solitam ferre possint Excommunicatis. Soli Notarii & Apparitores suum illis ministerium impendere nequeunt, si Parochis aut Vicariis Vadimonia denuntiare jubeantur, seu interpellationes obtrudere, undè Ecclesiæ Ministri eos in Ecclesiam admittere cogantur; hinc enim in rebellione foverentur contumaces (*n*).

Extra casus quinque supradictos,

(*l*) 2. *Mach.* 15. 4. *Act.* 5. 29.
(*m*) *S. Thom.* in 4. sent. *dist.* 18. *q.* 2. *a.* 4. *quæstiunc.* 1.
(*n*) *Conc. Aquisgr. I, an.* 816. *l.* 1. *cap.* 134.

illicita est omnis communicatio cum Excommunicatis, etiam fratribus & cognatis, si non sint tolerati.

Scilicet Excommunicati duplicis generis distinguuntur : alii tolerati, alii non tolerati. Prioris generis ii sunt quos non denuntiavit Judex Ecclesiasticus : hos quidem omninò vitare nullus tenetur ; certis tamen in casibus, suadente prudentiâ, fugienda est eorum societas. Posterioris generis ii sunt quos nominatim denuntiavit Judex Ecclesiasticus : & quilibet, extra Juris exceptiones, cum illis communicans, Excommunicationem minorem *ipso facto* incurreret ; quæ tamen reservata non esset, nisi cum iisdem communicatum fuisset *in crimine criminoso*, id est, in crimine propter quod ipsi excommunicati essent (*o*) ; tunc enim *ipso facto* incurreretur Excommunicatio *major*, cujus vinculum nemo solvere posset, præter illum à quo ipse criminosus posset absolvi (*p*). Duplici autem modo *in crimine criminoso* communicatur : 1°. Quandò, post Censuram pronuntiatam, cum reo committitur idem peccatum, propter quod ipse fuit excommunicatus ; 2°. Cùm ei suppeditatur consilium, auxilium, vel præsidium ut in crimine suo permaneat inconcussus, vel ut Censuram contemnat. In his duobus casibus incurritur eadem Excommunicatio. Posset etiam Episcopus, seu Judex Ecclesiasticus, ratione scandali, Excommunicatione majore per Sententiam eum plectere, qui, post contemptas monitiones, cum Excommunicatis denuntiatis, tametsi non *in crimine criminoso*, obstinatè communicaret.

Jam verò Excommunicati, etiam tolerati, coram Deo verè ligantur ; omnibus Excommunicationis effectibus in conscientiæ foro subjacent ; Sacramenta non sine sacrilegio suscipere vel ministrare possunt, atque ab omni Fidelium consortio abstinere debent : alioqui, non sunt à novo peccato immunes. Undè, si sint Sacerdotes, totiès peccant, quotiès ministrant Sacramenta ; licitum enim sui Ordinis exercitium coram Deo amisêre : quanquàm, in foro externo, ad vitanda scandala fovendamque pacem, sacris eos ministeriis fungi, ceu levius malum, tolerat Ecclesia (*q*). Itaque Excommunicati non denuntiati, Censuram, quantùm sine ullius offensione fieri potest, observare tenentur ; factaque denuntiatio solam Juris *notorietatem* Excommunicationi adderet. Verumtamen Ecclesia, scandalis occurrere, suorumque filiorum conscientiis pacem & securitatem afferre cupiens, benigna mater indulget ut Fideles, agere licitè possint in omnibus, etiam in cultu divino, cum ejusmodi Excommunicatis, quasi reverâ seclusi non essent. Quod quidem veteris Disciplinæ temperamentum cùm in gratiam duntaxat Fidelium induxerit sapiens & justa moderatio, illud in proprium commodum

(*o*) *Inn. III, cap.* Quod in dubiis, *de sent. Exc. tit.* 39.

(*p*) *S. Thom. sup.*

(*q*) *Vide Canonistas.*

detorquere non possunt Excommunicati tolerati. Ad hoc solum incumbere debent, ut scandalum à se illatum resarciant; & simul Pœnitentiam agere veram atque sinceram, ut Absolutionis beneficium promereantur. Interim sese ab omni Fidelium communione segregent, alioqui novo peccato sua cumulabunt scelera; nihilque omittant, cujus adminiculo possint à miserrimo lapsu resurgere.

CAPUT IV.

DE Excommunicatione ad finem revelationis, *seu* de Monitoriis.

Quid sit Monitorium; quibus de causis concedendum, quâ mente postulandum; quàm diligenter promulgandum, vel quandò ejus promulgatione supersedendum. Quibus diebus non promulganda sint Monitoria. Quid circa Excommunicationem docendi sint Fideles. Aggrave & Reaggrave. *Quomodò pronuntianda Excommunicatio. Observatio. Quâ diligentiâ veniendum ad revelationem. Quinam revelare teneantur; quinam à revelando eximantur. Quid circa revelationes Parocho agendum. Excommunicationem Monitorii virtute contractam quis tollat.*

MONITORIUM est *Monitio simul & mandatum Judicis Ecclesiastici, per quod ii omnes qui ejus, de quo inquiritur, facinoris auctorem vel participes, seu quodcumque ad rem pertinens cognoverint, id revelare sub anathematis interminatione, ipsique sontes, propositâ eadem pœnâ, restituere vel satisfacere jubentur* (a).

Juxta præsentem usum, Monitorium, post Sententiam Judicis secularis, decerni debet ab *Officiali*, contentiosam Diœcesani Antistitis Jurisdictionem exercente, vel ab *Officialatûs Vices-gerente* (b). Nec verò ulli cuiquam concedendum est, ut prudenter sanxit utraque Potestas, nisi *pro gravi causa* (c), & priùs habitâ diligenti maturâque investigatione, num, *pro re, loco, personâ aut tempore* (d), ex Ecclesiæ dignitate sit ut concedatur. Id porrò nunquam decernendum est postulanti-

(a) *Eveillon*, de Monit.

(b) Edit de 1670, *tit.* 7. *art.* 1.

(c) *Conc. Paris. an.* 1528, decr. morum 31. *Ordonn. des Etats d'Orléans, an.* 1560, art. 8.

(d) *Conc. Trid. Sess.* 25. de Ref. *c.* 3. Edit de 1695. *art.* 26.

bus Hæreticis, Excommunicatis, peccatoribus publicis in forma denuntiatis, nisi resipiscant; iisve qui neglecti Paschalis officii juridicè convicti fuerint. Reipublicæ Christianæ permagni quidem interest, ut, docentibus Pastoribus, intelligant Fideles non esse postulanda neque obtinenda Monitoria levibus aut futilibus de causis, sed propter ingentia detrimenta, vel scelera publicam offensionem conjunctam habentia (*e*), & quæ aliter probari non possint. Excommunicatio quippè Monitiones secutura, pœnarum Ecclesiasticarum longè gravissima est, multòque acerbior quàm quæ acerbissimæ in secularis vindictæ arbitrio positæ sunt; ideòque *gladius* ille usque adeò terribilis, » sobriè magnâque » circumspectione exerendus est; » cùm experientia doceat, si temerè, » aut levibus ex rebus incutiatur, » magis contemni quàm formidari, » & perniciem potiùs parere quàm » salutem (*f*). » Qui ergò Monitorium postulare intendit, secum attentus primùm recogitet eam rem quam persequitur, ipsumque incitamentum quo impellitur; illa quanti ponderis, hoc verò quàm legitimum sit: tum quâ mente ad obtinendum Monitorium accedat; num Dei causâ, ac disciplinæ zelo qui Fidelem deceat, an non potiùs solo proprii commodi respectu, temporalium damnorum compensationibus inhians, non publicam sequens morum honestatem, quæ sua sunt quærens, non quæ boni regiminis Christiani; num ducatur amore justitiæ, an non malevolentiæ impulsu, ad exsaturanda nempè odia, sumendamve ultionem. Perversè affectus Monitorii petitor, non ignoret se contra charitatem gravissimè peccare; sacrilegiique instar esse, si cupiditatum suarum famulam faciat Ecclesiasticæ Censuræ auctoritatem.

Qui de obtinendo Monitorio cogitant, primum omnium, Pastorem suum adire debent, à quo recipiant scriptum testimonium, fidem faciens ipsos Catholicam Religionem profiteri, puris moribus esse commendabiles, functos Paschali officio, ac postremò, quantùm Parochus nosse potuerit, verum esse crimen seu damnum quod conqueruntur. Pastores autem ejusmodi testimonium non concedent, nisi damnum, pro vero positum, non vulgare, sed ingens, aut saltem grave esse videatur. Quod testimonium cùm obtinuerint expostulatores, ad nostrum Officialem conferre se poterunt, à quo mittantur ad Regium Procuratorem, si locus sit; sin minùs, à postulandi Monitorii proposito deterreantur. Hanc autem Pastoralis testimonii cautionem præmitti eò magis expedit, quòd, eâ deficiente, præcaveri non possit eorum fraus & dolus, qui, cùm Monitoria pro levibus damnis haudquaquam impetraturos se sentiant, gravissimum aliquod & suppositititium consultò adjiciunt; undè Ecclesia verum à falso non secernens, adventitiæ rei confictâ magnitudine moveatur, ac denique Excommu-

(*e*) *Ordonn. des Etats d'Orléans*, sup. (*f*) *Conc. Trid. sup.*

nicationem adhiberi æquissimum judicet.

Optimum sanè & zelo Pastorali dignissimum quiddam facient Parochialium Ecclesiarum Rectores, si expostulatoribus satisfieri & lites priùs componi curent quàm obtineantur Monitoria, aut etiam, ad extremum, postquàm concessa fuerint. Quinimò considerate providenterque agent, si Præsulem Diœcesanum, seu ipsius Officialem, certiorem faciant de gravibus incommodis quæ ex Monitoriorum promulgatione forsan oritura esse præviderint. Ejusmodi Monitoria, vel sapientissimè decreta, aliquam tamen solent conturbationem movere : iis igitur occurri satius erit, Parochianos videlicet monendo quibus in casibus id ultrò revelare teneantur quod sibi de damnis proximo illatis innotuerit. Sunt enim quædam circumstantiæ, in quibus charitate & justitiâ compellimur ad curandum pro viribus ut resarciatur injuria quam passus est proximus. Prudentiæ tamen consentaneum erit, ut justo examine libretur, num fortè ex voluntaria revelatione plus mali timendum sit, quàm boni sperandum.

Parochus autem, seu Vicarius, ubi primùm interpellati fuerint, tenentur ad Monitorium intrà Missam Parochialem promulgandum, si nempè ex auctoritate legitima in ordine Hierarchiæ prodeat; nullum quippè aliud promulgare debent, undecumque exhibitum (*g*). Quam promulgationem si detrectaverint, eam exequi poterit alius Sacerdos ad hoc specialiter à Judice delegatus (*h*). Si quis se juridicâ denuntiatione promulgando Monitorio interponat ; ejus promulgatione supersedere debet Parochus seu Vicarius, donec irrita judicetur intercessio (1), vel donec intercessor (2) ab illa desistere se in forma Juris significaverit.

(1) L'opposition.
(2) L'opposant.

Extra casum intercessionis, rite interpellato Pastori non licet eam promulgationem suspendere sine Mandato Judicis, vel sine consensu scripto ex parte illius qui Monitorium persecutus fuerit, etiamsi auctor delicti satisfactionem offerat.

Non decet verò ullum promulgari Monitorium die sancto Paschæ, cæterisque majorum Festivitatum diebus : quales sunt Pentecoste, Corpus Christi, Natale Domini, &c. (*i*) nisi urgear ineluctabilis necessitas, aut aliud Ordinario visum fuerit. Alioqui, turbatâ per Excommunicationis terrorem Solemnitatum lætitiâ sanctâ, miserrimum in modum impleretur quod Deus, loquente Prophetâ, comminatus est : *Convertam festivitates vestras in luctum, & cantica vestra in planctum* (*k*).

Ubi promulgandum erit aliquod Monitorium, quanta Ecclesiæ matri obedientia debeatur, sedulò exponet Parochiæ Rector. Fidelibus quàm poterit maximâ perspicuitate edisseret in quo posita sit Excommunicatio, ac præfer-

(*g*) *Ibid.*
(*h*) Edit de 1670, *tit.* 7. *art.* 5.
(*i*) *Conc. Mediol. IV*, *an.* 1576.
(*k*) *Amos*, 8. 10.

tim quinam sint ejus effectus. Ante diem promulgandæ Censuræ, Sacerdos monitiones iterans, Fideles edocebit quàm strictè ad revelationem teneantur: ipsos ad eam hortabitur, exhibitâ patientiâ & longanimitate quâ utitur Ecclesia, anathematis fulmen in filios charissimos non contorquens, nisi priùs repetitæ monitionis tenerrimâ sollicitudine spatium dederit obsequio salutari, quo tremendam minarum executionem prævertant. Antequàm Parochus eam promulget Sententiam, Dominicâ præcedenti moneat se illam indictâ die promulgaturum.

Monitorium tribus Dominicis continuis promulgatur: & Pastor, infra Monitorii tenorem, cujusque promulgationis fidem facit, suoque testimonio subscribit. Tum, si post integros sex dilationis dies à tertia & ultima Monitorii promulgatione concessos, expostulator Sententiam obtineat ferentem *Aggrave & Reaggrâve* simulque Excommunicationem in eos qui restitutionem, satisfactionem vel revelationem detrectaverint; ejusmodi Sententia tribus pariter Dominicis continuis promulgatur.

Cùm venerit promulgandæ Excommunicationis dies; Pastor vultu & sermone ad luctum & miserationem composito, affirmabit, Ecclesiam non sine acerbissimo doloris sensu ad hanc extremi remedii necessitatem devenire, ut è sinu suo præcidat filios contumaces. Posteà Sententiam multâ gravitate pronuntiabit erecto corpore, Fidelibus autem in genua provolutis, de Excommunicatorum spirituali exitio gementibus, & pro ipsorum conversione privatim orantibus. Parochianos insupèr adhortabitur ut pro iisdem orationes deinceps quoque ingeminent, quod & ipse non omittet; ut Deus corda rebellium ad pœnitentiam compunctionemque emollire dignetur. Et ne simplices trepident timore ubi nullus est timendi locus, vanissimum errorem superstitiosumque commentum esse observabit, si quis animo fingat pronuntiatam Excommunicationem toti Parochiæ exitiosam fore, vel agris, messibus, vineis, villis aut possessionibus intrà Parochiæ limites conclusis triste aliquid portendere. Docebit Sacerdos luculenter eâ Censurâ neminem lædi, nisi *filios perditionis*, qui se gladio ejus per suam culpam & contumaciam obnoxios fecerunt; nec terram, sed malos terræ habitatores anathemate esse percussos.

Pœna autem Excommunicationis à contumacibus incurritur statim atque promulgata primùm fuit Sententia ferens *Aggrave & Reaggrave*; nullaque insupèr necessaria monitio est, aut Sententiæ *fulminatio*; quæ quidem olim cum extinctione Cerei & pulsu Campanæ adhiberi solita, nunc prorsùs obsolevit. Pastor prædictam Excommunicationis Sententiam promulgaturus, Fideles hortabitur ut fratrum suorum infelicem lapsum lugeant, divinamque in eos flectant misericordiam; utque ipsimet Censuras Ecclesiasticas formident, nec earum fulmina unquam in semetipsos provocent.

Licet verò sub sola anathematis interminatione trina Monitoriarum

rum Litteratum promulgatio fiat, non tamen revelatio differenda est quoadusque in sontes & conscios, elapso trium hebdomadarum intervallo, fulmen Excommunicationis contorqueatur, sicque in eos *aggravetur & reaggravetur Processus*. Quin potiùs, statim à prima monitione, seu lectione Monitorii, quicumque aliquam facinoris notitiam adepti sunt, venire ad revelationem strictè tenentur, idque sub pœna inobedientiæ erga Ecclesiam in gravi materia præcipientem; nisi legitimo impedimento à revelatione immunes efficiantur. Cùm igitur unaquæque monitio sit Ecclesiæ mandatum Fideles obstringens, vituperandum illud est, quinimò, si fieri possit, emendandum quod plerique tam malè constituunt, ut ne sibi cognita revelent nisi pronuntiatâ Excommunicatione, quæ jam non est monitio, sed pœna ipsamet, in eos inflicta qui præcedentibus monitionibus obtemperare neglexerunt. Idem revelandi officium perseverat, etiam promulgatâ Excommunicatione; ita ut, qui illam incurrit eò quòd tempore intermedio revelare omisit, absolvi nequeat nisi postquàm obtemperaverit Ecclesiæ Mandato, vel ita facturum se pollicitus fuerit. Et generatim, quicumque aliquid nôrunt de causa in Monitorio enunciatâ, venire ad revelationem tenentur, quotiès in causæ commodum cedere potest revelatio; debentque ipsi damnum resarcire ex defectu revelationis illatum. Itaque si Parochus aliusve Sacerdos approbatus aliquem in Confessione audiat, qui se id quod sciret circa facinus in Monitorio expressum, non revelasse confiteatur, vel qui tempore promulgationis bonâ fide absens fuerit; eum, etiam per Absolutionis dilationem, compellere tenetur ut revelet, quamvis jam elapsum fuerit tempus ad revelationem constitutum, si tamen videatur ejus revelatio quidquam posse utilitatis in causam conferre.

Nec soli domicilium habentes in Parochia ubi promulgatum est Monitorium, revelationem debent; sed ipsimet extranei, advenæ, peregrini, hospites, vagi, transeuntes; quinimò ii omnes qui tunc temporis commorantur in territorio, cujus intrà limites extenditur Jurisdictio Præsulis Monitorium decernentis per suum Officialem, etiamsi privilegio, sive aliter, ab ea sint Jurisdictione immunes. Quæ quidem lex ad omnes pertinet, quorum testimonium utcumque admitti potest. Cùm proindè ipsimet impuberes ad testificandum in causa criminosa vocari possint, ad revelationem similiter virtute Monitorii tenentur.

Ab ea tamen eximuntur, I°. Reus, & quicumque illius participes in crimine fuerunt; nemo enim ad seipsum diffamandum compelli potest: sed ipsi quidem, vi Monitorii, restituere sive aliter satisfacere tenentur.

II°. A revelatione eximuntur ii quorum testimonium in Judicio contra se invicem non admitteretur: quales sunt vir & uxor, pater & mater, frater & soror, cæterique consanguinei & affines Rei usque

ad quartum gradum inclusivè (*l*); exceptis quibusdam gravissimi momenti Casibus. In dubio, Diœcesanum Antistitem seu Vicarium-generalem consulant Parochi. Quamvis testimonium personæ infamis & in Judicio reprehensæ, in probationis partem accipi nequeat; in hac tamen exceptione haudquaquam includitur ejusmodi persona, cùm possit ipsius revelatio conjecturæ & indicii loco esse ad detegendam rei veritatem.

III°. Quibus facinoris in Monitorio enuntiati cognitio nulla est nisi vaga, obscura atque incerta, quorum proindè revelatio non posset in probationis partem venire, nec ullum suppeditare indicium quo veritas illucesceret.

IV°. Quibus facta in Monitorio expressa, nisi sub naturalis aut divini secreti sigillo non innotuerunt. Quâ quidem exceptione includuntur, 1°. Confessarii, cæterique Sacerdotes, Doctores, seu Canonum periti, quibus crimen propositum fuit ut quæstio ad conscientiam pertinens. 2°. Advocati, Procuratores, Sollicitatores, Notarii, Medici, Chirurgi, Pharmacopolæ, Obstetrices; qui nempè factum criminosum non sciunt nisi sub sigillo quo debent functionum suarum executionem obsignare. 3°. Qui solâ communicatione sibi sub naturalis arcani sigillo factâ crimen didicère. His autem ii non sunt annumerandi, quibus res primùm intimè quidem fuisset communicata, sed minimè sub sigillo, quod, nisi aliquantò pòst, iis non fuisset impositum. Attamen per secretum naturale nemo eximeretur à lege revelationis in Matrimonii Impedimento dirimente, vel in cæca fraude, molitione, aut scelere tumescente, quod posteà si erumperet, in grave tertii alicujus detrimentum vergeret; vel si ageretur de refutando crimine ex cujus falsa opinione insontis cervicibus immineret iniquè districta condemnatio. Et generatim quodlibet arcanum à Confessionis sigillo diversum, revelationis immunitatem non pareret in criminibus Religioni, Regi, Reipublicæ exitiosum nefas molientibus.

V°. Sacerdotes, cæterique Clerici, quandò ex eorum revelatione sequi potest vel mors, vel membri amputatio; nisi tamen aliud velit publica ingensque utilitas.

VI°. Qui ad revelationem venire non possunt, nisi cum gravissimi detrimenti vel durissimæ tractationis periculo, cujus timor cadat in virum constantem. Si tamen de Religionis aut Reipublicæ utilitate generali agatur, ad revelationem quisque tenebitur, etiam cum suî detrimento: quæ quidem exceptio ad alios Casus qui sint ejus capaces, extendi debet. Si quis fortè anceps hæreat quid sibi circa revelationem agendum sit; viros consulat, tum pietate, tum doctrinâ & prudentiâ commendabiles, atque à proprii commodi respectu alienos; ipsum-

(*l*) *Can.* Si testes, *c.* 4 *q.* 2. Edit de 1667. *tit.* 22. *art.* 11.

mèt, si necesse videatur, Præsulem Diœcesanum, aut ejus Vicarium-generalem.

Parochus, aliusve Sacerdos qui Monitorium promulgaverit, revelationes litteris mandatas poterit excipere, iisque subscribi à revelantibus curabit; si autem subscribere nesciant, id in forma Juris annotabit. Subscribet ipse Parochus, aliusve cui commissum fuerit ut revelationes excipiat: tum diligenter inclusas & proprio sigillo munitas mittet ad forense Tabularium (1) indictum; prætereàque infra Litteras Monitoriales quas simul remittet, ipsas diebus assignatis promulgatas fuisse testabitur. Si de restitutione agatur, & aliqua fuerit secuta restitutio; id sedulò in denuntiationum chartâ erit exponendum, nullo nominatim aliterve designato. Qui revelationes exceperit, inviolabili secreto id omne tegere tenebitur quod sibi fuerit manifestatum. Si rei criminosæ conscii hoc solum dicant Parocho, se testificari paratos esse, ubi primùm in Jus vocati fuerint, nec velint aliud quidquam aperire; eorum nomina, cognomina & domicilium scribet cum præfata declaratione: quæ omnia pariter mittenda erunt ad Tabularium fori, cujus sub Judice pendebit litis actio: & hæc quidem secundùm formulam quæ in Pastoralis hujus parte rituali ad calcem descripta invenietur.

(1) Au Greffe.

Cæterum Nobis, seu Vicariis nostris generalibus, reservatur Absolutio Excommunicationis quâ per Monitorium ligatus aliquis fuerit: & potestas ad ejus vinculum solvendum necessaria ne ipsis quidem indulta censetur Confessariis, qui propter Casus & Censuras reservatas latissimè approbantur. Ad hoc scilicet requiritur nova & specialis facultas.

CAPUT V.

De Suspensione.

Suspensio definitur, triplexque distinguitur. Suspensiones à Jure. *Quandonam Suspensio* totalis *fit, quandò* partialis. *Quandò cesset, vel quomodò tollatur. Quid sequatur ex violatione Suspensionis. Depositio & Degradatio.*

De Suspensione, sub variis nominibus, mentio fit apud antiquos. Eam vocant *loco decessionem*, *remotionem ab Officio*, *ab honore exterminationem*, *gradûs aut honoris amissionem*, *privationem*, *suf-*

pensionem, ab Officio vel munere cessationem, &c. (*a*).

Suspensio est *Censura Ecclesiastica, quâ Clericus, propter grave delictum, privatur exercitio potestatis quæ sibi vel Ordinis, vel Officii, vel Beneficii ratione competit.* Hinc triplex est Suspensio: *ab Ordine, ab Officio, à Beneficio.* Per Suspensionem *ab Ordine*, Clericus facultate interdicitur exercendi Ordinis quem suscepit. Per Suspensionem *ab Officio*, privatur omni exercitio functionum quæ Dignitati Ecclesiasticæ, muneri, Beneficio, exteriori Jurisdictioni annexæ sunt. Per Suspensionem *à Beneficio*, ita spoliatur Beneficii fructibus, ut eos legitimè percipere nequeat. Sed, juxta Gallicanam Jurisprudentiam, non impedit hæc Suspensio quominùs Clericus Beneficiorum possessionem alteri transcribere, vel ea cum aliis commutare validè possit.

Suspensio alia est *à Jure*, alia autem *ab homine*: quarum definitiones ex supradictis facilè intelliguntur.

Hæ verò sunt *Suspensiones à Jure*: suspenduntur *ipso facto* ab Ordine,

1°. Qui *per saltum*, ut loquuntur, ordinati sunt, id est, qui Ordinem sacrum, prætermisso Ordine sacro inferiore, suscipiunt.

2°. Qui Ordines ante legitimam ætatem, vel extra tempus ab Ecclesia constitutum, vel, sine proprii Episcopi licentiâ, ab alieno Episcopo scienter suscipiunt.

3°. Qui sacros Ordines suscipiunt sub ficto patrimonii vel Beneficii titulo.

4°. Qui furtivè, id est, neque examinante, neque approbante Episcopo, sacros Ordines suscipiunt, postquàm alium in suî locum, suo indito nomine, examini subdiderunt.

5°. Qui excommunicatus, vel simoniacus, quemlibet Ordinem suscipit.

6°. Qui duos Ordines sacros in una Ordinatione suscipit.

7°. Qui Ordinem sacrum suscipit, postquàm Matrimonium contraxit, quamvis illud non consummaverit.

8°. Parochus, aliusve Sacerdos, sive Secularis, sive Regularis, qui alienæ Parochiæ sponsos, sine illorum Parochi vel Ordinarii licentiâ, Matrimonio conjungit, *ipso Jure* tamdiù suspensus manet, donec ab Ordinario illius Parochi qui Matrimonio interesse ac benedicere debebat, absolvatur.

Hisce octo Suspensionibus quatuor insuper annumerandæ sunt; quæ cùm à Decessoribus nostris per Mandata generalia & perpetua constitutæ fuerint, Censuris *à Jure* meritò æquipatantur. Scilicet Suspensionem *ipso facto* incurrit in hac Diœcesi,

1°. Qui sanctissimam Eucharistiam defert ad extinguendum incendium,

---

a) *Tert.* de Bapt. *c.* 17. *Conc. Carth. IV*, *an.* 398. *can.* 50. *Elib. can.* 33. *Calced. can.* 22. *Milev. an.* 402. *can.* 19. *Rem. sub. Sonnat. an.* 625, *v.* 630. *can.* 2. & 22. *Aurel. V*, *an.* 549. *can.* 3.

vel ad coërcendam inundationem, vel ad tempestatem avertendam (*b*).

2°. Qui Missam celebrat non indutus veste talari, id est, ab humeris ad talos demissâ, eâque manicis instructâ (*c*).

3°. Alienæ Diœcesis Sacerdos, qui in hac, sine licentia, Missam celebrat, & honorarium percipit, post quindecim dies à suo in hanc Diœcesim accessu (*d*).

4°. Qui sciens (aliâ tamen quàm Confessionis viâ) & volens, Hæreticum cum Catholica, vel Catholicum cum Hæretica Matrimonio conjungit (*e*).

PRÆTEREA Suspensio alia *totalis* est, alia verò *partialis*. Per illam Clerico simul adimitur usus Ordinis, Officii & Beneficii. Per hanc interdicitur usu vel duorum, vel unius, aut etiam alicujus partis singulorum. Unâ siquidem privari potest Officii parte, alterâ nihilominùs intactâ: suspendi v. g. potest Sacerdos à Missa celebranda, nec simul à Sacramentis conferendis; à prædicationis, nec simul à Confessionis ministerio. Suspensio *totalis* reputatur, si Canon, Statutum, Mandatum, vel Judex verbis absolutis atque indefinitis, id est, sine ulla determinatione aut limitatione prolatis, Suspensionem ferat: secùs verò, *partialis* est. Clericus *à Divinis* suspensus, ab omni Ordinis, Officii & Beneficii exercitio solemni suspensus habetur. Suspensus *ab Ordine*, non eam amittit Jurisdictionem externam, quam ratione Officii vel Beneficii possidet, sed eam duntaxat quæ Ordini à quo suspenditur annexa est. Sic Parochus à Presbyteratu suspensus, regimen Parochiæ retinet; eâ verò excidit Jurisdictione quam in Parochianos quoad forum internum obtinebat. Qui simpliciter & absolutè suspenditur *ab Ordine*, omnis cujuscumque Ordinis functionibus privatur. Suspensus ab Ordine inferiore, suspensus quoque à superiore censetur: quamobrem à Diaconatu remotus, eo ipso munia Sacerdotalia obire non potest. Suspensus verò ab Ordine superiore, non idcircò ab inferiore suspensus est. Sunt enim culpæ satis graves, ut à summo ministerio, non autem ut simul ab inferiore Clericum arceant. Itaque à Presbyteratu suspensus, Diaconi, Subdiaconi, Minorumque Ordinum munia potest exercere. Quod quidem cum veteri Disciplina consentit, quâ disponente, Subdiaconi è gradu suo ita excidebant, ut Lectoris atque Ostiarii muneribus fungi nihilominùs possent (*f*).

SI Suspensio in perpetuum infligatur sine spe veniæ, vel ad certum quidem tempus, sed solùm in delicti præteriti vindictam; pœna est, nòn Censura. Quòd si Suspen-

(*b*) *Stat. Syn. D. Franc.* de Harlay, *Paris. Archiep. an.* 1674. *Et Rit. Paris. den. ed. an.* 1777, *pag.* 115. *Vide in hoc Pastorali, Tom. I*, de Sacram. Euch. *Div. V*, *cap.* 3.

(*c*) *Stat. Syn. D. Lud. Ant.* de Noailles, *Paris. Archiep. an.* 1697, *Stat.* 4. & *Rit. Paris. pag.* 115. *Ordonn. du* 23 *Déc.* 1783.

(*d*) *Ibid.*

(*e*) *Rit. Paris. vet. & nov.* de Matrim.

(*f*) *Conc. Tolet. I*, *an.* 400. *can.* 4.

ſio medicinalis, ad tempus duntaxat, vel ſub conditione feratur; ceſſat, elapſo tempore, peractâque Pœnitentiâ quam Superior impoſuit, vel impletâ conditione quam præſtituit: modò tamen ſervata fuerit Cenſura. Si autem Suſpenſio indefinitè, nulloque præfixo temporis intervallo, feratur; ſolâ Superioris vel Sacerdotis ab ipſo delegati Abſolutione tolli poteſt.

PORRO qui Suſpenſionem infringunt, 1°. quidem peccant lethaliter, ut potè legem Eccleſiæ in re maximi momenti tranſgredientes. 2°. Qui ſolemniter, ſeu tanquam Miniſtri, munia obeunt Ordinis ſacri, à quibus ſuſpenſi fuêre, hi prætereà Irregularitatem incurrunt (*g*): de qua ſuo loco differemus (*h*). 3°. Suſpenſus *à Beneficio*, etiam occultè, Beneficii fructus non facit ſuos: quos ſi percipiat, ad reſtitutionem tenetur. Neceſſe tamen illi eſt Horas Canonicas recitare, cæteraque Beneficii onera ſuſtinere: alioqui pœna delicto impoſita, in Eccleſiæ *Fundatorumque* detrimentum vergeret.

Qui ab Ordine, vel ab Officio vel à Beneficio, vel à duobus horum, aut etiam à tribus ſimul merè ſuſpenduntur, ii quidem non ideò gradum & honorem amittunt; indèque ſpem retinent loci & muneris, peractâ pœnitentiâ, recuperandi. Sed, præter Suſpenſionem, duæ ſunt pœnæ Canonicæ, *Depoſitio* nempè & *Degradatio*. Depoſitio eſt perpetua remotio ab Ordine, Juriſdictione, & Beneficio, ſervatis tamen fori Canoniſque privilegiis. Hæc per Judicis Eccleſiaſtici Sententiam infligitur. Degradatio remotioni ab Ordine, ab Officio & Beneficio, ſolemnem adjungit inſignium Ordinis ſimulque privilegiorum fori & Canonis ſpoliationem. Clerico utraque hujuſmodi pœnâ affecto nulla unquam recuperandi gradûs ſpes remanet: & qui Degradationem paſſus eſt, pro Clerico non habetur ampliùs. Hanc exequi poteſt ſolus Epiſcopus, juxta Cæremonias in Pontificali deſcriptas. Ipſa autem raró adhibita fuit; & jamdudùm apud Eccleſiam Gallicanam in deſuetudinem abiit.

(*g*) *Cap.* 1. de ſent. & re jud. *in* 6. (*h*) *Ad calcem Tractatûs* de Sacram. Ord.



CAPUT VI.

De Interdicto.

Quid sit Interdictum. Hujus divisio multiplex. Ob cujus delictum feratur: quandò cesset, vel quomodò tollatur. Quædam observanda. Quas pœnas incurrant Interdicti violatores.

Interdictum est *Censura Ecclesiastica, per quam Sacramentorum administratio, Missæ, omnisque Officii divini celebratio, atque Ecclesiastica sepultura prohibentur, ob culpam aliquam atque inobedientiam gravem & scandalum parientem.*

Ex Juris Canonici dispositione, Interdictum dividitur in *locale, personale, & mixtum.* Interdictum *locale* illud est quod fertur in loca; cùm v. g. prohibetur ne in *tali* Civitate, Vico, Ecclesia, Cœmeterio, sacra Mysteria divinaque Officia celebrentur, Fidelesque sepulturâ Ecclesiasticâ donentur. Interdictum *personale* afficit personas; cùm scilicet vetatur ne quædam personæ Sacramenta conferant, vel suscipiant, divinis intersint Officiis, vel ea celebrent, ne denique in terra sancta sepeliantur. Interdicti, ubicumque sint, arceantur à Divinis atque à sepultura Ecclesiastica. Interdictum *mixtum* loca simul & personas attingit; ambobusque idem est, quod singulis *locale* separatim & *personale.*

Interdictum, seu locale, seu personale, seu mixtum, rursùs in *generale* & *speciale* dividitur. Interdictum *locale generale* illud est quo interdicitur locus, alia loca suis limitibus concludens; ut Civitas, Oppidum, Vicus, Parochia. Interdictum *locale speciale* illud est quo interdicitur locus aliquis sacer; exempli causâ, *talis Parochiæ* Ecclesia vel Cœmeterium, aut unius loci certæ quædam Ecclesiæ, certave Cœmeteria nominatim designata.

Interdictum *personale generale* illud est quo percellitur aliqua Communitas, prout certam hominum societatem constituit; vel quo *talis* Civitatis, Vici, Parochiæ cives aut incolæ omnes interdicuntur (*a*). Interdictum *personale speciale*, illud est quo interdicitur una persona, aut etiam plures propriis nominibus designatæ, nec verò quatenùs Communitatem aut Collegium constituunt. Non fertur Interdictum *generale* propter delictum hominis privati, sed propter delictum Communitatis, aut Superioris (*b*); nisi

(*a*) *Cap.* 16. de sent. Excom. *in 6.*
(*b*) *Ibid. Cap.* Si sententia. *Conc. Basil. celebr. ab an.* 1431 *ad* 1442. *Sess.* 2. *c.* 3.

fortè privatus ille inter cives aut incolas sit maximè spectabilis ; vel nisi auctor delicti Communitatem civium aut incolarum in se repræsentet, atque ejus nomine agere censeatur, qualis foret Communitatis vel Parochiæ negotiorum Procurator (1).

(1) Le Syndic.

Interdictum quoque aliud *perpetuum est*, aliud verò *temporarium*. Hujus intervallum si constitutum sit; elapso tempore, cessat Interdictum sine ulla Superioris declaratione. Si tempus sit indefinitum, & ex conditione aliqua pendeat; impletâ conditione; pariter cessat Interdictum. Si nulla sit apposita conditio, non tollitur Interdictum nisi ad arbitrium illius à quo pronuntiata fuit Sententia.

Interdictum limitari possunt qui illud ferunt. Ecclesia nempè interdici potest pro solâ Missæ celebratione, licèt non pro cæteris Officiis; quædam persona pro Sacramentis, tametsi non pro Ecclesiastica sepultura.

Sub gravibus pœnis vetat Ecclesia, ne Fideles cum Interdictis denuntiatis communicent in iis à quibus interdicti sunt. Ejus prætereà mens foret ut in cæteris quoque vitarentur, nisi aliter fieri cogeret necessitas, vel suaderet magna utilitas, cùm nempè legitimè speratur eos salutaribus hortamentis ad pœnitentiam & obedientiam adductum iri. Ex ea solitudine forsitan erubescentes & *confusione operti* (c), ad reatum suum agnoscendum saluberrimo stimulo excitarentur, juxta illud Apostoli: *Quòd si quis non obedit verbo nostro per Epistolam, hùnc notate, & ne commisceamini cum illo, ut confundatur* (d).

Quicumque Interdictum violare audent, lethaliter peccant, Mandato Ecclesiæ in re gravi præcipientis resistentes. Clerici prætereà qui scientes & volentes in loco interdicto celebrant, vel sacri cujusquam Ordinis munia ibidem consultò & cogitatò exercent, aut qui ab ingressu Ecclesiæ interdicti, Divina celebrant, vel Divinis assistunt, eo ipso *Irregularitatem* incurrunt; quæ quidem, si sit *notoria*, Sedi Apostolicæ reservatur (e). Laïci verò Interdictum violantes, Censurâ Excommunicationis plectendi sunt.

Clerici qui Laïcos interdictos in Ecclesiam admittunt ad Divina, coram ipsis ea celebrant, vel iisdem Sacramenta conferunt, sive Seculares, sive Regulares, sive *exempti*, sive *non exempti* sint, *latæ sententiæ* Interdictum ab ingressu Ecclesiæ incurrunt (f), à quo non sunt absolvendi, nisi post condignam, arbitrio Superioris cujus Censuram infregerunt, satisfactionem & reparationem. Quo quidem Interdicto *personali* durante si Divina celebrare audeant, Irregulares fiunt; eoque in statu morientes, Ecclesiasticâ sepulturâ privantur (g).

Ab iis Excommunicatio *latæ sen-*

(c) *Ps.* 108.
(d) 2. *Thess.* 3. 14.
(e) *Cap.* 18. & 20. de sent. Exc. *in* 6.
(f) *Cap.* Episcoporum, *de privil. in* 6.
(g) *Cap.* Is cui, *de sent. Exc. ibid.*

tentiæ incurritur, quicumque Sacerdotem in loco interdicto, vel coram Interdictis denuntiatis Divina celebrare compellunt; vel qui prohibent ne Interdicti Ecclesiâ egrediantur; ipsimet Interdicti, qui, tempore divinorum Officiorum, præcipiente Sacerdote, Ecclesiâ, exire detrectant (*h*).

Quicumque Interdictum denuntiatum sepelit in loco sancto, aliumve quemlibet in loco nominatim interdicto, vel in Ecclesia aut Cœmeterio Interdicti *generalis* tempore, Excommunicationem *ipso facto* incurrit, sive Clericus, sive Laïcus ille sit, sive Secularis, sive Regularis, *exemptus*, vel *non exemptus* (*i*).

Hæc de Censura *Interdicti* summatim exposita sufficiant; Interdicta enim jam ferè nulla in usu sunt.

(*h*) *Clementin.* Gravis ad nos, *ibid.* (*i*) *Clement. I*, de sepult.



CAPUT VII.

De Absolutione à Censuris.

Censuræ quænam reservatæ, quænam verò non reservatæ. Ad quid extendatur, & quid exceptionis patiatur potestas à Censuris reservatis absolvendi generaliter concessa. De publica Censurarum Absolutione. Licentia tollendi Censuras reservatas, quibus limitibus circumscribatur. A Censuris Pontifici maximo reservatis, cùm sunt occultæ, absolvere potest Ordinarius. De Absolutione extranei Censurâ ligati. Quædam sedulò distinguenda. In mortis articulo vel periculo, nulla reservatio Censurarum.

Censuræ aliæ sunt reservatæ, aliæ non reservatæ. Censura *à Jure* non est reservata, nisi reservatio exprimatur in Lege, id est, in Canone, Statuto vel Mandato generali & permanente (*a*). Censura *ab homine* semper est ei qui ipsam tulit, Episcopo reservata, etiamsi reservatio non exprimatur; *ejus enim est solvere, cujus est ligare:* præsertim verò cùm ita ligavit, ut solus solvere intendat; cùm nempè Censuram aliquam sibi specialiter reservavit, aut aliquem nominatim Censurâ perculit; nisi fortè ad Præsulem Jurisdictione potiorem interjecta fuerit appellatio (*b*).

Porrò Censura *ab homine* non ea sola existimatur, quam Superior in aliquem nominatim per Sententiam tulit; sed ea pariter quam generatim in contumaces ignotos per Monitorium inflixit. Præterea verò quælibet Censura, etiam *à Jure*, postquàm ad forum contentiosum deducta est, eo ipso reservata censetur.

Censuras omnes non reservatas, neque ad forum contentiosum deductas, tollere potest quilibet Confessarius simpliciter approbatus. A Censuris autem reservatis nemo absolvit nisi Superior, vel à Superiore delegatus.

Potestas à Censuris reservatis absolvendi, generalibus verbis concessa, omnes complectitur Censuras *à Jure*, ipsasque *ab homine* per Mandatum generale & permanens constitutas; hæ siquidem, cùm generatim ferantur, Censuris *à Jure* meritò æquiparantur (*c*). Hæc verò licentia generalis non

(*a*) *Inn. III. cap.* 29. de sent. Excom. *a.* 4. *quæstiunc.* 1.
(*b*) *S. Thom.* in 4. sent. *dist.* 18. *q.* 2.
(*c*) *Laiman*, de Abs. à Cens.

eas includit Censuras *ab homine*, quæ nominatim in quemvis, sive Clericum, sive Laïcum, per Sententiam inflictæ fuerint, nisi de his expressa fiat mentio in concessione. Facultas enim tollendi Censuram *ab homine*, vel Censuram cujusvis generis ad forum contentiosum deductam, pro concessa non habetur, nisi Superior eam specialiter concesserit; solo excepto casu mortis imminentis, aut certè periculi, propter quod ministranda sint extrema Sacramenta: & tunc non valet Absolutio, nisi quoad forum internum. Quibus videlicet Confessariis datur hæc facultas ut à Censuris *ab homine* absolvant, ii facultatem hujusmodi non possunt nisi in solo conscientiæ foro exercere; neque illis competit eos in publicam Sacramentorum participationem, aut in functionum suarum exercitium restituere, quos nominatim perculerit aliqua Censura; sed ipsos compellere debent ad hujusmodi Censurarum Absolutionem in foro externo ab Ecclesiastico Judice obtinendam.

Publicè igitur & extra Pœnitentiæ Tribunal absolvere à qualibet Censura nullus potest Confessarius, qui specialem ad hoc non obtinuerit à Diœcesano Præsule facultatem: quod quidem omnibus Sacerdotibus, tum Secularibus, tum Regularibus, etiam ab Ordinarii jurisdictione immunibus, & quocumque privilegio gaudentibus, sub pœna Excommunicationis interdicitur quoad Absolutionem ab Hæresi; quam qui publicè in Hæreticorum communione professam ejurare voluerit, ad nostrum Pœnitentiarium, aliumve à Nobis delegatum accedat, à quo, post emissam Catholicæ fidei professionem, ritè absolvatur (*d*).

Jam verò potestas absolvendi à Censuris reservatis, tum *à Jure*, tum *ab homine*, non ex se & sine speciali potestate, eas includit Censuras quæ in perpetuum, vel ad certum definitumque tempus feruntur: ratio est, quod eæ non ut meræ Censuræ habendæ sunt, sed potiùs ut pœnæ, quæ per solam à Statuto vel Sententiâ Dispensationem tolli possunt, non verò per Absolutionem.

Nec facultas absolvendi à Censuris reservatis unquam per se includit facultatem dispensandi in Irregularitatibus, Votis aut Juramentis, Matrimoniive Impedimentis: ad hæc necessaria est Specialis expresséque enuntiata concessio. Possunt tamen Confessarii vel simpliciter approbati, ab iis peccatis absolvere quibus annexa est aliqua Suspensio vel Irregularitas, nisi hæc peccata sint reservata. Deficiente verò speciali facultate ac delegatione, nullus Confessarius, etiam Censuras tollens in arcano Tribunali, potest in publicam Ecclesiasticæ Communionis & Sacramentorum participationem, in functionum sacrarum executionem, in Beneficiorum aut fructuum possessionem eos restituere, quos nomi-

(*d*) *Mandatum D. Lud. Ant. Card.* de Noailles, de Casib. reserv., *&c. an.* 1709, *in Synodico Paris. ed. an.* 1777, *pag.* 397. *Et Rit. Paris. pag.* 103.

natim iis bonis privavit aliqua Censura; sed compellendi sunt ad obtinendam in foro exteriore ab Ecclesiastico Judice publicam Censurarum Absolutionem, ne quis jam relinquatur earum effectus.

An omni Censura summo Pontifici reservata, si ex delicto occulto proveniat, nondùmque ad forum contentiosum deducta fuerit, absolvere potest Ordinarius loci Pontifex, vel Sacerdos cui voluerit hanc facultatem impertiri. Si quis verò dubitet num ad Sedem Apostolicam recurrere pro Censura debeat; à Pastore vel Confessario monitus, Diœcesanum Antistitem priùs consulat. A Nobis pariter seu Vicariis nostris generalibus inquiratur, quid optimum factu sit erga eos qui jussu, consilio, sive aliter, participes fuerint in Casibus vel Censuris Pontifici maximo reservatis.

CUM reservata est aliqua Censura in Diœcesi apud quam emittitur Confessio, opus habet loci Confessarius delegatione Ordinarii ad Censuras reservatas, ut absolvat extraneum qui hujusmodi Censuram incurrit in Diœcesi apud quam non est reservata. Ratio est, quòd Sacerdos prætergredi non potest facultatem sibi ab Antistite approbatore suo concessam.

Quoniam verò, de illo qui Censuram *à Jure* in una Diœcesi reservatam incurrit, posteà verò in aliam transmigrat ubi non est reservata, controvertitur, an, ut ab ejusmodi Censurâ in altera illa Diœcesi absolvatur, ministerio indigeat Confessarii facultate pollentis à Censuris reservatis absolvendi, necne; Nos, ad removendam omnem difficultatem animarum saluti periculosam, concedimus, ut, si quis è Diœcesanis nostris Censuram *à Jure* seu Statuto in hac Diœcesi reservatam incurrat, posteàque in aliam Diœcesim transeat ubi illa non sit reservata, ibi valeat à Presbytero simpliciter approbato ejusmodi Censuræ Absolutionem in Pœnitentiæ Tribunali accipere; dummodò peccatum quod admisit, & cui est annexa Censura, nec publicum sit, nec ad forum contentiosum fuerit deductum; dummodò insupèr ille Pœnitens alienam Diœcesim non petierit in fraudem.

Quem verò ligat Censura *ab homine*, sive per Sententiam, sive per Monitorium lata, vel Censura *à Jure*, etiam ideò solùm reservata quòd ad forum contentiosum deducta fuerit, ille absolvi non potest in aliena Diœcesi, ne ab ipso quidem Episcopo Diœcesis ad quam se contulit. Eum Præsulem adire tenetur, à quo lata fuit Censura, vel cujus in Diœcesi ad forum contentiosum deducta est; à quo nimirùm solo, vel cujus solius auctoritate potest absolvi: tunc enim valet axioma, *Ejus est solvere, cujus est ligare*; nisi ad Præsulem Jurisdictione potiorem interjecta fuerit appellatio, quo quidem posito, ad hunc pertinebit ut absolvat. Adeundus est pariter ille Superior à quo lata fuit Suspensio, vel Interdictum, si pronuntiatum non fuerit per modum Censuræ, sed per modum animadversionis; neque aliter cessare potest ejusmodi pœna, sive perpetua, sive ad tem-

pus definitum constituta. Potestas enim absolvendi à Censuris indefinitè concessa, non hoc ipso, ut jam antè diximus, eas includit, quæ, animadversionis instar, sive in perpetuum, sive ad tempus definitum feruntur.

Porrò in modò dictis casibus, semper excipiendum est mortis periculum, tempusque Jubilæi, cujus *Bulla* ab Antistite Diœcesano recognita & generaliter promulgata, potestatem faciat à quibuscumque Censuris absolvendi: quibus tamen in casibus non valebit Absolutio nisi quoad solum conscientiæ forum, nec Pœnitentem immunem faciet impetrandæ Absolutionis in foro externo, ut bonorum per Censuram ademptorum publicam possessionem recuperet.

Pluribus simul Censuris ligari aliquis potest; vel ob idem peccatum, vel ob diversa peccata; vel ab eodem Superiore, vel à diversis Superioribus. Absolutus à Censura, non ideò absolutus est à peccato. Absolutus ab una Censura, non idcircò absolutus est ab altera. Absolutus ab una, quam plures ob causas incurrit, non verè fuit absolutus, si causas omnes criminosas Superiori absolventi non exposuit. Absolutus ab uno Superiore, non continuò censetur ab alio absolutus, si latas à duobus Censuras incurrit. Qui à Censura juridicè publicâ in solo Pœnitentiæ Tribunali absolutus fuit, nec se ipse, nec eum alii pro absoluto exteriùs & publicè habere debent. Qui absolutus est à Censura, non idcircò Dispensationem super Irregularitate obtinuit, neque in integrum quoad cætera restitutus est. Hinc, qui multiplici Excommunicatione irretitur, non potest, quamdiù ab una duntaxat absolutus fuit, in Ecclesiæ Communionem restitui. Hinc similiter Excommunicatus denuntiatus in eam admitti non potest, quoadusque in foro externo Absolutionem obtinuerit, quæ ritè fuerit promulgata. Hinc Simoniacus in Beneficio, etiam occultus, etsi auctoritate Ordinarii legitimè absolutus à peccato & Censura, non ideò Beneficium retinere, & suos facere fructus potest, nisi ad summum Pontificem recurrat, ut sibi fiat condonatio fructuum, atque in Beneficium, si locus sit, restituatur. Hæc omnia distincta sunt, sedulòque secernenda.

Jam verò in Absolutionis sacramentalis formulâ ideò proferuntur hæ voces, *Ab omni vinculo Excommunicationis*, (*Suspensionis*) *& Interdicti, in quantùm possum & indiges*, quòd quisque Sacerdos approbatus absolvere potest, tum ab Excommunicatione - minore, tum ab Excommunicationibus *à Jure* quæ non sunt reservatæ. His prætereà verbis absolvit Sacerdos ab omni Censura, etiam reservatâ, si quam fortè incurrit Pœnitens, & sibi, & Confessario incognitam.

Semper ante Absolutionem tolli debet Excommunicatio & Interdictum *personale*, quibus nempè Censuris prohibetur Sacramentorum susceptio.

Quod pertinet ad Suspensionem, Confessarius ad eam tollendam in-

habilis, Pœnitentem à delicto non reservato priùs quidem absolvere potest, quàm eum ipse mittat ad Superiorem à quo Censuræ Absolutionem accipiat: satius tamen plerumque est ut illum ante omnia Superiori sistere se pro Suspensione jubeat.

Qui delictum admisêre quod Interdicto *locali* præbuit occasionem, vel qui ejus participes quoquomodò fuêre, ii, excepto mortis articulo, absolvi non possunt, quin priùs satisfecerint, vel pro satisfactione dederint cautionem, si potuerint (*e*).

In mortis articulo vel periculo, sicut Casuum, ita & Censurarum, sive *à Jure* sive *ab homine*, nullam reservationem esse voluit provida mater Ecclesia; & tunc ab iis in foro interno absolvere potest quilibet Confessarius, imò quivis Presbyter, etiam non approbatus, imò Censuris ligatus, irregularis, depositus. Cùm autem Sacerdos simpliciter approbatus, vel solam Ordinis potestatem habens, infirmum periclitantem absolvit à Censura reservata; quid tunc observare debeat, conjunctim opportuniùsque exposuimus, ubi de Absolutione à Casibus reservatis (*f*).

(*e*) *Cap.* Alma mat. *de sent. Exc. in 6.*

(*f*) *De Sacram. Pœnit. Divis. III, cap. 2.*



CAPUT VIII.

De Cessatione à Divinis.

Quid sit Cessatio à Divinis. *In quo differat ab Interdicto : in quo ad ejus similitudinem accedat. Circa* Cessationem à Divinis *ab Interdicti Censurâ distinguendam, regulæ statuuntur.*

Cessatio *à Divinis* non est Censura, sed luctûs & mœroris gravissimi testimonium; cùm nempè sancta mater Ecclesia, propter injuriam aut inobedientiam aliquam notabilem, facinoris horrore perculsa, præcipit certo in loco cessari à divinorum Officiorum celebratione, à Sacramentorum administratione, atque ab Ecclesiastica Fidelium sepultura (*a*).

Interdictum autem & *Cessatio à Divinis* in eo inter se discrepant, quòd, tempore Interdicti, in Ecclesiis haud nominatim interdictis, liceat divina Officia peragere, saltem januis clausis, imò etiam publicè in præcipuis anni Festivitatibus; contrà verò, tempore *Cessationis à Divinis*, liceat tantùm, ad renovandas sacri Viatici Hostias, Missam semel per hebdomadam in Ecclesiis Parochialibus celebrare, submissâ voce, januis clausis, sine pulsu Campanæ, unoque vel ad summum duobus admissis qui Sacerdori ministrent.

Porrò, tempore *Cessationis à Divinis*, quemadmodùm tempore Interdicti, liberum est conferre Sacramenta Baptismi, Confirmationis, Pœnitentiæ, & sacri Viatici, omissis tamen precibus quæ moribundi administrationem præcedunt & sequuntur. Nemini autem conceditur sepultura Ecclesiastica in loco quem afficit *Cessatio à Divinis.*

Solus Ordinarius, & cui hoc munus delegare voluerit, *Cessationem à Divinis* præcipere potest, eamve tollere. Hæc verò, sicut Interdictum, dividitur in *generalem* & *specialem :* cùmque non sit Censura, Irregularitatem non incurrit ejus violator, tametsi graviter peccat.

His positis, Interdictum quod nonnumquam, vel in decursu Visitationum Episcopalium, vel peculiari Mandato, fertur in certas Ecclesias, Sacella, aut Cœmeteria, quandò illius Interdicti causa fuit irreverentia, sacri alicujus loci in-

(*a*)* *Conc. Cabil. II, an.* 813. *v.* 815. *can.* 16. *Tribur. an.* 895. *can.* 32. *Tolet. XIII, an.* 683. *can.* 7. *Nic. II, gen. VII, an.* 787. *can.* 4. *Lugd. I, an.* 515. *v.* 517. *can.* 3. *Narb. can.* 8. *Alex. III,* Decret. *l.* 4. *tit.* 1. *c.* 11.

decentia, squalor, vel necessariæ reparationis defectus, Censura communiter haberi non debet, neque Nos Censuram haberi intendimus, sed tantùm *Cessationem à Divinis*.

(1) Commissarius.

Hinc statuimus, 1°. Ab ipsius violatore Irregularitatem non incurri, quamvis delicti gravissimi reum se constituat, eâque pœnâ dignus evadat quæ sit exemplo rebellibus. 2°. Nullo die Festo, etiam solemniore, in loco sic interdicto Missam aliudve Officium divinum, etiam januis clausis, celebrari posse, sed tantùm, ut diximus (si sit Ecclesia Parochialis), semel in hebdomada, & secretò. 3°. Solâ Mandati executione indictæque reparationis complemento nequaquam tolli *Cessationem à Divinis*; sed opus esse disertâ atque expressâ illius revocatione à Nobis impetratâ : quam non concedemus, nisi priùs factâ & ad Nos relatâ inquisitione per causæ cognitorem (1) à Nobis delegatum.

Quod si Interdictum, seu in Visitatione, seu de speciali Mandato certas ob causas pronuntiatum fuerit, v. g. propter contentiones in Ecclesia exortas, aliave quælibet scandala; hoc Interdictum pro Censura debet accipi : & si quis Clericus illud infringat, Irregularitatem incurrit.

JAM verò, sive *Interdictum* propriè acceptum feratur, sive *Cessatio à Divinis*, Sacella omnia & Cœmeterium Ecclesiæ contiguum, sive Interdicto, sive *Cessationi à Divinis* subjecta fore decernimus.



TRACTATUS



TRACTATUS SEPTIMUS.
DE SACRAMENTO EXTREMÆ-UNCTIONIS.

DIVISIO PRIMA.

AGETUR in hac prævia Divisione, 1°. De visitandis curandisque Infirmis : 2°. De cura Infirmorum tempore contagionis : 3°. De Testamentis.

CAPUT PRIMUM.

DE visitandis curandisque Infirmis.

QUÆDAM prænotanda. Præparatio ad visitationem Infirmorum. Qualis esse debeat prima visitatio. Monita practica. Varii Infirmi variè tractandi. Si gravis morbus appareat, ad quid inducendus sit Infirmus. Ingravescente morbo, quinam sensus Infirmo suggerendi. Varii variè exhortandi. Responsum mortis *ferente morbo, quodnam sit Pastoris officium, pro cujusque ægrotantis indole ac dispositione. Ut visitatio Pastoris Infirmo non sit onerosa, sed grata, præsertimque utilis, quædam observanda. Qui apud Infirmos plùs naturæ tribuunt quàm Religioni, quantâ circumspectione submovendi, quid & ipsi admonendi sint. Leges prudentiæ*

in visitatione Infirmorum. Zelum oratio comitetur. Dum visitantur Infirmi, non desit erga ipsos valentes opportuna sollicitudo. Collegis infirmis quid debeant Pastores.

Cum multa sunt ex quibus Christiana Religio præstantissimum divinæ bonitatis esse opus intelligitur, tum ex eo præsertim, quòd Infirmos curandi sublevandique tantam suggerat diligentiam. Scilicet eximium quiddam & singulare donum Dei est (*a*), si quis ægros & languidos visitet, ipsisque subsidia corporalia de suis facultatibus propriisque manibus subministret (*b*). Sileat philosophica *beneficentia*: operibus loquitur Christiana charitas. Hæc, tum Regiâ in Urbe, tum in cæteris, innumera excitavit humanitatis patientis hospitia. Hæc, per Episcopos Clerumque ipsis adhærentem, Nosocomia prope majores Ecclesias collocavit; ut præcipuum in quovis territorio sanctuarium Religionis, adjunctum haberet centrum exercendæ miserationis; & qui principes in Deo colendo erant, ii pariter in sublevando proximo antesignani esse monstrarentur. Hæc mulierum passim, atque etiam virorum sanctas societates curandis Infirmis consecravit. Hæc multos utriusque sexûs Fideles in publica infirmitatis receptacula inducit, ut ægros, non solùm opibus, sed ipso quoque manuum ministerio adjuvent atque refocillent.

Quantumcumque verò sit corporalis opitulationis donum ac meritum, major profectò est gratia juvandi ægrotos per spiritualem allevationem, per salutis verba opportunè subministrata. Hanc autem provinciam Parochis, ipsorum Vicariis, cæterisque Sacerdotibus in Pastoralis muneris partem venientibus contigisse nemo dubitet, qui sciat ipsos, tum in Sacramentis conferendis, tum in consolationibus suggerendis, divinæ benignitatis ministros fuisse constitutos. Si enim Christianis omnibus Infirmorum visitatio & consolatio tanquam officium proponitur de quo judicandi sint, ut præmio vel pœnâ in æternum afficiantur (*c*); quantò magis id inter præcipua sollicitudinis Pastoralis munia recensendum erit? Humanitatem patientem sublevare, hominis est, imprimis Christiani, maximè verò Pastoris, qui se totum debet creditis sibi ovibus, & cujus opem non alio magis tempore sibi necessariam experiuntur, quàm quo morborum angustiis laborant.

Pastorem igitur *non pigeat visitare Infirmum* (*d*); & ipse noverit nihil esse quo certiùs possit *in* populorum veneratione simul & *dilectione firmari* (*e*), quàm si *non desit plorantibus in consolatione* (*f*), præsertim *rerum*

(*a*) 1. *Cor.* 12. 28.
(*b*) *S. Chrys. Œcum. Theophylact.* in 1. Cor. 12. 28.
(*c*) *Matth.* 25. 36. 43.
(*d*) *Eccli.* 7. 39.
(*e*) *Ibid.*
(*f*) *Ibid. v.* 38. *Vide* Conc. Narb. an. 1609. *cap.* 32. *de Parochis.*

omnium indigentiâ & morbi acerbitate miserabilem in modum afflictis (*g*); cùm præterea ex infirmitate corporis opportunissima exurgat occasio morbis spiritualibus medendi, dum sæpiùs *ad Dominum clamant qui tribulantur*, & *bonum sibi* esse sentiunt *quòd humiliati sint*, *ut discant Dei justificationes* (*h*).

Antequam verò Pastor se ad illud opus accingat, hoc ipsum quod suscipit, ægrosque sibi invisendos Deo *totius consolationis* commendet (*i*). Posteà meminerit sese ipsiusmet Domini Jesu infirmos visitantis personam sustinere; eoque spiritu repleri se postulet, quo solebat ille lugentes consolari & malis ægrotantium condolere, veniens ut eos à corporis & animæ languoribus curaret.

Prima visitatio, non urgente morbi gravitate, nihil sit nisi officiosus ex humanitate ad Infirmum aditus, Pastoralèm exhibens de ipsius incolumitate sollicitudinem; sic tamen, ut solertia Ministri jam tunc fiduciæ sibi pro spiritualibus conciliandæ fundamenta jaciat. Vultu & verbis ad miserationem compositis, ægro testificetur se ad opem mentis & corporis ei ferendam prompto animo venire: Si sit æger ex inopum grege, beneficam ei manum porrigat (*k*). Si autem Pastori non suppetant facultates, ex aliena largitate suppleat suæ charitatis impotentiam; studeatque diligenter, si qui sint *divites hujus seculi* (*l*), Deum timentes, Christumque in paupere venerantes (*m*), ab illis ad manum habere subsidia quibus Infirmos egentes foveat (*n*). Quos autem pudet inopes videri, eorum pudori consulat, sic dupliciter officiosè facturus. Eâ curâ atque humanitate *intelligens super egenum & pauperem*, quasi angelus Dei excipietur; sentietque monita salutis in animos tantâ dulcedine præoccupatos feliciter illabi.

Enimverò debet imprimìs spiritualem ægrotantium curam suscipere, omnemque in eo ponere diligentiam, ut in viam salutis quàm tutissimè dirigantur, atque ab insidiis inimici ad prædam circumeuntis serventur incolumes. Ipse autem Infirmum adeat sic paratus, ut in promptu habeat argumenta suavi persuasione flexanima, quibus eum in Domino consoletur, sublevet, atque corroboret. Postquàm ejùs fiduciam lenitate sermonis consecutus fuerit; eâ quæ superiùs dicta est (*o*), prudentiâ & charitate illum ad confitenda peccata inducat (*p*), ostendens immensam Dei misericordiam, eum ad pœnitentiam invitantis, ad ignoscendum paratissimi; ipsumque audiat confitentem, sapienterque dijudicet num ille totius vitæ Confessionem debeat & possit emittere. Ne

(*g*) *Sacramentale Ambrosianum S. Caroli Mediol. Archiep. script. post an.* 1582, *c.* 5. de visit. & cur. infirm.
(*h*) *Ps.* 118. & 119.
(*i*) 2 *Cor.* 1. 3.
(*k*) *Eccli.* 7. 36.
(*l*) 1. *Tim.* 6. 17. 18.
(*m*) *Matth.* 25. 40.
(*n*) *Sacram. Ambr. S. Caroli*, sup.
(*o*) De Sacram. Pœnit. *Divis.* IX, *cap.* 3.
(*p*) *Conc. Nannet. IX seculo*, *can.* 4.

verò à Sacramentis in infirmitate suscipiendis pravo quodam timore abhorreat, illum admoneat Sacerdos, animas nostras & corpora ipsamet, per Sacramenta piè suscepta, quasi per signacula quædam nobis ægrotantibus apposita, in Dei optimi tutelam tradi, ne nos *de manu ejus rapere* quisquam possit(*q*).

PASTOR, aliusve Sacerdos Pastoris onus patiens visceraque induens, Infirmorum quos invisit, statum atque indolem diligenter introspiciat; quò certiùs monita, exhortationes & consolationes personis accommodet.

Qui videntur sensu malorum attriti atque animum despondentes, ii, blandè ac leniter admonente Sacerdote, consilium Domini quale sit intelligant: non ad perdendas animas, quæ supremo conditori sunt charissimæ, sed potiùs ut ad ipsum convertantur, vel puriores fiant, flagella morborum infligi (*r*): *passiones hujus temporis*, licèt gravissimas, *non esse condignas* ad præteritam culpam quæ deletur, ad pœnam temporalem peccatis debitam quæ condonatur, *ad futuram gloriam* quæ promittitur (*s*): de cætero malum patientiâ leniri, impatientiâ verò exasperari.

Quòd si justum alloquatur à Deo percussum; ipso docente, pro certo teneat justus afflictus, Dominum hanc sibi tentationem evenire ideò permisisse, ut palàm fiat an ipsum diligat ex toto corde(*t*); utque *in camino humiliationis* (*u*), miserante magis quàm sæviente Domino, probetur (*x*): immensam in promptu sibi esse meritorum segetem, si Christiano atque ad divinam voluntatem conformato animo patiatur.

Æger doloris vehementiâ exacerbatus, nec *tentationes* suscipiens *cum timore Domini*, sed *impatientiam suam & improperium murmurationis suæ contra Dominum* proferens (*y*), hortante Parocho, meminerit, *justum esse ut Deo subditus sit mortalis*; insanum simul & irritum ejus voluntati resistere: in mente habeat Christi Domini Passionem; eligatque an velit ex iis esse *quos Deus prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui* (*z*), scilicet per æquabilem tolerationem atque animam Deo subjectam; an ex iis qui damnatos imitantur, mente rebelli ac frementi, sine spe & consolatione patientes. Animo revolvat CHRISTI JESU dolores, & suos non sentiet, aut certè leviores experietur. Pessimam denique ei Christiano timendam esse mortem, qui, & sanus Deum obliviscitur, & infirmus Deo irascitur. Sic fortassè eò adduci poterit, ut, sedato paulatim animo, Deum in hæc aut similia verba alloqui non detrectet: *Usquequò, Domine, clamabo, & non exaudies? vociferabor ad te, vim patiens, & non salvabis? Sed quid ego conque-*

(*q*) *Joan.* 10. 28. 29.
(*r*) *Judith*, 8. 17. 2 *Machab.* 9. 11.
(*s*) *Rom.* 8. 18. *S. Bern.*
(*t*) *Deut.* 13. 3.
(*u*) *Eccli.* 2. 5.
(*x*) *Sap.* 3. 6. *Tob.* 12. 13. *Jac.* 1. 12.
(*y*) *Judith*, 8. 24.
(*z*) *Rom.* 8. 29.

ror? nonne Deo subjecta erit anima mea? nonne oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? Nonne sanitas & infirmitas, vita & mors in manu Dei sunt? Ego, Domine, in flagella paratus sum: atteratur corpus, quod peccato instrumentum fuit: hìc ure, hìc seca, modò in æternum parcas (*a*).

Si ægroti animus desperationis tentatione laboret; ipse hortatu Sacerdotis intelligat, timorem quidem donum esse sancti Spiritûs; eum tamen legitimâ fiduciâ temperandum, ne magis noceat quàm prosit: & certè, quem Deus per afflictionem visitat, hujus inter cæteros, salutem Deo esse optatissimam. Ægri, ex intuitu divinæ clementiæ, ad spem veniæ & saluris erigendi sunt. Iis pariter suggerenda est suavissima in Domini nostri Jesu Christi Passionem fiducia. Ab iis prætereà eliciantur Actus Fidei, Spei, Charitatis & Contritionis, vel iisdem cum pietate & unctione Actus ejusmodi pronuntientur. Si quod remaneat *offendiculum amaritudinis* ex anteactæ vitæ memoriâ (*b*), Pastor illud removere studeat, exhibitâ Dei benignitate, qui hominem verè pœnitentem suscipit *quomodò miseretur pater filiorum* (*c*). Si qua *spina* occulta, *dolorem inferens* (*d*), adhùc pungat animam quæ tamen Deo reconciliata videatur; spinam evellere conabitur Sacerdos, vel anxietatem circa Confessionem bonâ fide peractam eliminans, vel solerter ulcera detegens, quæ malus pudor quasi ad extremum spiritum celata reservare potuisset.

Si gravis morbus appareat; suadente, vel potiùs jubente Pastore, Infirmus, dum adhùc integrâ mente est, vigetque usu rationis & sensuum, suprema sua prudenter, justè pièque ordinet: si quid malè partum vel iniquè retentum habet, restituat; peccata sua eleemosynis piisve aliis dispositionibus redimat (*e*); damnum resarciat illatum; iis, quorum intererit, satisfaciat; scandalum tollat cui locum dederit. Deindè Pastor Infirmum Pœnitentiæ Sacramento ritè dispositum inducet ad suscipienda cum excitatissimo pietatis sensu, & sacri Viatici, & Extremæ-Unctionis divina subsidia. Si autem ægrotanti aliquid cum proximo intercesserit inimicitiæ, dissidii, litis vel controversiæ; curandum erit ut sincerâ mente reconcilietur, antequàm Sacramenta suscipiat; ideòque accersat partem suam adversam, veniam roget offensor, vel indulgeat offensus. Quandò in publicum erupit inimicitia, publicè pariter coire debet reconciliatio. Quòd si æger sit aliquâ peccati occasione proximâ implicitus, si v. g. domi habeat personam aliquam suspectam, seu malam quoquomodò societatem; publicam hujusmodi offensionem removeat, priusquàm fiat cœlestium donorum particeps. Quin etiam inducendus

(*a*) *Habac.* 1. 2. *Ps.* 61. *Luc.* 24. 26. *Sap.* 16. 13. *Ps.* 37. *S. Aug.*
(*b*) *Ezech.* 28. 24.
(*c*) *Ps.* 102.
(*d*) *Ezech. sup.*
(*e*) *Dan.* 4. 24.

est ad declarandum quid æris alieni contraxerit, ut hoc dissolvat, vel, si tunc nequeat, dissolvendum curet cumprimùm fieri poterit.

Ingravescente morbo Fidelis decumbentis, inflammetur Parochi zelus & pietas; neque hic satis habeat ægro Sacramenta ministrasse; illum autem sæpiùs invisat, studioque impensiore adjuvet (*f*). *Si qua consolatio in Christo, si quod solatium charitatis, si qua viscera miserationis* (*g*), illud omne officiosâ sedulitate adhibeat indefessus Minister, *ex quo pendet anima* languentium (*h*), ad januam æternitatis incerto pede pulsantium. Ipse per eloquium suum corda eorum erigat, ut memores sint quomodò *omnes qui placuerunt Deo, per multas tribulationes transierunt fideles* (*i*); sicque ipsos ad gravissima quæque æquo animo toleranda potenti exhortatione confirmet. Eos multâ verborum suavitate inducat ut in spiritu pœnitentiæ, atque ad expiandas præteritæ vitæ maculas, divinæ justitiæ mala sua offerant Christi patientis doloribus coadunata: ea suscipiant æquanimiter de manu paterna Dei amantissimi, *corripientis* in tempore *propter iniquitatem*, ut parcat in æternitate propter pœnitentiam (*k*). Imitandos eidem proponat Sanctos, qui martyria sua & patientiam in doloribus exempla fecerunt, *gaudentes in passionibus, placentes sibi in infirmitatibus, in angustiis pro Christo, tunc maximè potentes, cùm maximè infirmarentur* (*l*). Ipsum deindè cohortetur ad opem Dei frequentibus animi & cordis elevationibus implorandam, ut patientiam fortitudinemque sibi necessariam, & perfectum divinæ voluntati obsequium impetret. Eodem admonente, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apostolorum, quantùm poterit, recitet, vel meditetur Infirmus; Nomen Jesu suavissimum, morbis malignisque spiritibus fugandis adeò efficax, totâ mente, toto corde invocet; adesse sibi efflagitet Beatam Mariam Virginem, Angelum suum Custodem, Sanctos omnes, ac præsertim suos & loci Patronos.

Jam verò ægrum sic appositè, sic animum subeunte sermone alloqui studeat, ut ille omnibus quæ ad salutem suam pertinebunt, audiendis non modò non gravetur, sed etiam, conceptâ in Sacerdotem fiduciâ ac benevolentiâ, delectetur. Denique, & personis & personarum ingeniis consentanea loquatur. Consideratè atque urbanè se gerat erga nobiles, familiariùs erga plebeios. Aliter pios, aliter negligentes, aliter æquo animo patientes, aliter impatientes, aliter plus justo præsumentes, aliter desperantes sciat compellare.

Qui frigidi sunt, inertes, animæ suæ incuriosi, in periculosa securitate torpentes, ii quamprimùm ex illo

---

(*f*) *Conc. Rem. an.* 1583. *tit.* de Extr. Unct. *n.* 4.
(*g*) *Phil.* 2. 1.
(*h*) *Judith*, 8. 21.
(*i*) *Ibid. v.* 23.
(*k*) *Ps.* 38. *Tob.* 13. 5. *S. Aug.*
(*l*) *Col.* 1. 24. 2. *Cor.* 12. 10.

spirituali sopore excitentur. Obdurati, exhibitâ Dei judiciorum severitate terreantur. Nimiùm confidentes humilientur usque ad terram, objectâ, si locus sit, scelerum nube ac fœditate, propositis pœnis quibus sontes in æternum addicerentur, nisi *Dominus peccata hominum dissimularet propter pœnitentiam* (*m*).

Quos Pastor, è contrariò, viderit de sua salute sollicitos, pias eorum dispositiones consonis allocutionibus foveat, vel potiùs eos relinquat sibimetipsis, Spiritu sancto in iis gemente, orante, illosque sine strepitu verborum *per* internam *unctionem docente de omnibus* (*n*). Ipsos tantummodò sequatur & adjuvet, sensusque pietatis, quos Deus illis suggesserit, iisdem revocet in memoriam. Quanquàm, si non videantur sibi sufficere, ut solent plurimi, nihil vetat quominùs Pastor eos ad fidem, spem & charitatem, ad compunctionem, variosque hujusmodi actus Religionis excitet, aptaque supervenientibus tentationibus remedia subministret. Sacras imagines tum Jesu Crucifixi, tum Beatæ Mariæ Virginis & Sanctorum quos Infirmus cultu singulari prosequitur, coram illo curet exponi, ac propè ipsius lectum Aquæ-benedictæ vasculum collocari, quâ sæpiùs respergatur. Eidem offerat vel pias lectiones audiendas, vel breves aliquas mentis ad Deum ejaculationes identidem fundendas; opportunè tamen ac moderatè, ne nimis fatigetur.

Quòd si Infirmus convaluerit; eum hortetur ut, refectis viribus, quamprimùm ad Ecclesiam veniens, grati animi sensus coram Deo prosternat; quod pœnitentiæ suæ, forsitan infirmæ, defuit, hoc suppleat, diligentiore adhibitâ præparatione Sacramenta Pœnitentiæ & Eucharistiæ suscipiens; ac deinceps rectiorem teneat vitæ disciplinam, sibique redditâ valetudine sanctiùs utatur. Quod denique ipsa Ethnicorum docet philosophia, id homo Christianus è gravi morbo incolumis diligenter custodiat, ut talis esse sanus perseveret, qualem se futurum professus est infirmus (1).

Si autem in pejus vergat infirmitas, &, sive Medicorum testimonio, sive ipsius naturæ deficientis intuitu, *responsum mortis* habeatur; prudenter admonendus erit ægrotus ut incertum *Domini diem* dispositionum sanctitate præoccupet, bonorumque operum copiam præmittat, si *Deo vocanti, animamque* sibi dilectam *repetenti sit respondendum* (*o*).

(1) Plin. jun. l. 7. Ep. 26.

Maxima verò circumspectione opus est, cùm, ex muneris sui necessitate, Pastor, quemadmodùm Isaias Propheta Ezechiæ Regi usque ad mortem ægrotanti, Infirmo forsitan malè securo hoc annuntiandum suscipit: *Dispone domui tuæ; quia morieris tu, & non vives* (*p*). Eum, si opus fore videbitur, admoneat ut *judicium mortis à Domino omni carni* positum sub-

(*m*) *Sap.* 11. 24.
(*n*) 1. *Joan.* 2. 20. 27.
(*o*) *Job*, 13. 22. *Luc.* 12. 20.
(*p*) *Is.* 38. 1. *Vide* 4 *Reg.* 20. 1.

jecto animo in peccati vindictam accipiat (*q*). Cùmque mortem non horreat opinio, sed natura (*r*), illum adversùs terrores mortis omni ope atque operâ confirmet: Morienti Christiano vitam non tolli, sed in melius immutari; animam corpori superstitem, & de corpore, ceu quodam ergastulo, evolantem, *converti in requiem suam* (*s*); Tobiam orare ut *Deus recipiat spiritum suum, eò quòd expediat sibi mori magis quàm vivere* (*t*); conqueri Davidem longum *sui incolatûs* exilium (*u*); Paulum *in hoc tabernaculo ingemiscere gravatum* (*x*), eumdemque etiam *cupere dissolvi & esse cum Christo* (*y*).

Quem plus æquo terret ac dejicit imago propriæ destructionis, vivam animo fidem ac Dei dilectionem concipiat cum spe resurrectionis ad vitam: sic demùm gratiæ suavitate supra seipsum raptus, neglectâ vilis corpusculi, terrestrisque domûs dissolutione, ad illam, quam ex Deo habemus *æternam in cælis, ædificationem* totâ mente suspirabit (*z*).

Quem tenaciore affectu terrena præpediunt, quique hæc secum ingemiscere videtur: *O mors, quàm amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis* (*a*)! hunc ad mundi contemptionem excitet; qui nempè, sicut fumus, deficit; qui nullos facit beatos, sed, ut plurimùm, sontes & miseros; in quo, licèt affluant honores ac divitiæ, nihil est nisi *vanitas & afflictio spiritûs* (*b*). Eodem admonente, intelligat æger incertam lubricamque esse hujus vitæ stationem; nec verò consultè fieri, si quis, patriæ oblitus, hospitio inhæreat: nostram, quæ vulgò appellatur, vitam, mortem potiùs esse (*c*); nec verè unquam vivere animum, nisi, corruptibilium artuum compage solutus, promissâ *superv estiatur* immortalitate, sicque *absorbeatur quod mortale est à vita* (*d*): meritò igitur ab homine Christiano concupisci beatam ejusmodi mortem quæ ad beatissimam vitam aditum aperiat. Hæc aut similia piorum sensuum documenta proponente Pastore, amantissimus quisque vitæ fragilis rerumque terrestrium, id facilè agnoscet, mortem Fidelibus, ut potè meliorem vitam sperantibus, non esse detrectandam, sed potiùs optandam, quasi finem ærumnosæ peregrinationis, initium autem beatitudinis *sine timore moriendi, & cum æternitate vivendi.* (*e*). Sic feliciter à terrenis abstractus ejusmodi Infirmus, *ad desiderium* erigetur *collium æternorum* (*f*), ubi omnibus singulisque beatis civibus » erit Deus & vita, & » salus, & victus, & copia, & glo- » ria,

(*q*) *Eccli.* 41. 5. *Vide Hebr.* 9. 27.
(*r*) *S. Aug. Serm.* 172. de verb. Ap. §. 1. [*al. Serm.* 32.]
(*s*) *Ps.* 114. (*t*) *Tob.* 3. 6.
(*u*) *Ps.* 119.
(*x*) 2. *Cor.* 5. 4.
(*y*) 1. *Thess.* 4. 12.
(*z*) 2. *Cor.* 5. 1. 2. *S. Ambr.* de fide resurr. *l.* 2. §. 3.
(*a*) *Eccli.* 41. 1.
(*b*) *Eccl.* 1. 14. *S. Ambr. sup.*
(*c*) *Idem*, in obitu fratris.
(*d*) 2. *Cor.* 5. 4.
(*e*) *Gen.* 47. 9. 1. *Paral.* 29. 15. *Ps.* 38. *Hebr.* 11. 13. *S. Cypr.* de mortal.
(*f*) *Gen.* 49. 26.

» ria, & honor, & pax, & omnia » bona; ipſe finis erit deſideriorum » noſtrorum, qui ſine finè videbi-» tur, ſine faſtidio amabitur, ſine » fatigatione laudabitur (*g*). »

Poſtremò, qui *ab amore præſentis ſeculi nec præceptis flectuntur, nec verberibus emendantur*; ita ut, *jam crebreſcente ruinâ corporis, tamen ſuperba mens non velit ſponte deſerere quod quotidiè perdit invita* (*h*); ii, hortatu Sacerdotis ſibi meliùs conſulentes, advertant, ſatius homini eſſe vitam ſuam Deo in ſacrificium expiationis devovere, quàm *Deo* fruſtrà *repugnantem* inveniri (*i*). Ævi noſtri *conſtitutos fuiſſe terminos, qui præteriri non poterunt* (*k*): omnem *hominem*, velit, nolit, *iturum eſſe in domum æternitatis ſuæ* (*l*), cujus in beatam ſortem intrare nos haud aliter oportere, quàm *per multas tribulationes*, per inanis fortunæ abnegationem & lutei corporis deſtructionem (*m*). Feſtinet igitur pretioſa, quæ ſuperſunt, momenta lucrifacere per voluntariam ſuîipſius, ſive viventis, ſive morientis oblationem; ne fortè, non placato Deo, cui nemo impunè reſiſtit, ad tremendum illud momentum deveniat, quo Deum placare jam non poſſit.

Ne verò exiſtimet Sacerdos ea omnia quæ modò attigimus, eſſe Infirmis uno tenore eodemque contextu, elaboratæ inſtar concionis, referenda. Modum opitulandi, juxta varietatem animorum, delineare duntaxat voluimus, & locos ſententiarum aperire, ex quibus unuſquiſque, pro ingenii bonitate, rerum copiam eruere poſſit, & cuique Infirmo convenientia conſolationis argumenta ſuppeditare. Quæ igitur ad hoc meditatus fuerit Sacerdos, ea non uno ſpiritu, quaſi ad memoriam citiùs exonerandam, effundet. Non longè petitam, ſed ex abundantia cordis tenerrimi profilientem ſuggeret conſolationem; verbaque, pro Infirmi conditione & morbi ſtatu, opportuna temperabit. Non longo periodorum circuitu eloquetur; ſed brevibus numeris claudet ſermonem ſimplicem, pioſque affectus redolentem. Meminerit autem, ſe, non ad circumſtantes verba facere, ſed Infirmum privatim alloqui; cujus nempè animus morbi violentiâ laborat ac penè obruitur. Itaque, ne ægrotantibus moleſtior ſit quàm utilior, eos nec ſæpiùs, nec diutiùs, nec ſono vocis altiore, nec quo tempore gravibus premuntur doloribus, alloquatur. Illos identidem, ſubmiſsâ voce, preſsè, & per modum ſententiæ hortetur, modò ad pœnitentiam, modò ad fiduciam in CHRISTUM JESUM, modò ad compunctionem, frequentiùs ad amorem Dei ſuper omnia, tanquam boni ſupremi & finis ultimi. Breve alloquium prudenti ſilentio intermittat: quinimò ſermo-

(*g*) *S. Aug* de civ. Dei. *l.* 22. *c.* 30. *n.* 1.
(*h*) *S. Greg Hom.* 5. in Ev. *n.* 1.
(*i*) *Act.* 5. 39.
(*k*) *Job*, 14. 5.
(*l*) *Eccl.* 12. 5.
(*m*) *Act.* 14. 21.

nem seu collocutionem interdùm mutet, nunc Infirmum, nunc astantes de rebus aliis communibus interrogans; nunc pro illo preces ad Deum fundens, cæterosque ad hoc idem præstandum exhortans; nunc suis consiliis, hortamentis vel monitis pios & consolatorios in Deum affectus intermiscens. Sic demùm ad ea quæ loqui cœperat, sese utiliter reflectet. Quòd si ægrotus aliquid velit dicere vel respondere, ipsum benignè audiat Sacerdos; videatque hic diligenter, ne ille, vel ipsis rebus propositis, vel rerum etiam optimarum fastidiosâ repetitione offendatur.

Nihil autem suscepto ministerio dignius exequi poterit, quàm si selectos è sacris Scripturis, ac præsertim è Psalmis, vel Ecclesiæ Canticis versiculos de memoriæ promptuario quasi spontè obvios, brevi quadam paraphrasi ad Infirmi statum, dispositiones, indolem, captum, conditionem, ætatem & sexum accommodet.

Locos hujusmodi sat multos variis affectibus excitandis idoneos suppeditabit Pastoralis hujus Pars Ritualis; quemadmodùm & Preces, quibus omni collocutioni præviis, ad conciliandam eam quæ suo debetur ministerio, reverentiam, pro sua prudentia, utetur Sacerdos (*n*).

Pastoris visitatio necessariæ consolationis & suggerendæ pietatis tempus nunquam excedat; caveatque diligenter ne ex mora longiore incommodum se Infirmo præbeat. Cùm aliquem lecto decumbentem visitat, expedit primùm ut testetur se malo ejus plurimùm affici. Nunquam affirmet, quod quidam solent improvidè, plus pati eos qui Infirmo ministrant, quàm ipsummet Infirmum: è contrario, speciem habeat credentis hunc doloribus angi vehementibus, eique ex animo condoleat. Tali humanitate mirum in modum gliscit Infirmorum fiducia, gaudentium scilicet habere se Pastorem *qui possit compati infirmitatibus suis* (*o*).

UT autem Infirmorum visitatio & consolatio opportunè accuratèque impleatur, summopere juvabit ut majorum Parochiarum Rectores descriptos habeant suæ ditionis Infirmos; quò certiùs nullum prætermittant, singulasque visitationes singulorum necessitatibus accommodent.

Sed quoniam Parochis aut Vicariis non vacat semper apud Infirmos manere, optimum erit ut aliquos è Parochianis, quos industriâ, zelo, scientiâ Dei & facultatibus pollere præ cæteris viderint, inducant ad visitandos ægros, præsertim pauperes: qui quidem à Parocho præformati visitationum adjutores, verba Dei apud Infirmos loquantur, solatiumque & levamenia afferant; ad postulanda pièque suscipienda extrema Sacramenta, prout Laïcis visitatoribus competere possit, illos disponant, &, postquàm ea susceperint, in piis affectibus confir-

(*n*) *Conc. Nannet. can.* 4. *Vide Tom. III hujus Pastoralis, ubi describitur* Modus exhortandi consolandique Infirmos.

(*o*) *Hebr.* 4. 15.

ment; qui demùm iis Domini nostri Jesu Christi Passionem aliudve quidquam idoneum legant. Monente verò Sacerdote, caveant ipsi diligenter ne longiore sermone ægros fatigent quos visitant; sed sæpiùs & breviùs eos alloquantur, exploratâ mollioris horæ potiorisque dispositionis opportunitate.

Porrò, ubi jacet tanta multitudo ægrotantium, ut Parochus eorum visitationi sufficere per se ipse nequeat, si quandò id præstandum curet vel per alios Sacerdotes, vel per Laïcos, *viros misericordiæ* (*p*), vel per mulieres, quæ, instar viduarum Ecclesiæ primitivæ, *tribulationem patientibus subministrent* (*q*); iis tamen sublevandos consolandosque Infirmos ex toto non committat. Lecto decumbentes certo temporis intervallo debet singulos invisere; hunc præsertim *videant pauperes, & lætentur* (*r*). Nec verò dedignetur plebeios & egenos in afflictione sua visitare, nobilium solummodò ac divitum visitator ambitiosus. Præcipuam gerat eorum sollicitudinem, qui morbo & ærumnâ conflictati, humanisque destituti auxiliis, spem suam in Pastoris charitate & visceribus totam reponunt. Quibus si non possit ipse de propriis facultatibus ministrare; studeat saltem, quantùm efficere & consequi poterit, sive per charitatis alteriusve cujuslibet nominis *Confraternitatem*, sive per collectas & eleemosynas publicas aut privatas, ne quid desit eorum necessitatibus; *ipse* enim *omnium indigentium*, ac præcipuè infirmorum, *curator est* (*s*).

Parochus autem, aliusve Sacerdos Pastorale munus exequens, sese ægrotantium familiaribus modestiâ & gravitate Sacerdotali venerabilem præbeat. Et quoniam non rarò necesse est ut submoveantur conjux, propinqui, familiares, amici, sæpiùs in his charorum angustiis plus naturæ quàm Religioni tribuentes; is sit Parochus, qui tristem illam necessitatem, nemine offenso, innuere, quinimò dulcedine sermonis lenire possit. Ipsi quidem suis plurimùm nocent, dum vanam securitatem & spem longam extollunt adversùs monita salutis, quæ Pastor, suggerente conscientiâ, periclitantibus impertit. Itaque gravissimis verbis, si opportunum atque utile fore videbitur, admonendi erunt ægrotantis familiares, & quicumque illi assistunt vel ministrant, ne, falso humanitatis affectu, moram ullam remediis ad æternam ipsius salutem necessariis interponant. Detestanda enim esset hæc *sapientia carnis* (*t*), cujus instinctu suprema Religionis auxilia ægro minimè offerrentur, hoc inducto futili prætextu, ne sinistro quodam velut omine, mors ei annuntiaretur, eoque terrore morbus ingravesceret. Posthabitis hujusmodi blandimentis, heu! sæpiùs exitiosis, ita solertet suaviterque

(*p*) *Eccli.* 44. 10.
(*q*) 1. *Tim.* 5. 10.
(*r*) *Ps.* 68.
(*s*) *S. Just.* Apol. 2. ad Ant. pium.
(*t*) *Rom.* 8. 7.

Infirmi animum tractet Sacerdos, ut non molestè ferat quòd suum sibi periculum manifestetur; utque Ecclesiæ Sacramenta, tanquam solatii roborisque promptuaria, tempestivè atque adeò fructuosè suscipiat. Moneatur etiam ne similis fit Aza, Regis Juda, qui *ægrotavit, & nec in infirmitate sua quæsivit Dominum, sed magis in medicorum arte confisus est* (u).

In ejusmodi visitationibus, curent Pastores diligenter *Christi bonum odorem* verbo & exemplo per domos & familias diffundere. Ibi, quantùm fieri poterit, nihil sumant alimenti. Quandò mulieres infirmas visitabunt, tam prudenter se gerant, præsertim erga juniores, ut nulla malignæ suspicioni detur occasio. Sacerdos nunquam solus cum sola remaneat: Infirmæ Confessionem audiat, astantibus in cubiculo testibus, aut certè apertâ januâ, ita ut cuilibet intrare liceat.

Parochus autem, quantumcumque zelum impendat in visitationem & curam Infirmorum, nihil proficere se posse existimet, nisi comitem zelo adhibeat frequentem fervidamque orationem. Itaque pro Infirmis quos visitat, ipse oret privatim, illosque in divino Sacrificio piè commemoret; eos denique & precibus familiæ in ipsorum domibus, & in *Pronao* publicè commendet precibus omnium Parochianorum; ut pro ægrotantibus id exequantur, quod pro se ipsi non omissum volent in eadem necessitate constituti. Quæ quidem orationum juvamenta si Sacerdos Infirmo polliceatur, id profectò sentiet ad ejus consolationem mirum in modum inservire.

Denique, ut ipsissmet Parochianis valentibus prosint Infirmorum visitationes, Pastor ex ejusmodi visitationibus occasionem sumat exquirendi quam morum disciplinam sequatur familia universa: an singuli manè & vespere Deum precentur; an omnes, vir præcipuè & uxor, pacificè vivant; an parentes vel tutores liberorum aut pupillorum educationi Christianæ invigilent; an curent domini & dominæ famulos & ancillas Parochiam frequentare Christianisque fungi officiis; an non promiscuè secum pueri & puellæ, vel cum ipsis parentibus in eodem cubili pernoctent; an non parentes secum in lecto parvulos cum periculo oppressionis collocent; quibus vitiis, si qua deprehendat Parochus, per monita vel consilia opportunè subministrata conveniens adhibeat remedium. Omnes demùm & singulos cohortetur ut in timore Domini ambulent, & suæ quisque officia conditionis fideliter impleant. Hæc autem ut iis quorum interest, proficiant, non quasi datâ operâ & per modum affectatæ inquisitionis aut præparatæ exhortationis, sed oblatâ occasione & amicâ sollicitudine Pastor exequatur, speciem habens patris de filiorum sibi charissimorum salute solliciti, non austeri rigidique pædagogi, ansam arguendi & corripiendi undequaque arripere gestientis.

(u) 2. *Paral.* 16. 12.

Absit autem ut Parochi rurales, cùm periculosè decumbunt, à suis Comministris & Consacerdotibus derelinquantur, solatioque ac spirituali ope destitui, & (à quo etiam cogitando mens refugit) Sacramentorum expertes moriantur. Incredibile dictu esset quanto Religionis dedecore, quantâ populorum offensione eveniret, ut Pastores, postquàm cæteris infirmis cœlestia remedia suppeditassent, iisdem ipsimer in ultima infirmitate carerent: undè pronum maximè foret, vel suspicari Sacramenta non fuisse ab iis postulata, vel arguere deficientem in Collegis charitatem. Utinam Fratribus nostris *super lectum doloris sui opem* & consolationem *ferre* (*x*), utinam iis extrema illa ac dulcissima Religionis subsidia ministrare possemus! Quod fraternæ dilectionis ministerium Nobis invident loca & tempora, id in Parochos infirmos non prætermittant vicini Fratres & Collegæ; talesque se illis præbeant, quales ipsi olim experiri Collegas in eadem necessitate concupiscent.

(*x*) *Ps.* 40.

CAPUT II.

De cura Infirmorum tempore contagionis.

Populares morbi, scelerum pœna. Cùm sævire incipit morbus pestilens, quid primùm satagere debeat Parochus. Pietas, charitas, zelusque intrepidus Pastori necessaria, dum grassatur contagio.

Pestilentiam cæterosque morbos populares mortem ferentes & luctum, tanquam iræ suæ flagella sæpè infligit Deus in pœnam scelerum (*a*); qualia sunt blasphemiæ, perjuria, adulteria, Religionis Ecclesiæque contemptus, diei Domini Festorumque nefanda violatio, aliaque id genus plurima; ea præsertim quæ conjunctam habent publicam offensionem, vel quæ atrocitate suâ clamant ad cœlum vindictam.

Statim atque contagio morbum aliquem in Parochia vulgaverit, Parochus ad Præsulem Diœcesanum confugiat, ut potè communem Pastorum atque ovium Pastorem, cujus consiliis in eo quod sit exequendum, scilicet in ope ægrotantibus ferendâ, tutiùs salubriùsque diriga-

(*a*) *Eccli.* 40. 9. 10.

tur. Multùm etiam proderit ut Magistratus & Judices terræ vehementer exhortetur ad tollenda tunc præcipuè scandala, si qua in loco vigeant; prudenterque illos admoneat hoc in ipsos incumbere strictissimum officium, ut potè quòd Deus peccata populi *in virga indignationis* suæ visitans (*b*), non possit nisi *dignis pœnitentiæ fructibus* placari. Eodem insupèr apud loci primarios ac divites agente, provideatur ut Infirmi, imprimìsque pauperes, ordine quàm fieri poterit optimo, rectis vel Nosocomiis excipiantur & foveantur; ne per incuriam ab humanitate simul & Religione alienam, morbo liberrimè sæviente, *uno nomine mortis mortui habeantur innumerabiles* (*c*).

Quod ut malum, si Deus miseratur annuerit, omni providentiâ humanâ vitetur, neque Nobis, neque cæteris Pastoribus comministris & cooperatoribus nostris id unquam obliviscendum est, quod exemplo præcipuus hac in re doctor, in uno è suis Conciliis sanxit Romanæ purpuræ decus & Sedis Mediolanensis lumen sanctus Carolus Borromæus: « Tempore pestilentiæ, Episcopus quæcumque pietatis officia à parente optimo filiis præstari afflictissimo illo tempore oporteat, ea studio & ministerio suo ita præstabit; ut ad omnia charitatis christianæ opera cæteri homines inflammentur. Parochi autem, animarumve curatores, tantùm abest ut necessario eo tempore populum cujus curam gerunt, aliquo modo destituant, ut fixâ animi deliberatione sibi statuendum putent omnia protsùs, etiam mortis pericula, paratissimo animo subire potiùs, quàm Fideles Christi sanguine redemptos, ac sibi præcipuè in curam traditos, in summa penè omnium adjumentorum necessitate deserere (*d*). »

Itaque Pastor, luctuosissimo hujusmodi casu eveniente, convalescat robore ministerii sui; & simul ejusdem fervore incalescens, oblatam sibi meritorum segetem uberrimam amplectatur. Ovibus suis in periculo curam omnem atque operam libentissimè impendat (*e*), seque totum *pro illis* gaudeat *superimpendi; bonus* enim *Pastor animam suam dat pro ovibus suis* (*f*). Omnium primum, justam offensi Numinis iracundiam adoret profundè humiliatus. Agnum Dei *offerat holocaustum, & deprecetur pro se & pro populo* (*g*), cujus loco sese victimam ultrò devoveat; ut Deus tantâ pietate commotus, dicat Angelo percutienti: *Sufficit; nunc contine manum tuam* (*h*). Omni denique opere bono ac pietatis exemplo Deum iratum placare nitatur. Afflictum populum ad veram pœnitentiam gravissimis verbis, tum publicè, tum privatim hor-

(*b*) *Thren.* 3. 1.
(*c*) *Sap.* 18. 12.
(*d*) *Conc. Mediol. V*, *an.* 1579, *part.* 2. *cap.* 4.
(*e*) *S. Cypr.* Ep. 54. (al. 57.) ad Cornel.
(*f*) 2. *Cor.* 12. 15. *Joan.* 10. 11.
(*g*) *Joan.* 1. 29. *Levit.* 9. 7.
(*h*) 2. *Reg.* 24. 16.

tetur; quo incitamento, per sinceram delictorum Confessionem se quisque ad morbum, si Deus ita constituerit, suscipiendum fortiter accingat.

Pastor novo quotidiè zelo succensus, ægris divina Sacramenta indefessè pièque administret; eos in afflictione gementes consoletur, edoceat quo pacto ad salutem suam uti debeant flagello divinitùs immisso, seque ad mortem hujusmodi præparare, quæ immortalis vitæ beatitudinem aperiat. In ipsos demùm auxilia omnia, quæ in Infirmos à bono Pastore adhiberi solent, tenerrimâ sollicitudine pervigil adhibeat. Quis nescit, quis autem sciens æmulari non exoptet heroïcam illam *S. Caroli Borromæi* charitatem? qui nempè, cùm fœdissima lues Mediolani grassaretur, Aaronis instar, in medium populi incendium cum thymiamate & precibus irruentis (*i*), *stans inter mortuos ac viventes* (*k*), curis amantissimis gregem afflictum consolari non destitit, membris jam propè lethali frigore rigentibus sacrum Oleum illiniens, in ora mox ultimum spiritum exhalatura vivificum insinuans Viaticum, seque ipsum & sua omnia patientibus Christi Fidelibus sublevandis constantissimè devovens. Quis non audivit, & quis audiens non miratus est, ab immortalis memoriæ Præsule Massiliensi (1), nostro seculo, in simili vastitate renovatum excelsi verèque Pastoralis animi spectaculum? Notissima pariter, nec minùs in exemplum assumenda est *S. Francisci Salesii* adhùc in secundo Pastorum ordine constituti, magnanimitas, eximiaque sollicitudo in populum eodem vindicis Dei flagello afflictatum.

Non igitur satis habeat Sacerdos animarum zelator, quòd populari morbo affectis Pœnitentiam administraverit. Cùm enim sacrosanctum Viaticum & Extrema-Unctio à Domino Jesu instituta præsertim fuerint ad Fideles in morbis periculosis corroborandos, metuendum esset, ne, subtractis ejusmodi auxiliis solatiisque spiritualibus, animis penitùs conciderent, ac forsitan desperationis malo immedicabili corriperentur. In tantis ærumnis, divinâ ope Sacramentorum & Pastoris consolatione multò magis indigent contagione laborantes, quàm usitati generis Infirmi, quandoquidem sæpiùs illos deficit quodcumque aliud subsidium, quæcumque alia consolatio. Attamen, inter administranda Sacramenta, eas preces omittere licet, quæ non sunt ad illorum essentiam omninò necessariæ. Quinimò, cùm Pastor apud ægros sine periculo diù esse non potest, maximè verò cùm ipsimet soli esse nequeunt, sufficit ut peccata summatim confiteantur, paucisque ad Deum sævienrem simul & parcentem erecti, statim absolvantur.

Et quidem Pastori videndum est etiam atque etiam, ne se frustrà objiciat morbi contrahendi pericu-

(1) M. de Belsunce, en 1720.


(*i*) *Num.* 16. 47. 48. *Sap.* 18. 21. 22. 23.

(*k*) *Num.* 16. 48.

lo manifestiori, undè omnibus Parochiæ suæ Fidelibus in tanta calamitate fiat inutilis. Jejunus, quantùm fieri poterit, ægros adeat; ne inspirata malignitas aëris cibum stomacho receptum afficiat, & simul cum eo in sanguinem insinuet. Prætereà uti poterit liquoribus medicatis, quorum spiritu inhalato, pestilentis aëris intemperiem aliquatenùs repellat. Dum autem curâ aliquâ legitimâ suæ prospicit incolumitati, nunquam se nullius animi hominem exhibeat. Sit semper ac videatur pater amantissimus, ad hoc tantùm servare se cupiens, ut sospites sibi filios conservet, aut saltem ut iis ad extremum usque spiritum opituletur. Pastor ignavus terrorem consternationemque publicam ingeminaret, sibique contemptum vilitati suæ parem acquireret. Sacerdos humanis præsidiis utcumque munitus, se totum Deo pro salute animarum offerat; dicatque cum generoso illo Simone in diversi generis angustiis constituto: *Non mihi contingat parcere animæ meæ in tempore tribulationis* (*l*).

Si denique, frustratâ omni diligentiâ, morbum lethalem contrahat, opem ferens afflatis pestilenti morbo Fidelibus; ipse sibi felix videatur, quòd suum Deo placuerit sacrificium, quòdque, meritis suis Martyrio æquiparatis, longè omnium *pretiosissimam in conspectu Domini mortem* sibi liceat oppetere (*m*). Non hìc, ut in bello fieri solet, pro caducæ laudis consectatione perrumpendi sunt hostium cunei; non sanguis pro Rege & patriâ (quamvis id etiam heroïcum sit ac decorum), inspectante exercitu, fundendus. Hìc Religionis Ministri in multò majoris ac potioris gloriæ curriculo versantur. *Castra Dei sunt hæc* (*n*); hìc *prælianda bella Domini* (*o*): qui cadunt in acie, non perimuntur, sed charitatis Martyres coronantur.

(*l*) 1. *Mach.* 13. 5.
(*m*) *Ps.* 115.
(*n*) *Gen.* 32. 2.
(*o*) 1. *Reg.* 18. 17.



CAPUT

CAPUT III.

De Testamentis.

Officia Pastorum in Parochianos circa Testamenta. Quinam ad testandum teneantur. Quid Parochum ab ægro sciscitari oporteat, in ordine Testamenti condendi vel jam conditi. Codicilli. Quidnam ægro suadendum, ut Christiano more testetur. Duo extrema Testatori vitanda. Ne fiant testamentariæ dispositiones plus æquo familiis onerosæ vel noxiæ. Nemo liberorum præ cæteris fraudulenter augendus: nemo eorum, nisi gravissimâ de causâ, exhæres scribendus. Hæredum jura servanda: litium occasio tollenda: si quem præ cæteris augere liceat, quisnam potissimùm eligendus. Sequenda in omnibus Legum Placita & Constituta localia. Fideicommissa *fraudulenta ne fieri sinat Parochus. A propriæ utilitatis consectatione alienus sit Pastor Testamentum excipiens. Condito Testamento, quid cogitandum. An viri Ecclesiastici Testamentorum curatores esse possint. Ut pauperibus vel Ecclesiæ legata solvantur, quid Parocho agendum. Quædam notanda.*

Omnia quibus Diœcesis Parisiensis regitur, Constituta Civilia (1), in eo cum Regiis Sanctionibus consentiunt, ut Pastoribus, seu *Deservientibus* à Diœcesano Præsule nominatim institutis, intrà suos cuique limites, Testamenta suscipiendi potestatem faciant. Cùm igitur Parochus, seu *Deserviens*, ab aliquo infirmo rogari possit ut sibi Testamentum scribat; quo pacto eam præ se ferat æquitatem & prudentiam, quæ personam publicam & fidelem Jesu Christi Ministrum decent, hìc esse tradendum censuimus. Et quoniam in præsenti negotio peccantes non modò peccant sine spe damni resarciendi, verùm etiam cum salutis æternæ dispendio (dum alii, cùm testari debuissent, intestatò moriuntur, alii Testamentum faciunt vel dispositionibus improbum, vel neglectis formulis irritum); magnoperè juvabit ut Pastores, datâ occasione, Fideles sibi commissos purissimis hac de re documentis imbuant; sive ut inducantur ad testandum, si testari debeant; sive ut à malo proposito deterreantur, si fortè contra Religionis & æquitatis leges de suis bonis constituere intendant. Quidam enim eâ sunt animi cæcitate perculsi, ut, nedùm pro delictis per supremas dispositiones satisfacere, facultatumque usùm perversum quo sani

(1) Coutumes.

& vigentes se contaminârunt, eluere studeant, è contrario, scelerum mensuram implere velle videantur, dum Testamenta conficiunt, injustitiam, fraudem, vindictam, odium, superbiam quoque & vanitatem spirantia.

Itaque Pastorum est Parochianos edocere ad quid circa Testamenta teneantur, quibus in circumstantiis, ac præsertim quanto justitiæ & charitatis respectu, quantâque præscriptarum formularum observantiâ restari eos oporteat. Imò quibus Testamenta conficienda sunt, ipsis suaderi præstat ut sani de illis provideant; ad hoc enim plerumque non satis valent Infirmi. Scilicet morbi vehementiâ, elabentis vitæ mundique desiderio, propinquorum, amicorum, famulorum importunâ obsessione, ex morbo gravissimo decumbentem judicii vires deficiunt, hebescit memoria, libertas emoritur; ita ut mens tot malis obruta, subdolam captionem alienumque instinctum effugere vix posse videatur. Hùc accedit quòd mors obvenire potest improvisa.

PORRO *in tempore exitûs sui distribuere hæreditatem suam* (*) tenentur,

I°. Clerici Beneficiati, qui, cùm de bonis Ecclesiasticis, etiam *mobilibus per Ecclesiam acquisitis* (*a*), propinquos suos ditare non possint, caveteTestamento debent ne suorum opes hujusmodi bonis amplificentur. Illos enim memores esse oportet Canonicæ hujus sanctionis: *Quæ propria ipsorum sunt, valeant in quoscumque placuerit hæredes transferre; tamen ad alios res Ecclesiæ minimè transeant* (*b*). Quamobrem, suo tantùm patrimonio propinquis relicto, id omne quod superest, in pia opera erogari curent, nisi aliter fieri permiserit sublevanda propinquorum egestas. Et verò contra Ecclesiæ mentem ageretur, si quis Ecclesiæ bona, quod est *patrimonium pauperum*, cum patrimonio non egentis familiæ misceret (*c*).

II°. Quibus restitutiones necessariò sunt exequendæ, vel quòd usuris aliisve injustis viis fortunæ suæ partem conflaverint, vel quòd proximum utcumque fraudaverint, & restitutionis cautionem idoneam non possint nisi per Testamentum suppeditare. In quo sæpiùs hærent non parùm intricati, qui, cùm rem alienam tractaverint, non, ut debuerant, integrâ valetudine curaverunt secum rationes conferre & ordinare, læsisque satisfacere.

III°. Qui æs alienum contraxerunt, nec fidem solvendi facere creditoribus aliter possunt.

IV°. Patres-familiâs, qui litium ac dissidiorum semina liberis suis relicturos se prospiciunt, nisi substantiam illis condito Testamento dividant. Quod pariter intelligatur & de quibuscumque aliis, habitâ ra-

(*) *Eccli.* 33. 34.
(*a*) *Alex. III, cap.* Relatum, *de Testamentis.*
(*b*) Can. Apost. 39 & 46.
(*c*) *S. Hier.* in cap. 46. Ezech. *Conc. Carth. III*, *an.* 397. *can.* 49. *Agath. an.* 506. *can.* 48. *Aquisgr. I*, *an.* 816. *l.* 1. *cap.* 116. *Paris. VI*, *an.* 829. *can.* 16. *Trid. Sess.* 25. de Ref. *cap.* 1.

tione quorumlibet hæredum, inter quos pax non aliter coire posse videatur. In hos quidem omnes ineluctabile incumbit testandi officium: quo neglecto, in se velut proprium quiddam susciperent inimicitias, litigationes, scandala, injustitias quæ mortem suam consequerentur, & quibus potuissent, scripto Testamento, efficaciter obviare.

V°. Divites, qui, cùm viventes non satisfecerint eleemosynæ præcepto, incuriam illam criminosam supplere tenentur morientes; scilicet in egenos vel egenorum hospitia per Testamentum copiosè munifici.

Parochum igitur sciscitari oportet, num æger quem visitat, de bonorum dispositione & de scribendo Testamento cogitaverit? Quod quidem in ipso Tribunali Confessionis ita scrutetur, ut dignoscat an ab Infirmo ad dissolvendum æs alienum quod satis sit, relinquatur; an æris alieni summam in singulos dividuam computaverit: quo neglecto, Pastor id quamprimùm effici jubeat. Illum subindè moneat quanti ad animæ salutem intersit, ut secundùm Deum testetur; nec tantummodò, quod solent plurimi, consulat Notarium seu Legisperitum, quo dirigente, ad Juris humani apicem suprema sua ordinet; nec proprii affectûs impulsum omninò sequatur, ut rem suam, cui voluerit, cæco impetu distribuat: sed, communicatis cum Pastore consiliis, maturè perficiat ne ullâ vitiositate coram supremo Legislatore peccet id quod condiderit Testamentum; ut sit ad justitiæ & pietatis legis exactum; ut denique *bona de manu Dei suscepta* quibus vivens uteretur (*d*), moriens Deo reddat, ea in spiritu sacrificii resignans quibus velit Deus ea resignari.

Quòd si jam Testamentum scripserit Infirmus; Parocho investigandum erit an illud valeat, num Testator in illo sit quidquam oblitus, num aliquid in ipso lævum sit aut improbum. Omnibus tandem ritè, honestè ac religiosè compositis, Testamentum in statu gratiæ sanctificantis approbet ratumque habeat is qui testatus est, ut sibi ad meritum imputetur. Si autem Infirmus in Testamento jam scripto fuerit officii oblitus, aut alicui damnum intulerit; jubente Pastore, illud irritum fiat per novi Testamenti confectionem, vel corrigatur scriptis *Codicillis*, juxta formulam quæ Testamenti formulæ subjicitur in Pastoralis hujus parte Rituali. Etsi autem contingere potest ut nonnullæ ex Testamenti clausulis & solemnitatibus ibidem præscriptis non ubique ad ipsius essentiam pertineant; erit tamen longè tutius, si cunctas ejusmodi clausulas & solemnitates diligenter observent universæ Diœcesis Pastores. Si quis enim Pastor culpâ suâ, saltem gravi, aut supinâ incuriâ Testamentum irritum scriberet, vel, consilio dato, scribi curaret; legatariis ingenti foret detrimento, quod quidem resarcire teneretur. Cùm verò *Codicilli*, in regionibus ubi pro Lege sunt Consti-

(*d*) *Job*, 2. 10.

tuta localia, nihil aliud sint nisi continuatio Testamenti à Testatore facta, ut illud augeat, restringat, vel interpretetur; eædem in his observari debent solemnitates. Et plures ab eodem Testatore scribi possunt *Codicilli*; qui omnes suum effectum sortiuntur, ubi alii ex aliis revocati non fuerunt.

PASTOR vocatus ad excipiendum ægri Testamentum, vel ad consiliandum Infirmo illud condere cupienti, utrilibet suadeat ut Christiano animo testetur; scilicet Dei gloriam, suipsius & hæredum salutem, publici exempli rationem simul & æquitatem purâ simplicique intentione sibi proponens. Cùm igitur nihil homini Christiano debeat esse animâ suâ charius, postquàm pœnitentiæ lacrymis eam abluerit, ejusdem in primo Testamenti articulo sit memor; quam scilicet Deo commendet, vehementerque exoptet immaculatam in conspectu Dei vocantis apparere. In secundo articulo, corpus suum Deo in sacrificium offerat, spem beatæ resurrectionis exprimens. Ad mortem præterea, quocumque modo, quocumque tempore divinitùs immittatur, æquo animo ferendam paratum se exhibebit: quam moriendi conditionem non conqueretur, Dei decretum ineluctabile adorans, eamque pœnam suis peccatis debitam humiliato spiritu accipiens.

Declaret insupèr velle se corpus suum nullo apparatu supervacuo tumulari; cupere se nihilominùs ne quid ex Ecclesiæ precibus & Cæremoniis omittatur, sed ut procul absit illud omne quod sola induxit vanitas, nullumque affert mortuo levamentum. Ne ergò fastum & ambitionem usque ad tumuli pulverem deducat, exquisitam sibi præstituens *funeris pompam*, epitaphii magnificentiam, opulentam monumenti constructionem (*e*), quibus insignibus superbum cadaver quasi pro Reliquiis pretiosissimis designetur. Quinimò suarum Exequiarum inutilem recidat impensam & sumptuosam diligentiam sepulturæ; quæ vivorum sunt ambitiosa solatia, non adjutoria mortuorum (*f*). Quòd vanitati subtrahit religiosa parcitas, id beneficentiæ & charitati substituat pia liberalitas. Testator sapiens *fœneretur Domino*, misertus pauperis, & *sua eleemosynis peccata redimat* (*g*). Piis institutis, tum Reipublicæ Christianæ, tum societati profuturis, legata scribat: utriuslibet sexûs adolescentium v. g. rectæ Christianæque institutioni, virginum periclitantium conjugiis, inopum utili labori nutrimentisque provideat.

Quandoquidem verò sub Excommunicationis interminatione prohibet Ecclesia, ne cujusquam instinctu quoad sepulturam circumveniantur Infirmi; iis hac in re permittatur omnimoda libertas. Parvi enim refert ubi jaceat corpus, dummodò *anima in bonis demoretur* (*h*). Si tamen consilium à Pastore exquirat

(*e*) *S. Aug.* de verb. Ap. *Serm.* 172. *cap.* 1.
(*f*) *Ibid.*
(*g*) *Prov.* 19. 17. *Dan.* 4. 24.
(*h*) *Ps.* 24.

Infirmus, sua ei Parochia maximè commendetur.

Si Testator liberos relinquat in pupillari ætate superstites; ipsis de Christiana atque aliàs idonea institutione provideat, assignato qui velit & possit iis in lubrico adolescentiæ vestigio dux esse, curator temporalium, & pater in ordine salutis æternæ.

Ante omnia restitui curet, si quid injustè habeat non suum; provideatque ut quidquid æris alieni contraxerit, dissolvatur (*i*). Quòd si Infirmus rem alienam iniquè retineat, vel iniquis viis rem quam possidet, comparaverit; Parochus alienum jubeat Testamento restitui: diligenter tamen provideat ut fama Testatoris penitùs illæsa servetur. Quandò enim furta occulta remanserunt, modis pariter occultis sæpè restitutio procuranda est. Quòd si furta publica fuerint & *notoria*; antequàm Pastor Testamentum suscipiat, Testatorem infirmum admoneat ut publicis ejusmodi injustitiis per Testamentum satisfaciat. Si verò per solam Confessionem sacramentalem innotuerint, de his omninò sileat Parochus, nisi priùs ab Infirmo licentiam obtinuerit cum eo de ipsis colloquendi extra Pœnitentiæ Tribunal: tuncque, pro rei naturâ, Infirmo suadeat ut illata detrimenta, vel per Testamentum, vel alio modo resarciat.

Quos expertus est in suo famulatu fideles, eos Testator pro meritis remuneretur (*k*); nec sit eorum similis, qui miserrimos famulos, quorum ætatem viresque consumpserunt, ne ipsis quidem fortè solutis mercedibus annuis, subsidii victûsque omnis expertes relinquunt. In legando pauperibus, propinquorum inopum non obliviscatur, humilitatem sectans contrariam superbiæ divitum, quos puderet, si viderentur egenorum consanguinei aut affines (*l*). Quòd si prædia possideat, si præsertim sit Parochiæ Dominus; legata potissimùm scribat illius loci egenis, in quo fundos habet vel reditus, iis præcipuè quorum operâ usus est. Hunc ordinem commendat æquitatis plenissima charitas. Legata scribens Ecclesiis, non solùm ad eas respiciat quas aliis anteponere tenetur, sed etiam ad pauperiores. Parochia autem cæteris Ecclesiis potior habenda est; & Parochia ruralis, cujus intrà fines prædiis seu vectigalibus fruatur Testator, & quæ sit pauper, anteponenda quidem Parochiæ urbicæ quæ sit locuples.

Si Testator aliquid conspicuum donet Ecclesiis; omni ambitione seclusâ, vetet ne gentilitiæ nobilitatis, seu potiùs vanitatis insignia ibidem apponantur; maximè verò cùm Ornamenta scribuntur sacro Altari destinata, quibuscum nempè celebrari debeant Mysteria Dei *usque ad mortem humiliati*, suamque gloriam sub humillimis Sacramenti speciebus occultantis. Id enim repugnat Ecclesiasticis Sanctionibus;

(*i*) *S. Aug. Ep.* 135. (*al.* 54.) ad Maced.

(*k*) *Eccli.* 7. 22. 23. & 33. 31. 32. 33.
(*l*) *Possid.* vit. S. Aug. *c.* 24.

idque fieri prohibeant Sacerdotes, si prohibere possint.

Nulla Testamento scribatur *Fundatio*, quæ non sit ad Ecclesiæ Leges exacta. Si Testator eâ in re licitum ab illicito internoscere per se ipse non possit; in consilium advocet viros peritos, propriisque commodis nihil inservientes, diversos utique ab iis in quos benignè agere intendit *Fundator*. Id autem præsertim instituat quod Ecclesiæ utilissimum videbitur, atque ad proximi salutem maximè necessarium.

Pastor duo extrema summoperè vitanda Testatori cuilibet commendabit: unum, ne omnes facultates suas in liberos distribuat, nihil erogans in pauperes, in valetudinaria publica, in Ecclesias, quamvis ipse divitiis affluat; alterum, ne liberos defraudet parte maximâ hæreditatis, quam in opera pietatis non legitimè impendat. Tunc demùm vera censetur pietas, cùm justitiam omnium primum sequitur. Divinæ ordinationi consentaneum est illud omne liberis hæredibusve aliis relinqui, quod ipsis juxta Leges competit. Absit ut Ecclesiæ placeant legata pia, scripta in fraudem tertii alicujus (*m*).

Videant autem Parochi diligenter ne fiant testamentariæ dispositiones plus æquo familiis onerosæ, vel noxiæ. Alii enim legata scribunt plura & majora quàm quæ sua ferre possit hæreditas; undè hæredibus plurimùm nocent. Alii, dominantes experti famulos, quos fortassè libidinum ministros habuerunt, & his mollissimè tam in morte quàm in vita obsequentes, ipsos, fraudatis hæredibus legitimis, tam copiosè quàm indebitè remunerantur.

Invigilent etiam Pastores ne quâ fraude utantur patres vel matres ad aliquem è sua sobole præ cæteris augendum, imprimìsque odii, ultionis, amoris præcipui instinctu, & contra Legum placita. Quâ quidem partitionum inæqualitate sciant generari discordiam, quæ familias pessumdare atque in ipsas divinam iracundiam provocare solet. Rarissimè autem, & justissimis tantùm de causis, uti debent jure per Leges concesso ut liberorum quemquam exhæredem scribant. Nihil enim charitate & concordiâ pretiosius relinqui familiæ ab iis potest; cùmque litibus infinitis ex inæquali partitione, ut plurimùm, locus detur; licèt filius ab officio devius pœnas dare mereatur, satius tamen est ut benignè in ipsum agant parentes morientes. Si enim in supremo illo vitæ deficientis articulo tenentur cuilibet inimico parcere, quantò magis ipsos sanguini suo indulgere oportebit? In eo conflictu, quo ultimus spiritus exhalatur, eo in momento commotionis & lacrymarum, quo refulget conscientiæ lux vividior, quo silet cupiditas & libido conquiescit, quo naturæ & Religionis sensus vehementiores mentem occupant, quem Pastorem verba deficiant, quibus im-

(*m*) S. *Aug. Serm.* 355. (*al.* 49.) de div.

pediat ne pater vel mater soboli suæ ultra vitæ mortalis terminum irascatur ?

Postquàm Testator malè parta vel iniquè retenta restitui, creditoribusque satisfieri, exclusâ omni compensatione arbitrariâ, jusserit; postquàm propinquis & famulis, pro meritis & æquitate, ac denique pauperibus & amicis benefecerit; hæredibus legitimis fruenda cætera permittet, seclusò dolo & vindictâ, neminem hæreditatis portione quæ ipsum contingit, defraudans; nisi velit, Deo ultore, cœlestis hæreditatis exsors fieri. Omnem insupèr eliminabit litium occasionem; quæ procul dubio existeret, si cuiquam hæredum aliquid præcipui donaretur. Quòd si Jure vel Constituto locali aliquem liceat præ cæteris augere; Testator eum seligere non debet quem maximè diligat, sed qui à Deo maximè diligatur, & qui videatur bonorum accessione cumulatâ sanctiùs uti velle ad Dei gloriam, proximi utilitatem ac propriam salutem. Alioquin, augens hæredem quem bonis sibi attributis malè usurum esse prævidenit, omnium quæ indè provenient, delictorum causa erit Testator insipiens; & peccatis alienis, etiam mortuus, communicabit. Uno verbo, omnia sic ordinare studeat, ut credendi locus sit ipsum testari *non quasi hominibus placentem, sed Deo qui probat corda* (*n*); nec tam curare ut vivat in hominum memoriâ, quàm ut, omnibus religiosè compositis, culpisque suis quàm potuerit absolutissimè redemptis, non sine fiducia legitima ad Dei judicantis Tribunal accedat. Cæterùm ita perspicuè voluntatem suam exponat, ut ad ipsam interpretandam nulla possit unquam suboriri disceptatio. Quam quidem lucidam expositionem sedulò promovebunt Parochi Testamenta excipientes.

TESTATOR placita Legum & Constituta locorum in omnibus sequatur, sive quoad facultatum distributionem, sive quoad legata, sive quoad Testamenti clausulas, formulas & solemnitates, prorsùs eliminatis *Fideicommissis* in fraudem Legum (*o*). Itaque vetent Pastores ne quis Testator donationes sub nominibus mutuatis, seu *Fideicommissa* fraudulenta, contra Legum dispositionem instituat. Neque ipse in Testatoris uxorem, propinquos vel amicos falsâ miseratione moveatur, si quid contrarium æquitati postulent. Cùm enim Regiis Edictis, sive Constitutis civilibus vim Legis per loca obtinentibus assignatum fuerit quinam excludantur à suscipiendis Testamento legatis; cùmque hujusmodi Edicta, sive Constituta localia in ipsomet foro interno obstringant, nec sine peccato infringi ullomodò possint; reatum gravissimum incurrerent Pastores, si *Fideicommissa* ulla suaderent, approbarent vel concederent, quibus Testator aliquis indirectè legaret personis Jure exclusis. Quinimò Le-

(*n*) 1. *Thess.* 2. 4.
(*o*) *S. Hier. Ep.* 34. (*al.* 2.) *S. Aug.* in Joan. *tract.* 6. *n.* 25. & 26.

gum animadversioni æquissimæ se obnoxios constituerent, suo adhibito ministerio ad ejusmodi Testamenta, quibus continerentur sibi notæ dispositiones *Fideicommissariæ* (*p*).

Videant etiam Pastores diligenter ne unquam humanis cupiditatibus morem gerant, cùm Testamenta suscipiunt. Neque enim illæsâ fide publicâ fieret, si Testatorum libertati officerent, in commodum unius atque in detrimentum alterius instigantes vel sollicitantes. Hoc unum penès ipsos relinquitur, ut, ex officio curæ Pastoralis, id cuique Testatori suadeant quod necessarium videbitur, ne à recta conscientia declinet, utque illum à dispositionibus justitiæ vel charitati adversantibus deterreant. Sed rebus domesticis quæ conscientiam nihil attingunt, nunquam se immisceat Parochus Testamenti exceptor, nisi fortè ab Infirmo vel ejus familiâ rogatus, in qua nimirùm æquitatem tueatur ac tranquillitatem foveat.

Quod ad spiritualia pertinet, suadendum Infirmo est, ut, quod pro animæ suæ quiete optat religiosè peragi, hoc ipse providus luculenter firmiterque constituat, nec propinquis, nec amicis eâ de re satis confidat. Hi enim piam defunctorum voluntatem exequi plerumque detrectant, aut saltem negligunt, cùm ipsa instrumentis publicis formâque legitimâ instructis roborata non occurrit. Sed caveat ac diligentissimè caveat Sacerdos, ne in hujusmodi consiliis rem suam magis quàm Testatoris & hæredum agere videatur. Graviter enim & cum publica offensione peccaret, si quem Testamenti articulum, etiam prætextu orationum, Missarum, seu pii cujuslibet operis, in proprium commodum suggereret. Nedùm igitur suadeat ægroto, ut sibi, vel Ecclesiæ, seu Communitati suæ largiùs donet quàm fuisset ultrò donaturus; nedùm ullâ instigatione, sive directâ, sive indirectâ, quidquam sibi muneris eliciat; si velit Infirmus, etiam sponte suâ, partem mobilium aut aliquid pretiosum Pastori legare cum liberorum hæredumve legitimorum detrimento, id inconcussè Pastori abnuendum est, neque committendum ut ejusmodi legata in Testamentum referat. Meminerit à sanctis Patribus esse vetitum, ne, exhæredato filio Testatoris, ipsa ditetur Ecclesia (*q*). Modestè tamen & prudenter Ecclesiæ suæ pauperumque necessitates locupleti Infirmo commendare potest. Nec enim eo ipso irritum habetur Testamentum à Parocho susceptum, quod legata pia in Ecclesiam & in pauperes, aliasque religiosas dispositiones contineat; dummodò nihil in eo sit quod in suscipientis vel ejus propinquorum utilitatem cedat (*r*).

Scripto Testamento, æger de ipso non cogitet ampliùs. Deum in mente

(*p*) *S. Hier. Ep.* 2. ad Nepotian.

(*q*) *S. Aug. Serm.* 355. (*al.* 49.) de div. *Quæst*, 4. *c.* Quicumque.

(*r*) Ordonnance de Blois, *art.* 63.

mente habeat, bonaque in sinu Dei jam nullâ successione hæreditatis immurabilia. Mortuo Testatore, Testamenti curator esse quidem potest vir omnis Ecclesiasticus, quem ipse talem vivus instituerit. Parochi enim præcipuè, cùm sint tutores Ecclesiarum & pauperum patres, curare debent ut quæ pauperibus vel Ecclesiis legata fuerint, citò & fideliter iisdem persolvantur. Si tamen aliquandò Testamentum occurrat multis negotiis intricatum, satius videtur Sacerdotem non illud exequendum suscipere. Sæpiùs enim longæ ambages & curæ suboriuntur gravissimæ, ad efficiendum ut impleatur suprema Testatoris voluntas; iis videlicet reluctantibus, vel plus æquo cunctantibus, qui rem hæreditariam penès se habent: undè nonnunquam legata pia Judicio vindicari necesse est. Ejusmodi negotia gerere vix possunt Dei & Domini nostri Jesu Christi Sacerdotes, quin eorum dignitas aliquatenùs vilescat, dum nempè ad Judicum, Causidicorum & Procuratorum ædes oberrant, ut lites persequantur: *nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus* (*s*). Non tamen Parochus omninò desidem se præbeat in executione Testamenti, quo Parochianus aliquis pauperibus vel Ecclesiæ legata pia scripserit. Ea quamprimùm solvi postulet, Testamenti curatores de officio suscepto interpellans; & generatim docens admoneat, ut Testamentum intrà tempus Jure præfinitum diligenter exequantur. Diœcesanum Antistitem, si necesse videatur, in causæ patrocinium advocet; ac demùm anathematis interminationem, prout constituunt sancti Canones (*t*), detrectantibus vel moram longiorem trahentibus denuntiet.


Hic sufficiat generales & maximè necessarias circa Testamenta Institutiones præmisisse. Quoniam verò ad firmitatem suscepti à Pastore Testamenti requiritur, ut ipse regionis quam incolit, Constituta Civilia apprimè noverit; quò perfectiùs hanc sui ministerii partem adimpleant Parochi, quid potissimùm hac de re sciendum sit, ad Partis Ritualis calcem linguâ vernaculâ tradendum seposuimus.

Cum autem Pastores non solùm ad suscipienda Testamenta vocari possint (quæ quidem justitiæ nomine ac titulo suscipere tenentur), verùm etiam consuli à Parochianis rure degentibus circa diversos modos quibus sibi liceat de bonis suis constituere; cùmque prætereà in his quæ ad temporalia pertinent, Parochianos consulentes secundùm Placita Civilia dirigi ab iis oporteat; eos magnoperè hortamur ut particulam studiorum convertant ho-

(*s*) 2 *Tim.* 2. 4.

(*t*) *Conc. Carth. IV, an.* 398. *can.* 95. *Vas. I, an.* 442. *can.* 4. *Decr. cap.* 13. *q.* 2. *can.* 9 & 10. *Conc. Aurel V, cui aderat* Saffaracus, *Paris. Episc. an.* 549, can. 13. *Conc. Paris. V, cui aderat* S. Ceraunus, *itidem Paris. Episc. an.* 615, cap. 6.

ris subcesivis ad Constituta Civilia vim legis per regiones obtinentia, & aliquem probatissimum Interpretem. Parochus enimverò tanquàm numerosissimæ cujusdam familiæ patrem ac tutorem gerere se debet : neque alio efficaciore modo Parochianorum fiduciam ad ipsamet spiritualia sibi conciliare poterit, quàm si erga temporalia, ubi se dederit occasio, iis utilem se præbeat; quibus videlicet, ut plurimùm, nullus est præter Pastorem Jurisperitus & consiliarius.



Divisio II.

Dicetur in hac Divisione, 1°. *De Extremæ-Unctionis institutione, materia & forma :* 2°. *De Extremæ-Unctionis necessitate atque effectibus :* 3°. *De Extremæ-Unctionis Ministro :* 4°. *Quibusnam administranda sit Extrema-Unctio :* 5°. *Quonam ordine, & quomodò dispositis ministranda sint extrema Sacramenta :* 6°. *De modo administrandæ Extremæ-Unctionis.*

CAPUT PRIMUM.

De Extremæ-Unctionis institutione, materia & forma.

Institutæ Extremæ-Unctionis quantum sit beneficium. A quo, & quibus verbis promulgata fuerit. Quàm legitimè inter Sacramenta referatur. Quænam sit ipsius materia remota. *Quantâ curâ innovandum, dignoscendum & custodiendum sit Oleum Infirmorum. Quid significet Extremæ-Unctionis Oleum. Quænam sit Extremæ-Unctionis* materia proxima. *Quænam corporis partes ungendæ. Quibus de causis ungantur singula sensuum organa. Quomodò ministrari debeat Extrema-Unctio jamjam morituris : quomodò ministrari possit tempore pestilentiæ. Quænam sit* forma *Extremæ-Unctionis.*

In hoc, inter cætera, manifestè *apparuit benignitas Salvatoris nostri Dei*, quòd, cùm Fidelis cujusque vitam ineuntem & progredientem copiosissimis adjuverit salutis præsidiis, eam desinentem novo gratiæ subsidio sanctificari voluit, ut ille ad felicem consummati cursûs exitum ultimo & propter hunc finem instituto Sacramento perduceretur. Et quidem salutis humanæ hostis infensissimus animas callidiùs & vehementiùs oppugnat in supremo transitu laborantes; dum eas

vel nimiâ confidentiâ reddit malè securas, vel à divinæ misericordiæ fiduciâ depulsas in desperationem agit præcipites; vel, excitato amore præsentium, compescit à spe & desiderio futurorum; vel malorum impatientes, ac Deo vitæ fragilis depositum reposcenti reluctantes efficit; ac denique malignâ versutiâ molitur, ut, si quis à Domino alienus vixerit, à Domino etiam alienus moriatur. Necesse igitur omninò erat, ut, postquàm CHRISTUS JESUS athletis suis arma ministrasset, quibus in vitæ decursu *tela nequissimi ignea* retunderent (*a*), iis etiam robur suppeditaret, quo muniti extremo in prælio vincerent.

HIS de causis ab ipso instituta est Extrema-Unctio; quæ quidem præ cæteris Sacramentis id proprium habet, quòd nullum magis dilucidè quoad materiam, formam, Ministrum & effectus in Scriptura sacra proponatur, nullumque, quoad hæc ipsa, tam copiosè à Concilio Tridentino explicetur. Id autem ei cum Sacramento Confirmationis est commune, quòd, quemadmodum hæc Baptismi, sic illa, prout annotavit eadem sancta Synodus, Pœnitentiæ perfectio sit & complementum (*b*). Et cùm prætereà, inter varias Unctiones sacras in Ecclesia usurpari solitas, hæc postrema omnium adhibeatur, atque ex ratione sua sit totius Christianæ vitæ consummatio, quod nulli prorsùs alii Sacramento convenit; hinc *Extrema-Unctio* vocatur; atque etiam *Sacramentum Unctionis infirmorum*, & *Sacramentum exeuntium* à majoribus appellata est.

Eam insinuavit atque adumbravit S. Marcus Evangelista, referens *multos ægros*, Christo mandante, *ab Apostolis unctos oleo & sanatos* (*c*); idque ex antiquo more Judæorum, qui unctionem, comitante oratione, infirmis adhibebant. Itaque hic ritus inter manus Apostolorum nihil aliud præter gratiam curationum corporalium primò extitit: posteà verò, cessante figurâ, & huic succedente veritate, ad Sacramenti dignitatem evectus est, præsertim ut animas sanctificaret.

JAM verò B. Jacobus Apostolus, frater Domini, Sacramentum illud, quanquam in Evangelio non expressè memoratum, quod ipsi cum aliis pluribus commune est, Fidelibus tamen & Presbyteris quasi jam notum supponens, nec tanquam de re nova, aut quam ipse instituerit, sermonem habens, suum cuique hac in re officium disertissimè expressit, commendavit & promulgavit his verbis: *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus; & si in peccatis sit, remittentur ei* (*d*). Quibus verbis totam hujus Sacramenti doctrinam com-

(*a*) *Eph.* 6. 16.
(*b*) *Conc. Trid. Sess.* 14. de Doctr. Sacr. Extr. Unct. & *ibid. cap.* 1.
(*c*) *Marc.* 6. 13. *Conc. Paris. an.* 1528, decr. fidei 10, *art.* de Extr. Unct. *Trid. sup.*
(*d*) *Jac.* 5. 14. 15.

plectentibus, apertissimè continentur ea omnia quæ ad Sacramenti rationem pertinent: scilicet signum sensibile, Christi institutio, materia, forma, Minister, *subjectum* & effectus. Signum sensibile in unctione & oratione occurrit, quarum hæc *formæ* naturam habet, illa verò *materiæ*. Gratiæ promissio his verbis continetur: *Alleviabit eum Dominus; & si in peccatis sit, remittentur ei.* Hæc autem *alleviatio*, juxta Patrum Tridentinorum interpretationem (*e*), in eo potissimùm sita est, ut morbi labores & incommoda leviùs ferat æger, & contra mortis metum ac remordentis conscientiæ stimulos magnâ in divinam misericordiam fiduciâ erigatur: quo quidem imprimis nomine ac titulo distinguitur Unctio hæc ab illa de qua meminit S. Marcus. Divinam institutionem significat Apostolus, cùm tam fidenter promittit *alleviandum esse infirmum, ejusque peccata dimittenda*: virtus quippè humana tantam signo exteriori tribuere nequit efficaciam (*f*).

Porrò signum sensibile tantæ virtutis prærogativâ donatum, haud dubiè temporarium non fuit ac transiens, prout fingunt Novatores; sed in Religione Christiana constans ac perpetuum est: tum quia, ex Apostolica Traditione, illud constanter adhibuit Ecclesia; tum quia Unctio quam promulgavit S. Jacobus, ad eum gratiæ spiritualis effectum ordinata est, quo semper opus habent Fideles morbis periculosis affecti; tum etiam propterea quòd divinum mandatum in Ecclesia retinendi sacrum illum Extremæ-Unctionis ritum elucet in verbis Apostoli, qui eò loci totus est ut Fideles doceat, quid, pro re & tempore, in mortalis vitæ cursu agere debeant: scilicet, *cùm tristantur, orandum esse; cùm æquo animo sunt, psallendum* (*g*); *cùm infirmantur, inducendos Ecclesiæ Presbyteros*, &c. (*h*). Sic demùm concludit: *Confitemini ergò alterutrum peccata vestra, & orate pro invicem ut salvemini* (*i*): quæ certè omnia *usque ad consummationem seculi* observanda sunt, ideòque observata hucusque ab Ecclesia fuerunt.

Denique in S. Jacobi loco citato exhibentur hujus Sacramenti Minister & *subjectum*; Minister quidem his verbis: *Inducat Presbyteros Ecclesiæ*; *subjectum* verò, istis: *Infirmatur quis in vobis?* Hinc videlicet Extrema-Unctio unanimiter à Catholicis, ex Apostolica Traditione, tanquam verum propriè que dictum novæ Legis Sacramentum agnoscitur (*k*). Hæc autem videtur sic posse convenienter definiri:

(*e*) *Conc. Trid. Seff.* 14. de Sacram. Extr. Unct. *cap.* 2.
(*f*) *Parif.* sup.
(*g*) *Jac.* 5. 13.
(*h*) *Ibid. v.* 14. 15.
(*i*) *Ibid. v.* 16.
(*k*) *Orig.* Hom. 2. in Levit. *S. Chryf.* de Sacerd. *l.* 3. *Inn. I*, Ep. ad Decent. *S. Cyr. Al.* de ador. in spir. & ver. *l.* 6. *S. Greg.* lib. Sacram. *S. Elig. Noviom. tom.* 5. spicil. *Dacher. Conc. Cabil. II, an.* 813. *v.* 815. *can.* 48. *Aquifgr. II; an.* 836. *can.* 5. *Mogunt. I, sub Rab. an.* 847. *cap.* 26. *Trid.* sup. & *can.* 1. de Extr. Unct.

Sacramentum, quod, per unctionem Olei sancti & Sacerdotis orationem, Christiano ægrotanti, infusâ sanctificante gratiâ, levamentum affert spirituale, & simul corporale, cùm animæ saluti expedit.

PORRO hujus Sacramenti *materia remota*, est oleum, non quodlibet, sed propriè dictum, seu olivarum baccis expressum, & quidem simplex; ideòque nec balsamo, nec alteri cuilibet liquori admistum. Neque enim è Scriptura, neque ex Traditione colligitur talis admistionis necessitas, nullaque hujus apud Scriptores Ecclesiasticos mentio facta occurrit: quin potiùs oleum simplex disertè exigunt Ecclesiæ Latinæ Pontificalia, & Græcæ Euchologia. Sanctum quidem Chrisma ungendis Infirmis diuturno tempore adhibitum fuisse, ex antiquis monumentis innotescit: cùm autem *Chrisma* idem sonet apud Græcos quod apud Latinos *Unctio*, quæ scilicet quovis adhibito pingui liquore peragitur; ideò *Chrismatis* nomen quamlibet *Unctionem* in veterum scriptis designare intelligitur (*l*). Porrò ex antiquissima Traditione quasi per manus acceptâ, intellexit Ecclesia Oleum ejusmodi ab Episcopo benedictum esse oportere (*m*); & quidem, quod ad praxim attinet, benedici debet in ordine hujus Sacramenti: undè non sufficit *Oleum Catechumenorum*, nec ipsum *Chrisma Confirmationis*. Quod tamen de Episcopi benedictione tanquam necessarium diximus, id, quemadmodùm plura similia, intelligendum est respectu habito Juris ordinarii; cùm alioquin ex consuetudine, ut apud Græcos (*n*), vel ex peculiari summi Pontificis concessione & delegatione id exequi valeant Presbyteri.

Itaque Pastores Infirmorum Oleum pro sua quisque Parochia tempestivè renovari curent; caveantque diligenter ne vetus ut profanum quid habeatur, sed illud in Lampadem coram sanctissimo Sacramento ardentem infundant, vel stupas eo imbutas comburant, & cineres in *Sacrarium*, vel *Piscinam* quæ *Sacrarii* loco sit, conjiciant. Quòd si, nondùm elapso anno, sic imminutum fuerit Oleum Infirmorum, ut non videatur usque ad proximum Pascha sufficere, neque aliud benedictum aliundè haberi facilè possit; oleum non benedictum infundere licebit, sed in minore quantitate; sicque admiscebitur, ut cum residuo in unum coalescat. Atque ut Oleorum error faciliùs vitetur, *Oleum Infirmorum* custodiatur in Vase argenteo, vel stanneo, à Vasculis, tum *Chrismatis*, tum *Olei Catechumenorum* distincto; cujus operculum in superiore parte litteris majusculis inscriptum habeat, OLEUM INFIRMORUM, aut saltem duas litteras initiales O. I. Quod quidem Oleum ne possit effluere, imo integumento metallico Vasis illud continentis insternatur stupa subtilis, vel

(*l*) *Inn. I, sup.*
(*m*) *Conc. Aquisgr. II, can.* 8. *Trid. sup.*
(*n*) *Goar.* not. in Euchol.

gossypii lanugo, quæ per annum identidem immutetur, & combusta in *Sacrarium* vel Piscinam demittatur. Denique Infirmorum Oleum sub sera & clavi diligenter asservetur in loco nitido ac decenter ornato, vel intrà Vestiarium, vel propè majus Altare.

Oleum autem in Extrema-Unctione idcircò adhibetur, ut ex ipsa elementi sensibilis proprietate innotescat quid in anima ægrotantis operetur Sacramenti efficacia invisibilis. Quemadmodùm enim hæc olei virtus est ut sanet, corroboret, illuminet atque emolliat; ita, illabente Spiritûs sancti unctione, anima per hoc Sacramentum à reliquiis delictorum purgatur, adversùs mali dæmonis tentationes firmatur, illustratur ejus fides, doloresque leniuntur.

Materia autem *proxima* Extremæ-Unctionis, est Olei sacri applicatio, seu ipsamet Unctio. Ut valeat Sacramentum, una quidem sufficit, in qualibet corporis parte adhibeatur; verùm, ex Ecclesiæ præcepto, multiplex diversis membris est adhibenda, pro variis Ecclesiarum usibus. Hinc illicitè ungerentur aliæ partes, quàm quæ ab Ecclesia præscriptæ fuerunt; nec sine gravi peccato ex his vel una (extra necessitatem) omitteretur. Liniunt Græci Sacerdotes frontem, mentum, genasque ambas, velut in modum Crucis; tum etiam pectus, manus ex utraque parte, & pedes (*o*). Sed Latini multò convenientiùs ea membra corporis inungunt, quæ veluti sensuum instrumenta homini natura tribuit, & quæ præ cæteris *arma iniquitatis peccato exhiberi* solent (*p*): oculos nempè, aures, nares, os, & manus. Has videlicet partes ungi præcipit S. Gregorii Liber Sacramentorum. Pedes adjiciunt multi Rituales Libri: alii pectus & renes; nonnulli ea membra quæ dolore vel morbo præ cæteris afficiuntur. Præter Unctiones quinque Gregorianas, in hac Diœcesi obtinuit Unctio *ad pectus & ad pedes*: ad pectus quidem, pro unctione quæ olim *ad renes* in viris, & *ad umbilicum* in fœminis adhibebatur (*q*). Partes igitur quæ in Diœcesi Parisiensi Extremæ-Unctionis Oleo liniri oportet, hæ sunt ex ordine: *Oculi, aures, nares, os, manus, pectus, & pedes*. Ea tamen habeatur condecentiæ cura, ut viris hæc unctio ad superiora pectoris adhibeatur, fœminis verò ad partem proximè collo subjacentem.

Porrò inter omnia sensuum organa primi unguntur oculi, quia visus omnium sensuum nobilior meritò habetur, ex quo nempè facilior ac vividior exurgit rerum perceptio: qui sensus prout magis ordinatus est, vel inordinatus, ita maximè ordinata vel inordinata imaginandi vis, & ipse intellectus purus esse solet, vel impurus (*r*).

(*o*) *Arcud. l.* 5. *c.* 7.
(*p*) *Rom.* 6. 13.
(*q*) Manuale, *seu* Officiarium Sacerdotum, secundùm usum Parisiensem, *an.* 1542, *D. Joanne* du Bellay, *Paris. Episc.*
(*r*) *Job*, 31. 1.

Unctis oculis, vicissim unguntur cætera modò dicta sensuum organa. Singulæ autem Unctiones in modum Crucis peraguntur, ad fugandum diabolum insidiantem. Ea verba quæ Sacramenti *formam* constituunt, semel tantùm pronuntiantur super ipsismet organis duplicibus, qualia sunt oculi, aures, manus & pedes : sed iis duplex adhibetur Unctio, & ab organo dextro incipitur; nec priùs absolvi debet *forma* Sacramenti, quàm gemina utriusque organi perfecta sit Unctio. Narium pars inferior ungenda est, non primoris nasi acumen, multò minùs nasi pars superior. Os ita ungendum est, ut sacro Oleo tangatur utrumque labium, nec tantummodò pars oris superior cum labio adjacente. Manus, quæ cæteris Infirmis interiùs unguntur, Presbyteris exteriùs inungi oportet, ob reverentiam alterius Olei sacri, cujus Unctio sanctissima palmas eorum in Ordinatione consecravit. In omnibus, non planta pedum, sed pars superior ungenda est. Si quis aliquo membro inungendo sit mutilus; si, exempli causâ, desit oculus, si manus; pars membro deficienti adjacens, sub eadem verborum formulâ, inungatur; carpus (1) v. g., manu deficiente (s). Attamen Unctio prætermittatur, cùm sine ægrotantis incommodo, vel pudoris offensione, contigua pars detegi non potest. In cæcis aut surdis ab ortu, non adhibeatur oculorum Unctio, vel aurium; nec verba iisdem sensibus respondentia proferantur. In mutis ab ortu fiat oris Unctio, propter illicitam gustûs voluptatem; sed reticeantur hæc verba, *& per locutionem*.

(1) Le poignet.

JAM verò illis partibus adhibentur ejusmodi Unctiones, ut earum virtute expietur quidquid per ipsas deliquerit Infirmus, sicque reformentur & sanctificentur organa peccati contagione vitiata. Unguntur » oculi propter visionem, aures » propter auditum, nares propter » odoratum, os propter gustum, » vel sermonem, manus propter » tactum; qui tametsi toto cor» pore æquabiliter fusus est, in ea » tamen parte maximè viget (t): » pectus, loco renum, *propter delectationem ibi vigentem* (u); pedes verò propter incessum.

Itaque, cùm per oculos, veluti quasdam *per fenestras, mors* sæpiùs animam *ingrediatur* (x), prima in illis fit Unctio; ut nempè deleantur omnia peccata quæ commissa sunt per visum immodestum, curiosum, vanum, obscœnè pictis sculptisve imaginibus, impurisque aut impiis lectionibus deditum; deindè per lacrymas rebus futilibus profusas; tum per conquisita quæque pretiosa & supervacua; per spectacula, choreas, Satanæ pompas, quibus in Baptismo renuntiaverat homo Christianus; posttemò per divitiarum avidiorem appetitum, quæ quidem *concupiscentia oculorum est* (y).

(s) *Conc. Camer. II, an.* 1586. *tit.* 12. *cap.* 5.

(t) *Cat. Conc. Trid.* de Extr. Unct. *n.* 10.

(u) *Ibid.*

(x) *Jerem.* 9. 21.

(y) 1. *Joan.* 2. 16.

II*a*.

II^a. *In auribus*; ut remittatur quidquid peccavit auditus, ad maledicentiam, *ad turpem sermonem* (z), ad malignas delationes, ad fractas secularibus modis musicas, ad lascivos, molles vel periculosos cantus cum illicita voluptate intendens: quidquid prætereà per omissionem deliquit auditus animæ interior; qui, cùm *in lege Dei* per Baptismum *adapertus fuisset* (a), divinum exindè ac salutiferum Spiritûs sancti afflatum repulit, *secundùm similitudinem aspidis surdæ & obturantis aures suas* (b).

III^a. *In naribus*; ut expientur quæcumque deliquit æger per odoratum, non modò exteriorem & corporalem ex odorum voluptate immodica, verùm etiam per sensum interiorem, qui, applicitâ naribus salivâ, reformatus in Baptismo fuerat, & quo posteà depravato, malus Christianus multis *odor* fuit *mortis in mortem* (c), propter scandala & perversa cujuslibet generis exempla.

IV^a. *In ore*; ad delenda peccata, 1°. Per gustum commissa, gulam nempè, comessationem, ebrietatem, exquisitam victûs mollitiem: 2°. Per linguam, quæ *universitas est iniquitatis* (d); qualia sunt blasphemiæ, imprecationes, juramenta in vanum effusa, perjuria, obtrectationes, calumniæ, injuriæ, cavillationes, mendacia; rixæ, falsæ aut malitiosæ criminationes, falsa testimonia, adulationes, corruptelæ, *dulces sermones per quos seducuntur corda innocentium* (e), omnia demùm iracundè aut irreligiosè prolata, impudicè dicta vel cantata: peccata etiam linguæ silentis, ubi aliquis filios aliterve sibi subjectos vel commissos erudire vel corripere omisit, aut cuicumque debitam veritatem captivam retinuit.

V^a. *In manibus*; ut condonentur delicta omnia tactibus impudicis commissa; atque etiam furta, rapinæ, homicidia, percussiones; tum verò licenter, impiè, malignè conscripta: omnes etiam *injustitiæ, quas* hominum *manus*, sive scribendo, sive aliter agendo *concinnant* (f). Scilicet, per sacram Unctionem, *manus sanguine plenæ* (g), seu quibusvis iniquitatibus maculatæ absterguntur; ut homini, *secundùm puritatem manibus suis* restitutam, à Deo miserente *retribuatur* (h).

VI^a. *In pectore*; ob delicta interna: turpia scilicet cogitata ac desideria; inordinata, mala, immodica mentis gaudia; illicitos amores, ipsasque amicitias nimis humanas, & affectum in res creatas propensiorem; ambitiones, rivalitates, invidias, obscuras simultates, odia, iras, contemptus; omnes, uno verbo, *iniquitates quas in corde operari* solent (i); ob ipsa etiam de-

(z) *Col.* 3. 8.
(a) 2 *Mach.* 1. 4.
(b) *Ps.* 57.
(c) 2 *Cor.* 2. 16.
(d) *Jac.* 3. 6.
(e) *Rom.* 16. 18.
(f) *Ps.* 57.
(g) *Is.* 1. 15.
(h) *Ps.* 17.
(i) *Ps.* 57.

licta quæ sibi non rarò ignota recipit & occultat *pravum & inscrutabile cor hominis* (*k*); ac demùm propter omnia peccata quæ de corde, tanquam de fonte communi, exeunt, atque in exteriorem actum prorumpunt: *de corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ* (*l*). Insupèr (quandoquidem *Unctio pectoris* locum tenet obsoletæ *Unctionis renum*) pectus eâ secundâ intentione ungendum est, ut Infirmus emundetur à peccatis carnis, cujus concupiscentia in corde, tanquam præcipuo fomite, viget plurima.

VII^a^. denique, *In pedibus*; ut eæ culpæ dimittantur, quæ per motionem naturalem in pedibus maximè vigentem commissæ fuerunt; sicque purificentur *pedes* anteà *veloces ad currendum in malum* (*m*). Eâ pariter Unctione sanantur animi motus, quos adumbrat motio pedum; expiantur pravi aut non satis puri affectus, ipsa negligentia in Religionis propriæque conditionis muneribus obeundis.

NUNQUAM, extra casum necessitatis, omittantur modò dictæ Unctiones. Si quis in extremis laboret, metuendumque videatur ne supremum exhalet spiritum antequàm absolvantur Unctiones; omissis precibus quæ Sacramenti administrationem antecedunt, ungatur Infirmus, incipiendo ab oculis; & sequentes Unctiones, si tempus adhùc suppetat, ritè perficiantur, comitantibus orationibus quæ ad singulos sensus accommodatæ sunt. Deindè, si superstes vita maneat Infirmo, resumantur omissæ preces. Si decedat æger post primam aut secundam, aliamve ex ordine Unctionem; sequentes Unctiones & preces omittantur, sed piè recitetur egressæ animæ *Commendatio*.

Cùm Infirmus tam urgenti periculo oppressus videtur, ut timendi locus sit ne ad plures Unctiones tempus deficiat; tunc, omissis orationibus præviis, ungatur in uno sensu qui primus se obvium dederit: oculi tamen, quantùm fieri poterit, eligantur. Illius autem generalis Unctionis hæc erit formula: *Per istam sacri olei unctionem & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Deus quidquid peccasti* (*per visum*) *& per cæteros sensus*. Quòd si æger post hanc generalem Unctionem adhùc vivat, residuas prosequatur Sacerdos, prætermisso illo sensu in quem collata fuerit Unctio generalis; precesque omissas continuò suppleat. Si dubitet an non Infirmus animam exhalaverit, Unctiones sub conditione prosequatur in hæc verba: *Si vivis, per istam sacri olei unctionem, &c.* Quæ quidem *forma conditionalis* pariter adhibebitur ad unicam Unctionem Infirmi, de quo Minister ad ipsum accedens dubitabit an vivat.

Tempore pestilentiæ, propter imminens contagionis periculum, Sacerdos, consulto priùs Diœcesano

(*k*) *Jerem.* 17. 9.
(*l*) *Matth.* 15. 19.
(*m*) *Prov.* 6. 18.

Antiſtite, in extrema parte longæ arundinis aptare poterit goſſypii lanuginem, vel ſtupam ſubtilem, Infirmorum Oleo intinctam; quo ſemel in primo ſenſu obvio Infirmum inunget, formulam ſupradictam proferens. Statim extremam arundinis partem cum goſſypio vel ſtupâ, foculo ad id parato comburet; denique, ſi tempus adhùc ſuperſit, conſuetas ante & poſt Extremæ-Unctionis adminiſtrationem preces recitabit.

Hujus Sacramenti *forma*, ut jam innuimus, eſt oratio; præcipit enim S. Jacobus Apoſtolus ut Presbyteri *orent ſuper* (*infirmum*), *ungentes eum oleo in nomine Domini*. Non tamen ſemper & ubique *deprecativa* extitit *forma* Extremæ-Unctionis (*n*). *Abſolutè* atque *indicativè* expreſſa invenitur in quibuſdam Diœceſeôn Ritualibus ſexto-decimo ſeculo ante Concilium Tridentinum editis (*o*). Formam *abſolutam* ſimul & *deprecativam* Latini interdùm adhibuêre (*p*). Apud Græcos ſemper viguit ſola forma *deprecativa* (*q*): apud Latinos hæc ſimiliter jamdudùm in uſu communiore eſt (*r*). Hanc præcipiunt Rituales plerique Libri, ſuperioribus his quatuor ſeculis editi; Romanus, inter cæteros, & Pariſienſis (*s*). Hanc denique *formam* laudat œcumenica Tridentina Synodus (*t*), his nempè ſolemnibus verbis expreſſam: *Per iſtam ſacri olei unctionem & ſuam piiſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Deus quidquid peccaſti per viſum* (*per auditum, &c.*)

(*n*) *Vide S. Thom. S. Bonav. Palud. Ricard. &c.*

(*o*) Ungo caput tuum, *&c.* Ungo oculos tuos, *&c. &c. Rit. Catal. an.* 1532: Sueſſion. Ambian: Metenſe, *an.* 1542. Similis *forma* legitur in Rit. Mediol. ſancti Ambr. in Codice Tiliano *ſeu* Sagienſi, & in Codice Rem. *Vide Martene*, de ant. Eccl. Rit. *l.* 1. *c.* 7. *a.* 3.

(*p*) Lib. Sacramentor. S. Greg. *apud Menard. pag.* 252.

(*q*) *Arcud. Neoph. Rhod. Synopſ.*

(*r*) *Rituale Monaſt. ſimul & Eccl.* Gemetic. *annorum ſaltem* 600. *S. Thom. Eug. IV*, inſtr. Arm.

(*s*) *Manuale Pariſienſe anni* 1542, *ſuprà citatum.*

(*t*) *Seſſ.* 14. de Extr. Unct. *c.* 1.



CAPUT II.

DE Extremæ-Unctionis necessitate atque effectibus.

EXTREMA-UNCTIO necessitate præcepti necessaria est. Quanto periculo ea negligeretur. Quantâ curâ debeant Parochi populos circa hoc Sacramentum edocere, vulgatumque de ipso terrorem animis evellere. Extremæ-Unctionis effectus. Imprudenter cunctantes. Error nominis summoperè vitandus. Fons gratiarum Extremæ-Unctionis.

NON quidem *necessitate medii* necessaria est Extrema-Unctio; potest enim absolutè homo Christianus eâ non susceptâ salvari: sed illam *necessitate præcepti* necessariam esse colligitur ex ipsa B. Jacobi Apostoli doctrinâ, dum in persona Christi hoc modo præcipit: *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo.* Dubium igitur nullum est quin omnis Fidelis periculosè decumbens, eo scilicet morbo affectus, qui ex se vergat in mortem, ad suscipiendam Extremam-Unctionem teneatur, si penès eum sit illam suscipere: cujus quidem Sacramenti contemptus *absque ingenti scelere & ipsius sancti Spiritûs injuriâ* esse non posset (*a*). Graviter autem peccaret Pastor, cujus culpâ & negligentiâ quisquam sine hoc divino subsidio è vita excederet. Hòc porrò diligentiùs curare debent Pastores ut piè sanctèque dispositi Oleo sancto inungantur Parochiani, quòd eâ in re vix unquam sine periculo gravissimo peccari potest. Si quis sanus alio quolibet Sacramento malè utatur, sacrilegium condignâ expiare pœnitentiâ difficile quidem est, sed tamen possibile. Si verò Sacramentum per quod obtinetur gratia benè moriendi, perperàm & inaniter à moriente suscipiatur, quid jam poterit esse perfugii?

Et cùm Fideles hoc Sacramentum usque adeò saluriferum suscipere ideò non curent, vel potiùs ab ipso refugiant, quòd plerumque nesciant *donum Dei* & virtutem ejus; Pastores Extremæ-Unctionis naturam, dispositiones ad illam cum fructu suscipiendam requisitas, ejusdemque effectus in publicis Institutionibus, datâ occasione, luculenter exponant. Multi, dum in hoc Sacramento nihil aliud præter illitam olei guttulam vident, cæremoniam

(*a*) *Conc. Trid. Sess.* 14. de Sacr. Extr. Unct. *cap.* 3. *Vide can.* 3.

quasi vilem parvipendunt. Multi, dum Infirmorum Unctionem cogitant, Sacerdotem ejus ministrum quasi mortis nuntium perhorrescunt. Quod autem sani & vigentes de hoc tam gravi argumento edocti non fuerint, id certè vix aut minimè edocebuntur in extrema infirmitate constituti.

Videant igitur Pastores diligenter, ut Extremam-Unctionem tempestivè suscipiant ægrotantes Parochiani. Id autem quò faciliùs assequantur, omni ope atque operâ conentur ex animis populorum evellere pravam illam impiamque opinionem, quâ plerique hoc Sacramentum sibi suisque pertimescunt, quasi supremam horam portendat, vel potiùs acceleret (*b*). Hinc videlicet crudeli miseratione commoti, non audent propinquis vel amicis ægrotantibus divinum illud remedium suadere; ac tandem longâ dilatione perficiunt, ut infirmi sine fiducia & solatio, nonnunquam invito animo sacrâ Unctione liniantur. Quinimò illud tempus ægroti ungendi plerumque observant, quo ipse, omni spe salutis amissâ, nullâ præparati animi pietate, nullo Religionis sensu, dum jam propè est ut deficiat natura, Extremam-Unctionem patiatur magis quàm suscipiat. Pastor visitans ægrum periculosè decumbentem, eum leni cohortatione ad hoc inducet, ut, cùm adhùc integrâ mente & ratione est, tam salutare Dei miserentis auxilium sibi administrari postulet (*c*); tantò scilicet uberiore fructu inungendus, quantò saniore judicio atque excitatiore sensu religionis inungetur (*d*). Plures inveniet repugnantes, etiam inter pios, inter ipsosmet viros Ecclesiasticos, licèt pietatis exemplum illustrius debentes. Ea in plurimis animi debilitatio atque abjectio est, ut sacri Viatici administratione, quasi periculum gravissimum nuntiante, admodùm terreantur. Multò magis illos Extrema-Unctio dejicit & perturbat, cùm potiùs eos deberet dulcissimæ consolationis præconceptâ opinione recreare. Fidelis quippè Oleo Infirmorum inunctus, vel ipsam corporis sanitatem recuperat, vel gratiam *moriendi morte justorum* obtinet; sicque hoc Sacramentum suscipienti *omnia cooperantur in bonum* (*e*).

Atque ut Pastores vulgatum errore publico terrorem eliminent, Parochianis, tum publicè, tum privatim, fructus uberrimos exponant, qui ex illius Sacramenti tempestivâ ac piâ susceptione percipiuntur.

Ac primò quidem Extremâ-Unctione confertur *Spiritûs sancti gratia*, scilicet gratia sanctificans, *cujus unctio, delicta, si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit* (*f*). Alio sensu accipi nequeunt hæc S. Jacobi verba: *Si in*

(*b*) *Conc. Burdig. an.* 1583. *tit.* 13. de Sacr. Extr. Unct.
(*c*) *Cabil. II, can.* 48.
(*d*) *Cat. Conc. Trid* de Extr. Unct. *n.* 18. *Stat. Syn. D. Eust.* du Bellay, *Paris. Episc. an.* 1557, de Extr. Unct. *n.* 33. *in Synodico, pag.* 226.
(*e*) *Rom.* 8 28.
(*f*) *Conc. Trid Sess.* 14. de Sacr. Extr. Unct. *cap.* 2. & *can.* 2.

peccatis sit, remittentur ei. Quod profectò non solùm de peccatis venialibus intelligendum est, verùm etiam de lethalibus, quæ vel oblivioni tradita essent, vel ignora, & quæ confiteri non posset Infirmus. Quamvis enim ad delenda peccata non præcipuè instituta fuerit Extrema-Unctio, hujus tamen effectus proprius est ut eas culpas dimittat, quæ post suscepta cætera Sacramenta velut in quibusdam animæ recessibus delitescunt. Hinc Extrema-Unctio *Pœnitentia infirmorum*, *Pœnitentiæ complementum*, *Pœnitentiæ perfectio & consummatio* (*g*), à sanctis Patribus & Conciliis nuncupatur.

II°. Unctione illâ saluberrimâ peccati reliquiæ absterguntur; 1°. Dimissâ pœnâ temporali peccatis debitâ, non quidem ex toto, sed pro ratione dispositionum ægroti (*h*): 2°. Sanatis animæ languoribus, qui remanent, vel postquàm ex ipsa deletæ sunt peccatorum maculæ, & qui prohibent ne ad Deum libero affectu erigatur. Hinc scilicet Infirmus non jam rerum visibilium perturbatione fluctuans, spei suæ anchoram in æternam patriam figit, atque intentionem mentis in vera luce solidam constituit (*i*). Sic igitur operante Sacramenti virtute, anima Fidelis, nedùm ampliùs terreno pondere aggravetur, illecebrosis mundi & carnis imaginibus facilè resistit, Deumque *partem suam in æternum* amplectitur (*k*). Atque hic vel solus effectus, si fidei oculis aspiciatur, ægrum efficaciter movebit ad implorandum hujusmodi Sacramentum, quo purgatus intelliget se multò securiùs ad Dei Judicis Tribunal venturum, ut potè nihil jam delicti habentem, propter quod judicia ipsius, quamvis tremenda, plus æquo formidet.

III°. Extremæ-Unctionis virtute alleviatur ægrotus, dum leniuntur ejus dolores, eique redditur animi tranquillitas & libertas, quâ plurimùm indiget ut se ad mortem sanctè oppetendam disponat. Et certè morbi vehementiâ, delictorum recordatione, atque elabentis vitæ desiderio in desperationem præceps forsitan ageretur, nisi præstò ad opem ferendum esset divinæ Unctionis remedium. Eo nempè subsidio mirum in modum reficitur, sedatis conscientiæ terroribus, magnâque in Dei misericordiam excitatâ fiduciâ (*l*), additis etiam viribus, ut morbi vim & labores æquiore animo ferat, mortis horrore invictus perseveret, suæque beatitudinis inimico fortiter obsistat, multiplici tentatione insidianti, atque ad prædam inhianti, si fortè ipsum vel *circa fidem naufragare* (*m*), vel quoquomodò ab æternæ salutis viâ in supremo illo conflictu incautum deflectere perficiat. Adversario igitur assultus gravissimos nequicquam ingeminante, corroboratur Infirmus: dumque hu-

(*g*) *Ibid.* doctr. de Sacr. Extr. Unct.
(*h*) *S. Thom.* contra Gentes, *l.* 4. *cap.* 73.
(*i*) *S. Greg. Hom.* 29. in Ev. *n.* 11.
(*k*) *Ps.* 72.
(*l*) *Conc. Trid. sup. cap.* 2.
(*m*) 1. *Tim.* 1. 19.

mana cuncta circumgemunt & lamentantur, dum fremit Infernus, expectans quem *absorbeat in profundum*; ipse in Dei sinu, tanquàm in placido portu, tranquillus & serenus conquiescit. Hoc modo impletur quod hujus Sacramenti promulgator Apostolus de Infirmo sacrâ Unctione delibuto his verbis testatus est: *Alleviabit eum Dominus*; id est, efficiet ut æger in affecto corpore animus divino robore convalescat.

IV°. denique, Non soli animæ, sed ipsimet corpori saluberrima est cœlestis hæc medicina; quod quidem innuit illud ejusdem Apostoli: *Oratio fidei salvabit infirmum*. Itaque Oleo sacro inunctus integram aliquandò corporis valetudinem consequitur; cùm scilicet animæ sic expedire ille judicat, qui omnia *propter electos* amantissimè disponit (*n*). Non omnibus, Deo judice, ad æternam salutem conducit vita productior; multis potiùs est *mori lucrum*. Hinc non semper animæ proficeret curatio corporis; hinc sæpè deest hujusmodi effectus, vel in ipsis qui sanctissimè præparati hoc Sacramentum suscipiunt. Quanquàm Extrema-Unctio, si corpori sanitatem ex toto non restituit, ipsum quandoque afficit modo præstantissimo: dum ægrotationis vehementia, præ interna consolatione, lentescit effectu sensibili; ac *licèt is, qui foris est, noster homo corrumpatur, tamen is qui intùs est renovatur* (*o*), eminente inter ipsos morbi dolores gaudio *animæ ad Deum vivum sitientis* (*p*).

Hi sunt Extremæ-Unctionis effectus mirabiles plerisque Fidelibus ignoti: quos si Parochi omnes diligenter explicent, non dubium videtur quin intellectuti sint auditores quanti suâ intersit maturè Sacramentum illud suscipere. Enimverò imprudenter cunctantes periculum adeunt vel sine Extrema-Unctione moriendi, vel ipsam in ejusmodi statu miserrimo consequendi, quo vix possint quidquam utilitatis ex ea sperare (*q*).

Neque errore nominis quisquam decipiatur, Infirmum in extremis duntaxat exhalandæ animæ angustiis ungendum idcircò existimans, quòd *Extrema* dicatur illa Unctio. Non enim aliam ob causam hoc nomine appellatur, nisi quia, postquàm homo Christianus in Baptismo & Confirmatione, in ipsa quoque Ordinatione, si sit Presbyter, tum in sua Consecratione, si sit Pontifex, sacris Oleis inunctus est, posteà periculosè decumbens Unctionem peculiarem omniumque *extremam* suscipit. Præterea verò de *Infirmis*, non de moribundis loquitur S. Jacobus; eodemque sensu Patres & Concilia, Ecclesiæque Latinæ Libri Rituales universi, quisnam sit & qualis sit is cui hoc Sacramentum adhiberi debeat, intelligunt. Et, quod etiam observatione dignis-

(*n*) *Phil.* 1. 21.
(*o*) 2 *Cor.* 4. 16.
(*p*) *Ps.* 41.

(*q*) *Vide Cat. Conc. Trid.* de Extr. Unct. *n.* 18.

ſimum eſt, ii non ſolùm animæ ſuæ, ſed & corpori malè omninò conſulunt, à quibus ille morbi ſtatus expectatur, qui ſpem ſanationis omnem excludat. In eo quippè rerum articulo corporalem curationem, quæ Sacramenti fructibus annumeratur, ſine miraculo evidenti obtinere nequeunt; quod quidem ſi à Deo poſtulent, Deum tentare quodammodò videantur. Hujus quidem ſacræ Unctionis virtute, ipſius corporis ſanitas Infirmis reſtitui poteſt; ſed eo modo qui miraculi ſpeciem non præ ſe ferat, quamvis reipsâ miraculum eſſe & vocari meritò poſſit.

Jam verò gratiæ omnes per Extremam-Unctionem, quemadmodùm & per cætera Sacramenta, Fideli populo collatæ, ex Domini Jesu Paſſione & Morte originem ducunt: ſed hunc fontem chariſſimatum ſibi maximè tanquam proprium vindicat Extrema-Unctio; quia Fidelis eam ſuſcipiens, in illo ſtatu verſatur, undè magis expreſſam cum Chriſto patiente & moriente gerit ſimilitudinem.

CAPUT III.

De Extremæ-Unctionis Miniſtro.

Quisnam ſit Extremæ-Unctionis Miniſter. Paſtorum officium circa Extremæ-Unctionis adminiſtrationem.

Extremæ-Unctionis Miniſtri, teſte S. Jacobo Apoſtolo, ſunt Presbyteri (*a*), non ætate ſeniores, ſed dignitate ſanctiores, in Dei ſcilicet ac Domini noſtri Jesu Christi Sacerdotium per legitimam Ordinationem à populo ſegregati (*b*). Quod autem de Presbytero affirmatur, id multò magis de Epiſcopo intelligendum eſt. Presbyteri, apud Græcos, ungendo Infirmo ſeptem adhibentur (*c*): plures quoque olim apud ipſoſmet Latinos adhibiti fuerunt (*d*); ſed unum ſufficere declaravit Alexander III (*e*): quem morem tota Occidentis Eccleſia ſuſcepit.

Porrò Fidelis ægrotans, Oleoque ſacro liniendus, non quoſlibet *inducat Presbyteros*, ſed proprium Paſtorem, aut ejus Vicarium, vel ſi qui inſupèr alii apud majores Parochias miniſterium animarum, Ordinario concedente, exercent.

(*a*) *Jac.* 5. 14.
(*b*) *Conc. Trid. Seſſ.* 14. de Sacr. Extr. Unct. *cap.* 3. & *can.* 4.
(*c*) Euchol. *Simeon. Theſſal. Vide L.* de Sacram. (*d*) Lib. Sacram. *S. Greg.*
(*e*) *Decret. l.* 5. *tit.* 4. *c.* 14.

Nulli

Nulli cuivis, sive Seculari, sive Regulari Presbytero, extra casum necessitatis, hoc Sacramentum administrare competit, nisi de Parochi vel Præsulis Diœcesani licentiâ, saltem legitimè præsumptâ. Soli enim Pastores, ipsorumque adjutores Presbyteri, & Regularium Superiores erga Religiosos sibi subjectos, Extremæ-Unctionis Ministri ordinarii sunt. Regulares autem qui eam Fidelibus Parocho subjectis, eo non consentiente, administrarent, Excommunicationem *ipso facto* incurrerent Sedi Apostolicæ reservatam (f). Si quis tamen Infirmus in ejusmodi periculo versaretur, ut tempus neque ad Pastorem, neque ad vicarium Sacerdotem accersendum suppeteret; præsens quilibet Sacerdos, etiam Regularis, eum posset Oleo sacro linire, ne hujus Sacramenti subsidio destitutus diem clauderet extremum.

JAM verò suscepti officii ratione tenentur Pastores, ut jam præmonimus (g), ad Extremam-Unctionem Infirmis administrandam vel ipso contagionis tempore, etiamsi ab ipsis, vel ab aliis Sacerdotibus, & Pœnitentia, & sacrum Viaticum iis collata fuerint. Videant igitur quàm diligentissimè, ne quem è Parochianis divino illo remedio non præmunitum mors intercipiat. Iis plurimùm suadeant ut ne plus æquo morentur Sacramentum tantâ gratiarum copiâ, tanto robore & solatio fœcundum suscipere. Ipsi autem Pastores ad illam administrationem diu noctuve requisiti, vel continuò proficiscantur, vel mittant suæ charitatis vicarium Sacerdotem, ad excipiendas Confessiones ritè approbatum.

(f) *Clementin.* Religiosi, *l.* 5. *cap.* 1. *tit.* 7. de privil. & excess. privil.

(g) *Suprà*, De cura infirm. temp. contag.

CAPUT IV.

QUIBUSNAM administranda sit Extrema-Unctio.

BAPTIZATI, &c. Extremæ-Unctionis capaces. An Oleo Infirmorum ungendi sint pueri, insani, furiosi, mentis inopes. Qui subitò obmutuêre, &c. An iterari possit Extrema-Unctio. Senio confecti.

BAPTIZATI, adulti, usu rationis pollentes, vel qui olim mentis compotes fuerint, ii, modò periculosè decumbant (a), Extremæ-Unctionis sunt capaces. Græci hoc Sacramentum, tanquam Pœniten-

(a) *Conc. Trid. Sess.* 14. de Extr. Unct. *cap.* 3.

tiæ complementum, etiam valentibus publicè in Ecclesia post Confessionem sacramentalem administrant (*b*). Quæ certè consuetudo cum Scripturâ sacra minùs consentire videtur. Nam, dicente sancto Jacobo: *Infirmatur quis in vobis?* intelligi debet infirmitas corporis, non verò animæ, ut placet Græcis. Præterea instituta est Unctio illa sanctissima non modò ut animæ, sed etiam ut corpori, si Deus concesserit, medeatur.

NEMO igitur, nisi periculosè decumbens, Infirmorum Oleo inungatur, licèt vitæ discrimen adeat, vel quòd sese ad periculosam navigationem aut peregrinationem accingat, vel quòd in certaminis procinctu, naufragiive periculo versetur, quinimò etiamsi capite damnatus sit, moxque ad supplicium ducendus (*c*). Jam verò nihil refert undè existat infirmitas, an morbo, an vulnere, an partu, dummodò sit periculosa. Verumtamen, ut mulier ungatur, non sufficit consuetum in pariendo periculum, vel ipsamet partûs difficultas, nisi manifestum indè exurgat vitæ discrimen (*d*). Ungendi sunt pestis contagione afflati, quamvis mors propinqua non immineat. Senes pariter ungi oportet; nempè annis tam graves, ut in dies morituri videantur, etsi nullo præter senium morbo affecti (*e*). Ungantur etiam periculosè decumbentes pueri qui rationis usum attigerint, licèt nondùm ad sacram Communionem admissi: cùm enim sint Pœnitentiæ capaces, ad Extremam pariter Unctionem idonei sunt, ut potè quæ, prout jam observatum fuit, Pœnitentiæ consummatio habeatur (*f*). Sed ante usum rationis Oleo Infirmorum ungendi non sunt, cùm nihil delicti commiserint, cujus reliquiæ hujusmodi subsidio tollantur. Si tamen præmaturâ malitiâ peccare potuisse judicentur, quoniam eo ipso haberi queunt Absolutionis capaces, erunt pariter ad suscipiendam Extremam-Unctionem idonei. Quin etiam, in dubio, absolvendi sunt, Oleoque sacro inungendi, vel ante septennium.

Insani, furiosi & phrenetici, in quibus olim viguerit usus rationis, Oleo Infirmorum liniantur, si nullum adsit irreverentiæ periculum. In iis lucida expectentur intervalla; vel si nullum omninò jam sperandum videatur, etiam ligati & furoris æstu perciti Extremam-Unctionem suscipiant, modò tamen id patiatur debita Sacramento reverentia, prætereàque laudabilem vitam duxerint, aut saltem, dum integrâ mente essent, signa Contritionis ostenderint. Neque enim ungendi forent, si, ante phrenesim aut amentiam, excommunicati denuntiati, vel moribus improbis famosi, pœnitentiam nullo indicio manifestassent. Qui mentis inopes ab ortu sunt, ii

(*b*) *Leo Allat.* de conform. Eccl. Occ. & Or. *l.* 3. *c.* 16. *Vide* Euchol. Gr. *ap. Goar.*

(*c*) *Conc. Mediol. IV*, *an.* 1576. de iis quæ ad sacr. Extr. Unct. pertin.

(*d*) *Ibid.*

(*e*) *Ibid.*

(*f*) *Conc. Trid. Sess.* 14. doctr. de Sacr. Extr. Unct.

velut perpetuò infantes, illæsam proindè Baptismi gratiam servantes reputentur; neque ipsis adhibeatur Infirmorum Unctio.

Sacramento morientium adjuventur, qui, postquàm illud efflagitârunt, vel Contritionis indicia qualiacumque exhibuerunt, alienato usu rationis & sensuum, subitò obmutuêre (*g*). Nec Pastor illud subsidium iis deneget, qui, cùm priùs vitam nomine Christiano dignam egerint, morbo repentè oppressi, præ stupore sensuum nequeunt Sacramenta postulare. Consideratâ enim eâ quam antehàc professi sunt, pietate, conjectandi locus est, ubi nihil contrarium ostenditur, eos optare ut periclitantibus sibi illud omne impendatur quod possit ad salutem suam conducere: quæ quidem intentio *interpretativa*, urgente necessitate, ad suscipiendum hoc Sacramentum sufficit. Itaque si ægrum sensus omnis defecerit, dummodò vivus appareat, aut vivere existimetur, exeuntium Oleo inungendus est, maximè verò si, dum sanâ mente & sensibus integris vigeret, illud petierit aut probabiliter petiturus fuisset, vel cordis contriti signa ediderit. Etiamsi jam loqui non possit, etiamsi fuerit amens factus, vel deliret, vel non sentiat; nihilominùs Absolutionis Extremæque Unctionis subsidio muniatur.

Hæreticis atque Excommunicatis denuntiatis Extrema-Unctio denegetur, & peccatoribus publicis, & in duello aliove lethali peccato manifestè morientibus; si, priusquàm in ipsis deficeret usus rationis & loquelæ, nullum ediderint pœnitentiæ signum (*h*). Quinimò Hæreticos & Excommunicatos qui pœnitentiam præ se tulerint, inungi non oportet, nisi priùs fuerint absoluti; neque verò absolvendi sunt, quemadmodùm & ipsimet usque ad mortem impœnitentes, nisi ad ea omnia parati sint, quæ adimpleri necesse fuerit ut vera & sincera judicetur eorum conversio.

Extremà-Unctio, cùm nullum imprimat characterem, totiès iterari potest, quotiès ex morbo imminet mortis periculum (*i*) Sic olim Pius Papa II, hoc sibi morienti Sacramentum administrari voluit, quamvis dissuaderet Laurentius *Rovarella*, Ferrariensis Episcopus, doctissimusque Theologus; qui scilicet contendebat modò dictum Pontificem jam in præcedenti morbo inunctum, rursùs inungi non posse (*k*). Hæc nempè, duodecimo seculo, ac deinceps, quorumdam

(*g*) *Mediol. III*, *an.* 1573. *cap.* 9.
(*h*) *Rit. Rom. Rit. Parif. den. ed. an.* 1777, *pag.* 202.
(*i*) *Trid. sup. cap.* 3.
(*k*) Æneas Sylvius *Picolomini*, litteris atque doctrinâ inter coævos excelluit. Multa præclarè scripsit. Coronâ poëticâ insignitus est à Frederico III Imperatore, cujus Secretarius fuit. Senensis Episcopus & S. R. E. Cardinalis, summi Pontificatûs apicem adeptus est 27 Augusti 1458, sibique nomen Pii II ascivit. Cùm in Asiam trajecturus esset, tuendorum adversùs Infideles Christianorum zelo succensus, morbum ex fatigatione contraxit, & Anconæ diem obiit supremum 14 Augusti 1464.

Theologorum fuerat sententia, quæ paucos sibi sequaces adjunxerat. Quinimò, prioribus seculis, in eodem morbi statu iterari solebat Extrema-Unctio. Eam per septem dies continuos adhiberi, totièsque Eucharistiam administrari præcipit sancti Gregorii *Liber Sacramentorum.* Nunc in eadem infirmitate semel tantùm adhibetur Oleum Infirmorum; nisi tam diuturna sit, ut, postquàm æger aliquatenùs convaluerit, quodam interposito spatio, iterùm in vitæ discrimine constitutus videatur: quamvis enim propriè non sit alius morbus, alius tamen quodammodò est morbi status (*l*). Quæ quidem Disciplina ubique apud Ecclesiam Latinam observatur (*m*). Senio confecti, nullâ aliâ infirmitate postulante, inuncti, cùm in dies morituri videantur, iterùm inungi possunt, si primam debilitatem periculosam nova subsequatur ejusdem generis debilitas. Tunc verò servandum est quoddam dierum intervallum, mensis v. g. unius, dierum viginti, aut circiter, juxta prudentem Parochi æstimationem.

(*l*) *S. Thom.* in suppl. *q.* 33. *a.* 2. (*m*) *Rit. Rom.*

CAPUT V.

QUONAM ordine, & quomodò dispositis ministranda sint extrema Sacramenta.

CIRCA ordinem administrandi duo extrema Sacramenta quid olim observatum, quid nunc observandum, prout actione continuâ, vel seorsim administrantur. Extremæ-Unctioni præeat saltem Absolutio. Æger loquelâ & sensuum usu destitutus. Præter gratiam sanctificantem, duas vulgò dispositiones requirit Extrema-Unctio.

HÆc fuit universæ Ecclesiæ vetustissima consuetudo, ut Extrema-Unctio semper ante sacrum Viaticum administraretur (*a*): ostenduntque Auctores Ecclesiasticæ antiquitatis peritissimi, hunc adminis-

(*a*) Lib. Sacram. *S. Greg.* ap. Menard. *Capit. Car. Magni*, *l.* 6. *c.* 75. *Isaac Ling. tom.* 1. *c.* 23. *Pasch. Ratb.* de corp. & sang. Domini, *c.* 8. *Hincm. Rem.* Capit. *n. n.* 10. *Constit. Riculph. Suess. Conc. Mogunt. sub Rab. can.* 26. Auctores Vitarum sancti Ambr. S. Chrys. sanctæ Clotildis, Caroli magni, S. Malachiæ, Armac. Archiep. S. Guillelmi, Bitur. Archiep. sanctæ Elizabeth. His sanctis ministrata primùm fuit Extrema-Unctio, deindè sacrum Viaticum. Vide aliorum plurim. SS. Vitas *apud Surium*, *Canis. Bolland.*

strationis ordinem constanter ab anno Christi septingentesimo usque ad annum millesimum trecentesimum unâ ubique formâ fuisse observatum, ac deinceps à multis Ecclesiis retentum, atque etiam sexto-decimo seculo latè in Galliis viguisse (*b*). Quæ quidem praxis hactenùs in Ecclesiis sat multis & apud quosdam Regulares illæsa perseverat (*c*). Hæc verò sensim aliis in locis obsolevit; propterea quòd, ut verisimile est, animadverteret Ecclesia Extremæ-Unctionis administrationem usque ad ultima vitæ momenta rejici, malletque ante omnia sacri Viatici, tanquàm magis necessarii, susceptionem in tuto collocari.

Pristinum morem Galliarum Præsules, alii talem retinent qualem ab initio ad sua tempora deductum invenêre, alii renascentem in suis Diœcesibus, jamque in multas Parochias inductum innovârunt & confirmârunt.

Permittit, sexto-decimo seculo, *Manuale Parisiense* (*d*), sacram Unctionem, sive ante, sive post susceptum Corporis Christi Viaticum, prout libuerit, Infirmis adhiberi. Præcipit autem ultimum ejusdem nostræ Diœcesis Rituale, scilicet desinente septimo-decimo seculo editum (*e*), ut, quotiès Parochi, eorumve adjutores Presbyteri, cum Oleo Infirmorum divinæ Eucharistiæ Viaticum ad quemlibet Infirmum detulerint, antequàm cœlestem buccellam ori ejus insinuent, sacram Unctionem membris ipsius illiniant. Quod quidem, ut sapienter institutum est, ac religiosè hactenùs observatum, sic deinceps inviolatè retinendum esse decernimus.

Nam 1°. inunctus æger antequàm omninò desperata sit ejus sanatio, non jam ex tardiore administratione mortem proximam horrescet: 2°. Mentis compos & ritè dispositus, atque ideò potiore fructu Extremam-Unctionem suscipiet. 3°. Fructu similiter uberiore Panem vitæ manducabit, ut potè ab omnibus delictorum reliquiis emundatus, qui proprius Extremæ-Unctionis effectus esse cognoscitur. Quantùm ergò per Infirmi statum licebit, Unctio sancta Viatico salutari præeat, dignioris cujusdam instar præparationis.

Id tamen observent Pastores, quamvis Oleum Infirmorum simul cum sacro Viatico detulerint, statim Viaticum ante Unctionem administrari oportere, si periculum sit ne Infirmus, quasi *uno tantùm gradu à morte divisus* (*f*), sine Corporis Christi Viatico supremum exhalet spiritum. Postquàm æger subsidio magis necessario, sacrâ videlicet Communione, refectus fuerit; Sacramento exeuntium, si tempus

(*b*) In Ecclesiis præsertim Claromontanâ, San-Florensi, Suessionensi, Boloniensi, Laudunensi, Ambianensi, Cenomanensi, Nannetensi, Rotomagensi, Ebroicensi & Abrincensi. *Sacrament. Greg. ap. Menard. Mabill. Martene*, de Extr. Unct. & *Launoy* de Unctione ante Euch. datâ.

(*c*) *Rituale Ordinis Cisterciensis.*

(*d*) *An.* 1542, *D. Joan. Card.* du Bellay, *Paris. Episc.*

(*e*) *An.* 1697. *Vide ipsum denuò editum anno* 1777, *pag.* 202.

(*f*) 1. *Reg.* 20. 3.

adhùc supersit, continuò muniatur (*g*).

Cùm verò Eucharistiam & Extremam-Unctionem diversis temporibus administrari sinet morbi status vel Infirmi pietas, aut cùm ita faciendum prudentia suggeret; tunc prima administretur Eucharistia, deindè Extrema-Unctio.

Semper autem, quantùm id patietur Infirmi status, Extremam-Unctionem antevertat Pœnitentiæ Sacramentum. Ea enim gratiam *habitualem* & sanctificantem requirit, ut potè quæ locum habeat inter Sacramenta *vivorum*. Itaque nullus Infirmus Oleo sancto inungatur, nisi priùs delicta confessus fuerit. Quòd si tamen eâ morbi vehementiâ laboret, ut confiteri non possit; tunc Sacerdos, ejus nomine Actum Contritionis proferens, maximam in ipsius animo delictorum pœnitentiam excitare studeat: qui dolor cum Absolutione & Extrema-Unctione conjunctus, ægro supplebit effectum Pœnitentiæ omnibus numeris absolutæ. Quòd si rationis, loquelæ & sensuum usus Infirmum ita deficiant, ut Confessionis minimè sit capax; non illum priùs inungat Sacerdos, quàm ipsum (nisi jam fuerit absolutus) sacramentali Absolutione donaverit, dummodò tamen is sit qui legitimè possit absolvi.

Jam verò, ut superiùs expositi Extremæ-Unctionis fructus percipiantur (*h*), præter gratiam sanctificantem, aliæ requiruntur dispositiones in iis qui sanâ mente hoc Sacramentum suscipiunt: 1°. Firma fides, qualem Salvator mundi semper invenire concupivit, atque inventam laudavit in Infirmis qui à se gratiam curationis efflagitabant (*i*). Quod quidem innuere videtur B. Jacobus, dicens: *Oratio fidei salvabit Infirmum.* 2°. Cùm Extrema-Unctio Sacramenti Pœnitentiæ complementum sit & consummatio, anniti imprimìs debet Infirmus ut eam corde contrito & humiliato suscipiat, præmissâ (ut diximus) quoad fieri poterit, Confessione sacramentali. 3°. His comes esse debet, tum firmissima in Dei omnipotentis bonitatem & misericordiam fiducia, meritis nixa Redemptoris in Cruce morientis; tum plenissima propriæ voluntatis abdicatio, securè placidèque in beneplacito divino acquiescentis; ita ut, sive ad vivendum, sive ad moriendum promptus sit æger, id unum expetens, ut, cùm *tempus resolutionis suæ* advenerit, Christo

(*g*) *Rit. Paris. ubi suprà.*

(*h*) *Cap. II.*

(*i*) Audiens Jesus (Centurionem), miratus est; & sequentibus se dixit: Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israël. *Matthæi cap.* 8. *v.* 10.

Cùm venisset domum, accesserunt ad eum cæci. Et dicit eis Jesus: Creditis quia hoc possum facere vobis? Dicunt ei: Utique, Domine. *Ibid. cap.* 9. *v.* 28.

Respondens Jesus ait illi (mulieri Chananææ): O mulier, magna est fides tua: fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia ejus ex illa hora. *Ibid. cap.* 15. *v.* 28.

Et alibi passim apud Evangelistas.

morienti commori, vitæque auctori propriam vitam in suavissimi odoris sacrificium resignare valeat. Postremò debet Infirmus quàm poterit excitatissimo pietatis ac pœnitentiæ sensu Sacerdotis preces comitari, & pro peccatis singulorum sensuum ministerio perpetratis ad singulas Unctiones veniam orare.

CAPUT VI.

De modo administrandæ Extremæ-Unctionis.

EXTREMÆ-UNCTIONIS administrandæ apparatus. Sacerdos Infirmorum Oleum gerens, tum verò illud Infirmo illiniens. Ægro, post susceptam Extremam-Unctionem, quid suadeat pietas. Post illam administratam, quid Pastori agendum supersit erga Infirmum. Quædam observanda. Administratio Pastoris morientis.

SACERDOS Extremam-Unctionem administraturus, provideat ut ipsa quanto maximo fieri poterit exterioris cultûs nitore administretur. Lectum ægrotantis linteo puro supervestiatur, totumque cubiculum decenti munditiâ resplendeat. In hoc mensa præparetur, cui insternatur mappa nitida; & super eam collocetur JESU Crucifixi effigies, ardentibus utrimque duobus Cereis, parato saltem uno luminari, vel Cereo benedicto, imposito etiam Aquæ-benedictæ vasculo, cum Aspergillo. Adsint prætereà duæ patellæ; quarum una sustineat septem flocculos stupæ subtilis, seu gossypii, ad abstergendas Unctiones; & medullam panis, ad purificandos, si opus fuerit, Sacerdotis digitos post administratum Sacramentum; altera, cucullum papyraceum (1), in quo deponantur flocculi singulis Unctionibus delibuti. Adsit etiam aqualis plenus, cum mantili candido, & lanx aut pelvis ad excipiendam aquam & medullam panis, dum Sacerdos manus abluet. Ardeat, si fieri possit, ignis in foco, ut comburantur Unctionum flocculi; & in eum similiter conjiciantur aqua & panis in ipsa dilutus, post ablutionem manuum Sacerdotis; alioquin ad Ecclesiam ferantur, eorumque cineres cum prædicta lotione in *Sacrarium* vel in Piscinam, quæ *Sacrarii* loco sit, demittantur. Postremò à Sacerdote præmoniti (si opus fore videatur) qui Infirmo ministrant, curent ne per illuviem à reverentia Sacramenti alienam oculos offendant membra linienda, sed aquâ tepidâ priùs abluantur, vel madefacto linteo abstergantur.

Ubi omnia decenter præparata fuerint, convocatis Clericis vel ministris, aut saltem uno Clerico, vel ministro responsionum perito, qui

(1) Un cornet de papier.

Pastoralis hujus partem Ritualem deferat, Crucem sine oblongo manubrio, Cereum & Aquam-benedictam cum Aspergillo, si hæc duo apud Infirmum non habeantur; Sacerdos Ecclesiam ingressus, ablutis manibus, induetur Superpelliceo & Stolâ violacei coloris (nisi, propter aëris intemperiem, utrumque deferendum tradat ministro); positisque genibus, parumper Deum orabit, & pro se, ut ministerio suo piè fructuosèque fungatur, & pro Infirmo, ut suscipiendâ Sacramenti gratiâ dignum se præbeat. Deindè Vas Olei sancti reverenter accipiet, sacculo serico violacei coloris inclusum; atque operto capite, nec resonante tintinnabulo (cùm non simul deferetur sacrum Viaticum), modestè & graviter ad Infirmi domum procedet, Oleum sanctum, ne effundi possit, cautissimè gerens. Quòd si longius sit iter peragendum, vel si etiam equitandum, aut si aliàs immineat periculum effusionis; Vas Olei sacri per funiculos collo decenter appendat, quò tutiùs pariter & commodiùs illud deferat. Sacerdos iter agens ad Infirmum Oleo sancto inungendum, vano colloquio minimè indulgeat. Solus, vel cum astantibus, Psalmos Pœnitentiales pro Infirmo recitet: saltem eum sibi cogitandum proponat, secumque ipse præmeditetur quo sermone illum suaviter utiliterque commovere possit; ac demùm susceptæ administrationis ordinem ac decentiam revolvat.

Infirmi domum ingressus, ipsum adeat hujusmodi vultu, qui *bonitatem animæ* & charitatem spirare dulcissimam videatur (*a*). Non multis eum verbis alloquatur, sed maximè consolatoriis. Cui Sacerdoti non verba convenientia suggerat aspectus hominis jam propè morientis, & de cujus æternâ sorte mox ferendum est irrevocabile judicium? Quòd si reconciliatione opus habeat ægrotus; ipsum confitentem, remotis arbitris, audiat. Deindè moneat astantes, ut illi à Deo optimo Sacramenti fructus uberrimos secum enixè apprecentur, perfectam scilicet animæ abstersionem, & omnia gratiæ subsidia, quæ ei maximè in hoc tam luctuoso rerum statu necessaria sunt. Quod quidem exequi debent propriæ conditionis memores, quâ certè omnes aliquandò, aliquis fortassè non multò pòst, eodem sanctæ Religionis auxilio muniendi erunt. Ipsemet Sacerdos non festinanter, non quasi ad hoc solum ut talitercumque officio functus videatur, summâ verò pietate, summâ gravitate ac decentiâ Sacramentum exeuntium conferat. Quòd si ministrum non habeat in sacris Ordinibus constitutum, ipse Unctiones diligenter abstergat. Omnia demùm quæ præcipiuntur in administratione Sacramenti, religiosissimè observet. Peractis Unctionibus & precibus, osculandam Infirmo porrigat crucifixi Domini JESU effigiem, eamque sub oculos ejus collocatam relinquat: ut, *aspiciens in auctorem*

(*a*) *Eccli.* 45. 29.

fidei

fidei & consummatorem JESUM, qui pro nobis tantâ patientiâ, tantâ æquanimitate *sustinuit Crucem* (*b*), suavissimâ illâ recordatione erigatur ad acerbissima quæque, in societatem passionum illius, quieto ac libenti animo toleranda.

Si Sacerdos, inter administrandam Extremam-Unctionem, præ debilitate, aliove superveniente casu, non possit inceptum officium persequi; alius Presbyter advocetur, qui Sacramentum expleat, neque Unctiones, neque formulas jam expletas iterans.

ÆGER Unctione sanctâ delibutus, gratias Deo plurimas, interiore saltem affectu, habeat. Jam non cogitet nisi Deum, *annos æternos* (*c*), animæ salutem. Ejus *conversatio in cælis* sit, nec jam in terris (*d*). Ipse inducatur ad emittendos Christianarum virtutum Actus, vivæ præsertim fidei in Deum, Deique & hominum mediatorem CHRISTUM JESUM (*e*), spei tenerrimæ in Domini misericordiam, atque inflammatæ charitatis. Quos quidem Actus si, præ debilitate, proferre ipse nequeat; eos à Presbytero, seu ab aliquo astantium, nomine suo prolatos corde intimo sequatur. Totus denique in divinæ voluntatis beneplacito acquiescat; sive allevamentum, sive malum ingravescens, sive vitam, sive mortem sperare aut pati jubeatur; eique se totum in placationis sacrificium offerat, hæc secum revolvens: *Sive vivimus, sive morimur, Domini sumus* (*f*). *Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo; & ipse erit salvator meus* (*g*).

POSTQUAM Sacerdos Extremæ-Unctionis Sacramentum Infirmo administraverit, non eum deserat; sed quæ in proximè sequenti Capite *de cura morientium* exposituri sumus, hæc in eum diligenter fideliterque observet.

Et quoniam Pastor, non modò Religionis, verùm etiam humanitatis Ministrum existimare se debet; unum hìc observet, in quo non semel gravissimè peccatum fuisse dicitur, maximè autem in quibusdam Valetudinariis publicis. Statim atque Infirmus extrema Sacramenta suscepit, ei sæpiùs jam nullum suppeditatur neque remedium, neque alimentum; ipse omninò derelinquitur; & mortis quasi tardioris gradus quodammodò acceleratur. Curet Pastorum charitas, quantùm providere & consequi poterit, crudelem ejusmodi imprudentiam in melius immutari.

NEQUE hìc aliud silendum esse arbitramur, quod nempè Sacerdotii existimationem propiùs attingit. Malignè, & (ut confidimus quoad nostræ Diœcesis Presbyteros) falsè observatum est ab iis qui vitium hominis perscrutantur, ut illud Reli-


(*b*) Hebr. 12. 2.
(*c*) Ps. 76.
(*d*) Phil. 3. 20.
(*e*) 1. Tim. 2. 5.
(*f*) Rom. 14. 8.
(*g*) Job, 13. 15.

gioni tranſcribant, in Sacerdotibus, quemadmodùm & in Medicis, propter aſſiduitatem videndi cujuſvis generis infirmos, languidos, moribundos, ac denique mortuos, miſericordiæ ſenſum paulatim hebeſcere, ac penè humanitatem obliterari. Calumniam iſtam à divinæ miſericordiæ Miniſtris egregiè refelli neceſſe eſt. Quotiès igitur ægrum adeunt, ſive ut ei Sacramenta miniſtrent, ſive ut ipſum adjuvent & conſolentur, non frigidè & quaſi perfunctoriè munus illud exerceant; ſed humanitatis patientis miſeratione ac viſcerum teneritate commendabiles ſe exhibeant; ita ut, exemplo Redemptoris benigniſſimi, *omnium infirmitates accipere & ægrotationes portare* videantur (*h*).

Porrò, quibus ſolitum eſt Sacramenta ægris adminiſtrare, diem illum extremum præoccupent, quo, jam propè mortis caligine circumfuſi, iiſdemque Ornamentis induti, quibus inſignes tot moribundis ultima Religionis auxilia contulerint, ea ipſimet ſuſcipient de manu Collegæ in lacrymas effuſi, & ſingultantis potiùs quàm exhortantis. Præcogitet unuſquiſque, quantâ fiduciâ, quàm dulci recordatione priſtini laboris, zeli & charitatis, quàm placidâ expectatione rationis ſupremo Judici reddendæ, ultima Paſtoris ſimul & Patris verba ſit locuturus, circumquaque flentibus qui Paſtorem & Patrem morientem, ſi tenerrimis ejuſmodi nominibus dignum ſe præbuerit, deſiderabunt. Præcogitet ex adverſo, ſi *mercenarius* fuerit, & *non Paſtor* (*i*), vel (à quo dicendo mens refugit) pravi exempli Sacerdos, quantis animi anguſtiis in ſupremo illo *agone* laboraturus ſit, quantum Dei hominumque derelictionem, grege olim derelicto, non paſto, offenſo, experturus, quàm *terribilem judicii expectationem* paſſurus (*k*), quanto horrore (niſi, quàm magna deliquerit, tam granditer defleverit) *peſſimam* reprobi Sacerdotis *mortem* obiturus (*l*).

(*h*) *Matth.* 8. 17.
(*i*) *Joan.* 10. 12.
(*k*) *Hebr.* 10. 27.
(*l*) *S. Cypr.* de lapſ. *Pſ.* 33.





EXTREMÆ-UNCTIONIS

APPENDIX PRIMA.

Tota versabitur hæc Appendix in differendo, 1°. De cura morientium: 2°. De mortuis non justo citiùs ad sepulturam efferendis.

CAPUT PRIMUM.

De cura morientium.

Cura Pastorum in morientes quanta desideretur. Christianus moriens. Plurima in juvandis morientibus observanda. Pastoralis charitatis adjutores in cura morientium. Moribundus in supremum agonem *vergens. Anima in proximo exitu laborans. Anima exiens. Moribundus diuturno* agone *conflictatus. Egressæ animæ* Commendatio, *&c. Pietas in corpus exanimum, donec tumuletur.*

Quotidie morimur, ex quo vivere cœpimus; nec finem moriendi, nisi facto fine vivendi, facimus: undè convenientiùs vita nostra super terram *mors continua* diceretur. Sed hominis *gressus* à Deo factore suo *dinumerati* (*a*), tunc videntur ad metam pervenisse ultimam, cùm *spiritus attenuatus* ægro anhelitu vix trahitur (*b*); cùm caligant oculi, mensque ipsa deficit; cùm denique corpus, resolutæ instar machinæ, morbo vel senio fatiscit. In eo rerum statu, animus jam penè vincula sua dirupit; terrâque quod suum est reposcente, *solum* corpori jam ferè *superest sepulcrum* (*c*).

Cum autem è statu moriendi pendeat salus æterna, debet Paro-

(*a*) *Job*, 14. 16. (*b*) *Job*, 17. 1. (*c*) *Ibid.*

chus eò majorem in juvandis morientibus curam adhibere, quò vehementiùs in eorum perniciem generis humani hostis incumbit. Enimverò cæcâ fraude exercet *iram magnam, sciens quòd modicum tempus habet* (*d*); atque idcircò nihil non machinatur, ut morientes trahat in sempiternæ damnationis societatem; ac demùm, *sicut leo paratus ad prædam* (*e*), exeuntem animam, quam devoret, expectat. Itaque Parochi & Vicarii, postquàm Pœnitentiæ, sacri Viatici, Extremæque-Unctionis Sacramenta ægrotis ministraverint, non omni erga eosdem officio perfunctos se arbitrentur. Nunquam magis ope & auxilio spirituali indigent Fideles, quàm cùm videntur in supremo luctamine constituti. Tunc Pastores, charitatis justitiæque nomine ac titulo, tenentur eos frequentiùs visitare, auxilio multiplici atque indefessâ pietate corroborandos (*f*).

Cujus quidem muneris quantum sit momentum facilè intelligent, si velint humanitatis Fideique & Religionis oculis parumper intueri, quas in angustias devenerit homo Christianus, cùm ejus anima inter suam à corpore digressionem atque instantis æternitatis sortem ancipitem versatur. Tunc affusi & lacrymantes amici, immodica luctu familia, mille dolores in mentem congerunt. Tunc divitiæ, quarum usus, velut umbra evanuit, & quas, *cùm interierit, non sumet* (*g*); dignitates & gloria, quæ *cum homine* in sepulcri pulverem *non descendent* (*h*), multiplicis generis vanitates recursant animo, totque & tanta desideria in illo excitant, quot & quantis deliciis atque honoribus cumulatum se anteà fuisse reminiscitur. Prætereà sæviunt remordentis conscientiæ stimuli; scelerum nubes teterrima, quasi facto impetu, animum perturbat; Numinis irati & *justitias judicaturi*, timor incubans terret ac dejicit (*i*). Tum furore novo irrugit diabolus; unoque ac terribili momento agitur, utrùm anima pretioso Christi sanguine redempta, in æternum salvanda sit, vel in æternum perdenda.

Itaque Pastor, ut à molitionibus inimici moribundum tueatur, pios motus ei suggerat, virtutumque Actus, quorum ope cogitationes à Dæmone immissas retundere facilè possit.

Quamvis autem patris vel matris amor in liberos, liberorum in parentes, conjugis in conjugem honestus sit atque laudabilis, hunc videlicet naturâ simul & Religione consecrante; cùm tamen aspectus charorum posset morientem Fidelem nimis humano sensu afficere, undè retardatum cor ejus non tam libero conatu ad Deum ferretur, nec ipse *spiritu magno videret ultima* (*k*); iis quos ille impensiùs dilexit, persuadeat Pastor ut secedant; reique tristitiam mitigare studeat alloquio compatientis charitatis. Ipsi

(*d*) *Apoc.* 12. 12.
(*e*) *Ps.* 16.
(*f*) *Conc. Rem. an.* 630. *can.* 15. *Item*, *Rem. an.* 1583. *tit.* de Extr. Unct. *n.* 4.
(*g*) *Ps.* 48.
(*h*) *Ibid.*
(*i*) *Ps.* 74.
(*k*) *Eccli.* 48. 27.

deindè cohortandi sunt, ut Infirmum, quò sibi charior est, eò magis illo amore qui Christianos decet, complectantur, habito nimirùm cœlestis patriæ respectu, in qua nos omnes, alius quidem citiùs, alius autem seriùs, cum Deo remuneratore sumus in unum consummandi.

PASTOR, semotis iis quorum præsentia ministerii sui fructum impedire posset, cum victima penè solus remaneat. Si moribundus adhùc sanâ mente vigeat; huic auctor sit ut nihil à Deo æternaque salute alienum cogitet, *confortetur in Domino, induat se armaturam Dei, ut possit stare adversùs insidias diaboli, & resistere in die malo* (*l*); fide, spe & *charitate fundatus* permaneat, ut *ad bravium supernæ vocationis Dei* pervenire possit *in CHRISTO JESU* (*m*). Tum verò studeat Sacerdos ejus patientiam roburque animi firmare, propositâ æternæ felicitatis spe magnificentissimâ, atque etiam clarissimis JESU CHRISTI & Sanctorum exemplis; quorum plerique, cùm cœlestem gloriam operosè & quasi violenter consecuti fuerint aut sanguinis effusione, aut longâ pœnitentiâ, atque etiam heroicâ morborum acerbissimorum toleratione, ac voluntario resignatæ vitæ sacrificio, eam sibi gratuitò concessam nihilominùs existimârunt. Tenerrima ejus menti suggeratur fiducia in Deum optimum summèque misericordem; cujus immensa beneficia si recogitet, non dubitabit quin se velit salvum fieri. Instar ei sit omnis consolationis pia recordatio meritorum Christi, ac divini sanguinis in Cruce fluentis; undè hanc velut propriam usurpet Apostoli sententiam : *Dilexit me, & tradidit semetipsum pro me* (*n*). Porrò indutus *loricam fidei & charitatis* (*o*), *spemque sicut anchoram animæ firmam* sumens (*p*), humilitatis gubernaculum pariter accipiat. In illo enim periculoso vitæ deficientis articulo, nihil non molitur diabolus, ut homini Christiano vel dubium aliquod circa fidem injiciat, vel eum, nimio timore incusso, à spe legitima detorqueat, vel ex inordinata fiducia plus æquo extollat. Et nonnunquam dolorum impatientiâ, mundi elabentis recursantibus illecebris, memoriâ delictorum, mentem elidere conatur. Quinimò horrendis visis, ceu lymphaticis quibusdam somniis, totam aliquandò imaginandi vim obsidet. Undè multùm proderit, si Parochus ipsum ex intervallo interroget, quid volvat animo? quid metuat? quid speret? quid imaginetur? Num credat omnia fidei capita, & quidquid Una, Sancta, Catholica, Apostolica & Romana Ecclesia credit & docet? Num speret Deum, pro sua immensa misericordia, sibi propitium fore; seque, non ex propriis meritis, sed virtute meritorum JESU CHRISTI Salvatoris & Redemptoris

(*l*) *Eph.* 6. 10. 11. 13.
(*m*) *Eph.* 3. 17. *Phil.* 3. 14.
(*n*) *Gal.* 2. 20.
(*o*) 1. *Thess.* 5. 8.
(*p*) *Hebr.* 6. 18. 19.

sui, & per intercessionem B. Mariæ Virginis omniumque Sanctorum, vitam æternam consecuturum esse? Num ex toto corde diligat Dominum Deum suum, magisque ac magis diligere cupiat? Num, propter illum amorem, verè & ex animo delicta omnia doleat, quibus Deum & proximum offendit? Num ignoscat omnibus quos habuit inimicos? Num veniam postulet ab iis quibus ipse fuit inimicus? Num dolorem quem patitur, morbique molestiam, & quidquid ex eo evenire Deus voluerit, ob amorem Dei & in pœnam delictorum subjecto animo ferat, Christique patientis & morientis doloribus in sacrificii unitate conjungat? Uno verbo, Sacerdos monita, hortamenta, interrogationes, consolationes quàm poterit sapientissimè ad moribundi statum captumque attemperabit.

Quoniam verò per motus animi & cordis affectus Deo conjungimur, nihil ad salutem morientis utilius fieri poterit, quàm si excitetur & juvetur ad proferendos quàm sæpissimè Actus Fidei, Spei, Charitatis, Contritionis, propriæ voluntatis cum divina voluntate consentientis. His intermisceat Parochus pia & vivida æternæ felicitatis desideria, blandè & suaviter adhortans morientem *ut ad cælum aspiciat*, & pro certo teneat non sibi vitam eripi, sed in melius immutari: morte non totum hominem perimi: partem ejus potiorem, per quam ipse imago Dei est, animam scilicet, positis mortalibus exuviis, corpori superstitem, in sinum Dei se recipere: Christianum denique hominem in gratiam cum Deo reconciliatum, insupèrque immortalitatis pignore, sacro scilicet Corporis Christi Viatico, & salubertimâ Unctione recreatum, posse cum fiducia dicere: *Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es, Domine* (q); ac demùm in osculo Domini sanctè securè obdormiscere. Et certè, mortem quam horret natura, fide judice, è peccati supplicio verti *in Justi solamen & meritum* (r); undè illi Sanctorum gemitus, fervidaque illa suspiria: *Præcipe* (*Domine*) *in pace recipi spiritum meum; expedit enim mihi mori magis quàm vivere* (s): *Heu mihi! quia incolatus meus prolongatus est* (t). *Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus* (u)?

His aut similibus incitamentis moribundus cor suum pœnitentiâ conteret, firmabit patientiâ, dilatabit charitate: undè eveniet ut dolores suos leviùs ferat, cùm nempè Deum adorabit ac diliget in se misericorditer sævientem, suæque saluti per flagella delictis minota providentem; deindè verò exilii sui

(q) *Ps.* 22.
(r) *S. Aug.* de civ. Dei, *l.* 3. *c.* 4. *Vide Tert.* Apol. *c.* 4. *S. Cypr.* de mortal. & *S. Chrys. Hom.* de dormient *ed. Ben.* §. 1. & 2. & *Hom.* 4. *in* 1. *Cor. Et S. Ambr.* de fide resurr. *l.* 2. §. 3. 6.
(s) *Tob.* 3. 6.
(t) *Ps.* 119.
(u) *Rom.* 7. 24.

terminum, sempiternæque felicitatis initium mortem reputans, ad Dominum toto corde anhelabit. Sic tandem, suggerente Sacerdote, hos sibi sensus proprios faciet: *Quandò erit ut molestum corporis hujus pulverem excutiam? Quandò erit ut anima mea, carneo exuta vestimento, in Dei sinum evolet, ubi voluptatis torrente inebriata, beatitudinem in suo fonte gustet inexhaustam?*

PRÆTEREA moribundo ingens pietatis adjumentum accedet, solariumque singulare, si Sacerdos huic breviter meditandum proposuerit *attritum propter scelera nostra* JESUM CHRISTUM (*x*), ipsius *agoniam* in monte Olivarum (*y*), ac deindè cruentam in Ara Crucis immolationem. Hinc profectò exoptabit æger ei conformis inveniri, non solo quidem corporis dolore, verùm etiam pœnitentiâ cordis propter delicta sua, sicut ille propter iniquitates nostras tædio, pavore, mœstitiâ laboravit (*z*), *& tristis fuit anima ejus usque ad mortem* (*a*); ac prætereà consensione voluntatis suæ cum decreto Patris cœlestis, undè cum Christo dicat amantissimè: *Pater, non mea voluntas, sed tua fiat* (*b*). Qui scopus facilè obtinebitur, sub moribundi oculos expositâ JESU Crucifixi effigie; cujus ad aspectum, hæc, proponente Sacerdote, dulcissima verba suspiret: *Ecce Deus Salvator meus; fiducialiter agam & non timebo; quia fortitudo mea & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem* (*c*). Nec solo intuitu corporali signum salutis contempletur: » internis (quo- » que) luminibus inspiciat vul- » nera pendentis, sanguinem mo- » rientis, commercium redimen- » tis (*d*). Caput habet inclinatum » ad osculandum, Cor apertum » ad diligendum, brachia extensa » ad amplectendum, totum corpus » expositum ad redimendum. « Hæc cùm libentiùs animo intueri videbitur, ei ad osculum porrigatur JESUS Crucifixus. » Ubi enim » tuta firmaque infirmis (& mo- » rientibus) securitas, nisi in vul- » neribus Salvatoris (*e*)? Cùm se- » mel ad ipsius latus venerit, non » sinat ab eo se facilè avelli: ibi » aperta est urbs refugii, patent » viscera misericordiæ Dei nostri » (*f*). Delectetur ibi quiescere, » orare; ibi loquatur ad Cor ejus, » & ab ipso, quod voluerit, im- » petrabit (*g*) «.

Dum autem Sacerdos Crucem moribundo porriget osculandam, comitem adjunget considerationem aliquam, sive aspirationem brevem, sed teneram & ignitam; cujus ope gaudeat JESUM patientem

(*x*) *Is.* 53. 5.
(*y*) *Luc.* 22. 43. 44.
(*z*) *Marc.* 14. 33. *Matth.* 26. 37.
(*a*) *Matth.* 26. 38.
(*b*) *Luc.* 22. 42.
(*c*) *Is.* 12. 2.
(*d*) *S. Aug.* de sancta Virgin. *c.* 54.
(*e*) *S. Bern.* in Cant. 61.
(*f*) *Idem*, de Pass. Domini.
(*g*) *S. Bonav.* de stim. amoris, *part.* 1. *c.* 1.

recordari, ſpem in ejus meritis firmiter collocare, illum denique unum ſalutis auctorem cum fiducia invocare. Tum verò, admonente Paſtore, ſeſe per frequentes mentis & cordis elevationes Deo commendet; B. Mariam Virginem Deiparam, *matrem gratiæ, matrem miſericordiæ*, potentiſſimam *in hora mortis* adjutricem invocet; Angeli Cuſtodis, & Patroni ſui, atque omnium Sanctorum imploret ſuffragia.

Id autem Parochus tunc maximè caveat, quod jam erga Fidelem lethali morbo affectum admonuimus, ne ſermone longiore, ne altiore vocis ſono, vel repetitione frequentiore *oneroſum* ſe moribundo *conſolatorem* præbeat (*h*). Quem *circumdant* eheu! *dolores mortis* (*i*), hic certè obrutus ac penè deficiens, exhortationem ferre continuam non poteſt. In extremis morbi anguſtiis incredibile dictu eſt quàm fractum ac debilitatum ſit auditûs organum; cui parcere ſi non curet Sacerdos clamoſus aut verboſus, periculum erit ne moribundus impatiens exaſperetur. Tunc igitur apud ipſum non ſonet vox niſi lenis, demiſſa, interrupta.

Quòd ſi ſentiat Parochus, vel, hoc abſente, moribundo aſtantes, verba ſalutis prudenter miniſtrata, nedùm ei ſint incommodo, ejus pietatem, è contrario, fovere, ipſique conſolationem ac pium audiendi ſermones Dei ardorem afferre; coram illo inſtitui poterit aliqua rerum divinarum lectio, quam identidem ſilentio intermitti oportebit, ne ipſe, quod ſummoperè cavendum eſt, fatigetur. Et quidem in eo ſtatu nihil *Paſſione Chriſti* utilius audire poteſt ac meditari. Quanquàm nihil vetat quominùs, juxta ipſius captum ac diſpoſitiones, eidem legantur Scripturæ ſacræ ſelecta quædam Capita, ipſiuſque neceſſitatibus convenientia; aut etiam alii Libri piè conſcripti, intermixtis conſiderationibus quibuſdam brevibus & vividis, quas ipſe ſibi accommodare facilè poſſit.

CÆTERUM, quantacumque diligentiâ juvandis morientibus invigilent Paſtores, cùm univerſæ Parochiæ debitores ſint, eos tam ſæpè viſitare, iiſque tamdiù aſſidere non poſſunt, quàm fortaſsè, pro ſuâ charitate, optarent. Eligant igitur in ſua quiſque Parochia inſignes pietate & proximi dilectione viros aut fœminas, quos multâ curâ edoctos habeant tanti muneris adjutores. Ut verò, tum Parochis & Vicariis, tum iis quibus ſe in neceſſitate ſuppleri curabunt, planior fiat modus juvandi morientes; in Paſtoralis hujus Parte Rituali deſcripta occurrent exempla variorum Actuum, quibus expedit moribundos in virtutibus Chriſtianis exercitari, ut in alicujus virtutis actu ex hac vita diſcedant. Nec ſoli inveniuntur Actus virtutum quæ iiſdem ſuggerendæ ſunt; verùm etiam incitamenta quibus ad eas

(*h*) *Job*, 16. 2. (*i*) *Pſ.* 114.

uſque

usque in finem colendas feliciter adducantur. Ex iis autem seliget Pastoris prudentia, quod moribundi cujusque ingenio, captui, dispositionibus congruum magis fore videbitur.

Cum moribundus in supremum agonem vergit, eum hortetur Sacerdos ut in spiritu amoris & obsequii suam Creatori animam resignet. Interim ipse cum astantibus pulcherrimâ illâ & tam profundo sensu imbutâ precatione animam ejus Deo commendabit: cui *Commendationi*, si ferat moribundi status, pium aliquid & consolatorium intermiscebit, modo scilicet orationi jaculatoriæ simillimo (*k*). Posteà moribundus, quantùm poterit, Nomen Jesu sanctissimum vivâ pietate ac fiduciâ, si minùs ore, saltem corde invocet; eique proponatur Indulgentia plenaria quam indè consequi potest, si sit modo requisito affectus ac dispositus (*l*). Quòd si viderit Sacerdos animam in proximo exitu laborantem; adhibitis identidem Aquæ-benedictæ aspersionibus, breves aspirationes, quamvis loqui desierit moribundus, eidem voce mediocri suggeret, quoadusque extremum spiritum efflaverit: Crucem ipsi frequenter osculandam porriget; quo quidem subsidio efficere studebit ut ille in interno Salvatoris amplexu moriatur. Exeunte animâ, Nomen Jesu iterùm atque iterùm auribus insusurrare non omittet, omnibus qui aderunt, in genua provolutis, atque orationi ardenter instantibus.

Quæcumque autem morienti applicanda sit Indulgentia, curabit Sacerdos ejusmodi gratiam & conditionem quâ possit illam consequi, ei reducere in memoriam, cùm adhùc mente & sensibus integris vigebit. Atque ut illam ipsi largiatur, quàm poterit diutissimè post administrata extrema Sacramenta expectet; non tamen usque ad supremum animæ exeuntis anhelitum cunctetur.

Quod spectat benedictionem cum Indulgentia plenaria concedendam Fidelibus in mortis articulo constitutis, juxta Constitutionem Benedicti Papæ XIV, quæ incipit *Pia mater Ecclesia*, datam Romæ 5 Aprilis 1747, & cujus concedendæ formulam ab eodem summo Pontifice præscriptam in tertio Pastoralis hujus Volumine suppeditabimus; observanda sunt ea quæ sequuntur. Primò nullus Sacerdos præfatam Indulgentiam applicare potest, nisi fuerit ad hoc specialiter delegatus: 2°. Necesse est ut æger priùs Sacramentali Confessione mundatus & sacrâ Communione refectus fuerit: 3°. Si æger sit mentis compos, studeat Sacerdos eum excitare ad novos de admissis peccatis Actus doloris emittendos, concipiendosque ferventissimæ in Deum charitatis affectus, præsertim verò ad ipsam mortem æquo animo de manu Domini suscipiendam; hoc enim maximè opus in hujusmodi articulo constitutis à summo Pontifice injungitur, per quod se ad Indulgentiæ fructum consequendum præparent: 4°. Si æger linguæ & sensuum usu sit destitutus, vel in delirium aut amentiam inciderit; Indulgentia nihilominùs ei poterit applicari, modò eam, dum sanâ mente integrisque sensibus ef-

(*k*) Vide *Tom. III*, ubi describitur *Modus juvandi morientes.* (*l*) Ibid.

set, postulaverit, aut verisimiliter postulaturus fuisse judicetur.

Cùm anima diuturno *agone* conflictatur, nec Pastori vacat diutiùs apud moribundum remanere; eum nihilominùs quàm poterit sæpissimè invisat, ut pro ipso fundat aliquas preces, eum Aquâ-benedictâ respergat; eademque, se absente, à præsentibus observari provideat. Eum absentem suppleant viri aut mulieres pietatem colentes, qui pro moribundo sæpiùs orent, ac religiosis cogitationibus laborantem animam sublevent, si tamen ille non omni sensu destitutus videatur.

Ubi autem viget hæc pia consuetudo, pulsetur aliquot ictibus Ecclesiæ Parochialis Campana, ut Fidelibus incolis significetur *agonizantis* labor, sicque admoniti pro ipso Deum rogare possint, eo ipso quadraginta dierum Indulgentiam consecuturi, etiamsi solam Orationem Dominicam cum Salutatione Angelica pro moribundo semel recitaverint (*m*). Attamen modò dicta Campanæ pulsatio ab hora octava serotina usque ad quartam matutinam omittatur.

Recitata *Commendatione agonizantis*, omnique in eum impleto pietatis officio, postquàm egressa fuerit anima, Sacerdos Aquam-benedictam corpori insperget; flexisque genibus, animam supremo Judici commendabit, cujus in conspectum statim venit, *sequentibus operibus suis* (*n*). Dum illam *Commendationem* recitabit, comitem intentionem ac pietatem adjungent astantes in genua similiter provoluti. Ipse autem Pastor ad eos conversus, breviter admonere poterit quàm fragilis sit vita humana, quàm caduca hujus seculi bona; atque ex eo lugubri spectaculo inferet quantæ sit necessitatis sese ad mortem, eâ fortassè quâ non putatur horâ venturam (*o*), piâ vitâ bonisque operibus præparare. Nec priùs discedet, quàm defuncti propinquos & familiares paucis consolatus fuerit. Quantùm sinet rei veritas, consolationis argumentum sit laudabilis vita quam duxit propinquus aut familiaris vitâ functus, pietas & religio quâ suscepit extrema Sacramenta, patientia quam in tolerandis morbi doloribus & angustiis exhibuit; undè sperandi locus sit Deum cum ipso misericorditer esse acturum, nec mediocriter profutura suffragia, quibus Ecclesia sempiternam ei quietem apprecabitur. *Nec* verò ipsi *contristentur sicut & cæteri qui spem non habent* (*p*). « Fleant mortuos suos, qui putant » mortuos : ubi resurrectionis fides » est, non mortis est species, sed » quietis (*q*). Ne itaque intueantur » eum cujus clausi sunt oculi, qui » mutus jacet; sed eum qui resur» get, & accipiet gloriam ineffabi» lem, stupendam mirabilemque ; » atque à præsenti hujusmodi aspe» ctu cogitationes transferant in spem » futuram (*r*). »

Corpus exanimum eâ quâ decet

(*m*) Vide *Tom. III*, *ibid.*
(*n*) *Apoc.* 14. 13.
(*o*) *Luc.* 12. 40.
(*p*) 1. *Thess.* 4. 12.
(*q*) *S. Ambr.* in Luc. *lib.* 6. *n.* 60.
(*r*) *S. Chrys. Hom.* de dormient. *Ed. Ben.* §. 1.

honestate componatur: os & oculi claudantur. Tum justæ, à decessu, dilationis observato intervallo, corpus sindone vestitum feretro includatur, & in loco decenti usque ad horam sepulturæ collocetur, admotâ Jesu Crucifixi effigie, collucentibus hinc & hinc Cereis duobus: adsit etiam Aqua-benedicta in Vase cum Aspergillo. Tum, si à Parocho id postulent propinqui vel familiares, aliquot Sacerdotes, Religiosi vel Clerici, defuncto advigilabunt in orationibus, donec sepulturæ mandetur. Ii porrò quibus id muneris impositum fuerit, eâ modestiâ & gravitate se gerant, ne vilescat ministerii sui dignitas. Curent etiam diligenter ut mortuo subsidium, vivis autem solatium simul & exemplum afferant. Deficientibus Clericis, recèns mortuum custodiant, si fieri possit, pii quidam Laïci.

CAPUT II.

De mortuis non justo citiùs ad sepulturam efferendis.

Funerandi properationem impugnat humanitas & Religio. Longa animi defectio, mortisque similitudo illudens. Pastoribus quid sit providendum, ne vivi pro mortuis tumulentur. Qui asphyxiâ *laborant, inventis ad hoc subsidiis juvandi. Qui mortui videntur, quàm tardissimè feretro includendi. Quædam in Nosocomiis pravè usitata. In parvulos non minùs quàm in adultos adhibenda cautio, ne in speciem duntaxat mortui sepeliantur. Curandum Pastoribus ut tradita præsenti Capite documenta populis innotescant, & ab omnibus ad quos pertinebit, observentur. Quàm inconcussè ipsimet nullam sepulturam justo citiùs exequi debeant. Exempla prudentiæ omnibus Pastoribus imitanda.*

Plurimis in locis viget mos longâ hominum inconsideratiâ firmatus, mos non raró exitiosus, & utriusque Potestatis auctoritate coërcendus, nimia scilicet tumulandi festinatio. Non erit quidem ab instituto nostro alienum, si adversùs properata funera, præeuntibus Chirurgorum Medicorumque celeberrimorum reclamationibus (*a*), vocem extollamus civicæ pariter & Christianæ charitatis, ut suadet naturæ vindex atque humanitatis amantissima Religio.

Moribundum verè absolutèque

(*a*) *MM. Winslou, Bruhier, Louis, &c.*

interiisse non semper certum est, quamvis extremum spiritum exhalare visus fuerit. Ut enim observârunt Medici & Chirurgi peritissimi, complures morbi longam inducunt animi defectionem mortisque similitudinem, quam *Asphyxiam* (*b*) vocant. Siquidem, inquiunt, ex interclusa respiratione suspensâque sanguinis circulatione non semper sequitur aliquem certò esse vitâ privatum; falsamque mortis similitudinem efficere potest universa in spirituum humorumque per totum corpus fluentium motibus organicis obstructio, quâ quidem cessante, ut possibile est, in integrum restituuntur functiones vitales. Hinc multi, cùm expirare visi fuissent, vitæ signa ediderunt, quinimò prosperam valetudinem recuperârunt. Multi etiam (infandum! quod tamen aggeratis in dies exemplis constat) multi qui malè crediti fuerant verè mortui, eheu! crudeli festinatione vivi tumulati sunt: neque omnes, ut temerè à plerisque existimatur, in funereis linteis, aut feretro, vel demùm injectâ humo suffocati & exanimati (quod etiam inhumanissimum foret); sed, quo vel cogitato infremit & cohorret natura, non pauci sub alta terra defossi, quatuor & viginti horas cum morte luctantes & membra sua devorantes vixerunt. Hùc accedit quòd quidam, cùm justo citiùs secarentur, apertis visceribus, sub Chirurgi scalpello palpitantes victimæ, miserrimum in modum expergefacti sunt ut verè atque atrociter morerentur, qui, oculos fallente *asphyxiâ*, mortui imprudenter judicati fuerant (*c*). Summi autem in rebus medicis & chirurgicis viri, nullam admittunt mortis certitudinem, nisi aliquod incœptæ putredinis signum adsit evidenter (*d*).

Videant igitur, pro sua humanitate & pietate, hujus Diœcesis Pastores, ipsorumque adjutores Presbyteri, ut nemo sepeliatur (prout Civilibus Sanctionibus fuit sapienter constitutum) nisi elapsis ab eo qui verus putabitur, animæ excessu, horis saltem quatuor & viginti, consuetis in casi-

(*b*) Ασφυξία, *defectio pulsûs in toto animali.*

(*c*) Voy. M. Bruhier, *Mémoire présenté au Roi sur la nécessité d'un Réglement général au sujet des enterrements & enbaumements*, en 1745; & *Dissertation sur l'incertitude des signes de la mort*, imprimé en 1749, 2 vol. *in*-12. Voy. aussi M. Louis, *Lettres sur la certitude des signes de la mort, contre M. Bruhier*, imprimées en 1752, *in*-12.

(*d*) Mémoire *sur le danger des inhumations précipitées, & sur la nécessité d'un Réglement pour mettre les Citoyens à l'abri du malheur d'être enterrés vivans: dans lequel on rapporte des observations de personnes enterrées & ouvertes vivantes, ... & de plusieurs autres qui ayant été réputées mortes pendant long-tems, sont revenues à elles, soit naturellement, soit par les secours qu'on leur a donnés.* Par M. Pineau, Doct. en Méd. Niort, 1776.

Voy. le *Cathéchisme sur les Asphyxies*, par M. Gardane; imprimé par ordre du Gouvernement: Paris, Valade, 1781.

Instructions pour les Personnes qui gardent les Malades; chez Didot le Jeune, Quai des Augustins.

bus; horis autem ad minimum octo & quadraginta, in casibus repentinæ mortis, vel eos sequentis morbos qui longam inducere solent mortis similitudinem: quales sunt lethargia, apoplexia, sanguinis aut ventris vehemens profluvium, nimius vomitus; vel in casibus mortis è veneno provenientis, è gravi lapsu, algore, sanguinis detractione, vini fermentantis, carbonis, aut mephitis cujuslibet vapore; aliisve similibus. Sæpiùs enim, in hujusmodi casibus, nihil est aliud præter sensuum stuporem universum, à quo post dies duos, tres, aut etiam plures, vel sponte suâ, vel curis adhibitis, aliquandò excitantur qui ipso premuntur. Itaque censent Medici sepulturam, prædictis in casibus, ultra duos dies esse protrahendam; nisi quis velit hominem forsitan vivum atque in feretro ad quatuor pedes subterraneo horrendè evigilaturum tumulare.

Atque utinam otiosa non foret illa cunctatio, & præstò essent qui remedia in subsidium naturæ inventa ministrarent, carbonis vapore, aliterve suffocatis, vel quocumque alio gravi casu improviso perculsis; aut in quibus, laborante stomacho, animi defectione, vel præpeditis ducendi spiritûs organis, interclusus esset vitalis motus (e)! In eos pariter qui submersi undis fuêre, magnâ circumspectione utendum est, ne pro morte habeatur interclusa respiratio suspensaque sanguinis circulatio. Quod Regiâ in Urbe felici experientiâ tentatum est ut ad vitam revocarentur qui post submersionem nullum vitæ signum gerebant, id summâ diligentiâ, occurrente simili casu, aliis pariter in locis tentetur, juxta modum publicæ Administrationis jussu per singulas Parochias vulgatum (f). Sic videlicet Ecclesiæ & Societati plerumque homo servabitur, cui sepulcrum

(e) *Étrennes d'un Médecin*, ou *Étrennes de Santé*, *petit vol. in-16*, où l'on donne des moyens sûrs de remédier promptement aux différens accidens qui menacent la vie, tels que ceux qui sont causés par les poisons, les vapeurs vénéneuses, &c. & à une foule d'incommodités dont on est journellement attaqué. *Chez les différens Libraires de Paris.*

L'Auteur a porté sur-tout son attention à faire connoître les secours que l'expérience a indiqués contre les évanouissemens souvent mortels, occasionnés par les vapeurs du charbon, des souterrains, du vin en fermentation, &c.

Quant à ceux qui ont été suffoqués par la vapeur du charbon ou de la braise, quoiqu'ils se trouvent absolument sans pouls & sans respiration, il est démontré par des expériences récentes & bien constatées, qu'on les rappelle à la vie en suivant le traitement que M. *Portal* conseille dans son *Rapport à l'Académie Royale des Sciences.* On dépouille de tous ses vêtemens le corps qui paroît sans vie, & on l'étend sur le carreau, les fenêtres ouvertes, même dans les froids les plus rigoureux: on le baigne d'eau froide; & on lui fait flairer ou avaler du vinaigre. Il faut quelquefois continuer le traitement pendant plus de trois heures, & la personne suffoquée revient à elle par des gradations insensibles. Voy. les *Étrennes de santé.*

(f) Les personnes qui se trouvent trop long-tems sous l'eau, ne peuvent y respirer, & elles étouffent bientôt. Si, sentant que leur respiration va leur manquer, elles font le moindre effort pour respirer, l'eau entre dans la *trachée-artère* & dans les *vésicules pulmonaires*; & nécessairement ces

paraſſet inconſulta atque inhumana celeritas. De his autem omnibus, datâ occaſione, incolas ſuos admonere non omittant Parochi, Religionem humanitati beneficam, nec ſolùm animarum, ſed etiam corporum ſervatricem eſſe, curis quas ipſa ſuggerit, amiciſſimis comprobantes.

NE autem ea quam hìc ſuggerimus, prudentis circa ſepulturas cunctationis providentia in irritum cadat, aliud eſt malum prævià cautione tollendum. Scilicet, cùm anima corpore digreſſa exiſtimatur, tanta ſæpiùs tamque imprudens ſepeliendi feſtinatio eſt, ut exiguo pòſt intervallo corpus funereis linteis involutum feretro condatur. Fieri tamen poteſt ut pro morte habeatur lethargica debilitas, vel apoplecticus ſtupor, tuncque ſuffocetur qui mortuus malè credatur: at certè, hic ſi fortè adhùc viventem ſe aliquo ſigno demonſtraret, id profectò cernere jam nemo poſſet, niſi motu vel queſtu aſtantium curam efficaciter in ſe converteret, ut contigit aliquandò. In quibuſdam Regni hujuſce Chriſtianiſſimi Urbibus (*g*), morem illum humanitati uſque adeò repugnantem haud ita pridem cohibuit Magiſtratuum vigilantia. Hi nempè ſtatuerunt, ut quicumque miniſtrant Infirmis, eos in cubilibus coopertos relinquant, poſtquàm exiiſſe animam putaverint. Corpora autem prohibuerunt feretris includi

---

perſonnes ſont ſuffnquées & meurent apoplectiques, ſi l'on ne parvient à les retirer de l'eau aſſez à tems pour les ſecourir.

Les ſecours qu'on adminiſtre en pareil cas, conſiſtent à tranſporter au plutôt le noyé dans une maiſon, à le déshabiller promptement, s'il y a lieu, à l'eſſuyer avec des linges bien chauds, à le réchauffer, à le rouler doucement dans le lit, à lui ſnuffler dans le nez des poudres pénétrantes, à lui frotter les narines, les tempes, la foſſette du cou, la paume des mains & des pieds avec des eaux ſpiritueuſes, telle que l'eau *de la Reine de Hongrie*, l'eau *de Cologné*, & ſur-tout à lui ſouffler à pluſieurs repriſes de l'air chaud dans la bouche, en lui ſerrant les narines, à faire entrer dans ſes narines de la fumée de tabac, à lui faire avaler quelques cuillerées d'eau-de-vie camphrée, & à lui en faire des frictions, &c. Voy. les *Etrennes de ſanté*.

Ces ſecours ſemblables à ceux que la Ville de Paris fait adminiſtrer aux perſonnes noyées, & dont le ſuccès conſtant ne peut être révoqué en doute, s'adminiſtrent plus facilement moyennant une Boëte qui contient une nouvelle pipe pour injecter la fumée de tabac, un tuyau pour ſouffler dans la bouche du mort apparent, & un flacon d'eau ſpiritueuſe; avec une inſtruction, dans laquelle ſont expoſés la maniere d'en faire uſage, & d'autres moyens d'une efficacité reconnue.

L'inſtruction & la boëte ſe trouvent à Paris, chez *Ruault*, Libraire, rue de la Harpe, & ſe vendent douze livres, francs de port pour tout le Royaume.

Voy. le *Détail des ſuccès de l'établiſſement de la Ville de Paris, en faveur des perſonnes noyées*: par M. *Pia*, ancien Echevin de Paris; chez *Lottin l'aîné*, rue S. Jacques.

Il ſera de la charité de MM. les Curés de faire connoître ces ſecours, & d'en recommander l'uſage; comme auſſi de s'élever contre la méthode meurtriere, employée communément par le peuple, de ſuſpendre les noyés par les pieds. Il eſt prouvé par des expériences inconteſtables, que ce qui fait périr les noyés, n'eſt pas la petite quantité d'eau qui entre dans leur eſtomac, mais l'interruption, & bientôt après l'entiere ſuppreſſion de leur reſpiration.

(*g*) *Atrebate*, *Andegavi*, *&c.*

ante horas à decessu triginta, aut etiam triginta sex, erga illos qui subitâ morte, vel repentino ac violento morbo interierint. Tametsi ad universam Galliam nondùm pertinet tam sapiens Constitutum, eam tamen humanitatis curam gerant hujus Diœcesis Pastores, ut illud (quantùm penès ipsos fuerit, & quantùm prudenter fieri poterit) in suis quisque Parochiis observari curent. Et quidem satius foret ut quicumque visi fuissent extremum spiritum exhalare, indusio (1) non exuerentur, nec funereis linteis involverentur, neque straminí imponerentur, neque feretro includerentur, nisi horâ, ut plurimùm, dimidiâ ante tempus ad Exequias præstitutum; & eòusque in lecto, prout morientes jacuissent, calidi relinquerentur; ad quod utique summoperè cohortandæ ac vehementer impellendæ sunt utriuslibet sexûs personæ quæ Infirmis ministrare solent atque agonizantibus assistere.

Tam sapienti cunctationi olim in Italia præluserat S. Camillus *de Lellis* (*h*). Qui nempè cùm in Nosocomiis homines aliquandò non mortuos tumulari comperisset, Clericis suis Regularibus, *Servis Infirmorum*, præcepit ut pro agonizantibus preces fundere pergerent, vel postquàm ii animam efflare visi fuissent; nec sinerent ut confestim ipsis vultus tegeretur, quod semper anteà factum fuerat (*i*).

Ex dictis, humanitati & Religioni summoperè consentaneum est, ut, tum in privatis domibus, tum in publicis Valetudinariis, nullum corpus linteis funereis involvatur nec feretro includatur statim atque videtur esse mortuum, interponaturque mora sufficiens, vel ultra horas triginta sex; nisi molles, infuscati atque extincti oculi, corporis gravitas, & membrorum rigor inflexibilis, nec tamen spasticus (2), certa atque indubitata mortis indicia exhibeant (*k*). Quod quidem præcipuè erga eos observetur, quos oppressit gravis lethargus, aliusve hujusmodi morbus longum stuporem sensuum inducens. Quamvis enim in ipsis nullus calor aut venæ salientis pulsus jam superesse videatur; attamen, post aliquot dies, quasi de somno quodam altissimo interdùm evigilant. Quæ dilatio nisi prudenter in his & similibus casibus adhibeatur, mors, si nondùm venerit, approperabitur (quod inhumanum), aut etiam fortassè vivi pro mortuis tumulabuntur, quo nihil atrocius factu, nihil horribilius cogitatu est, & tamen haud rarò factum inconsideratè, & sæpiùs quàm creditur etiamnùm fieri constat (*l*).

(1) Chemise.
(2) Convulsif.

(*h*) Obiit Romæ, 14 Julii 1614; & inter Sanctos relatus est à Bened. XIV, an. 1746.

(*i*) Voy. les *Vies des Saints*, par M. l'Abbé Godescard, Chan. de S. Honoré, nouv. éd. Paris, Barbou, 1784: Tom. VI, pag. 235.

(*k*) *Lettres sur la certitude des signes de la mort*. Par M. *Louis*, Secret. de l'Acad. Roy. de Chirurg.

(*l*) Hìc pauca excerpere juvat è Scripto cui titulus: *Réflexions sur le triste sort des personnes qui, sous une apparence de mort, ont été enterrées vivantes; & sur les moyens*

Inter cæteros autem adulros diligenter est cavendum ne adhùc vivi sepeliantur senes. Plerique enim gravissimo sopori obnoxii sunt, animique defectionibus nonnunquam ad mortis similitudinem proximè accedentibus: præterquàm quòd morbis *asphyxiam* inducentibus non sunt immunes.

Nec minor adhibenda est cautio erga fœminas in partu laborantes, aut puerperas; quarum summa debilitas aliquandò in illum abit sensuum stuporem, ita ut mortuæ videantur, & tamen adhùc vivant.

Sunt porrò quædam in publicis Valetudinariis, ut perhibent, fieri solita, quibus jamdiù reclamat graviter læsa humanitas & Religio; quæ proindè non possumus quin hìc attingamus. Ibi scilicet invaluisse dicitur hic usus pessimus, ut, cùm primùm vitâ excessisse videtur aliquis, imò priusquàm supremum spiritum exhalare visus fuerit, lecto festinanter detrahatur, atque in cellam mortuorum transferatur, mensæque imponatur lapideæ, injecto linteo, donec efferatur ad sepulturam, quod quidem non raro paucis fit horis elapsis. Nefas est ullum tumulare mortuum cui superfit aliquid caloris; hinc in Nosocomiis corpora mensis lapideis imponuntur (*m*). Sic videlicet (miserum!) ne quis, nondùm extincto vitali calore, sepeliatur, mortis frigus acceleratur; vel forsitan adhùc vivus, & sub alta terra moriturus homo tumulatur, nisi sat citò editis vitæ signis ex hoc tremendo periculo eripiatur, ut quibusdam feliciter contigit. De his (si sit locus) Presbyteri opem spiritualem ægrotantibus fe-

qu'on doit mettre en usage pour prévenir une telle méprise: ou, *Précis d'un Mémoire sur les causes de la mort subite & violente; dans lequel on prouve que ceux qui en sont les victimes, peuvent être rappellés à la vie*. Par M. *Janin*, Oculiste de la Ville de Lyon, & du College Royal de Chirurgie de Paris, &c. 1772.

Tous les hommes y ont un égal intérêt.
Le Chanc. Bacon.

L'Auteur cite l'exemple d'un jeune homme qui s'étoit pendu de désespoir, & auquel il avoit administré des secours efficaces. Il n'admet que deux causes générales qui peuvent nous priver de la vie: la première, la perversion ou putridité totale des humeurs; la seconde, la destruction de quelque viscere ou organe principal, ou bien une grande lésion dans ces parties, enfin l'embarras où elles peuvent être par quelque cause que ce soit. L'Auteur conclut delà, que toutes les fois qu'une de ces causes n'a pas lieu, il est possible de faire respirer de nouveau un homme qui a perdu le jeu des organes de la respiration. D'après ce principe, on conçoit qu'une multitude d'infortunés ont dû être les victimes de la précipitation avec laquelle ils ont été enterrés.

Parmi les traits analogues à ce sujet, l'Auteur n'a pas oublié la triste fin du Cardinal *Spinosa*. Il tombe en syncope, on le croit mort, on s'empresse de l'ouvrir pour l'embaumer; ses poumons étoient à peine découverts, qu'on s'apperçoit que son cœur palpite; & cet infortuné, revenu à lui, eut assez de force pour porter la main jusques sur le scalpel du Chirurgien qui le disséquoit, & le repousser; mais il n'étoit plus tems, le coup mortel étoit porté.

Voy. le *Mémoire sur le danger des inhumations précipitées*.

(*m*) M. Bruhier, *Dissert. sur l'incert. des signes de la mort*, tom. 2.

rentes,

rentes, prudenter eos admonere poterunt ad quos pertinet Noſocomiorum Adminiſtratio, & directio charitatis, quæ aliàs tam multa tamque admiranda (præſertim Regiâ in Urbe) ſolet apud illa humanitatis patientis hoſpitia vigere.

Nec verò exiſtiment Paſtores cæterique viri Eccleſiaſtici Nos falſis inniti documentis, aut vanis decipi terroribus, ut tantam adversùs properata funera ſuggeramus cautionem. Clamante humanitate, clamante Religione, non poſſumus quin abſolutiſſimam hac in parte curam ac diligentiam eorum prudentiæ & charitati vehementer in Dominó iterùmque iterùmque commendemus. Hæc enim, ut docent Medici Chirurgique celeberrimi, pro certis omninòque indubitatis habenda ſunt: 1°. Multis vita ſupereſt, qui jam expiraſſe creduntur. 2°. Non omnia providentur & præcaventur quæ ſuggerit prudentia & charitas, ut non dubia cenſeri poſſit mors eorum qui extremum ſpiritum efflare viſi ſunt. 3°. Qui moribundis aſſiſtunt, & mortuos funereis linteis involvunt, cùm ſigna mortis quænam vera ſint, ignorent, falsâ ſimilitudine in errorem induci facilè poſſunt. 4°. Diuturna eſſe poteſt *aſphyxia*. 5°. Dilatio unius diei conſuetis in caſibus, duorumve dierum, in caſibus extra ſolitum ordinem poſitis, non ſemper ſufficit, ut tutò ſepeliantur vel à Chirurgo ſecentur ii qui mortui judicantur. 6°. Vivus ſi quis tumulatus fuerit, is quidem (à quo ſibi fingendo mens refugit) in hoc tam deplorando tamque horrendo ſtatu poteſt non mortuus plures dies permanere. Hæc paſſim exploratiſſimâ comperta ſunt experientiâ. Et quiſquam poſteà dubitabit moram ſepeliendi trahere ſatis longam, ne pater aut mater, ne frater aut ſoror, ne maritus aut uxor, ne filius aut filia, ne propinquus aut amicus, quid plura? ne homo ſuî ſimilis, forſitan vivus ad quatuor pedum altitudinem defodiatur? Quaſi verò non ſit multò ſatius in tam gravis tamque formidandi momenti negotio milliès adhiberi ſupervacuam diligentiam, quam ſemel prætermitti neceſſariam!

Nec quiſquam putet minorem in parvulos tam citò mortuos quàm natos, vel nondùm pueritiâ egreſſos, curam aut cautionem requiri. Hi enim non minùs quàm adulti, *aſphyxiæ* obnoxii ſunt; atque etiam incredibile dictu eſt quot infantes non verè mortui quotidiè tumulentur, dum in praxim redigitur id quod plerique falsò exiſtimant, licitam eſſe, poſt duodecim horas à deceſſu, parvuli cujuſque ſepulturam. Quòd ſi igitur maxima in adultos requiritur circumſpectio, ne citiùs linteis funereis involvantur ac tumulentur, dum, in ſpeciem mortui, curis opportunè peritèque ſubminiſtratis ad vitam revocari poſſunt; eadem certè in ipſammet infantilem ætatem non minùs diligenter exerenda circumſpectio eſt: in hac enim, ſæpiùs quàm putatur, illudit mortis ſimilitudo. Quod ſpectat parvulos naſcentes, parturientium adjutricibus quid ſit obſervandum, ſuo loco ex-

posuimus (*n*). De infantibus aliquot dierum, mensium vel annorum, æquè ac de adultis, eos verè mortuos esse, quia mortui videantur, non temerè pronuntiandum est. Alii retro inclusi, alii ad sepulturam elati, quidam in scrobem jam demissi, viventes se, edito signo vel clamore, demonstrârunt (*o*).

(*n*) Append. Bapt. *cap.* 6.

Novis quotidiè experimentis clariùs innotescit, infantes qui nascendo mortui videntur, sæpè ad vitam revocari posse: cujus rei gratiâ, humanitatem scilicet, atque adeò Religionem afficientis, hic factum exscribemus publicè vulgatum.

» On mande de Lyon que, le 15 Janvier dernier (1775), une femme en couche, ayant vainement souffert pendant deux jours les douleurs de l'enfantement, le sieur *Faissole*, Chirurgien du Roi en cette Ville, qui avoit été appellé auprès d'elle, fut obligé de se servir du *forceps* pour sauver cette femme & son fruit. A huit heures du soir, il la délivra d'un enfant sans mouvement, sans pouls, qui avoit le visage de couleur violette foncée, & que ce Chirurgien crut mort. Il ordonna de faire chauffer du vin, & après avoir soigné la mere, il alla au secours de l'enfant, auquel on avoit déjà administré inutilement plusieurs remedes. Il le plongea dans du vin tiéde animé avec de l'eau-de-vie, & lui souffla dans la bouche autant d'air que ses poumons lui en purent fournir. Dix minutes s'étant écoulées sans succès, il insista sur ce traitement, en faisant respirer à l'enfant de l'eau *de Luce* & du vinaigre *radical*, & en le tenant toujours dans le vin tiéde, & continuant les frictions. Environ une demie heure après, il sortit de la bouche de cet enfant beaucoup d'eau écumeuse; on lui sentit quelques légers battemens de cœur, & au bout de trois quarts d'heure il s'annonça lui-même par un cri. Il se porte aujourd'hui très-bien, & il est nourri par sa mere. Cette méthode pour rappeller à la vie des enfans qui paroissent avoir été suffoqués au passage, a également réussi plusieurs fois à un Chirurgien de Paris. Le sieur *Portal* dans son *Rapport à l'Académie Royale des Sciences sur les suffoqués*, en a aussi parlé de la sorte: *Nous dirons ici en passant, que nous avons soufflé dans la bouche d'un enfant qui n'avoit encore donné aucun signe de vie: à peine le souffle parvint-il dans le poumon de cet enfant, qu'on le vit mouvoir les yeux, & qu'on l'entendit tousser avec effort. Il rendit par la toux & par le vomissement, des glaires qui remplissoient* ses bronches; *& il respira ensuite avec plus de facilité.* »

(*o*) Abrégé de l'Embryol. sacrée, *l.* 3. c. 9.

Nous citerons encore ici un trait des *Réflexions sur le triste sort, &c.* » Une nourrice, dit l'Auteur, eut le malheur d'étouffer dans son lit son nourrisson. Elle me fait appeller: j'arrive; je trouve la petite victime dans son berceau sans aucun signe de vie, nulle pulsation dans les arteres, point de respiration, le visage livide, les yeux ouverts & ternes, la bouche béante; enfin il étoit presque froid. Tandis qu'on se hâtoit de chauffer des linges d'une part, & des cendres de l'autre; je le fis démailloter, & le plaçai dans un lit très-chaud, & sur le côté; on le frictionna par-tout le corps avec du linge très-fin, de crainte d'écorcher sa peau tendre & délicate. Dès que les cendres furent prêtes, je l'enterrai dedans, excepté le visage, & le plaçai sur le côté opposé où je l'avois mis d'abord; & on le couvrit d'une couverture de laine. Je m'étois muni d'un flacon d'eau *de Luce*; je lui en présentai au nez de tems en tems; & dans les intervalles on lui souffloit dans les narines quelques gorgées de fumée de tabac: à ces moyens on faisoit succéder celui de souffler dans sa bouche, en lui serrant le nez. La chaleur se ranima peu à peu: bientôt les pulsations & *l'artere temporal* se fi-

Quapropter omnes & ſinguli Paſtores Nobis in Domino ſubjecti, ea quæ de ſepulturis properatis & imminente ex iis horrendo periculo diximus, populis ſibi creditis curent innoteſcere; ipſiſque & humanitatis & Religionis flexanimâ voce admonentibus, quod in recèns defunctos cujuſvis ætatis obſervandum propoſuimus, id familiares, propinqui & amici, & quicumque moribundos curant & mortuos, ſanguinis, amicitiæ, naturæ & pietatis, Deique & hominum habito reſpectu, obſervare non omittant, vel obſervari ab iis ad quos pertinebit, provideant.

Neque ipſi Paſtores cujuſquam impulſu aut ullâ causâ moveantur, ut cuivis ſuprema Religionis honeſtamenta juſto citiùs perſolvant, etiam ut Miſſa, præſente corpore, celebretur. Quamvis enim pia & laudabilis, Eccleſiæque menti ſummoperè conſentanea ſit illa conſuetudo, cùm nihil obſtat quin pro tempore obſervetur; non tamen ſinit fas aut ratio ut qui v. g. diei Dominicæ horis pomeridianis mortuus judicatus fuerit, poſtero die horis antemeridianis tumuletur, hoc inducto nomine inconſultæ pietatis, ne Sacrificii celebratione careant Exequiæ. Tunc igitur, vel corpus in Feriæ tertiæ horas matutinas ſervandum eſt, vel, id fieri ſi non poſſit, & mors indubitanter conſtet, horis Feriæ ſecundæ pomeridianis poſt elapſas à deceſſu horas ſaltem quatuor & viginti, ſepeliendum, reſervatâ in Feriam ſequentem Miſsâ diei obitùs quaſi præſente corpore celebrandâ, omnique circa *Luminare*, aut aliud quodlibet, prorsùs amputatâ difficultate.

Abſit verò ut quiſquam Parochus, ſive gratum facere cupiens defuncti propinquis vel amicis, ſive opportunitati propriæ ſerviens, ullum nimis properè condat ſepulcro, ſicque tremendum adeat vivi alicujus terrâ obruendi periculum. Religionis Miniſtri, populorum ſint amici ac tutores; nec cujuſquam (avidi forſitan hæredis, aut malevoli cujuſvis) improbæ feſtinationi morem gerant; caveantque diligenter ne vel obſequio indebito, vel ut ſibi commodum faciant, id crudeliter peccent, quod reparari nullo modo poſſit. Quàm acerbè, quàm inſolabiliter mœreret Paſtor infelix, ſi poſteà comperiretur aliquem properantiùs ab illo humatum, medio tumuli horrore periiſſe!

Quin potiùs ubique & ab omnibus inſiſtendum eſt eorum veſtigiis, qui inter cæteros prudentiſſimi, civeſque & Paſtores optimi, ſuum nulli ſepulturæ miniſterium impendunt (cùm nihil aliundè obſtat), niſi elapſis à deceſſu horis triginta ſex aut etiam quadraginta, in conſueto rerum curſu; in caſu autem repentinæ mortis, vel eos ſequen-


» rent ſentir, la reſpiration devint toujours plus fréquente & plus libre, ſes yeux ſe fermerent & s'ouvrirent alternativement. L'enfant finit par jetter des cris en cherchant le mammelon; on le lui donna, il le prit avec avidité, & tetta comme s'il ne lui fût arrivé aucun accident. Moins d'une demi-heure de ſoins furent ſuffiſans pour le rappeller à la vie. »

tis morbos quibus *asphyxia* sæpiùs inducitur, quàm tardissimè possunt, at nunquam nisi duobus post decessum diebus omninò completis.

Utinam sese ad hanc normam diligenter componant universi Pastores! Utinam ea quæ præsenti Capite suademus, pro lege sibi assumant ii omnes qui morientibus assistunt, qui mortuos linteis involvunt, quique his justa funebria persolvunt! Sic tandem perficietur ne quisquam deinceps hominum conspectui antè subducatur, quàm de ipsius morte indubitanter constet; neque ulteriùs adeatur horrendum vivi pro mortuo tumulandi periculum.

Jam quidem apud exteros malo huic quod deploramus, intolerabili, est aliquatenùs finis impositus; strictissimèque variis in regionibus id observatur, ne quis mortuus, etiam non subito casu oppressus, duos ante dies completos ad sepulturam efferatur.





EXTREMÆ-UNCTIONIS

APPENDIX ALTERA.

DE PRECIBUS PRO MORTUIS, ET DE SEPULTURIS.

DICETUR in hac Appendice, 1°. *De Precibus pro mortuis* : 2°. *De Sepulturis* : 3°. *De loco Sepulturæ* ; 4°. *Quibus concedenda, quibus deneganda sit Ecclesiastica Sepultura* : 5°. *De Exequiis Adultorum* : 6°. *De Exequiis Parvulorum* : 7°. *De Translatione Corporis è Parochia decessûs in alienam Ecclesiam* : 8°. *De Funeribus in Parochiales Actorum Codices referendis.*

CAPUT PRIMUM.

De Precibus pro mortuis.

QUÆDAM prænotanda. Tripartita hominum post mortem conditio. Quibusnam defunctis utiles sint preces : pro quibus non oret, pro quibus oret Ecclesia. Oratio pro mortuis Traditione astruitur. Sacrificii oblatione imprimis, tum verò aliis bonis operibus adjuvantur mortui. In celebratione Missarum pro Defunctis quid sit vitandum. Officia pro Defunctis piè celebranda. Circa Fundationum *executionem quædam observanda.*

IN ordine sanctificationis humanæ ita sunt omnia providè constituta suaviterque ordinata, ita etiam omnia inter se connexa & concatenata, ut in illis admiranda quædam rerum complexio, præcelsum quoddam ac divinum propositum oculo mentis per fidem illustratæ reful-

geat. Salvator utique noster Deus & homo, dum novum conderet Testamentum, præstantissima Ecclesiæ suæ, ut jam superiùs ostendimus, reliquit subsidia, quibus homo Christianus, à primo vagitu ad extremum usque spiritum, per fluctus vitæ procellosissimæ ad portum beatæ immortalitatis quasi manu duceretur. Ecclesia scilicet, divini Sponsi depositis apud se thesauris locuples, ac de filiis suis tenerrimè sollicita ut indè gratiam hauriant copiosam atque multiplicem, nascentium curam suscipit, eos per Baptismum regenerans; viventes protegit, tuetur foverque spiritualiter per subsequentia Sacramenta, variis eorum statibus atque utilitatibus accommodata: eademque pia mater, tantorum in vivos charismatum benefica ministra, nec morientes deserit, imò etiam nec mortuos; ut potè quæ animabus *de custodia* terreni incolatûs *eductis & dilatâ spe afflictis* opitulatur (*a*), ipsamque corporum sepulturam plurimo pietatis affectu prosequitur. In quo quidem gemino argumento superest ut versemur, antequàm ad duo postrema Sacramenta, Ordinem nempè & Matrimonium, tractanda veniamus.

POSTQUAM à corpore digressus rediit spiritus ad Deum qui dederat illum, pulvis in terram suam, undè erat, revertitur (*b*). Sola autem cum suis operibus Anima in Dei conspectum veniens (*c*), statim secundùm opera sua judicatur; quæ si justa & laudabilia sint, in perpetuam visionis Dei intuitivæ fruitionem cœlo recipitur; si, è contrario, injusta & criminosa, *in caminum ignis inextinguibilis* continuò demergitur (*d*). Si quis verò ante supremum Judicem opera justa quidem perferat, non tamen satis *plena* & perfecta (*e*), ut statim *à morte transeat in vitam* (*f*); ipse non exterminium, sed expurgationem patietur (*g*), & *salvus erit, sic tamen quasi per ignem* (*h*).

Atque hæc tripartita hominum post mortem conditio, verbi divini oraculis innixa, testes habet innumeros in sanctis Patribus; quorum doctrinæ cum tota Ecclesia firmiter inhærentes, medium inter Cœli beatitudinem & Inferni cruciatus Animarum statum fide divinâ credendum profitemur, quem *Purgatorium* vocamus; in quo quidem ipsas, sive à peccatis venialibus, sive à lethalium reliquiis expiari, nemo inter Catholicos ambigendum existimat (*i*); ab iisdem verò *pœnam ignis* sustineri, temporarii quidem, sed *omni tribulatione præsenti intolerabilioris* (*k*), in Ecclesia Latina communis Theologorum doctrina est, quibusdam Scripturæ locis, & antiquis Patribus,

(*a*) *Ps.* 141. *Prov.* 13. 12.
(*b*) *Eccl.* 12. 7.
(*c*) *Apoc.* 14. 13.
(*d*) *Matth.* 13. 42. *Marc.* 3. 44.
(*e*) *Apoc.* 3. 2.
(*f*) *Joan.* 5. 24.
(*g*) *Vide S. Basil.* vis. 9. in If. cap. 9. v. 19.
(*h*) 1. *Cor.* 3. 15.
(*i*) *Conc. Paris. an.* 1528, decr. fidei 12.
(*k*) *S. Greg.* in Ps. 3. Pœnit. *v.* 1. *n.* 1.

tum Græcis, tum Latinis fundata (*l*). De Purgatorii loco ejusque pœnarum duratione disserere, curiosum magis foret quàm fructuosum. Cùm enim circa hæc nihil neque Scriptura doceat, neque Ecclesia definierit; ignorationem fateri tutius est, quàm profunda & abscondita incassùm perscrutari. Dum autem Pastores, juxta sapientissimum Concilii Tridentini admonitum, abstinent à tractandis quæstionibus difficilibus & obscuris, quæ nihil ad ædificationem faciunt (*m*), ea non omittant accuratè, copiosè & luculenter Fidelibus exponere & inculcare, quæ ipsis de hoc necessario argumento exponi & inculcari jubet Ecclesia (*n*); ut scilicet omnes & singuli, status Animarum post mortem quis sit, edocti, optimam sibi sortem, auxiliante gratiâ, promereri studeant, & *expiatorio igne opus non habere satagant* (*o*); utque Animabus in illo gementibus levamentum afferre quàm maximum enitantur.

Licet porrò nesciamus in quam sortem assumantur animæ singulæ corporibus exeuntes, de his tamen benè sperare possumus; neque à precibus, Sacrificiis, eleemosynis aliisque mortuorum adjumentis abstinere debemus; nisi fortè constet aliquem evidenter in impietate diem extremum clausisse, animamque Deo inimicam in Dei ultoris manus incidisse (*p*). Minimè dubitandum est quin defunctis utilissimæ sint preces vivorum, cæteraque bona opera; sed iis duntaxat *qui cum pietate* atque in statu gratiæ sanctificantis *dormitionem acceperunt* (*q*), qui nempè « ita vixerunt ante mortem, ut possint eis hæc utilia esse » post mortem (*r*). » Docet enim Ecclesia Catholica, eos qui in peccato lethali moriuntur, *non habituros hæreditatem in regno Christi & Dei* (*s*); & pro illis nequaquam oraret, si sibi noti essent. Ideò nulla pro Hæreticis, Schismaticis, Excommunicatis denuntiatis precum suffragia impendit, nisi constet ipsos, dum in extremis essent, errores vel peccata sua detestatos fuisse; & tunc eosdem, licèt mortuos, absolvit & sibi reconciliat. Precibus nihil indigent Sancti « in quibus » (videlicet) nobis Deus & præsi» dium constituit & exemplum (*t*); » damnatis verò nihil proficerent, *in inferno* quippè *nulla est redemptio.* Ecclesia autem suis in precibus summo vivorum mortuorumque dominatori omnes indistinctè commendat Christianos homines in sua Com-

(*l*) *Orig.* Hom. 12. (*al.* 16.) in Jerem. cap. 16. *S. Greg. Nyss.* or. pro mort. *S. Greg. Naz.* or. 39. in sancta lum. *S. Basil.* sup. *S. Hier. l.* 1. in Matth. c. 3. v. 11. *S. Aug.* in Ps. 37. *n.* 3. *Idem*, quæst. 1. ad Dulcit. *c.* 13. & Enchir. 69. (*al.* 18.) & alibi. *S. Greg.* sup.

(*m*) *Sess.* 25. decr. de Purgat.

(*n*) *Ibid.*

(*o*) *S. Aug.* Serm. 172. de verb. Ap.

(*p*) *Idem*, de cura pro mortuis, *c.* 18. & de civ. Dei, *l.* 21. *c.* 24. *n.* 1. 2.

(*q*) 2. *Mach.* 12. 45.

(*r*) *S. Aug.* serm. 32. (*al.* 172.) de verb. Ap. *Vide ejusd.* quæst. 2. ad Dulcit. *n.* 4.

(*s*) *Eph.* 5. 5.

(*t*) *S. Leo*, Serm. 83. in Nat. S. Laur. *cap.* 4.

munione defunctos, quorum sortem ignorat; simulque exoptat ut Fideles, quantùm efficere & consequi possint, iisdem opitulentur: potiùs eligens pro illis incassùm orari, ad quos orationum fructus pertinere nequeat, quàm suffragiis privari eos qui ipsis indigeant, eorumque sint capaces (*u*). Quin etiam pia mater, ne sua cuiquam deesset misericordia, & pro Catechumenis ante Baptismum, & pro Pœnitentibus ante expletum Canonicæ Pœnitentiæ curriculum defunctis quondàm orabat (*x*).

JAM verò *sanctam* illam *& salubrem cogitationem exorandi pro defunctis* (*y*), antiquissimâ, perpetuâ unanimique traditione à temporibus Apostolicis usque ad nostrum ævum propagatam consecravit Ecclesia (*z*). Spiritus Dei, cujus instinctu Judas Machabæus *misit Jerosolymam offerri pro peccatis mortuorum Sacrificium* (*a*), idem ipse instituì curavit ut Hostia novæ Legis, ad sublevandas eorum animas qui *in Christo dormiissent* (*b*), immolaretur: nec Liturgia unquam ulla extitit, quæ disertam in celebrandis Mysteriis commemorationem Defunctorum non exhibuerit (*c*). Itaque inter varia mortuorum auxilia præcipuum locum obtinet sacrosanctum Altaris Sacrificium. Hinc illa originem duxit Catholicæ Ecclesiæ consuetudo, ut Missa celebraretur non solùm ipso die obitûs & sepulturæ, verùm etiam die post obitum tertio, septimo & trigesimo (aliquandò etiam quadragesimo, quinquagesimo, sexagesimo & centesimo), semper autem die Anniversario (*d*). Tertio quidem die, propter Dominum JESUM, qui post tres dies surrexit à mortuis, cujus beatæ Resurrectionis participem fieri defunctum obsecramus (*e*). Die septimo, quia filii Jacob *celebrantes* ipsius *exequias planctu magno, impleverunt septem dies* (*f*); quo quidem spatio, juxta Sapientem, agitur *luctus mortui* (*g*): sed præcipuè quòd *in die septimo Sabbatum est, requies sancta Domino* (*h*); cujus typi mysterio, æternam in Deì sinu requiem De-

(*u*) *S. Aug.* de cura ger. pro mort. *cap.* 18. §. 22.

(*x*) *Conc. Carth. IV, an.* 398.

(*y*) 2. *Mach.* 12. 46.

(*z*) *Tert.* de cor. mil. *c.* 3. de anima, *c.* 51. exhort. cast. *c.* 1. de monog. *c.* 10. *S. Epiph.* Hær. 75. *S. Chrys.* Hom. 3. in Ep. ad Phil. *S. Aug.* Enchir. *c.* 110. de cura pro mort. *c. 1. &* 18. Serm. 159. (*al.* 17.) de verb. Ap. *c.* 1. *Conc. Carth. IV, can.* 79. *Aurel. II, an.* 533. *can.* 15, *Bracar. II, an.* 563. *can.* 16. *&* 17. *Autiss. an.* 578. *can.* 17. *Paris.* sup.

(*a*) 2. *Mach.* 12. 43.

(*b*) 1. *Cor.* 15. 18.

(*c*) Liturgiæ *sub nominib. SS. Petri, Marci, Jacobi, Basilii, Chrysostomi*, & cæteræ deinceps. *Const. Ap. l.* 6. *c.* 26. *S. Chrys.* Hom. 90. ad pop. Ant. *S. Aug.* Serm. 172. (*al.* 32.) de verb. Ap. *c.* 2.

(*d*) *S. Ambr.* de ob. Theod. *n.* 3. *S. Greg. Naz.* or. fun. Cæs. 10. *S. Aug.* Conf. *l.* 9. *c.* 12. (*al.* 32.) *de sancta Monica. Conc. Vas. II, an.* 529. *can.* 3. *Const. Ap. l.* 8. *c.* 42. *Hincm. Rem. Capit.* 1. *c.* 14. *Amal.* de Off. Eccl. *l.* 4. *c.* 42.

(*e*) Const. Ap. *l. c.* 40. *Alcuin.* (*v. incert. auct.*) de div. Off. *c.* 50.

(*f*) *Gen.* 50. 10.

(*g*) *Eccli.* 22. 13. (*h*) *Exod.* 31. 15.

functo apprecamur. Die trigesimo, seu in fine mensis; quia filii Israel Moysen & Aaron triginta dies luxerunt (*i*). Postremò de *oblationibus annuis* in Defunctorum memoriam *redditis*, expressè meminit Tertullianus (*k*).

Etsi autem commendatione speciali pro certis quibusdam Defunctis semper oblatum fuit Eucharistiæ Sacrificium (*l*), nunquam tamen ita seorsim pro uno celebrata fuerunt sacra Mysteria, ut non simul pro cunctis celebrarentur. Missa enim est & semper fuit Sacrificium totius Ecclesiæ militantis, quæ cum Ecclesia triumphante & patiente in orationum atque suffragiorum societate coadunatur. Nulla igitur ex animabus quæ *flammis expiantur Purgatoriis* (*m*), ab Ecclesiæ suffragiis excipitur; nulla est quæ non in singulis Missis Deo miseranti commendetur: uno verbo, nulla prorsùs neque ab Ecclesia, neque à Deo ipso derelinquitur. Quod ut solemniùs innotesceret, insupèr constitutum fuit ut quotannis celebraretur *Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum* qui in Christiana Communione diem supremum obiissent (*n*). Quâ quidem occasione invitati Fideles, parentûm propinquorum, amicorum & benefactorum non omninò immemores, præcipuè tamen, juxta Ecclesiæ intentionem, pro omnibus omnium temporum, locorum & conditionum Defunctis orarent, speciaiùs oraturi cæteris diebus pro quibuscumque sibi sanguine, affinitate, amicitiâ conjunctis (*o*). Illa verò mortualium precum solemnitas præcipuè testis est conjunctionis illius mirabilis, quâ Cœli Terræque & *Purgatorii* tripartita Ecclesia copulatur; cujus virtute, *charitas*, quæ *nunquam excidit* (*p*), gloriam, tribulationem, salutem membrorum, solidam rem facit totius corporis.

Eâ charitate impulsi, Missæ Sacrificio salutari publicisque supplicationibus jungimus privatas orationes (*q*); *panem & vinum super sepulturam justi constituimus* (*r*), id est, egenos, eâ intentione ut pro mortuis orent, adjuvamus & pascimùs. Nec ambigi ullomodò potest quin Defunctorum animæ, quarum peccata seu peccatorum reliquias *ultor & Purgatorius ignis exurit ac depascitur* (*s*), indè subleventur (*t*); dum scilicet, Deo miserente, imminuuntur supplicia, vel abbreviatur suppliciorum tempus. Non igitur, ut sæpè fit, una sit cura splendidæ sepulturæ: » verùm illa quæ » adjuvant spiritus defunctorum,

(*i*) *Num.* 20. 30. *Deut.* 34. 8.

(*k*) Exhort. cast. *c.* 11.

(*l*) *Tert.* de monog. *cap.* 10. *S. Cypr.* sup. *S. Ambr.* or. fun. Valent. Theod. *S. Aug. de sancta Monic.* sup. *S. Greg.* lib. Sacram.

(*m*) *Idem*, in Ps. 3. Pœnit. *v.* 1. *n.* 1.

(*n*) Hæc primùm instituta fuit in Ord. Cluniac. à *S. Odilone* Abb. an. 998.

(*o*) *S. Aug.* de cura ger. pro mort. *cap.* 18. §. 22.

(*p*) 1. *Cor.* 13. 8.

(*q*) *S. Aug.* de verb. Ap.

(*r*) *Tob.* 4. 18.

(*s*) *S. Ambr.* in Ps. 36. *v.* 15. *n.* 26. *S. Basil.* in cap. 9. Is. vis. 9.

(*t*) *S. Chrys.* Hom. 80. in Joan. *S. Hier.* Ep. 26. ad Pammach. *cap.* 2. (*al.* 54.) *S. Aug.* sup. *Conc. Paris.* an. 1528.

» oblationes, orationes, erogatio-
» nes, multò pro eis observantiùs, » instantiùs, abundantiùs impendant, qui suos, carne, non spiritu mortuos, non solùm carnaliter, sed etiam spiritaliter amant (*u*). »

Dum verò Missas pro Defunctis celebrari curant Fideles, caveant Presbyteri ne quid contra Ecclesiæ Leges peccetur. Missæ Defunctorum propriæ, nec diebus impeditis, nec sæpiùs quàm par est, celebrentur. Missa, ut plurimùm, Officio diei sit conformis: alioqui legitimus ordo interturbatur, nec magis sublevantur Defuncti, quibus intentio per Missam diei applicari potest, superadditâ etiam illius de quo fit Officium, Sancti intercessione. Quin etiam Pastores procul omnia superstitionis commenta eliminent, quæ, vel pietas nimiùm credula, vel animorum teterrima pestis avaritia usquam invexerit. Et quamvis pro certo Fideli defuncto, salvâ generali intentione, Sacrificium offerri legitimè possit (*x*), nemo tamen facilè confidat per definitum Missarum numerum, vel per Missam in *Altari privilegiato* celebratam à flammis piacularibus certam animam haud dubiè liberari. *Sacrificio salutari mortuorum spiritus adjuvantur*, hoc unum indubitanter constat (*y*): quod his abundantius est, ab imprudenti curiositate atque inani confidentia est.

A Pastoribus autem cæterisque Presbyteris & Clericis funera, ipsaque pro Defunctis Anniversaria sacra & Officia, *Obitus* & *Fundationes* eo pietatis Religionisque sensu & exteriore habitu perficiantur, qui votis Ecclesiæ ac *Fundatorum* intentionibus respondeat (*z*). Curet ipse Parochus diligenter ne hujusmodi Officia præcipiti celeritate devolvantur; ne pro decenti modulatione Psalmi gementis & obsecrantis, tumultuetur cantus incompositus & promiscua Chori utriusque volubilitas; ne, pro pietate orantium quæ mortuis prosit, emineat irreligio malè psallentium quæ vivos offendat. In *Fundationibus* exequendis servetur locus & dies indictus. Si impedito die occurrat *Fundatio*, ipsa libero die anticipetur, vel in proximum diem liberum transferatur. Vetat Religio atque ipsamet æquitas, ne *Fundationes* in Quadragesimam, aliamve commodiorem anni tempestatem sine legitima causa differantur. Absit multò magis hoc tantæ negligentiæ dedecus, ut instituta pro mortuis Officia Scholæ-Magistro celebranda relinquantur; quo ad extremum delegante, ea, cum ingenti Fidelium scandalo ac *Fundatorum* detrimento, irreverentes pueri confusè clamosèque deblaterent.

(*u*) *S. Aug.* de verb. Ap. *Serm.* 172. *c.* 2. *Vide Stat. Syn. D. Eust.* du Bellay, *Paris. Episc. an.* 1557. *can.* 8. *in Synod. pag.* 191.

(*x*) *S. Aug.* Conf. *l.* 9. *c.* 12. *Conc. Vas. II*, *an.* 529. *can.* 3. *&c.*

(*y*) *S. Aug.* de verb. Ap.

(*z*) *Conc. Trid. sess.* 25. decr. de Purgat. *in fine.*

CAPUT II.

De Sepulturis.

Curam sepeliendi mortuos natura suggerit, & consecrat ipsa Religio. Innatam in corpora Defunctorum pietatem perficit Christiana fides. De Christianorum antiquis sepulturis. Fidelium pietas in ipsosmet Infideles ex contagione mortuos. Ne immodica sit cura sepulturæ. Inanis funerum apparatus.

Sepultura hominum ita & Fidelibus, & Infidelibus, per omnia retrò secula pium opus visum est, ut quicumque eam neglexissent, aut barbari, aut impii apud omnes haberentur (*a*). » Statim ab initio » per Patres legem dedit Deus de » sepeliendis & abscondendis mor- » tuis corporibus, ut etiam taciti » omnes confiterentur resurrectio- » nem: quidquid enim terrâ à nobis » obruitur, in spem resurrectionis oc- » cultatur (*b*). » Eâ spe incitatus Abraham, pater credentium, sibi & familiæ *speluncam emit cum agro in possessionem sepulcri* (*c*). Et quidem in sacris Litteris commendata invenitur pia. cura defunctorum (*d*): quâ sollicitè intrepidèque susceptâ, Tobias laudatur, atque à Deo remuneratus legitur (*e*). Quin etiam, cùm *mulier alabastrum unguenti pretiosi effudisset super caput* Jesu *recumbentis*, ejus obtrectatores hoc potissimùm nomine refellit Salvator mundi, quòd *ad sepeliendum se* pia mulier id *fecisset* (*f*). Honorificè pariter in Evangelio commemorantur, non modò *Joseph ab Arimathæa*, qui, *accepto corpore* (Jesu) *involvit illud in sindone munda, & posuit illud in monumento suo novo, quod exciderat in petra* (*g*), sed & sanctæ mulieres, quæ, priusquàm ad monumentum proficiscerentur, *emerant aromata, ut venientes ungerent* Jesum (*h*).

Jam verò innatam hominibus in corpora Defunctorum pietatem mirum in modum perficit fides Christiana, quâ confidimus singulos Fideles in Domino mortuos, quorum corpora sunt membra Christi & tem-

(*a*) *Vide S. Aug.* de cura ger. pro mort. *cap.* 18. §. 22.
(*b*) *S. Athan.* q. 111. ad Antioch. *Vide S. Aug.* sup.
(*c*) *Rom.* 4. 11. *Gen.* 23. 17. & 50. 13.
(*d*) *Eccli.* 38. 16.
(*e*) *Tob.* 1. 20. & 2. 34. 5. 7. & 12. 12.
(*f*) *Matth.* 26. 7. 12.
(*g*) *Matth.* 27. 57. 59. 60.
(*h*) *Marc.* 16. 1.

pla Spiritûs sancti, esse in eodem Christo Jesu gloriosè resurrecturos. Si enim *meretur animæ rationalis domicilium non projici temerè, sicut cadavera brutorum* (*i*), in quibus omnia simul pereunt; quantò minùs contemnenda & abjicienda sunt Fidelium corpora, *quibus tanquam organis & vasis ad omnia opera bona usus est Spiritus sanctus* (*k*), & quæ superstiti animæ in societatem gloriæ immortalis iterùm jungenda sunt? Hinc sancti Patres sepulturæ curam summoperè commendant (*l*): quorum utique nonnulli eam tanti fecêre, ut propter ipsam vendenda Sanctuarii Vasa censuerint (*m*). Hinc prisci Fideles religiosam Exequiarum sollicitudinem gerebant; gravissimoque dolore afficiebantur, si quandò, diu noctuque observantibus tyrannorum satellitibus, Martyrum corpora sepelire non potuissent (*n*). Hinc memoriæ proditum est quanto pretio Reliquias eorum a tortoribus redimerent; quàm ingeniosâ simul atque interritâ pietate pignora illa veneranda, trunca membra, ossa semiustulata, collapsos cineres inhumanæ infidelium vigilantiæ, & pro sepultura contumeliam parantium immanitati subducerent honorificè tumulandos (*o*); quantam hujusmodi sepulcris magnificentiam adjungerent; quantâ religione ad ipsa, quasi ad *Martyrum concilia*, pernoctarent (*p*).

Nec minor cæteris Fidelibus cura sepulturæ impensa est. Non, quemadmodùm Græcis & Romanis, ita & Christianis corpora incendere solitum fuit. Neque illis magis probata Ægyptiorum superstitio, ampla ædificia pro sepulcris excitantium. *Sicut mos erat Judæis sepelire*, Fideles corpora terræ mandabant, priùs lota, uncta, aromatibus condita (*q*), linteis involuta mundissimis, imò nonnunquam pretiosis induta vestibus (*r*). Ante sepulturam, tribus diebus eadem exposita servabant, in precibus advigilantes. Ipsa deindè ad tumulum efferebant, comitantibus Cereis & facibus, Psalmis resonantibus, & Hymnis (*s*). Pro Defunctis ab omni ævo erogatæ pauperibus fuerunt eleemosynæ, oblatæ preces, & immolata Redemptionis nostræ Victima. Hæc autem procul dubio in fide resurrectionis exequebantur Christiani (*t*); quâ quidem in fide, mortem charorum pro somno, mortuos pro dormienti-

(*i*) *Orig.* cont. Cels.

(*k*) *S. Aug.* de cura pro mort. *c.* 3.

(*l*) *Orig.* Hom. 3. in Levit. 3. *S. Aug.* de civ. *Dei*, *l.* 1. *Sozom.* Hist. *l.* 7. *c.* 27. *Conc. Valent. in Hisp. an.* 524. *can.* 4. *Autiss. an.* 578. *can.* 15.

(*m*) *S. Ambr.*

(*n*) *Min. Oct. p.* 31. Eccl. Hier. *c.* 7. *Euseb.* Hist. Eccl. *l.* 5. *Athenag.* apol. 1. *n.* 27. *c an.* 178.

(*o*) Acta SS. Tharaci, *&c. Epist. Eccl. Smyrn. ad Eccl. Ponti*, de S. Polyc. *apud Euseb.* Hist. Eccl. *l.* 4. *c.* 15. *Ed. Vales.*

(*p*) *Thomass.* disc. *p.* 1. *l.* 1. *c.* 55. *n.* 11. *&c.*

(*q*) *Joan.* 19. 40. *Act.* 9. 37. *S. Greg.* Hom. 38. in Ev. *n.* 15. Eccl Hier. *c.* 7. *Tert.* Apol. *n.* 42. *Sozom.* Hist. *l.* 8. *c.* 19.

(*r*) *Tert.* sup.

(*s*) *Vide* ordinem exequiar. S. Cypr. *in ejus vitâ; & S. Hier.* de vita S. Pauli Erem.

(*t*) *S. Aug.* de cura ger. pro mort. *suprà.*

bus (*u*), sepulturæ loca pro *cœmeteriis* seu *dormitoriis* (1) habebant. Hinc à nonnullis *Agri Dei* Cœmeteria nuncupantur : ubi nempè Corpora Fidelium, ceu grana frumenti in terram cadentia, postquàm mortua fuerint, fructum allatura sunt pro corruptione incorruptionem, pro ignobilitate gloriam, pro infirmitate virtutem, pro mortalitate vitam immortalem (*x*).

Nec verò, ut Judæis Lex præceperat, contaminatos se mortui contactu aut cadaveris sepulturâ immundos existimabant Christiani. Tanta apud ipsos erat corporum reverentia propter intromissam Eucharistiam ! tam firmâ fide credebant ea per illius divini germinis virtutem *de corruptione* olim *esse sublevanda* (*y*) ! Quinimò præpositos sepulcris *fossores* habuit Ecclesia, qui Clericis annumerati aliquandò reperiuntur (*z*). Sæpè corporibus adjiciebantur dignitatis insignia, instrumenta Martyrii, sanguis in phiala vel spongia, epitaphium, aut nomen, numismata, Cruces, Evangelium, frondes laureæ, seu folia cujuslibet arboris perpetuò viridis (*a*), tanquam in fide hujus verbi : *Justi quasi virens folium germinabunt* (*b*).

Neque hæc solummodò Fidelium in Fideles tanta fuit cura sepulturæ. Quin etiam, cùm fœda lues varia loca depopularetur, ipsosmet Infideles, quos ægrotantes omni ope & solatio adjuverant, honestâ sepulturâ donabant Christiani (*c*) ; sicque humanitatem, vel seclusâ Religione, venerantes ac diligentes, omnium benefactorum matrem esse philosophiam christianam evidenter ostendebant : dum, è contrario, Gentiles contagionis metu barbari, arctissimâ secum necessitudine conjunctos expellerent, ac velut inimicos sugerent, semivivos projicerent in vias, atque insepultos bestiis avibusque voracibus escam relinquere non perhorrescerent (*d*).

» Sit igitur pro viribus cura se-
» peliendi, & sepulcra construen-
» di (*e*). » Attamen Fideles de propria vel suorum sepulturâ non sint plus æquo solliciti. Exuviis suis mortalibus quid eventurum esset, parùm curabant sancti Martyres (*f*) : imò S. Ignatius ita se, quasi frumentum Christi, dentibus bestiarum moli exoptabat, ut nihil de corpore suo residuum maneret (*g*).
» Enimverò sicut peccatoribus divi-
» tibus nihil prosunt exequiæ sump-
» tuosæ, ita nihil nocent, aut vi-
» les, aut nullæ sanctorum paupe-

(1) Κοιμητήριον, id est, *dormitorium*.

(*u*) *Gen.* 47. 30. *Deut.* 31. 16. 2. *Reg.* 7. 12. *Job*, 21. 26 *Ps.* 87. *Dan.* 12. 2. 2. *Mach.* 12. 45. 1. *Cor.* 15. 6. 18. 20. 1. *Thess.* 4. 12. 13. 14.

(*x*) *Joan.* 12. 24. 1. *Cor.* 15. 42. 43. 44. *Vide Tatian.* cont. Græc. *p.* 146.

(*y*) *Joan.* 2. 7. *Vide S. Iren.* adv. Hær.

(*z*) *Baron. an.* 288.

(*a*) *Thomass.* disc.. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 13. *n.* 4.

(*b*) *Prov.* 11. 28.

(*c*) *S. Dionys. Al.* ap. Euseb. *S. Cypr.*

(*d*) *S. Dionys. Al.* sup.

(*e*) *S. Aug.* de verb. Ap. *c.* 1.

(*f*) *Idem*, Conf. *l.* 9. *c.* 11. *Tatian.* sup.

(*g*) *S. Ign.* Ep. ad Rom. *c.* 4.

» rum sepulturæ (*h*). » Viretur supervacuus omnis apparatus (*i*). Nihil magis à ratione alienum, quàm si vel ipsâ in morte, quæ nobilem & ignobilem, pauperem ac divitem adæquat, splendida pompa ostentetur. In sepultura Fidelium nihil desit pietati; sed nihil vanitati concedatur. Vitetur simul avaritia: servetur usus locorum pius ac religiosus.

(*h*) *S. Prosp.* sent. 89. (*i*) *Conc. Rem. an.* 1583. *tit.* de sepult. *n.* 1.

CAPUT III.

De loco Sepulturæ.

ANTIQUORUM Fidelium Sepultura. Non omnes indistinctè in Ecclesiis tumulandi. Cœmeterium, communis Fidelium sepultura. Munimenta Cœmeterii. Quid venerationis imponant Cœmeteria. A Cœmeteriis arcenda quæcumque in iis dedecerent. Quædam notanda.

AB ipsis Christianæ Religionis incunabulis institutum fuit, ut, quantùm provideri & effici posset, Fideles seorsim ab Infidelibus tumularentur. Grassante Ethnicorum furore, sepulturæ locus aliquandò Christianis erat is qui primus se dedisset obvium, etiam promiscuè cum Gentilibus. Attamen plurimis in locis, vel medio persecutionum æstu, sua Fidelibus Cœmeteria non deerant (*a*). Ipsi verò posteà propriam ubique sepulturam habuerunt (*b*). Olim extra urbes sita erant Cœmeteria (*c*): &, juxta primævam institutionem, rarò in Ecclesiis sepulti sunt Fideles; qui honos Martyribus & Episcopis fuit reservatus (*d*). *Constantinum Magnum filius ita demùm ingenti honore affecturum se existimavit, si eum in Piscatoris vestibulo*, id est, in atrio Basilicæ Apostolorum *conderet:* quem locum ipse sibi designaverat Constantinus (*e*). Deindè in Ecclesiis sepulti sunt Clerici, ipsique Fideles pietate conspicui (*f*). Et postquàm Martyrum corpora è Cœmeteriis,

(*a*) *Baron.* an. 226. 259. 269.

(*b*) *Tert.* ad Scap. *c.* 3. *S. Cypr.* Ep. 68. (*al.* 67.) Eccl. Hier. *cap.* 7. *Hincm. Rem.* Capit. 1. *n.* 12.

(*c*) *S. Chrys.* Hom. 74. in Matth. *Conc. Bracar. II, an.* 563.

(*d*) *S. Ambr. l.* 7. Ep. 2. (*al.* 22.) *n.* 13.

(*e*) *S. Chrys.* Hom. 26. in 2. Cor. *Euseb.* de vit. Constant. *l.* 4. *c.* 60.

(*f*) *S. Hier.* Ep. 27. *c.* 13. (*al.* 86.) *Conc. Mogunt. I, sub Rab an.* 847. *can.* 52.

ubi usque ad Ecclesiæ pacem jacuerant, translata sunt in Basilicas sub eorum invocatione dedicatas; cùm id putaretur animabus profuturum, si corpora tumularentur ad Martyrum sepulcra (*g*), multi posteà in Ecclesiis sepeliri ambierunt: quod quidem nullo discrimine omnibus aliquandiù concessum videtur. Reliquiarum scilicet veneratio & magis distincta resurrectionis fides longè à Christianis horrorem illum abegerant, quem veteribus atque ipsissimet Israëlitis incutiebant cadavera & sepulturæ. Ea tamen intrà Ecclesias humatio tam severè deinceps prohibita invenitur, ut, ubicumque sepulta fuissent corpora, ibi Oratoria & Basilicas extrui non liceret (*h*). Quinto seculo, & sequentibus ferè omnibus, non modò Ecclesiæ, verùm etiam Imperii Legibus vetitum fuit ne in Basilicis quisquam sepeliretur (*i*). Excepti verò sunt » Prælati & Ministri Ecclesiæ, » Principes, Fundatores Ecclesiarum, Patroni & Domini locorum; aliquo Magistratu cum honore functi, ac de Republica benè meriti, ac tandem antiquum in Ecclesia sepulturæ jus habentes (*k*). »

Apostolorum igitur, *Martyrum* aliorumque Sanctorum *sedem humandis corporibus nemo æstimet esse* omnibus indistinctè *concessam* (*l*); Fidelibusque persuasum sit, hanc legem etiamnùm vigere, ut » intrà Ecclesiam, & maximè prope » Altaria, non ita facilè admittantur sepeliendi; sed illi tantùm, » quos aut dignitas Ecclesiastica, aut » nobilis prosapia, aut virtutum » laudabilis splendor commendârint (*m*); » utque cæteri Fideles humentur in Parochiæ ubi decesserint, Cœmeterio, *loco honorando & venerando, cum aliis ejusdem ordinis sanctis corporibus* (*n*).

QUISQUIS autem, salvâ eâ quam locus sacer exposcit, reverentiâ, intrà Ecclesiam sepelietur, sepulcri pavimentum triduo, ut tardissimè, post Exequias, hæredum impensis reficietur. Cavendum erit insupèr ne quid indè cultui divino impedimenti vel indecori afferatur. In quovis Ecclesiæ loco sepeliatur defunctus, quacumque dignitate præfulgens, supra soli planitiem tumulus nunquam attolletur (*o*), in Choro præsertim & Navi Ecclesiæ Parochialis. In Sacellis quidem, maximè apud Regulares, concedi aliquandò possunt ejusmodi sepulturæ, ac præsertim cùm sunt familiis hæreditariæ. Sepulcra Sacerdotum à Laïcorum sepulturis deceret esse distincta: illa nempè Altaribus

(*g*) Const. Ap. *l. 6. cap. ult. S. Aug.* de cura pro mort. *c. 4. & 18.* §. 22

(*h*) *Conc. Braçar. II, can. 18. S. Greg. l. 2. Ep. 9. (al. 12.) Theodulph. Aur.* Capit. *c. 9.*

(*i*) *Conc. Vas. Bracar. Nannet. &c. Vide Gratian.* Decr. *Valent. Theod.* Cod. *l. 1. t. 2. le. 2.*

(*k*) *Conc. Bitur. an. 1584.*

(*l*) *Cod.* sup.

(*m*) *Conc. Narb. an. 1609, c. 24.*

(*n*) *De* Eccl. Hier. *Vide Conc. Nannet. can. 6. Meld. an. 845. can. 72. Tribur. an. 895. Mediol. I, an. 1565. Rem. an. 1583.*

(*o*) *Narb.* sup.

viciniora quàm hæc esse possunt ; semper nihilominùs intervallo pedum saltem sex à præcipuo Altari distare debent : quod quidem erga Laïcos, cujuscumque sint nobilitatis vel dignitatis, multò magis observandum est, non obstante quavis in contrarium prætextâ consuetudine vel possessione. Sed in Parochialis Ecclesiæ Choro nullus, præter Parochum, Dominum ac Dominam, sepulturæ jus habere potest.

Porrò Cœmeterium quasi vile sepulcretum nemo erubescat. Sua Cœmeteriis Benedictio est propter Defunctos, nulla verò Ecclesiis propter illos (*p*); & constitutæ orationes inveniuntur pro Fidelibus qui in Cœmeterio jacent, nullæ autem pro iis qui in Ecclesia requiescunt (*q*), eò quòd nemo nisi publicè Sanctus in hac requiescere censeatur. Cœmeteria igitur, sepulturæ habito respectu, Ecclesiis anteponenda sunt (*r*); & sicubi ea sepultura viluerit, ejus opinio in animis honorificè restituatur.

Curent etiam Parochi Vicariique diligenter ne debita Cœmeteriis reverentia ullomodò violetur ; utque ab iis longè submoveatur quidquid locum sanctum vel levissimè dedeceret (*s*). Si enim apud omnes antiquos *sacrati morte lapides, venerabile marmor, tumulus sacer, somnus, quies, urna, cineres sacri, ossa sancta, jura sepulturæ religiosa & perpetua* nuncupata sunt, ita ut nefandum scelus existimata semper fuerit sepulcrorum violatio ; quantò major Cœmeteriis nostris honos deferendus est ? In his utique jacent Fidelium corpora, signo Crucis, Unctionibus sanctissimis, ac præsertim divinæ Eucharistiæ tactu consecrata ; inter quos plures Sancti, amici Dei, jamque in ejus sinu supremâ beatitudine fruentes ; & qui sua corpora, ceu *domum magnificentiùs constructam, cum majori gloria* in consummatione seculi resument (*t*). Tunc enim è sepulturæ locis egredietur hoc magnificentissimum nostræ fidei prodigium, quo *Deus, sicut hominem formans de limo terræ inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ* (*u*), sic ipsum in terram, de qua sumptus fuerat, reversum, rursùs animabit insufflans (*x*) : quo tandem prodigio, patefactis per loca sepulcris, refectæ humanitatis nova forma resplendebit ; & pro congerie mortuorum, stabit super pedes suos grandis exercitus viventium (*y*). Sepulturæ igitur locus, non meta solitudo, non horrida sedes nihili, non *terra quæ in æternum devoret habitatores suos* (*z*). Hìc dominatur *Deus non mortuorum, sed vivorum* (*a*) ; cujus ad vocem concusso terræ sinu, omnes resurgent hominum generationes. Nec jam, quasi regionem *tenebrosam & opertam mortis caligine*, Cœ-

(*p*) *Vide* ord. dedic. Eccl.
(*q*) *Vide* Missalia & Rit.
(*r*) *Conc. Rem.* sup.
(*s*) *Conc. Later. IV, an.* 1215. *c.* 19.
(*t*) *S. Chrys.* Hom. de dormient. §. 1.
(*u*) *Gen.* 2. 7. *Gen.* 3. 19.
(*x*) *Ezech.* 37. 9.
(*y*) *Ibid. v.* 10.
(*z*) *Num.* 13. 33.
(*a*) *Matth.* 22. 32.

meteria

meteria quisquam horreat (*b*); ex his enim, pro tenebris lux orietur, pro morte vita efflorescet, pro funereis cupressibus germinabunt palmæ immortalitatis.

His intellectis, venerationem Cœmeteriis debitam Fidelibus diligenter inculcent Pastores. Atque ut ab illis arceantur bestiarum incursus aliæque profanationes, muro lapideo ad justam altitudinem cingantur: ubi verò desunt lapides & cæmenta, firmis asseribus, palisve in terram defixis, vel solidâ maceriâ, densisve sepibus fossâque circumductâ muniantur (*c*). Occludatur ingressus januâ, vel claustro ad perpendiculum stante; aut fossâ profundâ, imposito clathro ferreo seu ligneo ad soli æqualitatem respondente, hominibus quidem pervio, sed bestiis errantibus & pastum quærentibus inaccesso; idque sub pœna Interdicti in Cœmeteria. Stet in medio, seu loco magis conspicuo, Crux lapidea, seu ferrea, aut saltem lignea, sed erecta firmiter (*d*): trophæum scilicet CHRISTI JESU mortem debellantis, in medio mortis imperio constitutum; signum professionis Defunctorum circumquaque jacentium; vexillum triumphale sub quo usque ad mortem certaverunt, & cujus virtute olim resurrecturi sunt.

Nullus igitur sine Religionis ac pietatis excitatissimo sensu terram illam benedictam ingrediatur vel conspiciat, cujus de gremio, *ossa nunc humiliata*, & quasi semina sulcis credita, in vitam æternam *pullulabunt* (*e*). Reminiscatur unusquisque parentes, propinquos, conjugem, affines, amicos, benefactores, notos & cives mortuos, vivorum suffragia imis de sepulcris implorantes, & velut propriâ cujusque voce dicentes: *Miseremini meí, miseremini meí, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me* (*f*). Qui nempè circa Ecclesiam mediâ orantium frequentiâ idcircò tumulati sunt, ut non vacuo nomine *Memorias* seu *Monumenta* circumposita intuens, statim quisque animas sibi charissimas in mente habeat, Deoque optimo commendet. Quid plura? eo spectaculo, quicumque transit, admonetur, ut, propriæ conditionis memor, in terris *advenam se & peregrinum, sicut omnes patres suos*, agnoscat, & *meliorem patriam appetat, id est, cœlestem* (*g*).

ABSIT autem ut in Cœmeteria irreligiosum se quisquam præbeat. Nefas sit intrà eorum septa choreas aut ludum quemlibet agitare, segetes flagello triturare, nundinas, mercatus, vel Communitatis conventus habere (*h*): quæ quidem, sub pœna Interdicti in Cœmeteria, districtè vetamus. Nec Pastores un-

(*b*) *Job*, 10. 21.
(*c*) *Stat. Syn. D. Franc.* de Harlay, *Paris. Archiep. an.* 1673. *art.* 18. *Synod. Eccl. Paris. pag.* 190.
(*d*) *Mediol. II*, *an.* 1576. *tit.* 14.
(*e*) 1. *Cor.* 15. 44. *Ps.* 50. *Eccli.* 46. 14.
(*f*) *Job*, 19. 21.
(*g*) *Ps.* 38. *Hebr.* 11. 16.
(*h*) *Conc. Vinton.* sup. *Stat. Syn. D. Eust.* du Bellay, *Paris. Episc. an.* 1557, *n.* 9. de Cœmet. *in Synodico*, *pag.* 191.

quam in illis Jus dici patiantur, ullas quoquomodò & quandocumque merces venales exponi, turpia aut profana legi vel cantari, à circumforaneis pharmacopolis medicamenta credulo vulgo distribui. Nec verò cuiquam Parochiano usui sint. Nemo in iis deambulare audeat, nere vel suere; frumentum aut grana quælibet ventilatione purgare; stipulam, cannabim aut linum, fruges, pannos, vestimenta, lintea, telas aliudve quidquam dealbandum vel siccandum expandere; per ea, quasi per viam publicam, hàc & illàc transire, aut res profanas onerave asportare (*i*). Ea nunquam liceat, etiam utilitatis Ecclesiæ prætextu, ad pastum animalium locari (*k*), in iis quidquam seri vel arbores plantari; concessâ tantùm in circuitu, arborum coronâ, cum aliis nonnullis Ecclesiæ propriis, ubi supervacua Cœmeterii amplitudo angulos relinquet sepulturis vacantes, atque à muris Ecclesiæ duodecim saltem pedibus distantes. Nec sinat Parochus in Cœmeterio reponi lapides, ligna, cæmentum, calcem, arenam, aliamve materiam, nisi ad Ecclesiæ sarta tecta; aut quidquam aliud profanum, indecorum atque à loci sanctitate alienum occurrere vel remanere. Ipsum denique ab omnibus immunditiis purgari oportet (*l*), rubosque ac vepres succidi & in ipso loco exarescere.

Circumdata Cœmeterio munimenta integra servare, onus est in Parochianos incumbens (*m*). Id summæ curæ habeant Pastores: ipsi verò incolæ opus illud suum, quandò necessarium erit, nullâ interpositâ morâ suscipiant. Dum autem ea reficiuntur, nulli privato liceat januam seu transitum sibi commodè per Cœmeterium disponere, etiam ut pervium ad Ecclesiam iter habeat (*n*).

Nulla sub Ecclesiæ vestibulo sepultura concedatur, neque in illa parte Cœmeterii per quam patet ad Ecclesiam transitus. Sive autem in Ecclesia, sive in Cœmeterio, ad quatuor saltem pedum altitudinem sepulcra fodientur; ne, terrâ leviter injectâ, vivis noceat sepulcralis vapor; neve corpora Fidelium effodere possint canes aliæque bestiæ, sicque oculis subjiciantur tristes semisepultæ humanitatis ruinæ.

Benedicta esse debent Cœmeteria, priusquàm ulla in iis corpora tumulentur; exceptâ parte aliquâ, sive angulo, defunctis sine Baptismo Infantibus destinato, &, quantùm fieri poterit, sejuncto. Nullum autem benedicatur novum Cœmeterium, nisi de nostra licentia expressa & scripto concessa.

Nullus in Communione Fidelium defunctus extra Ecclesiam aut Cœmeterium ritè benedictum sepeliendus est. Si quandò, propter eventum aliquem improvisum, aliter fieri cogat necessitas; Crux ad sepulcri tumultuarii caput fixa re-

(*i*) *Conc. Mediol. IV, part.* 1. *tit.* 16.
(*k*) *Camer. II, an.* 1586. *tit.* 13. *c.* 6.
(*l*) *Stat. Syn. D. Eust.* du Bellay, *ubi suprà, pag.* 192.
(*m*) *Conc. Mediol. IV,* de orn. loc. sacr.
(*n*) *Ibid.*

maneat, undè significetur hominem in Christo quievisse; & corpus, ut primùm se dederit opportunitas, in locum sacrum efferatur.

Nullum autem Corpus sepulturæ mandatum ex ulla qualibet Ecclesia vel Cœmeterio effodiatur ut aliò asportetur, aut etiam ex uno sepulcro in aliud transferatur, licèt intrà eamdem Ecclesiam vel intrà idem Cœmeterium, nisi de nostro speciali concessu (o); qui si, urgente causâ gravissimâ, concedatur, diligenter vitandum erit scandalum. Si quis Excommunicatus denuntiatus, vel nominatim interdictus, in Ecclesia vel Cœmeterio sepultus fuerit; ipsum ex indebito sepulcro erui jubent Leges Canonicæ: suadet verò in hujusmodi casu prudentia, ut nihil, inconsulto Præsule Diœcesano, agatur. Si denique locum habuerit exhumatio, Ecclesia deindè, vel Cœmeterium, de Ordinarii licentiâ, reconciliandum erit (p).

(o) *Stat. Syn. D. Steph.* Poncher, *Paris. Episc. ante an.* 1519. de Sepult. *in Synodico.*

(p) *Inn. III, decret. l. 3. tit. 28. c. 12. & tit. 40. c. 7. Clement. l. 3. tit. 7. c. 1.*

CAPUT IV.

QUIBUS concedenda, quibus deneganda sit Ecclesiastica sepultura.

GEMITUS Religionis, dum quosdam à sepultura sancta rejicit. Iis deneganda Ecclesiastica sepultura, qui extra sinum Ecclesiæ decesserint. A sepultura Ecclesiastica quinam prætereà repellendi. Quibus deest Ecclesiastica sepultura, iis minimè desint humanitatis officia. Violentâ aut subitâ morte oppressi.

QUEMADMODUM, *spiritus vivis*, ita & *mortuis terra communis* est (1). Quamvis autem Religio vulgare humanitatis officium in Defunctos ut sanctum quiddam meritò consecraverit; dum tamen eos qui obdormierunt in Domino piè honorificèque sepelit, profanos, quibuscum nulla sibi fuerat societas, repellit à sepultura cui benedicit, ac denique dimittit *mortuos sepelire mortuos suos* (a). Neque idcircò humanitatem abjicit, quam dolet sontem ac miseram, studetque pu-

(1) Cicero.

(a) *Matth.* 8. 22.

ram efficere ac beatam; neque hominem dedignatur, quem nascentem regenerat, illuminat cæcum, valentem diligit, infirmum consolatur, adjuvat morientem, lugeretque mortuum, nisi monstraret olim resurrecturum. Sed Majestatem Numinis, cujus tuenda jura suscepit, flens & invita ulciscitur pœnâ quidem gravissimâ, verùm necessariâ, *ut cæteri timorem habeant* (*b*), nihilque committant propter quod extra terram sanctam, quasi bruta animalia, defodiantur.

Parochos igitur latere non debet quinam Ecclesiasticâ sepulturâ honestandi sint, quinam ab illa ipso Jure excludantur; ne cuiquam omninò aut eam concedere iniquè detrectent, aut immeritò & contra sanctorum Canonum instituta concedant.

Quicumque in sinu Catholicæ, Apostolicæ & Romanæ Ecclesiæ, sicque in *Communione Sanctorum* obierint, iis concedenda est Ecclesiastica sepultura; id est, in terra sancta cum Precibus, cantu, solitisque Cæremoniis tumulandi sunt. Contrà verò, iis honor ille denegandus est, qui diem extremum clauserint extra sinum Ecclesiæ: sive nunquam in ipsum ingressi; sive olim ingressi, posteà *segregaverint semetipsos* (*c*), & per Sententiam segregati fuerint. Tales sunt,

I°. Infideles (*d*), qui regenerationis lavacro tincti non fuerunt: Pagani videlicet, Mahumetani, Judæi, atque ipsi, proh dolor! infantes à Fidelibus parentibus geniti, qui non baptizati, sine fidei signaculo decesserunt.

II°. Apostatæ à Religione Christiana, Hæretici & Schismatici denuntiati, eorumque fautores (*e*).

III°. Excommunicati similiter denuntiati (*f*). Si tamen, antequàm è vivis excederent, pœnitentiæ signa exhibuerint; illis concedi poterit Ecclesiastica sepultura, postquàm, de Ordinarii Mandato, absoluti à Censura fuerint, secundùm formam quæ in Pastoralis hujus Parte Rituali occurrit sub hoc titulo: *Ritus absolvendi Excommunicatum jam mortuum*.

Quanquam Interdicti denuntiati non eo ipso à Fidelium Communione sunt præcisi, post mortem nihilominùs Ecclesiasticâ sepulturâ carere debent, ubi hanc pœnam exprimit Sententia, cujus sub anathemate constituti obierunt. Eodem modo in illos agendum est, qui, dum vigeret Interdictum, in loco interdicto diem supremum obierint (*g*).

Si quis præterea in duello interemptus fuerit, is non erit Christiano more sepeliendus, nisi, adhùc vivens, confessis peccatis, Absolutionem sacramentalem percepe-

(*b*) 1. *Tim.* 5. 20.

(*c*) *Judæ*, *v.* 19.

(*d*) *Conc. Bracar. II*, *an.* 563. *can.* 17.

(*e*) *Inn. III*, Decret. *l.* 3. *tit.* 28. *c.* 12. *Clem. V in Conc. Vienn. œcum. an.* 1311. Clement. *l.* 3. *tit.* 7. *c.* 1.

(*f*) *Ibid.*

(*g*) *Greg. IX*, Decret. *l.* 3. *tit.* 28. *c.* 14.

rit, aut certè aliqua pœnitentiæ signa ostenderit.

Neque funeribus Ecclesiasticis honestandi sunt, qui, non casu, invitoque animo, vel per phrenesim aut insaniam quoquomodò suî impotes, sed per desperationem aut voluntarium furorem, violentas sibi manus intulerint; nisi, antequàm ultimum spiritum efflarent, *suicidium* vehementer dolere se comprobaverint (*h*).

Idem erga eos observandum est, qui occisi fuerint in evidenti scelere, si nullomodò pœnitentes se præbuerint (*i*): erga illos pariter qui suo instituto infames habentur, quales sunt Comœdi, mimi, histriones; nisi tamen scenicæ professioni omninò ante obitum renuntiaverint: uno verbo, in quoscumque peccatores publicos juridicè *notorios*, quorum de pœnitentia in extremis testimonium non reddiderit saltem unus testis fide dignus. Quod spectat eos qui præcepto Paschali non satisfecerunt, nihil, inconsulto Pontifice Diœcesano, statuendum est (*k*). Quinimò satius erit hoc ipsum in quocumque ex prædictis Casibus, tùm fieri poterit, observari.

Sontes ultimo supplicio affecti, si pœniténtiam prius manifestaverint, poterunt quidem, de secularium Judicum licentia, in loco sancto sepeliri; sed ad vesperam, nullisque adhibitis Cæremoniis. Si ergò Pastores, aliive eorum nomine Sacerdotes in hujusmodi funeribus intersint; hoc spontaneæ charitatis opus exerceant, neque Superpelliceo, neque Stolâ ornati, & sepulturæ Officium submissâ voce recitent; nisi fortè, postulantibus propinquis, alicui cruciario sepultura solemnis præter solitum concedatur.

Quibus funebria Religionis honestamenta pro meritis denegantur, iis tamen, ob reverentiam imaginis Dei, quantumlibet deformatæ, suprema non desint humanitatis officia. Eorum igitur cadavera non insepulta projici, sed humo extra Cœmeterium tegi oportet (*l*): nisi fortè, ad vehementiorem, scelerum horrorem incutiendum, in cruciarios quosdam præ cæteris infames aliud constituerint qui supremam Legum animadversionem in societatis tutelam exercent. Solius enim *Dei ultionum* est (*m*), vel *sublimis potestatis ad vindictam malefactorum divinitùs ordinatæ* (*n*), hanc insoliti terroris pronuntiare Sententiam, ut quis propter facinorum immanitatem insepultus projiciatur.

Qui à latronibus aut sicariis occisi fuerint, vel qui cum violentæ mortis indiciis, aliisve adjunctis quæ tali suspicioni locum præbeant, domi aut foris mortui invenientur,

(*h*) *S. Greg. Turon.* Hist. *l.* 4. *c.* 34. *Conc. Bracar. II*, *can.* 16. *Inn. III*, Decret. *l.* 3. *tit.* 28. *c.* 11. *De his omnibus vide Stat. Syn. D. Steph.* Poncher, *ante an.* 1519 *: necnon D. Eust.* du Bellay, *an.* 1557. *can.* 8. *in Synodico*, *pag.* 91.

(*i*) *C.* 13. *q.* 2. *c.* 31.

(*k*) *Vide Tom. I*, de Sacram. Euch. *Div. IV*, *cap.* 2.

(*l*) *Lactant. l.* 6. *c.* 12.

(*m*) *Ps.* 93.

(*n*) 1. *Petr.* 2. 14. *Rom.* 13. 1.

eorum corpora tumulare non licebit, quin priùs intervenerit Judicis rerum capitalium Sententia: cujus quidem Sententiæ ac diei quo data fuerit, mentio fiet in Actis sepulturæ (o). Prævia similiter expectabitur Judicum inquisitio, cùm subitò mortuus aliquis repertus fuerit, etiamsi nullum emineat violentæ mortis indicium.

(o) *Vide* Declar. Reg. circa Paroch. Codices.

CAPUT V.

De Exequiis Adultorum.

Pulsus Campanæ aliquem recens mortuum nuntians. Campanæ pro funeribus, in ruralibus Parochiis, non sine aliqua moderatione pulsandæ. Quodnam, decessum inter & sepulturam, observandum sit intervallum. Funeris apparatus, & ritus. Quibus diebus & horis celebrari possint Exequiæ. Cæremoniæ in Exequiis adhiberi solitæ, quid pretii habeant, quid documenti secum gerant. Circa honorarii funerei perceptionem quid sit observandum. Inopum funera: pietas in omnium funeribus necessaria. Laudationes funebres: Epitaphia: Mausolæa, &c. Funebria vestimenta, & convivia.

Pastori non sufficiat, si Parochianos ultimùm ægrotantes, atque etiam morientes, ministerii sui curis vel studiosissimis adjuverit. Paterna ejusdem piaque sollicitudo ultra cujusque mortem debet extendi, ut ei justa funebria, suprema illa humanitatis & Religionis officia persolvat; ut eum nempè in terra sanctâ Christiano more sepeliat, ac sempiternam ipsius animæ beatitudinem apprecetur.

Cumprimum aliquis in fide Catholica decesserit, eâ de re certior fiat Parochus, à quo licentia postuletur Campanas Ecclesiæ pulsandi, non quidem ut mortuum lugubri sono lugeant, sed potiùs ut ad orandum pro quiete animæ in Dei conspectum egressæ, Fideles invitentur. Ad quod ut propriæ utilitatis respectu moveantur efficaciùs, Nos omnibus & singulis, quicumque pulsu Campanæ admoniti, pro anima recèns à corpore digressâ Psalmum *De profundis*, vel Orationem Dominicam cum Salutatione Angelica piè ac religiosè recitaverint, quadraginta dierum In-

dulgentiam in Domino concedimus (*a*).

Olim in Exequiis, luctûs indicium erant silentes Campanæ: nunc funeris pars magna censetur Campanarum sonus lugubris: qui quidem ne sit justo productior, invigilent ruralium Parochiarum Rectores. In eo servetur usus locorum pius & religiosus, omnisque superstitio vitetur. Si quandò, propter Defuncti ordinem excelsiorem, æris Campani feralem sonitum increbrescere exoptent propinqui; ut ejusmodi licentia obtineatur, adeundus erit Parochus, qui eam non sine adhibita quadam moderatione concedet. Nec verò se promiscuè omnibus hac in re facilem præbeat; sed iis tantummodò qui propter nobilitatem dignitatemve præstantiorem, aut eximia in Ecclesiam merita, præcipuum quemdam honorem pro jure suo exposcere videantur: & hoc ipso in casu, ne pulsandi vices concedantur frequentiùs repetitæ, nec singulæ ultra octavam horæ partem continuentur.

Nihil utique ad mortui levamen juvat, si Campanæ diu noctuque vivorum aures importuno sonitu obtundant; quantumvis existimet vulgus imperitum eo sonitu animas à Purgatoriis ignibus liberari, aut certè multùm sublevari; quasi perindè valeat æs sonans ac preces & Sacrificia. Nec Pastoribus ignorum est quid vulgò per irreverentiam in Ecclesiis peccent Campanarum pulsatores, quo tumultu, quâ licentiâ profanetur domus orationis, Deique in augustissimo Sacramento absconditi Sanctuarium. Itaque dignum pietate suâ facient Dei & Domini nostri JESU CHRISTI Sacerdotes, si talem irreligionis occasionem studeant è medio tollere; neque ipsis ad hoc deerit expetitum nostræ auctoritatis præsidium.

NULLA autem sepultura nec ante solis ortum, nec multâ nocte celebrabitur. Nullum corpus efferetur (extra casum mortis celeriùs evidentis), nisi elapso post decessum intervallo horarum saltem quatuor & viginti, aut etiam, ut minimum, octo & quadraginta, erga illos qui subitâ morte, vel repentino ac violento morbo, aut *asphyxiam* inducente, interierint.

Tempore contagionis, mortuos, ne vivis noceant, humo citiùs tegi interdùm necesse est; sed tunc horarum saltem duodecim intervallum expectetur, semperque observetur ut de morte nullus remaneat dubitandi locus.

Mortuos à Pœnitentibus sepeliendos atque ad Ecclesiam efferendos esse, alicubi constitutum invenitur (*b*). Alicubi etiam Ministros ad hoc destinatos habuit Ecclesia (*c*). Summoperè deceret corpora Sacerdotum à Sacerdotibus sindone involvi, virorum cæterorum à viris, mulierum à mulieribus. Corpus Defuncti linteis funereis involutum, in loculo, seu feretro deponetur, quod super-

(*a*) Vide *Tom. III.*
(*b*) *Conc. Carth. IV, an.* 398.
(*c*) *Cleri Rom. Ep.* 3. (*al.* 8.) ap. *S. Cypr.*

induet palla sepulcralis, Ecclesiæ propria. Pallis, seu mappis Altaris, quantumcumque usu detritæ sint, mortuorum, etiam pauperum, cadavera ne involvantur. Nec sinant Pastores pallia, conopea, tentoria, aliave sub quovis nomine Altarium Ornamenta, aut sacras Vestes, ad feretri, vel januæ ubi exponitur Defunctus, vel pompæ funebris, vel tumuli ornatum, seu ad alium quemlibet ejusmodi usum adhiberi, quacumque dignitate præfulserit is cujus funera curentur.

Presbyteros, cæterosque Ordinis Ecclesiastici, quemadmodùm reliquos Fideles, efferri loculo inclusos, humanitati magis consentaneum videtur; quæ quidem, spiritu egresso, deformata, non ostentari se, sed abscondi postulat. Cùm igitur ad sepulturam efferuntur Clerici, insignia Ordinis quo quisque honestatus fuerit, pallæ sepulcrali apponantur. Sacerdotem designet Stola violacea aut nigra, quasi collo pendula; Diaconum Stola ejusdem coloris, sed velut ab humero sinistro ad dextrum latus obliquè demissa; Subdiaconum Manipulus; Clericum inferiorem, Superpelliceum.

Defunctorum corpora, etiam infantium, domo ad Ecclesiam deferri non oportet, nisi præcedentibus Cruce & Clero, saltem Parocho seu Vicario, aliove Sacerdote, & ministris. Si tamen longissimè ab Ecclesia Parochiali distet domus Defuncti, accedente præsertim aëris intemperie & viarum difficultate; corpora è vicis longo intervallo dissitis, nullâ adhibitâ Cæremoniâ Ecclesiasticâ, afferri seu advehi poterunt usque ad ingressum urbis, oppidi seu vici in quo sita erit Ecclesia: Parochus autem, aliusve ipsius loco Sacerdos, corpora suscepturus & levaturus eò se conferat ubi deposita fuerint, eaque indè ad Ecclesiam solito more deducat.

Paulæ corpus ab Episcopis ad sepulturam elatum fuisse legimus (*d*): qui honos eximiæ sanctitati habitus, in exemplum trahi non potest. Poterunt quidem corpora Sacerdotum à Sacerdotibus aut Clericis deferri: nunquam autem ipsi Sacerdotes aut Clerici, Laïcorum, quantumvis genere vel dignitate illustrium, corpora deferant. Parùm decet à mulieribus vel puellis corpora ad sepulturam efferri, etiam mulierum aut Virginum, quamvis infantularum, aut pallæ sepulcralis quatuor angulos extremos sustineri, exceptis Sanctimonialibus in suis Monasteriis.

Dum corpus ad sepulturam effertur, pro quiete animæ obtinendâ, secundùm veterem Ecclesiæ traditionem, canendæ sunt preces, Psalmi & Cantica (*e*); sic videlicet mortis contemptum & spem resurrectionis præ se ferunt Christiani (*f*); sic Religio, sublimi cantu, infima &

(*d*) *S. Hier.*

(*e*) *Idem: & S. Aug.* de sancta Monica.

(*f*) *Eusеb.* de vit. Const. *l.* 4. *c.* 71. Eccl. Hier. *c.* 7. *S. Hier.* Ep. 27. *cap.* 13. (*al.* 86.) *S. Aug.* Conf. *l.* 9. *c.* 12. (*al.* 31.)

caduca

caduca transcendens, in manus *Dei cui omnes vivunt*, etiam mortui (*g*), resignatos monstrat, quos humanus affectus sibi raptos immodico luctu desiderat. Quod quidem ut expressiùs innotesceret, olim in Exequiis *Alleluia* cantari solebat (*h*). Cereos & funalia in Christianorum Exequiis deferendi perantiquus est usus (*i*), ideòque nunquam omittendus, etiam erga pauperes.

Jam verò accensæ faces, fidem charitate ardentem significant, quâ Defunctus, dum viveret, carnem, mundum infernumque debellavit(*k*). Clerus ordine procedens, cœtum adumbrat Angelorum illi obviàm exeuntium, ut quasi triumphanti honorificum comitatum adhibeant (*l*). Precum denique harmonia melioris sonat vitæ expectationem. Uno verbo, cùm Ecclesiastico more pulvis pulveri redditur, pompæ funebris quasi voce spes beatæ immortalitatis prædicatur.

Corpora, sive in Ecclesia, sive in Cœmeterio tumulanda, semper, antequàm humo tegantur, in Ecclesiàm inferri decet, excepto contagionis tempore, & ipso casu alicujus corporis intolerabiliter fœtentis. Sacerdotum cæterorumque Clericorum corpora in Chorum deducantur; Laïcorum autem (nisi aliud, pro more locorum, exigere videatur Ecclesiarum utilitas) in Ecclesiæ *Navi* remaneant, quamdiù vel Missa funebris, vel Officii Defunctorum pars aliqua celebrabitur.

Sacerdotes exponentur ac tumulabuntur quasi versâ facie ad populum, ita ut propius Altari sit caput; cæteri, tanquam versâ facie ad Altare, ita ut viciniores Altari sint pedes: quod quidem, pro situ & loco, in omnibus tum Ecclesiæ tum Cœmeterii Sepulturis observabitur.

Pestilentiæ vel contagionis tempore, nullum corpus in Ecclesia tumuletur; imò neque in eam ullomodò inferatur, aut deponatur in ipso vestibulo, etiam ad breve tempus: sed ex ipso loco ubi decessus evenerit, rectà in Cœmeterium deferatur, statimque humo tegatur. Tum demùm Preces atque usitata pro Defunctis suffragia, universumque sepulturæ Officium in Ecclesia celebretur, perindè ac si adesset Corpus. Si autem (quod malum avertat Deus optimus) tam sæva grassaretur contagio, ut metuendi locus foret ne domorum adjacentium incolæ afflatu maligno afficerentur ex vicinia Cœmeterii, in quo deposita fuissent cadavera lue confecta; à Diœcesano Pontifice obtinenda esset licentia benedicendi alterius Cœmeterii, justo intervallo ab urbibus & pagis, ab Ecclesiis, domibus, viis publicis omnique hominum frequentia dissiti, ut contagionis ulteriùs propagandæ periculum vitaretur.

(*g*) *Luc.* 20. 38. *Joan.* 11. 25.

(*h*) *S. Hier.* Ep. 30. *c.* 3. (*al.* 84.) Manuscr. Rem. *ap. Menard.* in Sacram. S. Greg.

(*i*) *S. Greg. Naz.* Or. 4. quæ est, 24. in Jul. *n.* 29. *Et* Or. fun. Cæs. *qua est* 10ª. Acta pass. S. Cypr.

(*k*) 1. *Joan.* 5. 4.

(*l*) *S. Chrys.* Hom. 4. in Ep. ad Hebr.

Omnibus anni diebus celebrari possunt Exequiæ : attamen, quantùm fieri poterit, non celebrentur in Festis Annualibus & Solemnibus, ipsismet diebus Dominicis per annum, ubi præsertim unicus est Sacerdos. Ea verò antiquissimi instituti observetur consuetudo laudabilis, ut, quotiescumque dabitur opportunitas, pro commendanda anima Defuncti, præsente Corpore, priusquàm in tumulum deponatur, *Sacrificium pretii nostri Deo ad ejus Altare offeratur* (m), exceptâ Dominicâ Palmarum, triduo ante Pascha, Festisque Annualibus & Solemnibus-majoribus : quibus nempè diebus Missas Defunctorum proprias celebrari non permittunt Ecclesiasticæ regulæ. Quæ illis diebus propter necessitatem peragendæ erunt Exequiæ, serotinis horis & completo diei Officio peragentur, nisi aliter fieri compellant causæ gravissimæ ; & tunc Missa pro Defuncto proximâ die non impeditâ celebrabitur : quod pariter, in Ecclesiis ubi unicus est Sacerdos, diebus Dominicis & Festis cujuslibet gradûs à populo feriatis observabitur : quibus in Ecclesiis si, diebus proximè notatis, ad horas pomeridianas differri humatio non possit, intrà Missam Dominicæ aut Festi inseretur Collecta pro Defuncto. Quoad cæteras Ecclesias in quibus plures sunt Sacerdotes, diebus Dominicis & Festis qui superiùs excepti non fuère, Missam *in Depositione Defuncti* celebrare licebit ante vel post Missam Dominicæ aut Festi. Quotiès igitur diebus Dominicis & Festis celebranda erunt funera, ea saltem usque ad finem Missæ Parochialis divinique Officii differantur, nisi fortè urgeat aliqua necessitas : quo quidem in casu ad sepulturam corpus efferatur ante incœptam Missam Parochialem, cujus toto tempore nullomodò expositum in Ecclesia maneat; ne symbolica Dominicæ Resurrectionis commemoratio, ipsaque adumbrata æternæ Festivitatis lætitia promiscuo funerum luctu aliquatenùs turbetur. Sepulturæ autem exequendæ aut funeris ducendi causâ nunquam anticipanda vel remoranda est Missa Parochialis ; diligenterque cavendum, ne Exequiarum celebratio Ecclesiæ vel Parochiæ Officia consueta impediat vel interturbet. Neque, dum canuntur Vesperæ diei Dominicæ, aut Festi alicujus, ullum in Ecclesia corpus unquam exponatur.

Dum celebrantur Exequiæ, Ornamentorum color, tum in Altari, tum in Cleri habitu sit niger. In Missa *Depositionis*, ante Oblationem Panis Euchatistici, fiat ad Sanctuarii gradus panis & vini oblatio.

Porrò Ecclesia in Cæremoniis quas erga Fideles defunctos adhibere solet, Aquâ-benedictâ utitur, ipsoque thure, seu thymiamate. Corporibus Defunctorum Aquam-benedictam inspergit, ut illis, hac Cæremoniâ & precibus eam comi-

(m) *S. Aug. de sancta Monic.* Conf. *l.* 9. *c.* 12. (*al.* 31.)

tantibus, remissionem peccatorum, levamen in pœnis, refrigerium in flammis obtineat. Thuris vaporem excitatum iisdem impendit, signum charitatis, quâ pro ipsis offert orationes, quasi thymiama usque ad thronum gratiæ ascendens. Et thure significatur offerri Deo virtutes Defunctorum, quæ *odorem suavitatis* usque ad Aram excelsæ Majestatis emittant, congruamque mercedem in cœlo accipiant. Hujusmodi autem honores atque Cæremonias ideò in Fidelium Exequiis observari voluit Ecclesia, quòd ipsorum Corpora tanquam Sponsi augustissimi JESU CHRISTI glorioso Corpori adunata, per fidem contemplatur, ut potè ipsius membra, olim, ut piè sperat, ejus Resurrectionem & gloriam felici consortio assecutura.

Et verò, quæ in Fidelium Exequiis adhibentur Cæremoniæ & Preces, eæ semper in Ecclesia æstimatæ sunt pietatis & Religionis opera, tum sublevandis mortuis, tum vivis qui supersunt, in Domino consolandis perquàm idonea. Ipsa etiam hac de re vigens ab omni ævo disciplina, pretiosum quoddam est monumentum, quo docemur semper in Ecclesia creditam fuisse animarum immortalitatem, futuram corporum resurrectionem, & *Purgatorium*, in quo patiuntur eorum animæ, qui, licèt in statu gratiæ diem extremum clauserint, non tamen ex toto justitiæ divinæ satisfecerunt: quo quidem veluti fundamento stabilitur *sancta & salubris* consuetudo *pro defunctis exorandi* (*n*). Cùmque Hæretici & impii venerandam hanc disciplinam ideò suggillent, ùt dogmata quibus ipsa innititur, quantùm assequi possunt, convellant; eò vividiore studio erga ejusmodi Preces atque Cæremonias exardescere debet zelus Pastorum cæterorumque Sacerdotum.

Id omne insupèr devitent Parochi, quod turpis avaritiæ, animique lucrum immodicè appetentis, & suo ministerio degeneris suspicionem posset vel levissimam afferre (*o*). Ut simoniacum quiddam prohibet Ecclesiastica disciplina, » sordidas exactiones, & pro exe» quiis defunctorum illicitas pac» tiones à Sacerdoribus fieri; (ju» betque ut Episcopi) in hoc de» prehensos Sacerdotes quâ decet » severitate puniant (*p*). » Iis igitur honorariis contenti sint Pastores, quæ pro Sepulturis in hac Diœcesi constituit æqua taxatio. Si post Exequias nihil spontè offeratur, Pastor facultatibus pollentes leniter admonere poterit quid sibi debeant, & reluctantes ad Præsulem Diœcesanum deferre. Memor pii Tobiæ, qui mortuos sive occisos concaptivos etiam capitis periculo requirebat, ut eos honorificè tumularet (*q*), ministerium suum

(*n*) 2. *Mach.* 12. 46.

(*o*) *Conc. Rem. an.* 1583. *tit.* de sepult. *n.* 1. & 2.

(*p*) *Narb. an.* 1609. part. 24. Vide *Hincm. Rem.* Capit. 1. *c.* 12. *Conc. Met. an.* 888. *can.* 4. *Nannet. can.* 6. *Rem. præside Call. II, an.* 1119. *can.* 4. *Later. IV, an.* 1215. *c.* 66. *Salisburg. an.* 1420. *can.* 9. *Rem. an.* 1583. *tit.* de Simoniacis, *n.* 9. *Camer. II, an.* 1586, *tit.* 13. *c.* 3.

(*q*) *Tob.* 1. 20. & 12. 12.

nulli mortuo ægrè adhibere videatur, etiam prævisâ recipiendi honorarii difficultate. Huic tamen integra maneat facultas jus suum coram eo persequendi, ad quem rei cognitio pertinebit (*r*). Sed nihil ab ullo avidiùs sive inhumaniùs exigendum, nihil à pauperibus ùnquam postulandum est (*s*).

Qui moriuntur ita rerum omnium inopes, ut neque propriis, neque suorum impensis honestè tumulari possint, gratuitò curentur ipsorum funera (*t*). Provideat vel pia aliqua *Confraternitas*, vel, eâ deficiente, charitas Pastoris, ne quis, etiam pauperrimus, indecenti negligentiâ funeretur. Omnium Exequiis præsint humanitas & Religio, salvâ tamen, pro genere & conditione, funebrium honorum discrepantiâ. Ecclesiæ sumptibus, si fieri aliter non possit, ardeant Cerei duo àd Altare, & ad feretrum duo pariter. Ut omnia decenter fiant, studeat ipse Parochus diligenter, qui scilicet pauperum patrem se & curatorem, non modò viventium, sed etiam mortuorum esse meminerit: atque idcircò suffragia pro ipsis & Sacrificia, vel sine pretio, non omittat more Christiano celebrare. Quòd si ante meridiem celebretur sepultura, neque offerri possit, præsente Corpore, sanctissimum Missæ Sacrificium, canentur saltem *Laudes* Officii Defunctorum, vel unum è *Nocturnis*: si post meridiem, canentur ejusdem Officii saltem *Vespera*. Eâ demùm pietate ac modestiâ, sive erga divitem, sive erga pauperem, Exequiarum Cæremonias peragant Dei & Domini nostri Jesu Christi Sacerdotes, ut eæ ad mortuorum levamen vivorumque *ædificationem*, non quasi ad turpe lucrum institutæ esse videantur.

Absit autem ut Pastores, ex funerum assiduitate, funera celebrent vagis oculis, evanidâ mente, animo incogitanti. Quin potiùs, quotiès mortuo ad quatuor pedum altitudinem defosso *pulverem mortis* injiciunt (*u*), totiès reminiscantur, sibi olim triste hoc ministerium Collegæ cujuscumque manu adhibendum esse: undè perpetuo velut hortamento excitati, studeant *placere Domino in regione vivorum* (*x*).

Laudationum funebrium usus à seculis vel remotissimis deducitur. Laudati à SS. Patribus post mortem fuère summi Principes, virique ac fœminæ illustres (*y*). Id verò primitùs concessum fuit eximiæ sanctitati ac meritis in Ecclesiam præclaris; timendumque est ne erga multos impleatur illud S. Augustini effatum: *Laudantur ubi non sunt, cruciantur ubi sunt*. Funebrium autem

(*r*) *Conc. Rem. an.* 1583. *tit.* de sepult. *n.* 5.

(*s*) *Synod. Ebroïc. an.* 1576, *ap. Laur. Bouch*. Decr. Eccl. Gall. *l.* 6.

(*t*) *Conc. Rem.* sup. *n.* 3.

(*u*) *Ps.* 21.

(*x*) *Ps.* 114.

(*y*) *Euseb.* de vit. Const. *l.* 4. *c.* 71. *S. Greg. Naz*. or. fun. Cæs. fr. & Gorgon. sor. & Greg. patr. & Basil. & Athan. *quæ sunt* 10. 11. 19. 20. 21 *S. Ambr.* or. in ob. Satyr. fr. & imper. Theod. & Valentin. jun. *Conc. Bavaric. ap. Dingolving. an.* 772. *can.* 13.

Laudationum, juxta Ecclesiæ mentem, scopus est, ut Fideles, mortis consideratione, ad mundi contemptum & ad pœnitentiam inducantur; utque vivis imitanda virtutum exempla proponantur in mortuis publicè laudatis, vel pro his orandi incitamenta sufficiantur. Nullus porrò concione publicâ nisi de Ordinarii licentiâ celebrandus est (ʒ).

Titulorum qui sepulturis inscribuntur, est pariter antiquissima institutio. Mortuâ Rachele, *erexit Jacob titulum super sepulcrum ejus* (*a*). Cavendum est autem ne quid hominis Christiani memoriâ indignum in Epitaphiis legatur. Nec sinant Pastores Mausolæa erigi, trophæa statuasve poni, aut arma signave militaria seu spolia honoraria tumulis appendi, quin præcesserit Diœcesani Antistitis concessus.

Luctum veste lugubri aliisque mœstitiæ signis ostendere, pervetusti moris esse cognoscitur (*b*). Vituperandus quidem est luctus ille vano apparatu ambitiosus & mendax, quem sola consuetudo vestibus inducit; dolorem verò intimum, quem excitat sanguinis vel amicitiæ orbitas, palàm testificari honestum semper fuit (*c*). Induto igitur funebri vestimento, pii mœroris indicia gerantur; sed luctum immodicum beata spes reprimat, dum *scimus fratres non amitti, sed præmitti* (*d*). Absit ut cogitatio tumulis charorum tristiùs oberret. Scilicet homo sepulcri cinere non totus obruitur. Pars ejus nobilior, corpori superstes animus, crassum ac vile, quo premebatur, deposuit involucrum; olimque ipsum corpus novis dotibus præditum, ei rursùs, nec jam dissociandum, adjungetur. Itaque naturam attollat Religio, quæ in sepulcris ostendit cunabula immortalitatis.

Hos sensus alto animo defixos gerant omnes cujusvis conditionis Fideles, maximè verò Pastores, cæterique Sacerdotio insigniti, ad quos pertinet eam religiosi animi celsitatem aliis, datâ occasione, suggerere. Et quidem plurimùm deceret, viros Ecclesiasticos, ubi adsunt propinquorum Exequiis, Superpelliceo indutos inter Clerum potiùs ordinem servare, quàm agmini funereo immisceri; ac prætereà fidem potiorem testari, lugubria nulla vestimentis adhibentes (*e*), quasi cum B. Paulo dicerent: *Neminem novimus secundùm carnem* (*f*).

Suas ethnica superstitio Epulas ferales habuit; quas quidem *inferias, parentalia, silicernium* dicebat. Pro illis, usitatæ Christianis fuerunt *Agapæ*, seu Epulæ *charitatis*, ideòque sanctum quiddam habitæ sunt. Scilicet in ipso sepulturæ loco funebre convivium, vocatis pauperibus, celebrari ab initio con-

(ʒ) *Conc. Tolos. an.* 1590. *part.* 2. *cap.* 10.

(*a*) *Gen.* 35. 20. *Vide S. Hier.* Ep. 27. & 30. (*al.* 86. & 84.)

(*b*) *S. Greg. Nyss.* de virgin. *c.* 3.

(*c*) *Eccli.* 38. 16.

(*d*) *S. Cypr.* de mortal. *Vide S. Aug.* de verb. Ap. *c.* 1 & 2.

(*e*) *Conc. Tolet. an.* 1473. *cap.* 5. *Florent. & Mediol. an.* 1579. *Placent. an.* 1589.

(*f*) 2. *Cor.* 5. 16.

fueverat. Aliud posteà convivium domi institutum est, propter eos qui ad funera invitati fuerant : quod etiamnùm observatur, sive in Exequiis, sive in Anniversario, sive alio quolibet die feralium, quandò, *consolationis mutuæ causâ* (*g*), simul cum propinquis convocantur Parochi, Vicarii, aliique Sacerdotes. Quod quidem funebre convivium, etsi non videtur illaudabile, non tamen decet à viris Ecclesiasticis frequentari, nisi debitâ pietate, modestiâ ac temperantiâ condiatur (*h*). Si quandò igitur Sacerdotes in funereis Epulis intersint, eo modo se gerant qui sit *consentaneus memoriæ mortuorum quam paulò antè recoluerunt* (*i*). *Mensa benedicatur* à Celebrante (*k*), nullumque inter epulas misceatur non satis grave colloquium. Postquàm à *sobria mensa* convivæ surrexerint; præeunte Celebrante, *gratiarum actiones ac Preces pro Defuncti requie, communi omnium voto habeantur* (*l*).

(*g*) *Conc. Bitur. an.* 1584. *can.* 27. de Cœmet. *Conc. Colon. an.* 1536. *part.* 3. *cap.* 29.
(*h*) *Constit. Diœc. Bonon. in It.*
(*i*) *Ibid.*
(*k*) *Conc. Bitur.* sup. *Vide S. Greg. Naz.* conft. 2. *c.* 44. *Hincm. Rem.* Capit. 2. *c.* 14. *Conc. Coyac. in Hisp. an.* 1050. *can.* 5.
(*l*) *Bitur.* sup.

CAPUT VI.

De Exequiis Parvulorum.

Infantes non baptizati, ubinam tumulandi. Infantes baptizati qui ante rationis usum moriuntur, ubinam & quo Ritu sepeliendi. Quidnam intendat Ecclesia in Infantium sepulturis. Consolatio Fidelium parentûm, mortuis ante septennium liberis. Pueri septennes & suprà, quo Ritu sepeliendi.

INFANTES qui non baptizati moriuntur, quandoquidem nunquam fuerunt *Communionis Sanctorum* participes, sepulcri societatem cum iis habere nequeunt. Cæremonia religiosa nec esse nec dici potest eorum sepultura : nullum huic adhibetur Sacerdotale ministerium, nullus Ritus sacer; neque Campani æris sonitus, neque Cerei, neque cantus, neque preces, quæ quidem Adæ filium adhùc sub veteri maledicto jacentem nihil juvarent. Quamvis enim infantes illi ex Fidelibus parentibus nati sint, cùm tamen *renati* non fuerint *ex aqua & Spiritu sancto*, minimè ad populum Dei pertinent, *nec possunt in ejus reg-*

num introire (*a*). Iis opitulari eheu! nequit Religio, ipsorumque sortem deflet, *Dei cujus vult, miserentis* (*b*), inscrutabile judicium adorans.

Ecclesia autem, quibus infantibus Mater esse non potuit, eorum exuvias non quasi omninò sibi alienas existimat, nec illas à suis finibus ex toto abjicit. Parvulos non regeneratos humari præcipit in loco decenti atque honesto; scilicet in aliquo Cœmeterii angulo non benedicto, atque à sepulturis Fidelium aliquatenùs remoto. Hanc verò sollicitudinem in ejusmodi corpuscula impendi maximè decet, tum propter humanæ conditionis ac formæ dignitatem, & animæ quæ ipsis adhæsit immortalis excellentiam; tum propter Fideles parentes à quibus originem sumpserunt.

Esset verò in terra sancta sepeliendus infans, dè quo dubitaretur an ritè & validè fuisset baptizatus. Sic quoque in illum agi deceret, qui mortuus fuisset repertus, & de cujus Baptismo qualicumque nulla posset haberi certitudo.

Quam pietatem in infantes evidenter sine Baptismo defunctos reprimit gemens Ecclesia, eam liberrimâ spiritualique lætitiâ in eos profundit, qui, cùm baptizati fuerint in Christo Jesu, priùs moriuntur quàm rationis usum attigerint. Quoniam usque ad finem corpora ipsorum viva Spiritûs sancti templa fuerunt, ea non solùm in terra benedicta sepeliri debent, imò hæc ipsa tumulari deceret in loco Cœmeterii ab adultorum sepultura disjuncto, Ecclesiæque parietibus viciniore.

Hi nempè infantes ante septennium defuncti, Baptismalis innocentiæ candida *vestimenta non inquinaverunt* (*c*): ideòque *non secundùm opera* sua, quæ nulla sunt, *sed secundùm Dei propositum & gratiam* (*d*), statim ab interitu cœlum ingrediuntur. Tota igitur eorum sepulturæ Cæremonia gaudium quoddam sanctum & religiosum præ se ferat. Nihil in Campanarum pulsu, nihil in cantu, nihil in Ornamentis ad luctum vel tristitiam compositum admisceatur; nihil occurrat nisi *gratiarum actio & vox laudis* (*e*), nisi Cantica & Psalmi gloriam Deo resonantes, propter beatitudinem quâ fruuntur parvuli. In illis Exequiis nunquam ad funebrem numerum, quasi pro adultis, sonent Campanæ, etiamsi alicubi consuetudo illa Ecclesiæ intentioni contraria invaluerit. Altaris & Sacerdotis Ornamenta, pannus loculum induens, tensaque aulæa, non atra, sed candida sint, propter eos qui *ambulant in albis, Agnum sequentes quocumque ierit* (*f*). Feretro, ad situm capitis, florea imponi corona poterit, si per anni tempestatem liceat. Et satis convenienter fiet, si parvulos ad sepulturam efferant pueri Choriales in Albis, quasi Angelis Angelos ob-

(*a*) *Joan.* 3. 5.
(*b*) *Rom.* 9. 18.
(*c*) *Apoc.* 3. 4.
(*d*) 2. *Tim.* 1. 9.
(*e*) *Is.* 51. 3.
(*f*) *Apoc.* 3. 4. & 14. 4.

viàm cœlesti Agno deducentibus. Denique in hujusmodi Exequiis si quandò Missam celebrari postuletur, non celebrabitur Missa qualis habetur ad Exequias Adultorum, sed quæ in Missali extat propria sub hoc titulo : *Missa in Exequiis Parvulorum.*

Jam verò Pastores populum diligenter edocebunt, quænam in hisce Infantium sepulturis sit Ecclesiæ intentio. Scilicet, in Exequiis Adultorum, apud Deum agit precibus & Sacrificiis, ut ipsis relaxetur quod pœnæ luendum superest. In Exequiis autem Parvulorum solas adhibet gratiarum actiones, eò quòd Dominus, *secundùm misericordiam suam magnam, placitas sibi animas properaverit educere de medio iniquitatum* (g), quasi etiamnunc diceret : *Sinite parvulos venire ad me, talium enim est regnum Dei* (h). Adjunctæ Preces nullam pro ipsis culpæ remissionem, nullam pœnæ relaxationem postulant : scopus orationum hic unus est, ut eadem felicitas vivis qui supersunt, post mortem obtineatur; utque per gratiam, fidem & opera illùc ipsi perveniant, quò Infantes solius gratiæ beneficio pervenerunt. Ecclesia verò in eorum corpusculis pretiosa veneratur inviolatæ Baptismalis innocentiæ pignora; simulque gloriosam hujusmodi corporum resurrectionem firmâ cum fiducia expectare se exteriùs profitetur.

Itaque, suaviter adhortantibus Parochis, liberos ante septennium defunctos non immodicè defleant Fideles parentes. Non sit mater Christiana *Rachelis* instar *plorantis filios suos, & nolentis consolari, quia non sunt* (i). » Ignoscimus quidem matris lacrymis, sed modum quærimus in dolore. Si parentem recogito, non reprehendo quòd plangit; si Christianam, isto nomine mater excluditur (k). »

Quod pertinet ad pueros, qui, septennio saltem completo, è vivis excesserunt, pro illorum sepultura easdem preces ac pro adultis adhiberi vult Ecclesia, quæ ipsis ad mortem ægrotantibus Absolutionem sacramentalem & Extremam-Unctionem impendi jubet, ut potè qui à septennio peccandi sint capaces. Id igitur observabunt Ecclesiarum Parochialium Rectores, etiamsi alicubi, contra Ecclesiæ mentem & doctrinam, invaluerit consuetudo sepeliendi Infantium ritu pueros qui infra duodecimum ætatis annum completum è vita decedunt, sicut paucorum dierum infantulos. Parochos tamen hortamur, ut, dum septennes pueros adultorum ritu sepeliunt, constituto pro Infantibus honorario contenti sint.

(g) 1. *Petr.* 1. 3. *Sap.* 4. 14.
(h) *Marc.* 10. 14.
(i) *Matth.* 2. 18. *Jerem.* 31. 15.
(k) *S. Hier.* Ep. 25.



CAPUT

CAPUT VII.

De translatione Corporis è Parochia decessûs in alienam Ecclesiam.

Omnium sepultura communis, est Parochia : exceptiones. Circa sepulturam, observetur extrema Defunctorum voluntas. An conjux conjugi, an filii-familiâs sepulturam sibi eligere possint. In translatione Corporis quænam observanda. Oblatio & acceptio Corporis translati. Observationes. De secularium sepulturis apud Regulares.

Quisque defunctus, in Ecclesia vel Cœmeterio Parochiæ, cujus intrà limites diem clausit extremum, Jure communi, tumulandus est (*a*). Ab hac tamen lege excipiuntur, 1°. Ii quorum familia sepulcrum habet in aliena Ecclesia sibi addictum (*b*). 2°. Qui extra Parochiam tumulari se postulârunt: quæ quidem Defuncti voluntas scripto testibusve probatur, aut ipsâ loci alicujus ad propriam sepulturam ab ipso factâ destinatione, si v. g. in lapide sepulcrali nomen suum incidi curaverit. 3°. Filii natu minores, quos extra Parochias tumulari postulant parentes.

Quamvis ergò Ecclesiæ sit intentio communis, ut Fideles in sua quisque Parochiâ sepeliantur, aliam nihilominùs fas est eligere sepulturam (*c*); si quis præsertim *in sepulcro majorum* quiescere concupiscat (*d*). Enimverò innatum pietatis affectum, quo suos quisque cineres patrum cineribus admisceri cupit, celeberrimo exemplo consecrarunt *defuncti juxta fidem* Patriarchæ (*e*). Jacob mortuum, Joseph cæterique filii ab ipso adjurati, transtulerunt ex Ægypto in terram Chanaan, ut dormiret cum patribus suis Abraham & Isaac (*f*) : quibus cùm ipse *Joseph* conjungi vellet, *moriens de ossibus suis mandavit* ut ea filii Israël indè illùc secum asportarent (*g*): quod quidem, duce Moyse, præstitum est (*h*). Postquàm S. Ludovicus, grassante lue in littore barbarico victus, invictam

(*a*) *C.* 13. *q.* 2. *c.* 7. Decret. *tit.* 28. *c.* 1. & *seq. Bonif. VIII*, *in* 6. *l.* 2. *tit.* 12. *c.* 1. & *seq. Clementin. tit.* 7. *c.* 1.
(*b*) *Leo III*, *Decret. l.* 3. *tit.* 28. *c.* 1. *Inn. III*, *c.* 3.
(*c*) *C.* 13. *q.* 2. *c.* 2. 3.
(*d*) *Gen.* 47. 30.
(*e*) *Hebr.* 11. 13.
(*f*) *Gen.* 47. 30. 31. & 49. 29. 30. 31.
(*g*) *Gen.* 50. 5. 13. 24. *Hebr.* 11. 22.
(*h*) *Exod.* 13. 19.

animam Deo reddidit; ossa ejus in patriam advecta, Philippus filius ad Regum atavorum sepulturam, subjectis humeris, transtulit (*i*). Atque ut celeberrimis exemplis nostrâ etiam ætate claresceret electio sepulturæ, pius ille magnanimusque Delphinus, eheu! immaturâ morte præreptus, Ecclesiam in qua tumularetur, designavit; dignaque tali conjuge Delphina, non diù superstes, ad latus ejus componi voluit (*k*).

ITAQUE, circa sepulturæ locum, piè observetur suprema Defunctorum voluntas, Testamento, aliisve Litteris publicis coram Parocho seu Notário consignata; vel certè, in articulo mortis, Parocho distinctè & liberè coram testibus denuntiata. Quòd si Testator certum sepulturæ suæ locum non expressè designaverit, neque Testamenti curatoribus, propinquisve aut amicis curam eligendæ sibi sepulturæ commiserit; penès propinquos vel Testamenti curatores non erit ut ei sepulturam eligant: sed in Parochia, vel in sepulcro familiæ tumulabitur, quamvis probari possit ipsum olim, aut etiam extremo in morbo, placitam sibi alio in loco sepulturam indicasse; nisi, deficiente tempore ad suam voluntatem scripto consignandam, Pastori ut dictum est, coram testibus idoneis, eam præsenti sermone significaverit. Neque marito sepulturam uxoris, neque uxori licet mariti sepulturam eligere, nisi mutuam hanc superstiti curam per Testamentum commiserint. Quod pertinet ad filios-familiâs nondùm sui juris, quorum scilicet parentes adhùc vivunt, cùm sint eousque intestabiles, de sepultura sibi providere nequeunt: circa ipsam parentibus omnis permittitur libertas. Sed filiifamiliâs Matrimonio juncti, vel jure acquisito gaudentes, ac testandi capaces, vel Testamento, vel emissâ coram Pastore ac testibus declaratiòne, sibi sepulcrum eligent: sin aliter, in Parochia sepelientur.

Quamvis igitur Fidelibus, juxta Canonum Sanctiones ac præsentem Ecclesiæ consuetudinem, sepulturæ suæ locum eligere omninò liceat, ipsi tamen à Pastoribus moneantur, Parochiam communitùs anteponi debere: cui nempè nativitatem spiritualem, Christianam institutionem, & quidquid in CHRISTO JESU optimum est, acceptum referunt. Hinc Legibus Ecclesiæ prohibetur ne Regulares ullum Fidelem ad eligendum extra Parochiam sepulcrum inducant. Si quis sponte suâ, neque ullius instinctu, aliam sibi sepulturam publicè apertèque designaverit; non sine Cleri comitatu, Precibus ac Cæremoniis in Pastoralis hujus parte rituali descriptis corpus ejus transferetur.

DEFUNCTI Corpus, sive ad Regulares, sive ad alienam Paro-

(*i*) *Die 22 Maii, an.* 1271.

(*k*) Ludovicus Delphinus IX, *Ludov.* XV *Regis Christianiss. filius unicus, Pater* LUDOVICI XVI, *natus 4 Sept.* 1729; *mortuus 20 Dec. 1765. sepultus in Eccl. Senon. ut ipse postulaverat.* Maria-Josepha Saxonica, Delphina; *nata 4 Nov.* 1731: *mortua 13 Martii* 1767.

chiam è domo in qua mors evenerit, ad eum quem pro sepultura sua designaverit locum non efferetur, nisi priùs à proprio Pastore, seu Vicario, levatum fuerit, atque in propriam Parochialem Ecclesiam delatum (*l*), ubi Exequiarum Officium, præsente Corpore, celebrabitur (usque ad humationis Ordinem exclusivè), quasi Corpus non alibi sepeliendum foret. Deindè Parochus aut Vicarius Superpelliceo & Stolâ nigri coloris indutus, feretrum comitabitur ad designatum sepulturæ locum. Parochus aut Vicarius, cum Clero, Secularem vel Regularem Ecclesiam ingredietur, in qua Defuncto electum fuerit sepulcrum (*m*). Ubi ventum erit ad partem *Navis* Choro viciniorem, absoluto cantu qui fuerat incœptus, Pastor Defuncti proprius, seu Vicarius, brevi sermone ad id composito Corpus offeret Pastori, aut Superiori, vel Sacerdoti ad illud suscipiendum præposito; cui testabitur, Fidelem, cujus mortales tradit exuvias, in Ecclesiæ Communione diem supremum obiisse. Ille autem paucis respondebit oratiunculæ Pastoris offerentis : cujus mutuæ sermocinationis exempla proprio loco descripta invenientur (*n*). Corpore deposito, Parochus advena recedet cum Clero silente; nisi tamen invitatus, & Stolâ, ut venerat, ornatus, in toto sepulturæ Officio intersit.

Quanquàm transferendum Corpus offerri ac suscipi aliter posse innuit conciliatrix animorum charitas, per quam *honore se invicem preveniunt* Collegæ (*o*). Scilicet Parochus, cui Corpus in propria Ecclesiâ sepeliendum est, ad domum Defuncti, comitante Clero suo, procedit cum Parocho & Clero Parochiæ illius in qua jacet Corpus exanimum : tunc verò, ex decenti comitate, uterque sibi sua jura mutuò concedunt; is enim levat Corpus, cujus in Ecclesiam deferendum est; alter in illa Ecclesia funebre Officium celebrat, & Corpus mandat sepulturæ. Quidquid autem super hoc eligatur, omnia propter *ædificationem* fiant, nihil *propter invidiam & contentionem* (*p*).

Quòd si verò longiùs ab Ecclesia Parochiali distet electus sepulturæ locus, & Corpus rhedâ inclusum deferri oporteat; funalia hinc & indè à Defuncti familiaribus deferentur : ipse autem Sacerdos decenter vectus rhedam funeream sequetur. Nunquam autem Corpus rhedâ inclusum sine Clero & *Luminari* vehetur, nisi priùs à Nobis impetrata fuerit sic agendi licentia (*q*).

Ubi Corpus è Parochia decessûs in alienam Ecclesiam transferri contigerit, honorarium Pastori proprio integrum solvetur (*r*). Ecclesiæ verò in quam transferendus erit aliquis

(*l*) *Stat. Syn. D. Franc.* de Harlay, *Parisf. Archiep. an.* 1673. *art.* 14. *Synodic. Eccl. Parisf. pag.* 188.
(*m*) *Ibid.*
(*n*) *Tom. III.*

(*o*) *Rom.* 12. 10.
(*p*) *Phil.* 1. 15.
(*q*) *Stat. Syn. D.* de Harlay, *sup.*
(*r*) *Conc. Ænham. in Angl. inter an.* 1006. & 1013. *can.* 14.

Defunctus, sacra Metalla non priùs ad funebrem numerum resonare incipient, quàm Parochiani decessum nuntiaverint propriæ Campanæ. Et similiter, si pluribus Officiis, præter Exequias, feralia innoventur, in Parochia Defuncti Res divina primùm celebrabitur.

OMNIBUS Fidelibus intrà Parochiæ limites decedentibus justa funebria persolvere, jus & officium Pastoris est: atque idcircò sub pœnis Juris vetamus ne quis Religiosus Mendicans, aliusve quilibet Regularis, in propria Ecclesia vel Cœmeterio humandum suscipiat ullum cujuslibet Parochiæ incolam, nisi priùs Defuncti Corpus à Pastore illius Parochiæ in qua obierit, domo elatum, sibi autem ritè oblatum atque traditum fuerit. Quòd si Regulares in pompæ funebris partem vocati fuerint, ipsius horam designabit Parochus, sive apud illorum Ecclesiam, sive alibi celebranda sit humatio.

CAPUT VIII.

DE Funeribus in Parochiales Actorum Codices referendis.

FUNERA quomodò inscribenda. Quomodò inscribendus infans apud nutricem defunctus, adultus ignotus, &c. Translato Corpore, gemina Funeris inscriptio. Si Corpus longissimè transferatur, quid sit observandum.

QUEMADMODUM Ecclesia filios sibi per Baptismum genitos Actis Baptismalibus gaudet inscribere; ita, postquàm decesserunt, eos in Funerum Acta refert, mœrens quidem, attamen sperans, non sine multo solatio, ipsos divinis Sacramentis præmunitos *à morte in vitam transisse* (*a*); dumque nomina sibi charissima terrenis litterarum monumentis commendat, eadem *scripta in cœlis* inveniri ad gloriam immortalem apprecatur (*b*).

Neque sola instituit Ecclesiæ pietas, ut mortui Fideles in Parochiarum Acta referrentur: quin etiam, ut, auspice Religione, certò constaret rerum humanarum status, sapientissimas hac de re Leges posuit civilis Administrationis providentia (*c*); quæ quidem ut suum effectum sortiantur, hæc præcipienda & docenda censuimus.

STATIM atque Corpus tumulatum fuerit, Pastor, seu Vicarius, in ge-

(*a*) *Joan.* 5. 24. (*b*) *Luc.* 10. 20. (*c*) *Vide*, *Tom. III*, Declar. Regiam circa Codices Bapt. Matrim. & Sepult. *datam* 9 *Apr.* 1736.

mino Actorum Codice inscribet, vel rectè appositèque inscribi curabit Defuncti nomen & cognomen, sexum, ætatem & conditionem seu professionem (addito, si sit locus, conjugii vinculo, superstitisque conjugis nomine), domicilium, diem obitûs & diem sepulturæ: exprimetur etiam, eum extremis Ecclesiæ Sacramentis munitum decessisse; quod quidem exprimi si non sinat rei veritas, id omninò reticebitur: adjicietur, sepulturam coram duobus tribusve testibus fuisse peractam; testiumque nomina, cognomina, conditio ac domicilium indicabuntur (*d*). Ad hoc verò testimonium eligentur ii, quantùm fieri poterit, quos Defunctus habuerit genere proximos Exequiis astantes; quibuscum ipse Parochus Actis funereis in utroque Codice subscribet: si verò testes ritè interpellati se subscribendi nescios declaraverint, id infine singulorum Actorum annotabitur.

Idem observabitur circa pueros, etiam infantes recèns natos, & *de utero translatos ad tumulum* (*e*). Eorum nomini, cognomini, sexui, ætati addentur nomen, cognomen & conditio parentûm: quod pariter locum habebit erga filios-familiâs, tametsi ætate majores quàm ut sui juris non sint.

Cùm infans lactens, extra paternam domum apud nutricem defunctus, sepulturæ mandatus fuerit; præter infantis nomen, cognomen, sexum, ætatem, diem obitûs & diem sepulturæ, præter utriusque parentis nomen, cognomen, conditionem ac domicilium, paribus indiciis nutrix designabitur. Quòd si patris & matris ignorentur nomina; infantis nomen, cognomen, sexus, ætas, dies obitûs & sepulturæ in supradictos Codices referentur: notabitur insupèr, à quibus, & à quo tempore nutrix lactandum susceperit infantem.

Si mortui alicujus adulti nomen sit ignotum; ipse per ætatem ad quam pervenisse videbatur, per sexum, professionem, patriam, corporis formam, speciem vestimentorum quibus indutus erat, sive per alia ejusmodi propria indicia, quantùm fieri poterit, in Actorum Codicibus designetur. Quotiès autem in Parochia peregrinus aliquis gravi morbo afficietur, de omnibus quæ ad ipsum dignoscendum attinebunt, prudenter ex eo sciscitetur Parochus, aliusve Sacerdos ei Sacramenta ministrans; ut, si quid humanitùs contigerit, de ipsius decessu iis quorum interfuerit, certum possit exhibere testimonium.

Quòd si, ut fit nonnunquam, in terra sancta tumuletur corpus hominis in pœnam scelerum necati; in mortualem Codicem referatur dies mortis & sepulturæ, sed mortis genus reticeatur; ne, relato in publicas Litteras supplicio, inusta propinquorum existimationi hæreat infamia.

Quandò è propria Parochia in alienam Ecclesiam Corpus transla-

(*d*) *Stat. Syn. D. Steph.* Poncher, *Paris. Episc. ante an.* 1519: *necnon D. Eust.* du Bellay, *an.* 1557. *n.* 7.

(*e*) *Job*, 10. 19.

tum fuerit, in propriæ Parochiæ Codicibus inscribetur Defuncti nomen, cognomen, sexus, ætas, conditio, nexus etiam conjugalis (si sit locus), domicilium, dies mortis, & dies translationis in aliam Ecclesiam, quæ proprio nomine indicabitur: subscribent testes saltem duo, & Parochus. Præterea in illius Ecclesiæ in quam translatum fuerit Corpus, gemino Codice inscribetur dies obitûs, translationis, sepulturæ, cæteraque ut in propria Parochia. Subscribent testes cum Parocho, vel Superiore, qui Corpus humandum susceperit. Si Corpus longissimè transferatur; Sacerdos qui rhedam funeream comitatus fuerit, à Parocho, vel Superiore ad quem accesserit, scriptum de suscepto Corpore testimonium afferat Pastori, à quo illud in utrumque Actorum Codicem inseratur, aut saltem in margine per notulam ipsius chirographo munitam consignetur.

Omnium ejusmodi Actorum formulæ in Pastoralis hujus parte Rituali occurrunt.

FUNEREOS autem Codices domi vel in Vestiario sub sera & clavi diligenter asservet Parochus; neque eos à quoquam temerè attrectari patiatur, nec cuiquam ipsos facilè committat.





TRACTATUS OCTAVUS.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

VERSABITUR præsens Tractatus in dicendo, 1°. De Sacerdotio novæ Legis; & de Ecclesiastica Hierarchia, seu de Ordinibus in genere: 2°. De Ordinibus in specie: 3°. De Ordinis gratiâ, charactere, materiâ, formâ, & Ministro: 4°. De dispositionibus ad suscipiendos Ordines requisitis: 5°. Quid Parochi circa Ordinandos præstare possint ac debeant: 6°. De officiis Presbyterorum è sacra Ordinatione recentium.

CAPUT PRIMUM.

De Sacerdotio novæ Legis; & de Ecclesiastica Hierarchia, *seu* de Ordinibus in genere.

AMBO, quæ tractanda supersunt, Sacramenta in generali prospectu posita. Quid sit Ordo: an verè Sacramentum. Ordinis prærogativæ. Sacerdotium cum omni Religione conjunctum: augustius in Christiana quàm in Judaïca. Sacerdotium impropriè dictum. Verum novæ Legis Sacerdotium, à quo, & quandò institutum. Successio Pastorum. Ordo Hierarchiæ.

CERTANTEM *in agone* Christiano *ut bravium supernæ vocationis* assequatur (*a*), hominem prosecuti sumus à regenerationis lavacro, in

---

(*a*) 2. *Tim.* 2. 5. *Phil.* 3. 14.

quo secundùm spiritum regeneratus est, usque ad sepulcri pulverem, undè secundùm carnem est ipse resuscirandus. Nemo quidem nascitur, nisi eâ lege ut moriatur; tamque incredibili celeritate prætervolant & effugiunt dies nostri, ut verè non minùs quàm significanter à Psalte Regio dictum fuerit: *In imagine pertransit homo* (*b*). Sint hæc humanæ conditionis propria, ex quo *peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors* (*c*). Ecclesia verò, dum *generatio præterit & generatio advenit* (*d*), dum imperio succedit imperium, semper immutabilis perseverat: cunctis in circuitu senescentibus, non senescit; corruentibus, non corruit; morientibus, non moritur; ut potè quæ per Matrimonium continuâ prolis successione suppletur, & per Ordinem jugi Sacramentorum influxu sanctificatur. Scilicet per Matrimonium generantur filii secundùm carnem, quos sibi Deus & Ecclesia secundùm spiritum filios indesinenter adoptent. Per Ordinis verò Sacramentum fœcundâ consecratione gignuntur *Patres* spirituales (*e*), publici Præsides *in iis quæ sunt ad Deum* (*f*), Pontifices nempè & Sacerdotes, qui natos seculo per Matrimonium filios, Ecclesiæ & Cœlo regenerent, perpetuâque Ministerii successione perpetuam in terris Ecclesiam efficiant, Sacramentorumque administratione sanctificent, donec ipsa, Deo glorificante, in cœlesti patria consummetur.

Hæc est profunda Sacramentorum ratio, hic geminus sublimisque finis, Ecclesiæ videlicet perennitas, ejusque membrorum sanctificatio. Atque hæc imprimis per Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam Extremamque Unctionem obtinetur; illa verò per Ordinem & Matrimonium. Sunt quinque priora Sacramenta necessitate *medii* vel *præcepti* ad salutem cuique Fideli necessaria: posteriora autem duo instituta sic fuêre, ut non omnibus & singulis Ecclesiæ membris, sed ut solùm universo ejus Corpori necessaria essent. Hactenùs de illis diximus: nunc de his ad suscepti Operis consummationem dicendum superest; ac primò quidem de Ordine sermonem instituemus.

Est Ordo, seu sacra Ordinatio, *Sacramentum novæ Legis à Christo Domino institutum, per quod, verbis & signis exterioribus ab Episcopo adhibitis, confertur Ordinato gratia & spiritualis quædam potestas, sive ad Eucharistiam consecrandam, sive ad alia Ministeria Ecclesiastica, præsertim quæ ad ipsam referuntur, obeunda.*

Verum quidem Sacramentum esse, fidei dogma est à Concilio Tridentino definitum. » Cùm Scripturæ » testimonio (ait sancta Synodus), » Apostolicâ traditione, & Patrum » unanimi consensu perspicuum sit, » per sacram Ordinationem, quæ

(*b*) *Ps.* 38.
(*c*) *Rom.* 5. 12.
(*d*) *Eccl.* 1. 4.
(*e*) *Conc. Paris. VI*, *an.* 829, *l.* 1. *cap.* 4.
(*f*) *Hebr.* 5, 1.

» verbis

» verbis & signis exterioribus perficitur, gratiam conferri; dubitate nemo debet Ordinem esse » verè & propriè unum ex septem » sanctæ Ecclesiæ Sacramentis; inquit enim Apostolus: *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum* (g). » Idem prætereà Concilium Hæreticos dogma illud negantes, inflicto anathemate, condemnat (h).

Et verò, in sacra Ministrorum Ordinatione concurrunt ea omnia quæ ad propriè dictum Sacramentum constituendum requiruntur: signum videlicet sensibile, gratiæ promissio huic annexa, & divina institutio. Signum quidem sensibile, in impositione manuum Episcopi, prout liquet ex Actibus Apostolorum, ubi de Sauli & Barnabæ Ordinatione sic legitur: *Tunc jejunantes, & orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos* (i). Deindè huic manuum impositioni annexam esse gratiam declarat Apostolus verbis superiùs à Concilio Tridentino laudatis. Et quidem cùm Christus Apostolis potestatem contulit peccata dimittendi, sic eos allocutus est: *Accipite Spiritum sanctum;* &c. (k). Hoc autem *Spiritûs sancti* donum gratiam sanctificantem procul dubio complectebatur. Posttremò divinum mandatum divinaque institutio declarantur Scripturæ loco, ubi Spiritus sanctus *segregari sibi* præcipit *Saulum & Barnabam in opus ad quod assumpserat eos* (l), in opus scilicet ministerii Sacerdotalis, animarumque sanctificationis.

Porrò traditionis Apostolicæ, quam in medium affert Synodus Tridentina, luculentissimus testis est S. Augustinus, qui de Baptismo & Ordine disserens, » Utrumque, inquit, Sacramentum est, » quod nemo dubitat. Quadam consecratione utrumque homini datur, illud cùm baptizatur, istud » cùm ordinatur: ideòque in Ecclesia Catholica utrumque non licet » iterari (m). » Quibus ex verbis id ulteriùs colligitur, per Sacramentum Ordinis indelebilem in anima characterem imprimi, ipsumque semel tantùm posse ab homine Christiano suscipi.

Atque hoc idem, Ecclesiæ firmamentum & columna dici meritò potest, tanquam perpetuo verbi ministerio perpetuam faciens doctrinæ intemeratæ successionem. Tum etiam (quæ Sacramenti hujus altera prærogativa est) ab ipso ita pendent cætera Sacramenta, » ut sine » illo partim confici & administrari nullomodò queant, partim solemni cæremoniâ & religioso quodam ritu ac cultu carere videantur (n). Sed in eo maximè præcellit Sacramentum Ordinis, quòd sanctissimum JESU CHRISTI Corpus & Sanguinem consecrandi, Deoque in augustissimo Altaris Sacrificio offe-

(g) *Conc. Trid.* Sess. 23. de Ord. c. 3.
(h) *Ibid.* Can. 3.
(i) *Act.* 13. 3. (k) *Joan.* 20. 22.
(l) *Act.* 13. 2.
(m) Cont. Epist. Parmen. *lib.* 2. *c.* 13. *n.* 28. *t.* 9. *nov. edit.*
(n) *Cat. Conc. Trid.* de Ord. Sacram. *cap.* 7. *n.* 1.

rendi potestatem conferat. Sacerdotii, quod caput Ordinis esse intelligitur, hic triumphus est, hæc suprema gloria. Si enim tam mirificum stupendumque fuit, ut ad vocem Josue steterit sol (*o*); quantò majus prodigium est, ut ad vocem Sacerdotis præsens sistatur solis creator? Per hoc scilicet potestatis miraculum, Sacerdotes Angelis ipsis præeminent: his utique datum est ut Dei Filium inter Sacerdotum manus Victimam factum adorent, non autem ut possint ipsi Victimam facere.

JAM verò à Sacrificii necessitate, quam suo loco demonstravimus (*p*), oritur Sacerdotii necessitas. Quemadmodùm sine Sacrificio, ita & sine Sacerdotio, nulla neque esse, neque concipi Religio potest. Multiplicis generis sacerdotes, sacrificos, flamines, antistites, præsules, pontifices memoriæ prodidit superstitio veterum Ethnicorum, *dæmoniis & non Deo, immolantium* (*q*). Sub Lege Naturæ, Sacerdotii munus executi sunt patres-familiâs: sic *Noë* egressus de Arca, *ædificavit Altare Domino, & obtulit holocausta* (*r*). *Lex per Moysen data* (*s*), suam habuit Hierarchiam: Pontificem nempè, tum Sacerdotes secundi ordinis; postremò Levitas, in cultu Tabernaculi & in universis operibus ministerii Templi, sub manu filiorum Aaron, Deo servientes (*t*). Cujus veteris Sacerdotii ministeria, sacrificia, ritus & cæremonias, vestimenta & pompam accuratissimè per singula capita Deus ipse constituerat, ut *sanctificaretur in iis qui sibi appropinquarent* (*u*). Sed in veteri Lege, quæ *nihil ad perfectum adduxit* (*x*), Sacerdotium illud, usque adeò verendum & augustum, nihil aliud fuit præter inanem Sacerdotii à Domino JESU CHRISTO instituendi umbram & figuram. » Nunc etenim & ordo » clarior Levitarum, & dignitas » amplior Seniorum, & sacratior » est unctio Sacerdotum; qui scilicet » offerunt Hostiam viventem, sanc» tam, Deo placentem, omni le» gali sacrificio splendidiorem & » puriorem (*y*). » Itaque, abrogatâ Lege, abrogatum necessariò fuit legale Sacerdotium, eique successit Hierarchia longè sublimior; cujus auctor fuit CHRISTUS JESUS, non secundùm ordinem Aaron, sed *secundùm ordinem Melchisedech Pontifex factus in æternum* (*z*), qui proindè Sacerdotii non habet successores, sed consortes & vicarios.

Et certè » Sacrificium & Sacer» dotium ita Dei ordinatione con-

(*o*) *Josue*, 10. 12. 13.
(*p*) *Tom. I*, De Sacrif. Euch. *Div. I. Cap* 1.
(*q*) *Deut.* 32. 17.
(*r*) *Gen.* 8. 16. 20.
(*s*) *Joan.* 1. 17.
(*t*) 4. *Reg.* 23. 4. *Num.* 3. 10. & 16. 9. 1. *Paral.* 23. 28. *Vide Exod.* 28. 1. *Num.* 3. 6. 25. & *seq.*
(*u*) *Levit.* 10. 3.
(*x*) *Hebr.* 7. 19.
(*y*) *S. Leo*, *Serm.* 8. de Pass. Domini, *c.* 7. *S. Greg. Naz.* Or. 21.
(*z*) *Hebr.* 6. 20.

» juncta sunt, ut utrumque in omni » lege extiterit. Cùm igitur in novo » Testamento sanctum Eucharistiæ » Sacrificium visibile ex Domini » institutione Catholica Ecclesia ac- » ceperit; fateri etiam oportet, in » ea novum esse visibile & exter- » num Sacerdotium, in quod vetus » translatum est (*a*). » Quamvis enim Fidelium societatem universam, *sanctum* & *regale Sacerdotium* vocaverit B. Petrus (*b*); non tamen hoc ita intelligendum est, ut nulla Clericos inter & Laïcos agnoscatur differentia, præter electionem ad munus prædicationis (*c*). Fidelium Sacerdotium quale sit, ipse in eodem loco disertè exprimit Apostolus, nempè internum & impropriè dictum, atque in eo totum ut *offerant* Deo *spirituales hostias* (*d*), id est, preces, laudes, gratiarum actiones; utque Sacerdoti Rem sacram facienti comitem adjungant suam intentionem, suique ipsorum oblationem, ad consequendum Sacrificii fructum. Quem verò Sacerdotem fecit Ordinatio Canonica, hic quidem, *non ab hominibus, neque per hominem, sed per* JESUM CHRISTUM (*e*), auctoritate cœlesti atque indelebili charactere præditus est, *ut offerat Sacrificia pro peccatis* (*f*). Hac divinâ origine insignitum, celsitudinem omnem transcendit verum ac propriè dictum novæ Legis Sacerdotium.

» Hoc autem ab eodem Do- » mino Salvatore nostro institutum » esse, atque Apostolis, eorumque » successoribus in Sacerdotio, po- » testatem traditam consecrandi, » offerendi & ministrandi Corpus & » Sanguinem ejus, necnon & peccata » dimittendi & retinendi, sacræ Lit- » teræ ostendunt, & Catholicæ Ec- » clesiæ traditio semper docuit (*g*). » Atque id effectum esse intelligitur, primùm quidem, cùm, transactâ nocte *in oratione Dei, vocavit discipulos suos, & elegit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos nominavit* (*h*); prætereà, cùm *misit illos prædicare regnum Dei* (*i*); atque etiam pridiè Passionis & mortis suæ, cùm Apostolis Corporis & Sanguinis sui consecrandi, offerendi atque dispensandi potestatem fecit, & simul præceptum denuntiavit, dicens: *Hoc facite in meam commemorationem* (*k*); deindè, post Resurrectionem suam, cùm, *ponens in eis verbum reconciliationis* (*l*), *Sicut misit me Pater*, inquit, *& ego mitto vos; insufflavit, & dixit eis: Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt* (*m*); intermedioque illo Resurrectionem

(*a*) *Conc. Trid.* Seff. 23. *cap.* 1.
(*b*) 1. *Petr.* 2. 5. 9.
(*c*) *Conc. Paris. an.* 1528, decr. fidei 10, *art.* de Sacram. Ord.
(*d*) 1. *Petr.* 2. 5.
(*e*) *Gal.* 1. 1.
(*f*) *Hebr.* 5. 1.
(*g*) *Conc. Trid.* sup. *Vide Bitur. an.* 1584. *tit.* 24.
(*h*) *Luc.* 6. 12. 13.
(*i*) *Luc.* 9. 2.
(*k*) *Luc.* 22. 19. 1. *Cor.* 11. 23. 24. 25.
(*l*) 2. *Cor.* 5. 19.
(*m*) *Joan.* 20. 21. 22. 23.

inter & Ascensionem suam tempore, cùm, *per dies quadraginta apparens eis, & loquens de Regno Dei* (*n*) (id est, de Ecclesiæ constitutione & regimine), mandata reliquit, ut meritò creditur, de pluribus Sacramentis administrandis; postremò, cùm, nostræ Redemptionis opere consummato, jamjam in cœlum ascensurus, iisdem dixit: *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ, baptizantes eòs in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti, docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis* (*o*). Quibus verbis, aliisque paulò antè memoratis, » instituit Christus Dominus duo» decim Apostolos Ecclesiæ suæ mi» nistros, dispensatores verbi sui & » Sacramentorum (*p*), » tam verè ac propriè eosdem volens *pro se legatione fungi*, ut, si quis illos audiret, ipsum audire, si quis illos sperneret, ipsum spernere judicaretur (*q*). Quæ quidem potestas missioque eximia, ex Apostolis ad eorum in Sacerdotio successores procul dubio dimanavit (*r*). Hinc illa Pastorum in Ecclesiis legitima, & non interrupta successio: quæ sicubi adesse ostendatur, certissimè adest Ecclesia *superædificata super fundamentum Apostolorum* (*s*); sicubi autem deficiat, manifestè languescit ramus trunco avulsus, falso & ementito nomine Ecclesia, non Populus Dei, sed *synagoga Satanæ* (*t*).

Itaque Salvator noster, tanquam summus Sacerdos, Ecclesiæque Pastor universalis, Sacramentum Ordinis ideò instituit, ut pro se haberet qui suum per secula Sacerdotium exercerent, & quos sibi gratularetur Ecclesia *dispensatores Mysteriorum* (*u*), *Ministros novi Testamenti* (*x*), ac denique inter Dominum & Fideles, velut sequestros & medios (*y*), ipso summo Dei & hominum mediatore CHRISTO JESU (*z*).

ESSE autem » in Ecclesia Catholi» ca Hierarchiam divinâ ordinatione » institutam, quæ constat ex Episco» pis, Presbyteris, & Ministris (*a*), » res est ad fidem pertinens. Primum locum obtinent *Episcopi, quos Spiritus sanctus posuit regere Ecclesiam Dei*; ipsique soli, tanquam Apostolorum successores, Ecclesiam docentem constituunt, ut potè qui soli sunt fidei judices, solique jure innato decretoriam in Conciliis sententiam ferunt (*b*). Quamvis enim, primis Ecclesiæ temporibus, & *Episcopi* & *Presbyteri* promiscua esset

(*n*) *Act.* 1. 3.
(*o*) *Marc.* 16. 15. *Matth.* 28. 19. 20.
(*p*) *Conc. Bitur. suprà.*
(*q*) 2. *Cor.* 5. 20. *Luc.* 10. 16.
(*r*) *Conc. Trid.* sup.
(*s*) *Eph.* 2. 20.
(*t*) *Apoc.* 2. 9. *Vide Tert.* de Præscript. c. 32. *S. Iren. l.* 3.
(*u*) 1. *Cor.* 4. 1.
(*x*) 2. *Cor.* 3. 6.
(*y*) *Deut.* 5. 5.
(*z*) 1. *Tim.* 2. 5.
(*a*) *Conc. Trid.* Sess. 23. *can.* 6. *Vide S. Ign.* Ep. ad Smyrn. ad Polyc. &c. *Tert. Orig. S. Cypr.* &c.
(*b*) *Act.* 20. 28. *Act.* 15. 19.

appellatio (*c*), gradus tamen distincti semper fuerunt. Episcopum, tam Ordinis quam Jurisdictionis potestate, Presbytero esse Jure divino superiorem indubitanter constat (*d*). Ordinis quidem potestate superior est : nam Confirmationis & Ordinis administrat Sacramenta ; quod quidem Presbytero non competit nisi *extraordinariè* solam & quoad Confirmationem : Jurisdictione verò, hanc. enim propriam & ordinariam habet per totam Diœcesim ; Presbyter autem, vel vicariam tantùm Jurisdictionem obtinet ac delegatam ; vel ordinariam, sed in quadam solummodò parte Diœcesis. Et certè Episcoporum, *qui in Apostolorum locum successerunt* (*e*), hæc prærogativa est, ut in toto suæ ditionis territorio Clerum populumque regant & pascant, quin etiam ut in gravi delicto contumaces pœnis Canonicis coërceant.

Nec verò quisquam animo fingat eam Episcopatûs naturam esse, ut Sacerdotes ordinandi *Patresque gignendi* (*f*), & Spiritum sanctum in Confirmatione tradendi solam potestatem faciat. Quin potiùs, hoc sublimi Ordine insignitus, eo in loco habendus est, ut eminentem cujuslibet functionis Hierarchicæ & Sacerdotalis, totiusque Ecclesiastici regiminis auctoritatem in se complecti existimetur, utpotè omnium Diœcesis Ecclesiarum *Speculator* (*g*), idemque Pastor ovium simul & Pastorum (*h*). Et quidem Episcopali consecratione traditur Sacerdotii complementum, apex & primatus : undè Episcopus eadem cum Presbyteris Sacramenta celebrans, agit ut supremus Sacerdos, ut Christi in sua ditione Vicarius, Apostolicæque potestatis hæres ; Presbyteri autem, etsi cum Episcopo Sacerdotii participes, Sacramenta non celebrant nisi jussu Episcopi, tanquam sibi pro Domino præsidentis (*i*). Neque Evangelium annuntiant, nisi præeunte ipsius concessu, vel nisi Pastores ab ipso fuerint canonicè instituti (*k*). Hinc secundi Ordinis Pastores, tametsi divinam CHRISTI JESU in populos sibi commissos auctoritatem exercent, Episcopo tamen subjectos se fatentur. Hinc Episcopatus à Presbyteratu distinguitur, ut potè novum characterem imprimens, vel certè Presbyteratum, quem præsupponit, extendens ; veramque habet Sacramenti rationem. A tribus Epis-

---

(*c*) *Act.* 20. 17. *Tit.* 1. 5. 6. 7. 2 *Joan.* 1. 3 *Joan.* 1. *S. Clem. Rom.* Ep. 1. ad Cor. *S. Iren.* adv. Hær. *l.* 4. *cap.* 43. *S. Clem. Al.* Strom. *l.* 7. *S. Cypr.* Ep. 41. (*al.* 44.) & Ep. 45. (*al.* 48.) *S. Chrys.* Hom. 1. in Ep. ad Philipp. *S. Hier.* Ep. 83. (*al.* 82.) & l. 1. in Ep. ad Tit. *cap.* 1. *v.* 5.

(*d*) *Act.* 21. 18. *S. Ign. Ep.* ad Smyrn. *S. Greg. Naz.* Or. 21. in laud. S. Basil. *S. Leo*, Ep. 12 *c.* 4. *S. Epiph.* Hær. 75. *n.* 3. *Conc. Trid.* Sess. 23. *can.* 7.

(*e*) *Conc. Trid.* Sess. 23. *c.* 4.

(*f*) *S. Epiph. Conc. Trid.* sup.

(*g*) *Ezech.* 3. 17.

(*h*) *Joan.* 21. 15. 16. 17. *Act.* 20. 17. & *seq.* 1. *Petr.* 5. 2.

(*i*) *S. Ign.* sup.

(*k*) *Idem ibid. S. Cypr. Ep.* 65. & 69. *S. Hier. Ep.* 1. *S. Leo*, diss. 11. (*al.* Ep. 88.) *Conc. Aquisgr. c.* 9. *Nicol. I*, Ep. 47. *Conc. Trid.* Sess. 6. *c.* 1. *Sess.* 5. de Ref. *c.* 2. & *Sess.* 24. de Ref. *cap.* 4.

copis confertur per manuum impositionem, & hæc verba: *Accipe Spiritum sanctum, &c.* Quanquam dubitandum non est quin, saltem accedente summi Pontificis dispensatione, à duobus aut etiam ab uno possit validè conferri.

Porrò non ita superior est Presbytero Episcopus, ut neminem habeat superiorem. Nam Episcopi, licèt Ordine pares, varios tamen inter se agnoscunt Jurisdictionis gradus (*l*), quorum ordinem constituerunt sancti Canones. Scilicet Episcopi, Jure Ecclesiastico, subjiciuntur Metropolitanis, quos hodiè Archiepiscopos vocamus; Archiepiscopi Primatibus & Patriarchis (*m*); Patriarchæ verò ipsi, atque omnes universim cujuslibet gradûs Antistites, Romano Pontifici, qui nempè *Archiepiscopus, totius orbis terrarum Pater & Patriarcha est* (*n*); quique, ex institutione divina, primatum honoris & Jurisdictionis in tota Ecclesia obtinet, tanquam Principis Apostolorum successor, Ecclesiæque Caput visibile, ipso supremo atque invisibili Capite Christo Domino, cujus Vicarius est in terris (*o*). Hinc oritur præcelsa dignitas Ecclesiæ Romanæ, omnium matris & magistræ, *in qua semper Apostolicæ Cathedræ viguit principatus* (*p*), quæ centrum est Catholicæ unitatis; » ad quam (idcircò), propter potiorem principalitatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos » qui sunt undique Fideles (*q*), » qui nempè summo Pontifici honorem debent, obsequium & obedientiam; & si ab illo segregent semetipsos, non possunt in mystici Corporis Christi unitate permanere.

Hæc illa est divinitùs instituta, sibique mirum in modum per gradus cohærens Ecclesiastici Ministerii dispositio, undè exurgit Ecclesiæ fortitudo & gloria; undè pariter Ecclesia, suo cuique assignato loco & munere, *ut castrorum acies ordinata* subsistit (*r*).

ITAQUE *omnes revereantur Episcopum ut* JESUM CHRISTUM, *Presbyteros autem ut concilium Dei* (*s*). Hi videlicet, Episcopis quidem inferiores (*t*), Diaconis verò superiores (*u*), spiritualibus Fi-

(*l*) *S. Leo*, sup.

(*m*) *Conc. Nic. I. œcum. an.* 325. *can.* 4 & 6.

(*n*) *S. Cyr. Al. in Conc. Eph.*

(*o*) *Matth.* 16. 18. *Joan.* 21. 15. &c.

(*p*) *S. Aug.* Ep. 43. *n.* 7. (*al.* 162.) *Conc. Trid.* Sess. 22. *cap.* 8.

(*q*) *S. Iren.* lib. 3. cap. 3. Vide *Euseb.* Chron. *tom.* 1. *p.* 160. *edit. nov. S. Cypr.* Ep. ad Quint. *laud. à S. Aug. l.* 2. de Bapt. *c.* 1. *S. Cypr.* Ep. ad Corn. & *l.* 4. Ep. 8. *ad eumd. S. Leo*, de assumpt. suâ ad Pontif. *Serm.* 3. *S. Hier.* de script. Eccl. *Idem* advers. Jovin. *l.* 1. *c.* 14. & Ep. 57. ad Damas. *S. Ambr.* de Sacerd. *l.* 8. *c.* 1. *S. Prosp.* de Ingr. *cap.* 1. *S. Aug. Ep.* 43. *n.* 16. *S. Bern.* de Consid. *l.* 2. *c.* 8. &c. *Vide quatuor prima Conc. œcum., scilicet* Nic. I, *an.* 325. Constantinop. I, *an.* 381. Ephes. *an.* 431. & Calc. *an.* 451. *Vide etiam Conc.* Florent. & Trid.

(*r*) *Cant.* 6. 3.

(*s*) *S. Ign.* Ep. ad Trall.

(*t*) *Conc. Trid.* Sess. 23. *cap.* 4.

(*u*) *Carth. IV*, *an.* 398. *can.* 37. *Agath. an.* 506. *can.* 65. *Barcin. an.* 540. *can.* 4. *S. Hier.* Ep. 85. (*al.* 101.)

delium commodis allaborant. » Sacerdotes (utique) per Dei gratiam » fiunt Patres in fide Catholica regeneratorum, prædicatores cœlestium præmiorum, exempla bonorum operum, documenta virtutum, & forma Fidelium. Ipsi » sunt Ecclesiæ decus, in quibus amplius fulget Ecclesia: ipsi columnæ » firmissimæ, quibus in Christo fundatis innititur omnis multitudo » credentium (*x*). »

Sacerdotio ex officio deserviunt cæteri Ordines (*y*), ac præcipuè Diaconatus; Diaconos in suis functionibus sublevant reliqui Ministri: quod quidem ita ordinari *consentaneum fuit, quò digniùs & majori cum veneratione exerceri posset divinum Sacerdotii ministerium* (*z*).

(*x*) *Conc. Parif. VI, an. 829. lib. 1. cap. 4.*

(*y*) *Trid. Seff. 23. cap. 2.*

(*z*) *Ibid.*

CAPUT II.

De Ordinibus in specie.

Quotuplicis generis sint Ordines: quot Majores, quot Minores. Quid sit Tonsura; quid significent ejus Ceremoniæ, quonam sit animo suscipienda. Ostiarii, Lectoris, Exorcistæ, Acolythi quænam sint functiones. Harum dignitas quanta sit, & undè originem sumat. Quo fructu in usum revocarentur. A Clericis Minoribus quid exigat Synodus Tridentina. Ad Subdiaconatum tria potissimùm requisita. Subdiaconi officia: Majorum Clericorum cœlibatus. Diaconi & Presbyteri dotes ac munia. Novæ Legis Ministros quomodò adumbrarent antiqui Fœderis Ministri.

QUAMVIS Episcopi ad Hierarchicum Ordinem præcipuè pertineant (*a*), *in Ecclesiæ* tamen *ordinatissimâ dispositione plures & diversi sunt Ministrorum ordines*, ab illo fonte communi fluentes, *atque ita distributi, ut qui jam Clericali Tonsurâ insigniti essent, per Minores ad Majores ascenderent* (*b*). Omnes Ordines septem numero sunt: alii Majores & sacri, alii Minores & non sacri. Tres numerantur Majores, Subdiaconatus nempè, Diaconatus, & Sacerdotium, quo nomine continentur Presbyteratus & Episcopatus: quatuor verò Minores;

(*a*) *Conc. Trid. Seff. 23. cap. 2.* (*b*) *Ibid. cap. 2.*

undè Oſtiarii, Lectores, Exorciſtæ & Acolythi. Apud Græcos duo tantùm ſunt Ordines Minores, Lectorum, & Subdiaconorum : nec Romanæ Eccleſiæ improbatur uſus ille pervetuſtus, cùm ſcilicet in iis quæ ad fidem non pertinent, æquo animo ferat Eccleſias diſſentire (*c*). » Non ſolùm autem de Sacerdotibus, ſed & de Diaconis ſacræ » Litteræ apertam mentionem faciunt, & quæ maximè in illorum » ordinatione attendenda ſunt, gravillimis verbis docent : & ab ipſo » Eccleſiæ initio, ſequentium Ordinum nomina atque uniuſcujuſque eorum propria miniſteria » in uſu fuiſſe cognoſcuntur (*d*).

Ac primò quidem patet Ordinum ingreſſus per Tonſuram ; quæ non eſt Sacramentum, neque Ordo, ſed ſacra tantùm Cæremonia. Qui Tonſuram accipit, is Clericorum numero aſcribitur, ad Ordines capeſſendos præparatur, ad obtinenda & poſſidenda Beneficia Eccleſiaſtica idoneus redditur, Clericalium denique privilegiorum atque immunitatum particeps efficitur, quibus tamen non potitur, niſi Clericalem habitum & Tonſuram deferat. Ideò verò, per Tonſuram, capitis coma tondetur, ut is qui vitæ Eccleſiaſticæ rationem amplectitur & Clericis annumeratur, intelligat, ſe, repudiatâ ſeculi vanitate, abjectiſque terreſtrium curis ſuperfluis, divino cultui totum mancipari (*e*). Atque hinc, dum capillos reſcindit Epiſcopus, hæc Pſaltis Regii verba pronuntiat qui Tonſurâ initiatur : *Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei ; tu es qui reſtitues hæreditatem meam mihi* (*f*).

Cùm verò Pontifex eum Superpelliceo induit, hoc ipſi intelligendum præbetur, depoſitâ ſecularis habitûs vetuſtate, aſſumptoque Eccleſiaſtici Ordinis ſacro indumento, novum hominem eſſe ipſum oportere. Etenim Superpelliceum candore ſuo morum candorem vitæque integritatem & innocentiam deſignat ; undè Epiſcopus illum veſte lineâ induens, ita precatur : *Induat te Dominus novum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt in juſtitia & ſanctitate veritatis.*

Cereum quoque ardentem, qui ſenſim conſumitur, manu gerit Tonſurâ initiandus ; quem deferens, jam tum admonetur, & quotiès poſteà deferet ordinandus, ſimiliter admonebitur ut ſummo animi ſtudio nitatur *lucerna* eſſe jugiter *ardens & lucens*, ardens charitate, lucens verbi & exempli ſanctitate, utque totam vitam in Dei cultum atque obſequium non remiſſo fervore conſumat.

Itaque Tonſurâ initiati, Clericique effecti, è ſeculi inſtituto in Domini *ſortem* (1) Eccleſiæque miniſterium aſſumuntur (*g*). Ad quod Eccleſiaſticæ profeſſionis tirocinium,

(1) Κλῆρος, *id eſt*, ſors.

(*c*) *Conc. Conſtantinop. act.* 10. *can.* 5. *Ep. Joan. VIII* ad Imp. *poſtquàm Photius Eccleſiæ reconc. fuit.*

(*d*) *Conc. Trid.* ſup.

(*e*) *Vide S. Iſid. Hiſpal. apud Æneam, nono ſec. Pariſ. Epiſc. lib.* adv. Græc. *cap.* 185.

(*f*) *Pſ.* 15.

(*g*) *S. Hier.* Ep. ad Nepotian. de vita Cleric. & Sac. *Conc. Aquiſgr. I, an.* 816. *l.* 1. *c.* 94. *Trid. Seſſ.* 22. de Ref. *cap.* 1.

neminem,

neminem temerè admitti, neminem impelli debere, docentibus Pastoribus, intelligant Fideles patentes; sed eos duntaxat qui Clericatum ingredi velle videntur ut ferventiùs Deo serviant, Ecclesiæque utilem præstent operam, non verò eâ intentione, ut aliquo temporali commodo fruantur (*h*). Atque in hoc ipso Clericatûs limine, id magnoperè inculcandum est: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron* (*i*).

Quare primam Tonsuram suscipi à nemine oportet, nisi quis ita sit animo comparatus, ut militiam Ecclesiasticam perseveranter amplecti constituat, & se tanquam in majore virtutis palæstrâ exercere. Cui voluntati accedat etiam necesse est in Tonsuræ candidato efficax propositum sic disciplinarum studiis incumbendi, ut ad Ecclesiastica munia dignè & laudabiliter obeunda possit aliquandò aptus fieri. Statuit autem Concilium Tridentinum » ut primâ » Tonsurâ non initientur qui Sa» cramentum Confirmationis non » susceperint, & Fidei rudimenta » edocti non fuerint, quique legere » & scribere nesciant, & de quibus » probabilis conjectura non sit, eos » non secularis judicii fugiendi » fraude, sed ut Deo fidelem cul» tum præstent, hoc vitæ genus ele» gisse (*k*). » Qui hoc modo non esset affectus, sed Tonsuram ideò tantùm susciperet, ut, in omnem eventum, fieret Beneficii capax, is procul dubio non leviter peccaret.

Prima Tonsurâ initiati, doctrinâ & meritis crescentibus, ad quatuor Minores Ordines promoventur; qui quidem generaliter ita definiuntur, ut sint *Ritus quibus confertur potestas spiritualis inserviendi, sub ministris majoribus, in iis quæ ad decentem Eucharistiæ sive conficiendæ sive ministrandæ cultum conducunt.* In eo verò à Majoribus discrepant, quod hi ad divina Mysteria propiorem dant accessum, graviorumque obstringunt officiorum legibus; undè & *sacri* singulariter nuncupantur.

Ostiarii munus est Templi claves & januam custodire, illud aperire & claudere (*l*); Campanas pulsare; eos arcere vel ejicere, quibus nefas est Templum ingredi; populum, ac præsertim fœminas, dum Sacra celebrantur, Sanctuarii aditu prohibere (*m*); divini Officii tempore dormientes expergefacere; silentium imponere colloquentibus; divina Officia perturbantes, & quoquomodò indecorè atque irreverenter in Ecclesia se habentes admonere, quinimò expellere, si se religiosiùs componere detrectent; Ecclesiam, Vestiarium, Lintea, Ornamenta, Altaria, totamque Ecclesiæ supellectilem in decenti munditia conservare.

» Ad Lectorem pertinet, in Ec» clesia Veteris & Novi Testamenti

(*h*) *Conc. Montis Pess. an.* 1258. *c.* 2. *Trid. Sess.* 23. de Ref. *cap.* 4.

(*i*) *Hebr.* 5. 4.

(*k*) *Conc. Trid. sess.* 23. *c.* 4. de Ref.

(*l*) *Carth. IV*, *cap.* 9.

(*m*) *Turon. II*, *an.* 567, *can.* 4. *Aderat* S. Germanus, *Paris. Episc.*

» Libros clarâ voce & distiuctè » recitare, præsertim verò eos qui » inter nocturnam Psalmodiam legi » solent (*n*) »; ac, de licentia Pastoris, pueros fidei rudimenta palàm in Ecclesia docere.

Exorcistæ prærogariva est, ut solemnibus Exorcismorum formulis, in illius nomine qui *fortem armatum fortior alligavit* (*o*), immundos spiritus, ut è Fidelium aut Catechumenorum corporibus egrediantur, adjuret (*p*). Sed jamdudùm, gravissimis de causis, id muneris sibi reservârunt Episcopi, quod solis Presbyteris committunt. Cùm tamen Episcopus vel Presbyter aliquem Exorcismum aggressurus est, debet Exorcista salem & aquam præparate, cæteraque ad benedicendam Exorcismorum Aquam necessaria, & omnia quæ in Exorcismis adhiberi solent; ac denique Sacerdoti Exorcismum peragenti ministrare. Prætereà ipsius est cuncta necessaria præparare Sacerdoti ad Exorcismum alicui Benedictioni præmittendum, eidemque assistere; tum etiam ipsi Clerum & populum respergenti præire cum Vase Aquam-benedictam continente, Vas demùm illud cum Aspergillo in Processionibus ante Crucem deferre.

Acolythi Episcopum olim comitabantur, ejusque Epistolas deferebant. Eorum munus est Ministros majores Subdiaconum & Diaconum in Altaris ministerio affectari, eisque operam dare; vini & aquæ Urceolos Subdiacono tempore Sacrificii porrigere; ad Missam cæteraque Officia divina, Cereos accendere, ipsosque & tempore Sacrificii, maximè verò cùm Evangelium legitur, & in Processionibus deferre (*q*): undè *Ceroferarii* dicuntur. Prætereà ignem & thus præparant; thuribulum gestant, & quandoque thurificant.

Eas porrò functiones olim tanto honori duxit Ecclesia, ut Minorum Ordinum gradus eximiæ cujusdam mercedis instar iis essent, qui Christum Jesum interritâ libertate in tormentis coram Judicibus confessi fuerant, vel qui pietate exemplum faciente præcellebant (*r*). Et quidem inferiorum hujusmodi graduum dignitas è Sacrificii desumitur excellentiâ; quæ nempè tanta est, ut, quidquid ad ipsum pertinet, etiam è longinquo, verendum quiddam esse meritò judicetur.

Etsi autem posteriorum temporum solutiore disciplinâ in desuetudinem abierunt munia illorum Ordinum propria, ita ut sæpiùs à Presbyteris, vel potiùs à Laïcis exerceantur; Ecclesiæ tamen in votis est, ea, quantùm fieri poterit, in usum revocari, admissis etiam, si deficiant *Clerici cœlibes*, *probatæ vitæ Clericis conjugatis* non bigamis (*s*). Si enim *hujusmodi* sancta *ministeria non nisi per constitutos in dictis Ordinibus exerceantur* (*t*),

(*n*) *Cat. Trid.* de Sacram. Ord. *n.* 32. *Vide Conc. Carth.* sup. *cap.* 8.

(*o*) *Matth.* 12. 29. *Luc.* 11. 21.

(*p*) *Conc. Carth. IV*, *cap.* 7.

(*q*) *Ibid. cap.* 6. *Cat. Trid.* sup. *n.* 36.

(*r*) *S. Cypr.* Ep. 38. (*al.* 33.) & 39. (*al.* 34. *Sulp. Sev.* in vit. S. Mart. &c.

(*s*) *Conc. Trid. Sess.* 23. de Ref. *c.* 17.

(*t*) *Ibid.*

affulgebit aliqua spes ita fore, ut pristinum Ecclesiæ decus reflorescat; ut præsertim Fidelium conventus in Basilicis, per totam Rei divinæ celebrationem, decenter, modestè ordinatèque agatur, invigilantibus scilicet ex officio Ministris ad hoc præpositis, ut *domus Dei* verè *sit domus orationis* (u), non promiscuæ frequentiæ, collocutionis, concursationis, omnimodæque irreverentiæ. Hùc accedit quòd inferiores Ministri in suo quisque Ordine stabiles, atque in Ecclesiasticæ militiæ castris diù exercitati, magnam conciperent superiorum graduum opinionem; ad quos non aliter quàm probatâ virtutis & scientiæ maturitate promoverentur.

Jam verò ab iis qui Minores Ordines suscepturi sunt, vel jam susceperunt, hæc exigit Concilium Tridentinum : 1°. ut linguam Latinam intelligant; ita nempè, ut, cùm hinc ad altiores gradus & sacratissima mysteria sit ingressus, nemo iis initietur, quem non scientiæ spes Majoribus Ordinibus dignum ostendat : 2°. ut singulorum Ordinum istorum vim & officia perspecta habeant, ac in unoquoque munere, juxta præscriptum Episcopi, se exerceant, idque in ea cui adscripti erunt, Ecclesiâ, nisi fortè ex causa studiorum absint : 3°. ut in eis, cum ætate, vitæ meritum & doctrina major accrescat; quod & bonorum operum exemplum, & assiduum in Ecclesia ministerium, atque major erga Presbyteros & superiores Ordines reverentia, & crebrior quàm anteà Corporis Christi Communio maximè comprobabunt. Id posteà subjungit sancta Synodus : » Hi verò » non nisi post annum à susceptio» ne postremi gradûs Minorum » Ordinum ad sacros Ordines pro» moveantur, nisi necessitas aut » Ecclesiæ utilitas aliud exposcat » (x). »

Ab Ordine Acolythi, qui est summus Minorum, patet ascensus ad Subdiaconatum, qui est Majorum infimus; & ad quem ritè ac legitimè suscipiendum, tria potissimùm, juxta Constitutiones Ecclesiasticas, requiruntur : 1°. ut Ordinandus vigesimum-secundum ætatis annum attigerit, atque uno saltem anno, nisi aliud constituerit Episcopus, in Minoribus fuerit sedulò versatus & probatus : 2°. ut sit probitate & scientiâ commendabilis; utque ex anteactæ vitæ merito se confidat posse reliquam vitam in castitate perfectâ exigere : 3°. ut (si sit Clericus Secularis) vel ex Beneficio Ecclesiastico, vel ex patrimonio, vel annua pensione reipsâ possideat quod satis sit ad seipsum honestè sustentandum; ne, cum dedecore sacri Ordinis, mendicare, aut quæstum aliquem sordidum exercere cogatur : quâ de re necesse est ut plenam atque integram Episcopo fidem faciat, remotâ fraude, seclusoque dolo; alioqui gravissimis fieret pœnis obnoxius (y).

(u) *Luc.* 19. 46.
(x) *Conc. Trid. sess.* 23. *c.* 11. de Ref.
(y) *Ibid. cap.* 12. & 13. *item sess.* 21. de Ref. *cap.* 2.

» Porrò Subdiaconi munus est, » ut nomen ipsum declarat, Dia- » cono ad Altare inservire. Sacra » enim lintea, vasa, panem & vi- » num ad Sacrificii usum necessa- » ria, parare debet. Epistolam etiam » quæ olim à Diacono in Missa » recitabatur, Subdiaconus legit, » ac tanquam testis ad Sacrum as- » sistit, prohibetque ne Sacerdos » Sacra faciens à quopiam perturba- » ri possit (ʒ). » Præterea Evangelii textum apertum Episcopo vel Presbytero celebranti, atque etiam Episcopo præsenti & non celebranti, clausum verò Missarum aut Evangeliorum librum cæteris de Clero osculandum præbet : instante Sacrificii celebratione, Vasa consecrandi Corporis & Sanguinis Domini Diacono ad Altare porrigit ; aquam vino superinfundit in Calicem ; populi oblationes suscipit ; & Sacerdoti celebranti aquam ministrat, cùm manus in Missæ Sacrificio abluit. Ad ipsum quoque pertinet sacra Vasa & Lintea quæ Sacrificio inserviunt, curare ; Purificatoria, Corporalia & Pallas abluere ; Crucem præferre Clero & populo sub hoc Regis regum vexillo procedentibus ; quem tamen honorem in multis Ecclesiis obtinent Acolythi.

Tertio seculo & sequentibus, Subdiaconorum fit mentio (*a*) ; sed in Ecclesia Græca semper inter Minores Clericos relati fuêre, & in ipsa Ecclesia Latina usque ad seculum quintum, aut etiam sextum vel septimum, quibusdam in locis (*b*). Ab illo tempore, sacris seu Majoribus Clericis ubique apud Latinos annumerati sunt ; sacra Vasa tangere concessum eis fuit, atque idcircò imposita castitas perfecta, juxta illud quod, Deo per Prophetam loquente, præcipitur : *Mundamini, qui fertis Vasa Domini* (*c*) : quæ quidem disciplina, post Decretum Urbani II in Concilio Claromontano (*d*), per totam Occidentis Ecclesiam uno eodemque modo obtinuit.

Olim, quicumque in Cleri Ordinem cooptabatur, Ecclesiæ ministerio constanter addictus manere solebat ; eaque disciplina usque ad tertium-decimum seculum intacta perseveravit (*e*). Nec anteà licitum erat Clericis vel solâ Tonsurâ initiatis, aut iis qui Minoribus Ordinibus insigniti jam fuissent, Clericatum abdicare, quod nunc licet in Ecclesia Latina : quanquam nec prima

(ʒ) *Cat. Trid.* sup. *n.* 37. *Vide* Const. Ap. *l.* 8. *c.* 11. & 28. *Conc. Rem. II*, *an.* 813. *can.* 4. *Aquisgr. I*, *an.* 816. *l.* 1. *cap.* 6.

(*a*) *S. Cypr.* Ep. 28. (*al.* 34.) &c. *Siric. P.* Ep. 1. *can.* 9. *Conc. Laod. c.* *an.* 368. *can.* 22. 25. 43. *Tol. I*, *an.* 400. *can.* 2. 20.

(*b*) *Conc. Nic. can.* 3. *Laod. can.* 1. *Arauf. I*, *an.* 441. *can.* 25. *Arvern.* *an.* 535. *can.* 13. *Aurel. IV*, *an.* 541. *can.* 13. *Matisc. I*, *an.* 581. *can.* 1.

(*c*) *Is.* 52. 11. *Conc. Aquisgr. I*, sup.

(*d*) *An.* 1095.

(*e*) *Conc. Calc. gen. IV*, *an.* 451. *can.* 7. *Tribur. an.* 895. *can.* 27. *Hispal.* *can.* 3. Capit. *l.* 7. *c.* 393. *Justinian.* Nov. 123. *Leo phil.* Const. 7. *S. Raym. de Pegnaf.* decr. summ. *pag.* 50. *ed. Rom. an.* 1602.

Tonſura, nec Minores Ordines inconſultè & ſine experimento etiamnùm ſuſcipiendi ſunt. Subdiaconus autem, cùm propiùs auguſtiſſimo Sacrificio miniſtret, Linteaque & Vaſa tractet in quibus conſecrantur Corpus & Sanguis Domini, ita Eccleſiaſticæ militiæ aſcribitur, ut ei jam non liceat à propoſito reſilire: ac prætereà illud ipſi impoſitum eſt ſacrum & non prætereundum officium, ut integras recitet Horas Canonicas, cum ea ſcilicet animi attentione & pietate quam exigit ſublime illud quo tunc fungitur, miniſterium mediatoris Deum inter & populum conſtituti. Dum nempè cætera hominum multitudo tumultûoſis vitæ civilis muniis operosè occupatur, hic ſorte feliciore donatus, id ſibi potiſſimùm muneris impoſitum habet, ut, totius populi nomine, ante thronum divinæ Majeſtatis preces, gratiarum actiones laudeſque perferat. Obſtringitur prætereà Subdiaconus lege perpetuâ continentiæ ſervandæ, vitæque cœlibis ducendæ; ita ut deinceps ad ineunda nuptiarum fœdera fiat prorsùs inhabilis (*f*). Nemo igitur ad Subdiaconatum contendat, niſi *qui ſperet, Deo auctore, ſe continere poſſe* (*g*). Et quoniam *non omnes capiunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt* (*h*), probet ſeipſum congruo temporis intervallo, donum illud eximium à Deo totius puritatis efflagitans; « quia nullus » debet ad miniſterium Altaris accedere, niſi cujus caſtitas ante » ſuſceptum miniſterium fuerit ap» probata (*i*). »

Poſt ſacram Ordinationem Matrimonio jungi, ſemper & ubique illicitum fuit (*k*): quanquàm nonnihil difficultatis eſt quoad uſum Eccleſiæ Græcæ erga Diaconos in quibuſdam caſibus, & veterem quarumdam Occidentis Eccleſiarum erga Subdiaconos diſciplinam. Apud Græcos, cum uxoribus ante Ordinationem ductis habitare conceditur Clericis majoribus, exceptis Epiſcopis, qui, ſecundùm illius Eccleſiæ diſciplinam, ex Ordine Monaſtico duntaxat, in quo jam continentiam voverunt, ad Epiſcopatum aſſumuntur (*l*). Apud Latinos verò, à Subdiaconatu *incluſivè*, non ordinantur majores Clerici, niſi cœlibes, aut ab uxoribus caſtitatem profeſſis digreſſi, juxta diſciplinam antiquiſſimam, vel potiùs *Apoſtolicam* (*m*), ſaltem quod ad Epiſcopos, Presbyteros Diaconoſque per-

(*f*) *Conc. Vaſ. I, an.* 442. *Senon. an.* 1528. Decr. morum, 19. *Mediol. IV, an.* 1576. *part.* 3. *tit.* 2. *Rem. an.* 1583. *tit.* de Breviar. *n.* 2.

(*g*) *Trid.* Seſſ. 23. *cap.* 13.

(*h*) *Matth.* 19. 11.

(*i*) *S. Greg.* l. 1. Ep. 42.

(*k*) Conſt. Ap. *l.* 6. *c.* 17. Can. Ap. 25. *Conc. Neoc. an.* 314. *can.* 1. *Pariſ. an.* 1528, decreto fidei 8.

(*l*) *Trull. an.* 692. *can.* 6. & 48. *Carth. II, an.* 390. *can.* 2.

(*m*) *Tit.* 1. 8. *Conc. Ancyr. c. an.* 314. *can.* 10. *Elib. can.* 33. *Carth. III, an.* 397. *can.* 1. Can. Ap. 27. *S. Ambr.* de Off. *l.* 2. *c. ult. S. Aug.* de adult. conj. *l.* 2. *c.* 20. *S. Hier.* cont. Vigil. *initio.* & cont. Jovin. *poſt. med. S. Epiph.* expoſ. fid. Cath. *cap.* 21. & Hær. 59. *S. Siric, P.* Ep. ad Himer. Tarr. Epiſc.

tinet (*n*). Cujus in figuram venerandi cœlibatûs, antiqui Fœderis ministri uxorum consortio abstinebant statis ministerii sui vicibus in Templo manentes. Cùm autem perpetuum sit novæ Legis ministerium, perpetua quoque esse debet sacrorum Ministrorum continentia. Quin & celsiore quodam proposito, cœlibes eos esse voluit Ecclesia; ut nempè Sacerdotes & Pastores » secularibus omnibus superiores, & » ab omni temporanea sollicitudine » liberati, » nec divisi inter Deum & familiam, *quæ Domini sunt*, unicè *solliciti essent* (*o*), totique in ministerio Tabernaculi & sanctificatione Fidelium, pudicâ fœcunditate spirituales filios Deo generarent verbo veritatis & exemplo virtutis. Cui disciplinæ salutari, ad majorum Clericorum decus & venerationem usque adeò efficaci (*p*), jam à fine VI seculi derogavit Ecclesia Græca; quæ Matrimonio junctos ad Diaconatum & Presbyteratum non modò admittit, verùm etiam, ut jam diximus, ordinatos in uxorum contubernio relinquit (*q*).

Porrò, cùm Subdiaconus, per suam Ordinationem, Clericali professioni in perpetuum ascribatur, nec possit ad secularis instituti munera seu negotia transire, ideò requiritur ut perpetuam honestamque sustentationem habeat: undè, juxta præsentem disciplinam, necessarius illi est *Titulus Clericalis*; in quo quænam sint observandæ solemnitates, magis opportuno loco edisseretur (*r*).

Postquam Subdiaconus per annum saltem (nisi aliud Episcopo visum fuerit) in suo est Ordine versatus (*s*), ipsi gradus fit ad Diaconatum. *Diaconi ordinantur, qui sublimiori gradu præ cæteris circa Aram Christi, quasi columnæ, assistant* (*t*): quorum scilicet ministerium latiùs patet quàm cæterorum inferioris gradûs Ordinum, sanctiusque semper habitum est (*u*). Iis olim Evangelii prædicatio commissa erat, Baptismique administratio. Sanguinem etiam Domini ministrabant, in quibus Ecclesiis ea consuetudo erat ut Fideles Eucharistiam sub utraque specie sumerent. Ad eosdem prætereà Ecclesiasticorum bonorum dispensatio pertinebat, ut cuique ad victum necessaria subministrarent. Pœnitentium denique, agaparum & eleemosynarum curam gerebant, tanquam Episcoporum legati atque adjutores (*x*);

(*n*) *Vide S. Thom. Bellarm. tom. 2. l. 1. c. 19. & 29. Thomass.* discipl. *c.* 24. 25. 26.

(*o*) *S. Chrys.* in Matth. Hom. 33. §. 1. (*al.* Hom. 34.) 1. *Cor.* 7. 32. 33.

(*p*) *S. Bern.* de mor. & off. Ep. *ad Henr. Senon. Arch. c.* 3. §. 8.

(*q*) *Conc. in Trull. can.* 6. & 13.

(*r*) *Infrà, Cap. V.*

(*s*) *Conc. Trid. sess.* 23. *c.* 13. de Ref.

(*t*) *Aquisgr. I, an.* 816, *l.* 1. *c.* 7.

(*u*) *Cat. Trid.* sup. *n.* 39.

(*x*) *Act.* 8. 5. *S. Ign.* Ep. ad Philad. *c.* 11. *S. Aug.* Serm. 44. (*al.* 4.) de div. *n.* 12. (*al.* 276.) de Sanctis, *n.* 8. & 9. *edit. Paris.* (*al.* 274. 275.) *S. Cyr. Jer.* Cat. 17. *S. Just.* Apol. *Const. Ap. l.* 2. *cap.* 16. 28. 31. & 57. *Conc. Carth. IV*, *can.* 38. & 43.

& tanquam ipsorum oculi, Fidelium moribus perpetuò invigilabant. Nunc in Liturgiæ celebratione cunctisque muniis solemnibus, Episcopo vel Presbytero assistunt ac ministrant. Sacerdoti omnia porrigunt ad sacrificandum necessaria, & cum eo Sacrificium offerunt, non quidem concelebrantes vel simul consecrantes, ei verò duntaxat, nomine populi, sese adjungentes; sanctum Evangelium publicè legunt; de Episcopi licentiâ, docent & prædicant (*y*); ac denique, cùm id expetunt graves causæ, solemniter in Ecclesia baptizant.

Præcipit Apostolus *Diaconos pudicos esse, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes, habentes mysterium fidei in conscientia pura. Hi autem*, inquit, *probentur primùm, & sic ministrent, nullum crimen habentes* (*z*).

Qui benè in Diaconatu ministraverint, gradum bonum sibi acquirent (*a*), » nempè Sacerdotium, qui » sacrorum Ordinum summus gra» dus est. Qui verò illo præditi » sunt, eos veteres Patres duobus » nominibus vocare solent; inter» dùm enim *Presbyteros* appel» lant (*b*) (latinè Seniores), non » solùm propter ætatis maturita» tem, quæ huic Ordini maximè » necessaria est, sed multò magis » propter morum gravitatem, doc» trinam & prudentiam (*c*). » Hæc illa est *senectus venerabilis, non quidem annorum numero computata* (*d*), sed meritorum præconio commendata » Interdùm verò *Sa» cerdotes* vocant, tum quia Deo » consecrati sunt, tum quia ad » eos pertinet Sacramenta admini» strare, sacrasque res & divinas » tractare (*e*). »

Atque ideò constituti sunt Presbyteri, ut cum Episcopo in munerum vel sanctissimorum communionem venirent. Scilicet cum *Episcopo Presbyteri Sacerdotali honore conjuncti* (*f*), sacrosanctum Missæ Sacrificium offerunt; populo benedicunt, & pro illo deprecantur; rebus & personis omnibus, quarum benedictio non est Episcopo reservata, ritum *Benedictionis* impendunt; Sacramenta, præter Confirmationem & Ordinem, administrant; de Episcopi concessu, verbum Dei annuntiant; præsunt Fidelibus, eosque in ordine salutis regunt (*g*), susceptâ per Canonicam Episcopi institutionem curâ Pastorali (*h*). Scilicet, quam-

---

(*y*) *S. Ign.* Ep. ad Tra'l. *c.* 2. *S. Epiph. Hær.* 79. *n.* 4. *Conc. Vas. II*, *an.* 529. *can.* 2. Const. Ap. *l.* 2. *c.* 57. *Petr. Lombard. Paris. Episc. an.* 1159, *Sent. l.* 4. *dist.* 23. *art.* 8. *Vide Cat. Trid.* sup.

(*z*) 1. *Tim.* 3. 8. 9. 10. *Petr. Lombard.* sup. *art.* 9.

(*a*) 1. *Tim.* 3. 13.

(*b*) *Cat. Trid.* de Sacram. Ord. *n.* 42. 43.

(*c*) *Ibid.*

(*d*) *Sap.* 4. 8.

(*e*) *Cat. Trid.* sup. *n.* 44.

(*f*) *S. Cypr. Ep.* 58. (*al.* 61.).

(*g*) *Conc. Paris. VI*, *an.* 829. l. 1. cap. 4.

(*h*) *Act.* 14. 22. *Tit.* 1. 5. *S. Cypr. Ep.* 10. (*al.* 16.) *Const. Ap. l.* 3. *c.* 20. & *l.* 8. *c.* 28. *Conc. Carth. III*, *can.* 36. & *IV*, *can.* 26. & 102. *Arel. II*, *an.*

vis Presbyterorum tantæ tamque eximiæ sint prærogativæ, Episcopus tamen, ut suprà suo loco fusiùs diximus (*i*), Presbyteris Jure divino superior est. *Presbyteri* autem, *sicut ordine* cæteris Ministris inferioribus *sanctiores* sunt, sic & doctrinâ potiores, & moribus præcellentiores esse debent (*k*). *Oportet*, inquit Apostolus, *Episcopum*, (quo nomine Presbyterum comprehendit), *irreprehensibilem esse; unius uxoris virum*, id est, qui ne successivè quidem duas uxores duxerit, nullâque sit ratione bigamus; *sobrium, prudentem; ornatum*, id est, in omni habitu, sermone, gestu atque ingressu decenter compositum; *pudicum, hospitalem; doctorem*, idoneum scilicet, promptumque ad docendum; *non vinolentum, non percussorem, sed modestum; non litigiosum, non cupidum, sed suæ domui benè præpositum; filios* (si quos ante Sacerdotium in Matrimonio genuerit) *habentem subditos cum omni castitate: si quis autem domui suæ præesse nescit, quomodò Ecclesiæ Dei diligentiam habebit? non neophytum*, id est, recèns conversum aut baptizatum; *ne in superbiam elatus, in judicium incidat diaboli* (*l*).

Hæc igitur meritò sanxit Concilium Tridentinum: « Qui piè & fi» delitet in ministeriis anteactis se » gesserint, & ad Presbyteratûs Or» dinem assumuntur, bonum ha» beant testimonium; & hi sint, » qui, non modò in Diaconatu ad » minùs annum integrum, nisi ob » Ecclesiæ utilitatem ac necessitatem » aliud Episcopo videatur, minis» traverint, sed etiam ad populum » docendum ea quæ scire omnibus » necessarium est ad salutem, ac ad» ministranda Sacramenta, diligenti » examine præcedente, idonei com» probentur; atque ita pietate & ca» stis moribus conspicui, ut præcla» rum bonorum operum exemplum » & vitæ monita ab iis possint expe» ctari (*m*). »

Porro divinæ illius Hierarchiæ Ministri omnes communi nomine *Clerici* appellantur, eò quòd, ut jam innuimus, sint *portio* Dei electa, *Dominum*que *partem & hæreditatem* suam habeant, quemadmodùm de Sacerdotibus & Levitis in veteri Lege pronuntiatum fuerat (*n*). Diaconi, cæterique inferiores Ministri, locum tenent Levitarum, qui, nondùm extructo Templo, cùm Arca fœderis Domini habitaret sub pellibus (*o*), Tabernaculum portabant; qui deindè multiplici appellatione *ministri domûs Dei, cantores, janitores*, (*p*), sacris ministeriis, *umbræ cælestium*, in Templo deservie-

452. *can.* 26. *Suess. I*, *an.* 744. *can.* 4. *Vern. can.* 8. *Bitur. can.* 22.

(*i*) *Cap. I.*

(*k*) Capit. *Herardi*, *Turon. Archiep. an.* 858. (*l*) 1. *Tim.* 3.

(*m*) *Conc. Trid. sess.* 23. *cap.* 14. de Ref.

(*n*) *Num.* 18. 20. *Deut.* 10. 9. & 18. 2. 10. *Josue*, 18. 7. *Ezech.* 44. 28.

(*o*) 2. *Reg.* 11. 11. 1 *Paral.* 17. 1.

(*p*) 1. *Esdr.* 7. 24. *Conc. Aquisgr. I*, *an.* 816. *l.* 1. *c.* 6.

runt

rant (*q*). Presbyterorum figura quædam erant Sacerdotes filii Aaron, consecratis manibus sanctificati (*r*); quorum munus erat incensum Domini & panes Dei sui offerre (*s*), diversi generis immolare victimas, populum docere *quid esset inter sanctum & pollutum, inter mundum & immundum (t)*, leprosos & impuros segregare, atque expiatos in sanctificatæ plebis societatem vel ad Sacrorum participationem rursùs admittere, ac demùm *justitias carnis* conferre (*u*), & Populum Dei variis lustrare cæremoniis. Episcopi, qui scilicet in quaque Ecclesia unus est, typum gerebat Pontifex de semine Aaron, Sacerdos maximus, super cujus caput fusum erat unctionis oleum, & cujus manus in Sacerdotio consecratæ erant (*x*).

Abrogatâ illâ veteris Testamenti Hierarchiâ, successerunt multò præstantioris generis Sacerdotes & Levitæ, ad majora nempè sanctioraque officia ordinati: quos utique non solùm totius exterioris cultûs apparatum singulari curâ prosequi, & novi Sanctuarii nitorem diligere oportet, sed præterea Ecclesiam ex vivis lapidibus constantem, *domum spiritualem (y)*, quæ est Fidelium societas, verbo & exemplo ædificare, ac virtutibus adornare. Eò tendit universum novi Sacerdotii ministerium, scilicet ad populi Christiani sanctificationem; hic est ejus finis præcipuus; ad quem obtinendum, profectò in Ministris requiritur, inter cætera, singularis pietas & morum honestas. » Quantò enim (inquit Concilium Parisiense) Ecclesiastici viri perfectioris status & majoris dignitatis honore illustrantur, tantò majorem Domino tenentur exhibere reverentiam, & ab omnibus illicitis diligentiùs abstinere (*z*). »

(*q*) *Hebr.* 8. 5.
(*r*) *Exod.* 28. 41.
(*s*) *Levit.* 21. 6.
(*t*) *Ezech.* 44. 23.
(*u*) *Hebr.* 9. 10.
(*x*) *Levit.* 21. 10. *Vide Exod.* 28. 41. & *Levit.* 8. 2. 12.
(*y*) 1. *Petr.* 2. 5.
(*z*) *Conc. Parif. an.* 1429, *can.* 21. *Aderat D. Jacobus* du Chastellier, *Parif. Episc.*



CAPUT III.

DE Ordinis gratiâ, charactere, materiâ, formâ & Ministro.

RITUS conferendi Ordinis quibusnam constet. Hujus gratia duplex, & character. Ordinis materia & forma. Ritus conferendi Ordines, tum Minores, tum Majores. Utrùm singuli Ordines totidem sint Sacramenta. Ordinis Minister. Quisnam sit proprius Episcopus.

EX iis quæ jam superiùs diximus manifestum est, Ordinem, sive sacram Ordinationem, Sacramentum esse, potestatem conferens publica exequendi munia quæ ad Dei cultum, animarum sanctificationem & salutem, Ecclesiæque regimen pertinent; simulque gratiam tribuens functiones illas piè sanctèque exercendi. Atque idcircò inter Sacramenta Ordo recensetur, quòd, prout etiam observavimus, naturam habeat signi sensibilis gratiam impertientis. Illud autem signum sensibile, ipsa est Episcopi oratio & manuum impositio; cujus effectus sunt, collata sacris muneribus fungendi potestas & gratia (*a*). Ritus igitur conferendi Ordinis constat *materiâ & formâ*, id est, rebus & verbis, quibus, tanquam signis exterioribus, gratia & officia per Sacramentum collata exprimuntur.

» Cætera Sacramenta gratiam ad » illorum sanctificationem & usum » tribuunt, à quibus percipiuntur: » at verò qui Sacris initiantur, ob » eam rem cœlestis gratiæ participes » fiunt, ut eorum ministerio, » Ecclesiæ atque adeò omnium hominum » saluti consulatur (*b*). » Itaque hujus Sacramenti gratia non ad solam hominis illud suscipientis sanctificationem refertur: per hujusmodi gratiam idoneus Sacrorum minister effectus (*c*), is pariter evasit, qui Fideles per cæterorum Sacramentorum collationem atque Evangelii prædicationem sanctificare valeat.

SED præter geminam illam gratiæ per Ordinem collatæ virtutem, præter ipsum gratiæ sanctificantis incrementum, variaque pro munere ritè sanctèque obeundo conferenda suo tempore auxilia, alius est ejus effectus, scilicet character po-

(*a*) *Act.* 6. 6. & 13. 3. 1. *Tim.* 4. 14. 22. 2. *Tim.* 1. 6. Const. Ap. *l.* 3. *c.* 10. *S. Greg. Nyss.* or. in diem Lum. *S. Chrys.* Hom. 1. in 2. Tim. *Inn. I*, Ep. 18. ad Alex. Episc. Ant. *cap.* 3. *Conc. Trid.* Sess. 23. *c.* 3. & *can.* 4.

(*b*) *Cat. Trid.* de Ord. Sacram. *n.* 54.

(*c*) 2. *Cor.* 3. 6.

testaris & ministerii Ecclesiastici, animæ penitùs inhærens, atque indelebilis. Eo charactere obsignatus, etiamsi verbi ministerium non exerceat, vel à suis functionibus suspendatur ob scelus admissum, vel ab Ecclesiæ Communione abscindatur, nihilominùs Dei altissimi perseverat esse Minister; ideòque acceptam in sua Ordinatione potestatem nequaquam amittit. Undè hæc duo facilè colliguntur: primùm quidem (ut hìc de solo Sacerdotio sermonem habeamus), cùm talis tantaque Sacerdotibus conferatur potestas, quæ ipsis etiam Angelis sit obstupescenda, ut nempè, dum panem & vinum consecrant, Dei Filius, humani generis Conditor ac Redemptor, quasi obediens voci hominis, præsentem se in Altari præbeat; utque, dum hominem verè pœnitentem absolvunt in terris, ejus peccata deleantur & in cœlis; consequens profectò est ut tremendum Dei viventis judicium incurrant, qui se non vocatos temerè audacterque in tantam dignitatem ingerunt, vel tam sublime ministerium abjectâ vivendi ratione pravisque moribus, cum offensione publica multorumque subversione, commaculant. Alterum consectarium illud est, quòd, cùm ea dignitatis prærogativa Sacerdotibus auferri non possit, eam Fideles in iis suspicere ac venerari debent, etiamsi illos sceleribus suis ab ipsa degenerare contingat. Id quidem summopetè luctuosum est; quod ut Deus optimus ab Ecclesia sua dignetur averrere, diligenter instanterque est obsecrandus. Si tamen idipsum accidere justo atque inscrutabili judicio permittat; non minùs ejusmodi Sacerdotes, quantumvis indignos, *existimari* oportet *ut Ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei*, quorum etiam operâ & verbis sæpè utitur Deus, ut ad æternam salutem perducantur Electi.

Per Ordinis Sacramentum impressi characteris hæc prætereà virtus est, ut qui semel ritè fuerit ordinatus, iterùm ordinari nequeat (*d*). Nec Majores Ordines, nec Minores, nec ipsa Tonsura iterari possunt, vel extra Ecclesiam suscepta, modò tamen Episcopus ritè consecratus legitimam in conferendis Ordinibus materiam, formam atque intentionem adhibuerit. Hinc ab Hæreticis vel Schismaticis ritè ordinati, rursùs ordinari sine sacrilegio non possunt; validè enim, sicut baptizant, ita ordinant Hæretici & Schismatici apud quos integra manserunt quæcumque ad Sacramenti rationem pertinent. Verumtamen ordinatos ab Hæreticis & Schismaticis, non esse suscipiendos, sed deponendos meritò judicavit Ecclesia; quemadmodùm eos qui simoniacè aut aliàs contra sanctos Canones ordinati fuerint (*e*). Qui ergò ab ejusmodi Episcopis scientes &

(*d*) Can. Ap. 67. *Conc. Carth. III*, *can.* 38. *Trid.* Seff. 23. *cap.* 4. & *can.* 4.

(*e*) *S. Cypr.* Ep. 79. (*al.* 69.) *Inn. I*, Ep. 22. ad Episc. Maced. *c.* 3. *Conc. Nic.* *can.* 19. *Arel. can.* 13. *Cabil. can.* 16. *Rem. II*, *an.* 813. *can.* 21. *Suess. II*, *an.* 853. *Trid.* Seff. 7. *cap.* 11. de Ref. & Seff. 23. *c.* 8. de Ref.

volentes ordinarentur, gravissimè peccarent, suorumque Ordinum executione *ipso facto* privarentur.

Jam verò, per manuum impositionem orationi conjunctam, in sacra Ordinatione gratiam conferri, tum Scripturæ, tum Traditionis auctoritate semper intellexit Ecclesia (*f*). Insupèr, saltem apud Latinos, adhibetur Instrumentorum & Vestium, quasi dignitatis insignium, traditio; quæ quidem, juxta plures Theologos, ad Sacramenti essentiam pertinet, ideòque nunquam omittenda est; omissa verò, supplenda esset. Ab omni ævo, Episcopi, Presbyteri & Diaconi per manuum impositionem atque orationem consecrati sunt (*g*): inferiores autem Ordines, saltem in Occidentis Ecclesiâ, conferuntur per Instrumentorum Vestiumque traditionem, cui adjiciuntur formulæ consentaneæ.

Episcopus enim, cùm Ostiarium vult instituere, claves ex Altari acceptas ei tradens, *Sic age*, inquit, *quasi redditurus Deo rationem pro iis rebus quæ his clavibus recluduntur.* In Ordinatione Lectoris, librum lectionum ei porrigit, dicens: *Accipe, & esto verbi Dei relator, habiturus, si fideliter & utiliter impleveris officium tuum, partem cum iis qui verbum Dei benè ministraverunt ab initio.* Cùm Exorcistam instituit, librum Exorcismorum ei tradens, sic ipsum alloquitur: *Accipe, & commenda memoriæ, & habe potestatem imponendi manus super energumenos, sive baptizatos, sive catechumenos.* Cùm ordinatur Acolythus, hic ritus ab Episcopo servari consuevit. Primùm quidem, postquàm omnes eo Ordine initiandos officii sui diligenter admonuit, Lumina singulis tradit in hunc modum: *Accipe Ceroferarium cum Cereo; & scias te ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipari in nomine Domini.* Deindè Urceolos vacuos, quibus aqua & vinum in Sacrificio ministrantur, eidem porrigens, *Accipe*, inquit, *Urceolos ad suggerendum vinum & aquam in Eucharistiam sanguinis Christi, in nomine Domini.* (*h*).

Atque ut ad ritus veniamus, quibus conferuntur Ordines sacri, cùm Subdiaconus consecratur, » primùm quidem Episcopus legem » perpetuæ continentiæ huic Ordini » impositam esse admonet: edicit» que neminem in Subdiaconorum » Ordinem cooptandum esse, cui » ultrò hanc legem accipere non sit » propositum: deindè, post solem» nem Litaniarum precationem, » quæ Subdiaconi munera & func» tiones sint, enumerat atque expo» nit. His peractis, eorum singuli,

(*f*) *Vide suprà, Cap. I.*

(*g*) *Act. 6. 6. & 13. 3. 1. Tim. 4. 14.* 22. 2. *Tim. 1. 6.* Const. Ap. *l. 3. c.* 10. *S. Greg. Nyss.* in diem Lum. *S. Chrys.* Hom. 1. in 2. Tim. *Inn. I*, Ep. 18. ad Alex. Episc. Ant. *cap. 3. Conc. Trid.* Sess. 23. *cap. 3. & can. 4. Petr. Lombard. Paris. Episc. an.* 1159, Sent. *l. 4. dist. 23. art. 8. & 9.*

(*h*) *Conc. Carth. IV, an. 398. can. 6. 7. 8. 9. & Conc. Flor.* Decr. Eug. IV. pro Arm.

» qui ordinantur, ab Episcopo quidem Calicem & sacram Patenam » accipiunt; ab Archidiacono verò, » ut intelligatur Subdiaconum Diaconi officio subservire, urceolos, » vino & aquâ plenos, unà cum » lebete & linteolo quo manus » absterguntur, dicente Episcopo: » *Videte cujusmodi ministerium vobis traditur; ideò vos admoneo ut » ita vos exhibeatis, ut Deo placere » possitis.* Adduntur prætereà aliæ » preces. Ad extremum, cùm Episcopus sacris vestibus Subdiaconum » ornavit, ad quarum singulas propria verba & cæremoniæ adhibentur, tradit ei Epistolarum librum: » ac dicit: *Accipe librum Epistolarum, & habe potestatem legendi » eas in Ecclesia sancta Dei, tam pro » vivis quàm pro defunctis.*

» Pluribus (verò) & sanctioribus » precibus ad Diaconi quàm ad » Subdiaconi Ordinationem utitur » Episcopus, & alia addit sacrarum » vestium ornamenta. Prætereà manus ei imponit: quod quidem » ab Apostolis factitatum esse legimus, cùm primos Diaconos instituerunt. Denique Evangeliorum » librum ei tradit his verbis: *Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei, tam pro » vivis quàm pro defunctis, in nomine Domini.* »

In consecrando autem Sacerdote, hi ritus adhiberi solent. » Primùm » quidem manus ei, unà cum omnibus Sacerdotibus qui adsunt, » imponit Episcopus. Deindè Stolam humeris aptans, eam ante » pectus in crucis formam componit: » quo quidem declaratur, Sacerdotem virtute indui ex alto, quâ » possit Crucem Christi Domini, & » jugum suave divinæ Legis perferre, eamque non verbis solùm, » sed vitæ sanctissimè & honestissimè actæ exemplo tradere. Posteà manus sacro oleo inungit; » tum verò Calicem cum vino, & » Patenam cum Hostia tradit, dicens: *Accipe potestatem offerendi » sacrificium Deo, Missasque celebrandi, tam pro vivis quàm pro » defunctis.* Quibus cæremoniis & » verbis interpres ac mediator Dei » & hominum constituitur, quæ præcipua Sacerdotis functio existimanda est. Ad extremùm verò, manibus iterùm ejus capiti impositis, » *Accipe*, inquit, *Spiritum sanctum: » quorum remiseris peccata, remittuntur eis; & quorum retinueris, » retenta sunt*; eique cœlestem illam, » quam Dominus discipulis suis dedit, peccata retinendi ac remittendi potestatem tribuit (*i*). »

QUONIAM verò, an singuli Ordines totidem sint Sacramenta, nec ne, inter Theologos disputatur; missis Scholæ ambagibus, hæc censuimus breviter exponenda. Sacerdotium, quo nomine includitur *Episcopatus & Presbyteratus*, verum novæ Legis Sacramentum esse, res est ad fidem Catholicam pertinens: idemque de Diaconatu sine temeritate negari non posse conten-

(*i*) *Cat. Trid.* de Sacram. Ord. *n.* 38, 43, & 50.

dunt Theologi omnes; tametsi, ut plerisque videtur, usque hodiè non sit dogma fidei. De cæteris Ordinibus, utrùm veri Sacramenti rationem habeant, inter se dissentiunt. Sacerdotum & Diaconorum evidens est in sacris Litteris institutio (*k*). De Subdiaconatu inferioribusque Ordinibus meminit primæva Ecclesiæ antiquitas (*l*). Sacerdotes & Diaconi Spiritum sanctum (*m*), ideòque gratiam, in sua Ordinatione suscipiunt. Et quidem definit Concilium Tridentinum, *Hierarchiam divinâ ordinatione institutam constare ex Episcopis, Presbyteris & Ministris* (*n*): quâ postremâ voce comprehenduntur saltem Diaconi. Quin etiam de Diaconorum Ordinatione mentio fit in Actibus (*o*). Ordinârunt scilicet Apostoli septem primos Diaconos per orationem & manuum impositionem, non tantùm ut mensis vulgaribus ministrarent, eleemosynasque pauperibus distribuerent (quod secundarium erat illorum officium); sed præsertim ut sacris Mensis atque Ministeriis deservirent, & Eucharistiam in cœtibus religiosis administrarent: hoc videlicet primarium fuit ipsorum munus, ad quod potissimùm eligi *viros plenos Spiritu sancto* jusserunt Apostoli (*p*), & *orantes imposuerunt eis manus* (*q*). Et posteà quidem addictos sacris Ministeriis Diaconos exhibet constans Ecclesiæ Traditio. Hinc, tum Episcopis, tum Presbyteris, tanquam adjutores & ministri consociantur (*r*). Itaque Diaconatûs auctor est Christus, cùm sacer hic Ordo, præ cæteris inferioribus, eximia quædam sit portio Sacerdotii à Christo instituti.

Unicum nempè est Ordinis Sacramentum, Sacerdotium videlicet; ad quod cæteri Ordines, quasi ad finem suum, referuntur, & cujus eò quisque parciùs vel pleniùs fit particeps, quò depressiorem vel excelsiorem in Hierarchia gradum obtinet (*s*). Illud Sacramentum, vi Ordinationis, suscipiunt Presbyteri & Diaconi; ejus verò plenitudinem habent Episcopi. Subdiaconis cæterisque Ministris ad sublevandos Presbyteros vel Diaconos institutis, pro suo cuique gradu, obtingit Sacerdotii quædam portio: undè Subdiaconatus Minoresque Ordines, quamvis Ecclesiasticæ duntaxat institutionis sint, tamen Sacramenti partes quodammodò censeri possunt, tanquam Presbyteratûs vel

(*k*) *Joan.* 20. 12. 23. 1 *Cor.* 11. 24. *&c. Act.* 6. 5. *&c.* 1 *Tim.* 3. 1. 2. 8.

(*l*) *S. Corn. P.* Ep. ad Fab. Ant. *S. Cypr.* Ep. 29. (*al.* 24.) ad Optat. Subdiac. *Conc. Laod. can.* 24. *Carth. IV*, passim.

(*m*) *Vide* Pontific.

(*n*) *Conc. Trid. Sess.* 23. de Ord. *can.* 6.

(*o*) *Cap.* 6. (*p*) *Ibid. v.* 3.

(*q*) *Ibid. v.* 6.

(*r*) *Act.* 6. 6. & 8. 5. 12. 38. 1 *Tim.* 3. 8. *& seq.* Phil. 1. 1. *S. Clem. Al.* Pædag. *l.* 3. *c.* 12. Can. Ap. 6. & 55. *S. Ign.* Ep. ad Smyrn. *c.* 10. ad Philad. *c.* 10. Eccl. Hier. *c.* 4. *Tert.* de Præscr. *c.* 3. & 41. *S. Cypr.* Ep. 52. (*al.* 55.) *Ep.* 82. (*al.* 80.) *Conc. Arel. can.* 21. *Ancyr. c. an.* 314. *can.* 2. 13. 14. *Laod. can.* 24. *Nic. can.* 19. *can.* 3. 20. *Sardic. gen. an.* 347. *can.* 16: *aderat* Victorinus, *Paris. Episc. Tolet. I, an.* 400. *can.* 5. 19.

(*s*) *Vide S. Thom.* in 4. dist. 24. *q.* 2. *a.* 1. quæstiunc. 3. *in corp. & ibid. ad* 2.

Diaconatûs effluvia, quibus Ordinibus fons communis est Episcopatus.

DENIQUE sacræ Ordinationis solus Minister agnoscendus est Episcopus; solis enim Episcopis id juris tribuit Scriptura divina, ut Ordinandis manus imponant, & constituant per singulas Ecclesias Presbyteros (*t*): cui doctrinæ astipulatur omnium ab Religione condita seculorum Traditio (*u*).

Quòd si aliquandò *Chorepiscopi* hoc Sacramentum contulerunt, ii necessariò Episcopali Ordine insigniti fuerunt, ut de quibusdam constat, sed non de omnibus; nam videntur olim Chorepiscopi fuisse, tum qui hodiè *Decani rurales* vocantur, tum qui *Suffraganei*, seu *Episcopi Titulares* appellantur.

Quamvis autem omnis Episcopus, etiam alienus, etiam hæreticus, vel depositus, Ordines validè conferre possit; licitè tamen ii non suscipiuntur nisi ab Episcopo Catholico & in Communione Ecclesiæ constituto; debetque is esse proprius Episcopus, nisi impetrata fuerit alienum Episcopum adeundi licentia, Litteris *Apolyticis* seu *Dimissoriis* expressa; vel nisi Ordinandus privilegio gaudeat, cujus virtute nullum habeat proprium Episcopum (*x*).

QUISNAM autem Ordinandi proprius sit Episcopus, non in Ecclesia Gallicana sicut in cæteris vulgò definitur. Episcopum *originis*, Episcopum *Beneficii*, & Episcopum *domicilii* distinguunt Bonifacius VIII in Sexto Decretalium, S. Carolus in suo Concilio Mediolanensi IV (*y*), Concilium Aquense (*z*), & Innocentius Papa XII (*a*). Antiquioribus seculis, qui nondùm Clericus erat, is, pro Clericatûs ingressu, proprium Episcopum habebat eum, cujus in Diœcesi natus fuisset: qui verò jam inter Clericos erat cooptatus, hic, pro suscipiendis Ordinibus, proprium Episcopum necessariò agnoscebat illum, cujus in Diœcesi Clericale ministerium, certo loco addictus, exercebat. Tunc enim ignotæ erant Ordinationes *absolutæ*, quæ scilicet Clericum ordinatum certæ Ecclesiæ non addicerent. In Concilio Arausicano I mentio facta occurrit de Episcopo domicilii (*b*); & sanctus Gregorius Magnus extraneos vetat ordinari (*c*). Attamen, si propriè loqui velimus, olim neque origo, neque domicilium, certam aut necessariam constituebat Episcopi Jurisdictionem respectu collationis Ordinum: tunc verum jus ad Episcopum *Tituli* pertinebat, id est, ad eum cujus in Ecclesiam fuisset admissus aliquis ad Ecclesiasticum munus obeundum. Sed, im-

(*t*) *Act.* 6. 6. & 13. 3. & 14. 22. *Tit.* 1. 5.

(*u*) Can. Ap. 1. 2. *S. Corn. P.* Ep. ad Fab. Ant. *ap. Euseb.* Hist. Eccl. *l.* 6. *cap.* 43. *S. Chrys.* Hom. 11. in 1. Tim. *S. Hier.* Ep. ad Evagr. & dial. contra Lucif. *Conc. Alex. sub Osio, an.* 319. *S. Epiph.* Hær. 55. &c. &c.

(*x*) Can. Ap. 1. 2. *Conc. Arel. can.* 20. *Constit. Innocent. Papæ XII, quæ incipit* Speculatoris.

(*y*) *An.* 1576.

(*z*) *An.* 1585.

(*a*) *Constit. datâ an.* 1694.

(*b*) *An.* 441. *can.* 8.

(*c*) *Epist.* 25. *l.* 2.

mutatâ in posterum Ecclesiasticâ Disciplinâ, ordinatisque Clericis qui certæ Ecclesiæ addicti non essent, ratio *Tituli*, quæ præcipua, vel potiùs ferè sola primitùs habebatur, cessit rationi *originis* ad determinandum Ordinandi proprium Episcopum. Et certè præfatus ille usus tres distinguendi proprios Episcopos, videtur in Galliis parùm viguisse: & nunc quidem, propter rationes pacis atque unitatis inter Præsules, consideratâ insupèr difficultate definiendi eam commorationis diuturnitatem quæ ad *domicilium* constituendum sufficiat, eumque Beneficii reditum qui satis sit ad honestam sustentationem; attentâ etiam libertate commutandi Beneficia, pluraque nonnunquam in pluribus Diœcesibus, inconsulto Episcopo, simplicia possidendi, communior Ecclesiæ Gallicanæ mens est, & consuetudo potior invaluit, ut, quantùm ad Ordines capessendos attinet, proprius Episcopus nemo alius habeatur præter Episcopum *originis*; quæ nempè unica, certa atque immutabilis est (*d*). Sunt tamen circumstantiæ in quibus Antistes quotidianum convictorem suum ex aliena Diœcesi oriundum ad Ordines promovere potest, tanquam proprius Episcopus: quod quidem ei concedit Synodus Tridentina, positis duabus conditionibus; scilicet ut quotidianus ille convictor *per triennium secum fuerit commoratus, & Beneficium, quacumque fraude cessante, statim reipsâ illi conferat* (*e*); id quod admiserunt atque observandum statuerunt plures Galliarum Synodi Provinciales (*f*).

Censuit quondàm Ecclesia de gradu dejiciendos esse eos qui ab alieno Episcopo sine proprii Episcopi licentiâ ordinati fuissent (*g*). Atque etiamnùm, si quis isto modo, vel sub conficto aut suppositio Diplomate dimissorio, vel à proprio Episcopo, sed aliâ ad subeundum examen suppositâ personâ, insignitus aliquo Ordine fuisset, ab illius Ordinis executione maneret *ipso jure* suspensus (*h*).

(*d*) *Circa Episcopum* originis, *legitur hac clausula in Constitutione Innocentii XII: » Subditus ratione originis is tantùm sit, » qui naturaliter ortus sit in ea Diœcesi » in qua ad Ordines promoveri desiderat, » dummodò tamen ibi natus non fuerit ex » accidenti.* »

(*e*) *Conc. Trid. Sess.* 23. de Ref. *c.* 9.

(*f*) *Bitur. an.* 1584. & *Aquense, an.* 1585. *Abrégé des Mém. du Clergé* (1764), *pag.* 1083, & *suiv.* Voy. les *Mém. du Clergé, tom. V.*

(*g*) *Conc. Bracar. II, an.* 563. *can.* 8. *Aurel. III, an.* 538. *can.* 15.

(*h*) *Trid. Sess.* 23. de Ref. *cap.* 8. *Mandat. D. Lud. Ant. Card.* de Noailles, *an.* 1709, de Casib. Reserv. &c. *in Synodico, pag.* 409. *Et Rit. Parif. pag.* 115.



CAPUT

CAPUT IV.

De dispositionibus ad suscipiendos Ordines requisitis.

Dispositiones remotæ : vocatio, vitæ integritas, & scientia. De interstitiis. Dispositio proxima. Constitutum circa Ordinationes.

Cum tanta sit Ordinum omnium ac præsertim Sacerdotii dignitas, quicumque verendum hoc ministerium suscipere intendit, illum eximiis dotibus ornari ac dispositionibus præformari admodùm necesse est. Scilicet, præter immunitatem à quâcumque Irregularitate & Censura, in eo requiritur summa præcellensque morum integritas, & *sine offendiculo conscientia ad Deum & ad homines* (a), inflammatus gloriæ divinæ & salutis animarum zelus, amor ingens atque indeflexus Angelicæ illius virtutis, castitatis nempè, quam Sacerdos, ut potè *Angelus Domini exercituum* (b), inter cæteras suî propriam debet existimare; prætereà cor mansuetum, humile ac docile; ingenium non vano acumine subtilius, at verò solidum, magno judicio firmum, scientiæque Ecclesiasticæ capax; sed ante omnia, divina vocatio, cujus præsertim necessitatem & sacræ Litteræ & Traditio universa frequenter inculcant. Quanquàm eæ dotes ac dispositiones ad tria capita referri possunt, nempè ad vocationem, mores, & scientiam.

In veteri Lege, cùm Deus filios Aaron & Levi præ cæteris constituisset, qui sibi à generatione in generationem Sacerdotio fungerentur ac Tabernaculo deservirent, ideòque non fierent, sed nascerentur Sacerdotes; vocatione illâ evidentissimâ nihil ambitioni humanisve cupiditatibus attentandum relinquebatur; atque hinc portenti simillimum quiddam visum est, quòd Ozias Rex, arrepto thuribulo, *adolere* voluerit *incensum super Altare thymiamatis*, nequicquàm resistentibus Pontifice maximo & Sacerdotibus (c). Ipse verò leprâ percussus, sensit illicò *plagam Domini*; & perterritus, id quod arrogantiâ sacrilegâ usurpaverat, ministerium reliquit (d). In nova Lege, cùm de cunctis gentibus, tribubus & familiis assumantur in Sacerdotes & Levitas (e), nec jam, ut olim nonnunquam, manifestis signis Deus *ostendat quos elege-*

(a) *Act.* 24. 16.
(b) *Malach.* 2. 7.
(c) 2. *Paral.* 26. 16. 18.
(d) *Ibid.* v. 19. 20. 21.
(e) *Is.* 66. 21.

rit (*f*); multùm difficultatis experiuntur Episcopi, ne temerè cuiquam manus imponant, sicque alienis peccatis communicent (*g*). Omnibus tamen qui in sortem Domini assumuntur, divinæque in hominum salutem charitatis ministri constituendi sunt, necessaria est electio & vocatio; non quidem manifestâ Dei revelatione cognita, sed, quantùm humano sensu divinum aliquid existimari potest, certa, & quoquomodò significata. Si enim, in quolibet vitæ instituto, nullus neque susceptis muneribus fungi, neque æternam salutem consequi nisi difficillimè potest; cùm ad illud non vocatus accessit; quantò minùs prospero successu vitam agent, & *mortem* fugient omnium *pessimam*, mortem videlicet malorum Sacerdotum, qui sine vocatione ad tremendum hoc ministerium consecrati fuerint (*h*)?

Et verò, ne quis non vocatus Sacerdotii honorem sibi assumeret, ipse novi Testamenti Mediator *non semetipsum clarificavit ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum: Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech* (*i*). Hinc etiam, cùm Sacerdotii æterni socios sibi vellet adjungere, qui suam posteà visibilem præsentiam perpetuâ successione supplerent, *vocavit ad se quos voluit ipse* (*k*); *& elegit duodecim ex* (*discipulis*,) *quos & Apostolos nominavit* (*l*). » Qui (ergò) per se accedunt, honoremque istum ultrò sibi ambiunt, » temeritatis atque audaciæ (meritò) accusantur (*m*); » Ordinisque characterem, non gratiam suscipientes, neque se, neque alios plerumque salvos faciunt, nisi vocationis defectum, Deo miserente, corrigant, ac superveniente gratiâ suppleant. Sed quàm difficile est ut bono peragantur exitu, quæ tam malo sunt inchoata principio (*n*)! Sciant igitur omnes quàm necessaria sit ad Sacerdotium divina vocatio, &, cùm hodiè visibilis esse non soleat, quâ possit ratione dignosci.

Si quis igitur vitæ innocenter actæ sibi conscius, ad Institutum Ecclesiasticum, non parentùm *carnisve aut sanguinis* impulsu, sed diuturnâ animi propensione feratur, idque non ut lucrum sectetur honoresque ambiat, sed ut gloriæ Domini & fratrum saluti inserviat; in hoc si pariter sit amor solitudinis, orationis, & studiorum Clericali Ordini convenientium, ut Clericus prævio tirocinio instructus, aliquandò *palàm faciat disciplinam doctrinæ suæ* (*o*); huic si præsertim sit in deliciis assidua Scripturæ sacræ lectio, undè *scientiam Sanctorum* pleniùs ac meliùs comparare possit (*p*); ad hæc si accedat mundi contemptus, pietas, pudor virgineus, modestia, gravitas, secularium oblectationum fuga; si studio habeat animus Ecclesiam

(*f*) *Act.* 1. 24.
(*g*) 1. *Tim.* 5. 22.
(*h*) 2. *Paral.* 26. 18.
(*i*) *Hebr.* 5. 4. 5. 6.
(*k*) *Marc.* 3. 13.
(*l*) *Luc.* 6. 13.
(*m*) *S. Chrys.* de Sacerd. *l.* 3. *c.* 4.
(*n*) *S. Leo*, Ep. 87. *c.* 1.
(*o*) *Eccli.* 39. 11.
(*p*) *Sap.* 10. 10.

frequentare, exornare, mundamque ac nitidam servare, Clericalesque functiones vel minimas in illa exercere, cum apta accommodataque ad eas exercendas naturâ; hic præterea Clericalis vitæ Candidatus, si Deum enixè perseveranterque oraverit ut cœlesti lumine cor suum irradiet, quò certiùs quæ placita ipsi sint, cognoscat & sequatur; ac si in consilium adhibuerit pios prudentesque viros, quorum nihil intersit quodnam potissimùm vitæ genus eligat, maximè verò conscientiæ moderatorem, qui sit in viis Domini atque in hujusmodi disquisitione versatissimus, quique bonâ fide consulenti, quasi Domino pronuntiante, Sanctuarium ingredi jubeat; si denique in Examine instar delectûs habito, ipsum admittere nihil dubitaverit proprius Antistes: Si quis hujusmodi ad Ecclesiasticam militiam contendat, is quidem non immeritò confidet, propensionem illam quâ se ad hoc vitæ genus amplectendum interiùs moveri sentit, à divina vocatione proficisci.

Altera dispositio ad Ordines capessendos necessaria, vitæ innocentia est, morumque integritas. Veteris Tabernaculi ministris hæc olim Deus ipse præceperat: Sacerdotes filii Aaron *panes propositionis offerunt; sint ergò sancti, quia & ego sanctus sum, Dominus qui sanctifico eos* (*q*). Hi autem panes propositionis, Eucharistiæ quam *sacro ore conficiunt* Jesu Christi Sacerdotes, tantùm dissimiles erant, quantùm umbra distat à corpore, imago à veritate, figura denique à re figurata. Itaque Ministri novæ Legis veteribus illis Sacerdotibus tantò sanctiores esse debent, quantò & iisdem ministerii dignitate præcellunt. Hæc quidem Legalis Sacerdotii gloria fuerit, ut quandoque *egressus ignis à Domino* devoraret *holocausta* & victimas, & *majestas Domini* modo visibili *impleret Templum* (*r*). Jam non ignis de cœlo præceps victimam consumit; sed Spiritus sanctus, loquente Sacerdote, in Jesu Christi Corpus & Sanguinem oblata transmutat. Descendunt Angeli, & sacrificanti homini circùm trementes assistunt. Si desupèr aperiantur cœlum & *cœli cœlorum*, nihil majus occurret, quàm quod in Altari inter Sacerdotis manus geritur (*s*). Quis igitur *in ascensu Altaris sancti* non paveat (*t*)?

Illa autem sanctitas, non quæ sit momentanea, sed longo temporis intervallo explorata requiritur. Neque in fide, neque in moribus *neophytum* fas est ordinare (*u*). *Diaconi*, inquit Apostolus, adeòque cæteri Ordinandi, *probentur primùm; & sic ministrent, nullum crimen habentes* (*x*), quin etiam principem & formam Pastorum Chris-

(*q*) *Levit.* 21. 1. 8.
(*r*) *Levit.* 9. 24. 2 *Paral.* 7. 1. Vide 2 *Mach.* 2. 10.
(*s*) *S. Chryſ.* de Sacerd.
(*t*) *Eccli.* 50. 12.
(*u*) 1 *Tim.* 5. 6. *S. Greg. l.* 4. Ep. 51. ad Virg. Arel. Episc.
(*x*) 1 *Tim.* 3. 10.

rum Dominum, *sanctum innocentem, impollutum* (*y*), pro modulo infirmitatis humanæ, in semetipsis exhibentes. Tota scilicet Pastoris, Sacerdotis, virique omnis Ecclesiastici persona, si mores, prout requiritur, dignitati respondeant, perpetuum quoddam Religionis spectaculum est (*z*).

Procul igitur à tam verendo ministerio qui ad illud afferrent animis inustam vitiorum labem, vitam maculatam, mores profanos, mundi, & eorum quæ in mundo sunt, dilectionem (*a*). Nec quisquam, ut pristinæ licentiæ flagitia expurget, *peccatorumque multitudinem operiat*, sublime ac divinum suscipiat vitæ institutum, quod olim Pœnitentibus, etiam fervidissimis, ad reliquam vitam inaccessum erat, solique patebat innocentiæ. Longè etiamnùm ab Ecclesiæ mente est ut Pœnitentiæ status esse existimetur Sacerdotium, & ad sancta Altaria deferantur manus adhùc *peccati sanguine pollutæ*. Cœlestis hæc professio, non incipientium est, sed perfectorum; non viam mandatorum Domini ingredientium, sed currentium; aut certè eorum qui intaminatam Baptismi stolam servaverint, vel qui illam sinceris Pœnitentiæ lacrymis jampridem dealbaverint (*b*). Neque in fide, neque in moribus infirmum ordinare licet (*c*). Nequaquam, nisi *edito probatissimæ vitæ documento*, nequaquam, nisi *purificatis corporis atque animi motibus* accedat, *qui non solùm pro suis, verùm etiam pro alienis peccatis intercessurus*, Deum inter & homines mediator instituitur (*d*). « Oblaturus spiritualis Sa» crificii victimas, noverit quali se » oporteat igne flagrare. Quis im» maculatas Agni carnes post pas» sionum inquinamenta consecrare » audeat (*e*)? »

Tertia dispositio est, ut morum sanctitati comes adjungatur scientia (*f*). Videant etiam atque etiam Ordinandi quid sit id quod suscipere meditentur (*g*). « Sacerdotes » (enim) docere debent animæ ex» piationem, fidei philosophiam, » & vitæ immortalis dogmata (*h*); » morum disciplinam publicè & privatim edisserere; ac denique *exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt, arguere* (*i*). Si impietas halitu pestifero cuncta corrumpens, si exitiosa illa hominum Se-

(*y*) 1 *Petr.* 5. 4. *Hebr.* 7. 36.
(*z*) *Conc. Valent. an.* 855. *can.* 15. *Vide Mogunt. an.* 813. can. 10. *Mediol. III, an.* 1573. *part.* 1. de iis quæ ad honest. Cleric. pertin. *Trid. Sess.* 22. de Ref. capit. 1.
(*a*) 1 *Joan.* 2. 15.
(*b*) *S. Chrys.* Hom. 15. in 2 Cor.
(*c*) *Vide insupèr, in* Append. de Irreg. *Cap. III, Irregularitatem quæ oritur* ex defectu famæ.
(*d*) Sent. Synodica *S. Verani Cabellic. Episc.* dicta, ut conjicitur, in Conc. Matisc. II, *an.* 585.
(*e*) *Ibid.*
(*f*) *Malach.* 2. 7. *Osée*, 4. 6. *Conc. Tolet. VIII, an.* 653. *can.* 8.
(*g*) *S. Chrys.* de Sacerd. *l.* 3. *c.* 6. & 15.
(*h*) *Idem*, Hom. 7. in 1 Cor. §. 9.
(*i*) *Tit.* 1. 9.

cta, fidem & mores, Thronum & Altare uno impetu subruere attentans, coram Sacerdote *aperiat os suum in blasphemias* (*k*); quomodò Sacerdos *obstruet os loquentium iniqua* & perversa (*l*), nisi totam à fundamentis perspectam habeat Religionem, eamque verbi gladio ulcisci è longinquo assueverit? Nonne, si taceat ignarus, vel anceps hæreat & vacillet, impiis triumphum, Fidelibus autem scandalum generabit? Quin potiùs curandum est ut dici meritò possit: *In circuitu impii ambulantes* (*m*), sanctam Civitatem mille telis appetunt; sed *mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium* (*n*).

Quapropter, ne » ante ætatem » maturitatis, ante meritum labo» ris, ante experientiam disciplinæ, » Sacerdotalis honor (tribueretur) » non probatis (*o*), » sapientissimâ Ecclesiæ Lege sancitum fuit, ut Minores Ordines per temporum interstitia singuli conferrentur; ut nemo, nisi post annum à susceptione posfremi gradûs Minorum Ordinum, ad sacros Ordines promoveretur; ut Subdiaconus, nisi post annum saltem, Diaconus non fieret; ut Diaconus, nisi per annum integrum ad minùs in Diaconatu versatus, Presbyter non ordinaretur; relictâ tamen Episcopis eâ facultate ut aliud constituerent, prout suaderet Ecclesiæ necessitas vel utilitas (*p*). Nam, quemadmodùm in militia terreni principis nemo ad summos gradus evehi solet, nisi priùs inferiores ordines decurrerit, & operosissimam quamque exantlaverit rei militaris exercitationem, ac prætereà bellicæ virtutis & scientiæ diuturna specimina ediderit; ita sanè & » con» veniens non est, nec ratio vel » disciplina patitur ut temerè ordi» netur Presbyter aut Diaconus, » sed hi quorum per longum tem» pus examinata sit vita, & merita » fuerint comprobata (*q*). Quis ille » tam arrogans, ut in cœlesti militia » statim dux esse desideret? Assues» cat in Domini castris, divini» que servitii rudimentis; nec illi » vile sit; statutis majorum ordina» tione intervallis (*r*), » *de gradu in gradum ascendere* (*s*); ut intereà discat superiores Ordines revereri, præludat eorum functionibus, virtutesque illis respondentes acquirat; ut denique ipsi, *cum ætate, vitæ meritum & doctrina major accrescat* (*t*); sicque justis incrementis formetur *homo Dei, ad omne opus bonum instructus* (*u*). » Quis enim est » qui veritatis propugnatorem unius » diculæ spatio, velut è luto sta» tuam fingit? illum, inquam, qui » cum Angelis stabit, cum Archan» gelis glorificabit, ad supernum » Altare Sacrificia transmittet, cum » Christo Sacerdotio fungetur, &,

(*k*) *Apoc.* 13. 6.
(*l*) *Ps.* 62.
(*m*) *Ps.* 11.
(*n*) *Cant.* 4. 4.
(*o*) S. *Leo*, Ep. ad Episc. Maurit. *scripta an.* 440. *cap.* 2.
(*p*) *Conc. Trid.* Sess. 23. *c.* 11. 13. 14.
(*q*) *Sardic. gen. an.* 347. can. 13.
(*r*) *Zozim. P.* Ep. ad Hesych. Episc. Salonit. *an.* 418.
(*s*) *Conc. Trid.* sup. *cap.* 11.
(*t*) *Ibid.* (*u*) 2 *Tim.* 3. 17.

" ut quod majus est dicam, Deus " erit, aliosque Deos efficier (x)? "

Quæ quidem dispositiones, ac præsertim divina vocatio, ut quasi à teneris explorentur, earumque saltem fundamentum facilius certiusque jaciatur, statuit sacrosancta Tridentina Synodus ut apud singulas urbes Episcopales erigatur Clericalis præformationis Domus, in quibus bonæ indolis ac spei adolescentes, ab anno ætatis circiter duodecimo, sacris Litteris, piisque & Ecclesiasticis disciplinis imbuantur (y). Sic nempè, Samuelis instar, quasi ab ubere translati ad Templum (z), quâ ætate seculi corruptelis mentes impugnari jam incipiunt, acriùsque & profundiùs aut ad virtutem aut ad vitium moventur, ipsi protegerentur *in abscondito Tabernaculi* (a), & jam Clericali tirocinio gaudere assuescerent. Deficiente præparatorio hujusmodi Seminario, quod tamen maximè in votis habemus, venerabiles nostræ Diœcesis Parochos in CHRISTO JESU adhortamur atque obsecramus, ut, si quos invenerint *pueros ingeniosos, sortitos animam bonam*(b), in quibus aliqua emineant signa vocationis ad Clericale institutum, eos linguam Latinam doceant, ipsorumque innocentiam quantâ maximâ poterunt curâ ac diligentiâ illæsam tueantur. Ii postmodùm Nobis offerantur adolescentes, quos primâ Tonsurâ initiemus, & quos in Seminario studiis Ecclesiasticis piisque exercitationibus operam dantes, ad Minores sacrosque Ordines, prout ætas, vocatio, scientia & virtus accesserint, evehamus.

Sciant enimverò Pastores memoriæque commendent, eximium quiddam, suâque in Ecclesiam pietate dignissimum se facturos, si, in tanta operariorum penuria, vel unum primis documentis informent, ac velut è longinquo præparent bonum ac fidelem CHRISTI JESU Ministrum (c).

PORRO, si ad ministerium Ecclesiasticum necessariæ sunt, de quibus hactenùs, *dispositiones remotæ*; requiritur etiam ad Ordines capessendos *dispositio proxima*, per susceptionem Sacramenti Pœnitentiæ renovata, & fervoris accessionem confirmata; ut, *qui justus est, justificetur adhùc, & sanctus sanctificetur adhùc.* Ordo quippè unum est è *Sacramentis vivorum*; ideòque, ut dignè & cùm fructu suscipiatur, gratiæ sanctificantis habitum requirit. Absit verò ut quisquam impurâ mente ad hoc Sacramentum accedat. Absit ut tam infeliciter succedant pii secessûs exercitationes, quibus ad Ordinum susceptionem præparantur selecti Clerici. Nos quidem omnes & singulos manuum impositionem expectantes, per augustissimum JESU CHRISTI Sacerdotium cujus se participes fieri cu-

(x) *S. Greg. Naz. Or.* 1.
(y) *Conc. Trid. Sess.* 23. *cap.* 18. de Ref.
(z) 1. *Reg.* 1.
(a) *Ps.* 26.
(b) *Sap.* 8. 19.
(c) 1 *Tim.* 4. 6. *Eph.* 6. 21.

piunt, per salutis suæ curam rogamus atque obtestamur, ut postremis diebus Ordinationem præcedentibus, quos in arctiore secessu transacturi sunt, in profundum cordis sui descendant; *audiant quid loquatur in se Dominus Deus* (*d*): num ab ipso jubeantur ascendere superiùs, vel in Ordine suscepto permanere, sive ad tempus recedere, ut vocationem suam maturiore consilio discutiant; neve aliquis ad iter quod temerè sit ingressus, reclamante licèt conscientiâ, persequendum malo pudore adigatur.

Sed qui, judice pio ac perito Confessario, ex his nempè quos super hujusmodi opus constituimus, suam vocationem tam exploratam habent, quàm explorata potest haberi, dies illos proximæ præparationis in pietatis exercitationibus ita exigant, ut mereantur eamdem in sua Ordinatione Spiritûs sancti plenitudinem percipere, quam experti sunt Apostoli, postquàm decem dies *perseveraverunt unanimiter in oratione*, quoadusque *induerentur virtute ex alto* (*e*). Sic tandem & nostris & Ecclesiæ votis optimè respondebunt juniores Levitæ, quos paterno affectu prosequimur, spem hujus Diœcesis dulcissimam, olimque *gaudium nostrum* & *coronam* futuros (*f*).

CÆTERUM, ne quid ex humana providentia in tanti momenti negotio desideretur, Nos Apostolici præcepti memores, *Manus citò nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis* (*g*), hanc circa Ordinandos sapienter in nostra Diœcesi constitutam disciplinam (*h*) tuebimur, & curabimus inviolatè observari; ut, quantùm, Deo juvante, consequi poterimus, Nobis de eorum vocatione, moribus & peritiâ constet, quos *ex hominibus assumptos, in iis quæ sunt ad Deum, in opus ministerii, in ædificationem Corporis Christi constituemus* (*i*).

I°. Neminem ad Tonsuram admittemus, qui Confirmationis Sacramentum non susceperit; qui Corporis Christi particeps in prima Communione non fuerit, quique annum ætatis saltem quartum-decimum non attigerit, nec satis maturo pollere judicio videatur, ut, quid suscipiat, intelligat; qui denique pro ætate non satis latinè sciat. Qui autem admissi fuerint, ii, antequàm Tonsurâ initientur, per octo dies in Seminario piis exercitiis vacabunt.

II°. Qui, emenso Philosophiæ curriculo, ad Minores Ordines admissi fuerint, ii quoque per octo dies in Seminario piis exercitiis sese ad earum susceptionem præparabunt.

III°. Qui ad sacros Ordines contendent, ii, nostro concessu, in

(*d*) *Ps.* 84.
(*e*) *Act.* 1. 14. *Luc.* 24. 49.
(*f*) 1 *Thess.* 2. 19. 20.
(*g*) 1 *Tim.* 5. 22.
(*h*) *Ordonn. de M.* de Noailles *pour la préparation aux SS. Ordres, & pour la Tonsure, donnée en* 1696. *Stat. Syn. de* 1697. *tit.* 15. & 16. *Ordonn. de M.* de Vintimille, *au sujet des Ordinations, an.* 1737.
(*i*) *Hebr.* 5. 1. *Eph.* 4. 12.

„ ut quod majus est dicam, Deus „ erit, aliosque Deos efficiet (x)? „.

Quæ quidem dispositiones, ac præsertim divina vocatio, ut quasi à teneris explorentur, earumque saltem fundamentum faciliùs certiùsque jaciatur, statuit sacrosancta Tridentina Synodus ut apud singulas urbes Episcopales erigatur Clericalis præformationis Domus, in quibus bonæ indolis ac spei adolescentes, ab anno ætatis circiter duodecimo, sacris Litteris, piisque & Ecclesiasticis disciplinis imbuantur (y). Sic nempè, Samuelis instar, quasi ab ubere translati ad Templum (z), quâ ætate sæculi corruptelis mentes impugnari jam incipiunt, acriùsque & profundiùs aut ad virtutem aut ad vitium moventur, ipsi protegerentur *in abscondito Tabernaculi* (a), & jam Clericali tirocinio gaudere assuescerent. Deficiente præparatorio hujusmodi Seminario, quod tamen maximè in votis habemus, venerabiles nostræ Diœcesis Parochos in CHRISTO JESU adhortamur atque obsecramus, ut, si quos invenerint *pueros ingeniosos, sortitos animam bonam*(b), in quibus aliqua emineant signa vocationis ad Clericale institutum, eos linguam Latinam doceant, ipsorumque innocentiam quantâ maximâ poterunt curâ ac diligentiâ illæsam tueantur. Ii postmodùm Nobis offerantur adolescentes, quos primâ Tonsurâ initiemus, & quos in Seminario studiis Ecclesiasticis piisque exercitationibus operam dantes, ad Minores sacrosque Ordines, prout ætas, vocatio, scientia & virtus accesserint, evehamus.

Sciant enimverò Pastores memoriæque commendent, eximium quiddam, suâque in Ecclesiam pietate dignissimum se facturos, si, in tanta operariorum penuria, vel unum primis documentis informent, ac velut è longinquo præparent bonum ac fidelem CHRISTI JESU Ministrum (c).

PORRO, si ad ministerium Ecclesiasticum necessariæ sunt, de quibus hactenùs, *dispositiones remotæ*; requiritur etiam ad Ordines capessendos *dispositio proxima*, per susceptionem Sacramenti Pœnitentiæ renovata, & fervoris accessionem confirmata; ut, *qui justus est, justificetur adhùc, & sanctus sanctificetur adhùc.* Ordo quippè unum est è *Sacramentis vivorum*; idèoque, ut dignè & cùm fructu suscipiatur, gratiæ sanctificantis habitum requirit. Absit verò ut quisquam impurâ mente ad hoc Sacramentum accedat. Absit ut tam infeliciter succedant pii secessûs exercitationes, quibus ad Ordinum susceptionem præparantur selecti Clerici. Nos quidem omnes & singulos manuum impositionem expectantes, per augustissimum JESU CHRISTI Sacerdotium cujus se participes fieri cu-

---

(x) *S. Greg. Naz.* Or. 1.
(y) *Conc. Trid. Sess.* 23. *cap.* 18. de Ref.
(z) 1. *Reg.* 1.
(a) *Ps.* 26.
(b) *Sap.* 8. 19.
(c) 1 *Tim.* 4. 6. *Eph.* 6. 21.

piunt, per salutis suæ curam rogamus atque obtestamur, ut postremis diebus Ordinationem præcedentibus, quos in arctiore secessu transacturi sunt, in profundum cordis sui descendant; *audiant quid loquatur in se Dominus Deus* (*d*): num ab ipso jubeantur ascendere superiùs, vel in Ordine suscepto permanere, sive ad tempus recedere, ut vocationem suam maturiore consilio discutiant; neve aliquis ad iter quod temerè sit ingressus, reclamante licèt conscientiâ, persequendum malo pudore adigatur.

Sed qui, judice pio ac perito Confessario, ex his nempè quos super hujusmodi opus constituimus, suam vocationem tam exploratam habent, quàm explorata potest haberi, dies illos proximæ præparationis in pietatis exercitationibus ita exigant, ut mereantur eamdem in sua Ordinatione Spiritûs sancti plenitudinem percipere, quam experti sunt Apostoli, postquàm decem dies *perseveraverunt unanimiter in oratione*, quoadusque *induerentur virtute ex alto* (*e*). Sic tandem & nostris & Ecclesiæ votis optimè respondebunt juniores Levitæ, quos paterno affectu prosequimur, spem hujus Diœcesis dulcissimam, olimque *gaudium nostrum* & *coronam* futuros (*f*).

CÆTERUM, ne quid ex humana providentia in tanti momenti negotio desideretur, Nos Apostolici præcepti memores, *Manus citò nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis* (*g*), hanc circa Ordinandos sapienter in nostra Diœcesi constitutam disciplinam (*h*) tuebimur, & curabimus inviolatè observari; ut, quantùm, Deo juvante, consequi poterimus, Nobis de eorum vocatione, moribus & peritiâ constet, quos *ex hominibus assumptos, in iis quæ sunt ad Deum, in opus ministerii, in ædificationem Corporis Christi constituemus* (*i*).

I°. Neminem ad Tonsuram admittemus, qui Confirmationis Sacramentum non susceperit; qui Corporis Christi particeps in prima Communione non fuerit, quique annum ætatis saltem quartum-decimum non attigerit, nec satis maturo pollere judicio videatur, ut, quid suscipiat, intelligat; qui denique pro ætate non satis latinè sciat. Qui autem admissi fuerint, ii, antequàm Tonsurâ initientur, per octo dies in Seminario piis exercitiis vacabunt.

II°. Qui, emenso Philosophiæ curriculo, ad Minores Ordines admissi fuerint, ii quoque per octo dies in Seminario piis exercitiis sese ad earum susceptionem præparabunt.

III°. Qui ad sacros Ordines contendent, ii, nostro concessu, in

(*d*) *Ps.* 84.
(*e*) *Act.* 1. 14. *Luc.* 24. 49.
(*f*) 1 *Thess.* 2. 19. 20.
(*g*) 1 *Tim.* 5. 22.
(*h*) *Ordonn. de M.* de Noailles *pour la préparation aux SS. Ordres, & pour la Tonsure, donnée en* 1696. *Stat. Syn. de* 1697. *tit.* 15. & 16. *Ordonn. de M.* de Vintimille, *au sujet des Ordinations, an.* 1737.
(*i*) *Hebr.* 5. 1. *Eph.* 4. 12.

Seminarium secedent, in quo manebunt novem saltem mensibus ante Subdiaconatum, tribus ante Diaconatum, & tribus similiter ante Presbyteratum: in quo quidem pio secessu à Deo flagitent Ecclesiasticum animum, ad consequendam Ordinationis gratiam disponantur, variisque Ordinum suorum muniis & officiis erudiantur.

IV°. Clerici extranei ad Ordines in hac Diœcesi suscipiendos non admittentur, quin priùs modò dictum Seminarii tempus, sive in nostra, sive in propria ipsorum Diœcesi expleverint.

V°. Omnes ad Examen venientes afferent, 1°. Excerptum è Parochialibus Actorum Codicibus Baptismi testimonium: 2°. Litteras Tonsuræ, Ordinumve jam à se susceptorum: 3°. Testimonium exacti Seminarii, expresso tempore & loco: 4°. Approbationem Tituli, si de Subdiaconatu agatur: 5°. Testimonium trinæ Bannorum proclamationis, si de Ordinibus Majoribus agatur: 6°. Testimonium vitæ morumque irreprehensibilium, & pariter sanæ doctrinæ. Afferent præterea Clerici extranei Litteras apolyticas, seu Dimissorium. Ex quibus omnibus nihil deesse, testimonium perhibebit is qui apud S. Nicolai Seminarium ad hoc fuerit à Nobis præpositus.

VI°. In Examine quisque interrogabitur de uno Theologiæ Tractatu pro Minoribus Ordinibus, de tribus pro Subdiaconatu, de quinque pro Diaconatu, de septem pro Presbyteratu.

CAPUT V.

QUID Parochi circa Ordinandos præstare possint ac debeant.

QUID circa Ordines docere debeant Parochi. Dominicâ Ordinationem precedente, quid sit publicè docendum. Quibusnam Litteras testimoniales ad Tonsuram concedi oporteat. Quanta vigilantia in juniores Clericos adhibenda. Quo delectu ipsis ad Ordines concedenda testimonia. Banna *Majorum Clericorum. Quænam sint Ordinum impedimenta. Quâ religione de Ordinandis testificandum. Titulus Clericalis. Quomodò conficiendus, & ubi promulgandus Titulus Patrimonii. Qualis esse debeat Titulus Beneficii.*

QUAMVIS ad Parochos non pertineat Ordinum collatio, utilissimâ tamen circa hoc Sacramentum operâ nostram sollicitudinem adjuvare poterunt, si quædam hic attingenda in Ordinandos implere, pro sua pietate, non parviduxerint.

PASTORES

PASTORES, pro sua in Ecclesiam charitate, quantùm providere & consequi possunt, curare debent ut ejus ministerium nemo nisi dignus accipiat, indignique ab illo submoveantur. Necessarium proindè est ut eos curâ singulari observent, qui Clericatum suscipere meditantur, vel qui jam illum suscepère; cùm ad ipsos pertineat, juxta sacros Canones, de Ordinandorum vitâ & moribus Episcopo testificari, ne quem, deceptâ Religione suâ, temerè admittat (a): quod quidem assequi vix possit, nisi priùs ab idoneo aliquo judice diligenter expensa fuerit illorum vocatio, habilitas, animi propensio, moresque longo temporis intervallo perspecti maturèque explorati.

Qui igitur è Parochianis suis adolescentes Ecclesiasticæ militiæ in posterum addicendi erunt, ipsorum institutioni sedulò invigilent, eosque studeant ad pietatem & scientiam Ecclesiasticam præformare, Clericalis instituti rationem edocere, ac denique Clericalium functionum zelo imbuere. Iis prætereà opportunè admonentibus, videant Fideles parentes liberorum suorum vocationem. Quemadmodùm enim sibi meritò gratulantur, si quis à se genitus ad Ecclesiasticæ vitæ professionem vocetur, eamque vocationem instar benedictionis in familiam reputantes, illum libenter Altaris ministerio dicare debent; iis pariter cavendum est, ne commodi cujusquam temporalis respectu ad suscipiendum Clericatum eos perurgeant (b), quos ad ipsum minimè impelleret vocatio legitima, sed tenuior natu minoris hæreditas, exonerario familiæ, insignis stupor, ineptitudo, vel deformitas. Væ parentibus, quorum filii à teneris assuescunt Ecclesiasticam conditionem fortunam putare. Hi juvenes domesticâ ejusmodi corruptelâ depravati, onus Sacerdotii quantum sit, non intelligunt; sed in illud temerè sese ingerunt, neque vocati, neque idonei, neque rectam intentionem afferentes. Quid mirum, si Sanctuarii opprobrium, populorumque scandalum fiant?

Itaque permagni interest, ut nemo nisi probatus, &, spe saltem legitimâ, *fidelis dispensator* (c), ad Ordines promoveatur. Nimirùm sorte suâ sortem populi involvit Sacerdos; is profectò, nec salvari, nec perire solus potest; ipsique, rametsi alio sensu, accommodari posse videtur quod de Salvatore dicebat venerandus ille senex Simeon: *Positus est hic in ruinam & in resurrectionem multorum* (d). Super hoc autem flebiliùs ingemiscit pia mater Ecclesia, sicubi inveniantur mali Sacerdotes, mali præsertim Pastores, non pascentes gregem, vel, quod adhùc pejus foret, eum corrumpentes, & quorum occasione Nomen Dei & Religio blasphementur.

Quod malum ut omni providentiâ humanâ vitetur, plurimùm proderit, si nonnunquam, singulis præcipuè Dominicis quæ Quatuor-

(a) *Conc. Trid* Seff. 23. de Ref. *c.* 7.
(b) *Ibid.* Seff. 25. de Ref. *cap.* 1.
(c) 1 *Cor.* 4. 2.
(d) *Luc.* 2. 34.

Temporum Jejunia antecedunt, Pastores publicè in *Pronao* de Ordinis Sacramento verba faciant. Primò quidem, hinc ipsi reminiscentur quanam Unctione consecrati, quonam Spiritu repleti, quantæ sanctitatis lege obstricti, ad quod opus assumpti fuerint; seque ipsi *admonebunt ut resuscitent gratiam Dei quæ est in se per impositionem manuum* (e), undè Clericalis perfectionis viva quædam exempla magis ac magis præluceant. Deindè, si qui adsint jam Clericatu initiati, Parocho disserente, monitis salutaribus imbuentur, ad proficiendum in virtutibus Ecclesiasticis se inflammari sentient, atque in bono proposito confirmati, certiorem in dies vocationem suam facere studebunt. Et cùm aliquandò intersint qui sponte suâ Clericatum amplecti meditentur, ii, docente Pastore, non sine fructu accipient quâ morum integritate, quâ intentione, quo fine ad sublimem hanc vitæ rationem ipsos accedere oporteat (f). Postremò ex illius argumenti tractatione hæc ingens efflorescet utilitas, ut cæteri Fideles ministerii Ecclesiastici dignitatem Sacerdotaliumque munerum excellentiam intelligant.

Porrò, qualibet Dominicâ Ordinationem præcedente non omittant Parochi è sacro Suggestu docere, ideò præsertim, ineunte qualibet anni tempestate, solemnia ex Ecclesiæ præcepto indici Jejunia, ut à Deo Ministri & Pastores quàm optimi impetrentur, qui scilicet *pascant* populos *scientiâ & doctrinâ* (g), quique omnibus virtutum exemplaria sese præbeant.

Quoniam igitur nihil neque ad Dei gloriam, neque ad Ecclesiæ decus & ad populorum utilitatem interest magis quàm electio Ministrorum qui zelo salutis animarum, pietate, cæterisque prædiri sint dotibus ad hoc necessariis ut suscepti ministerii officio dignè fungantur; idcircò decebit, ut, recurrentibus Quatuor-Temporibus Ordinandorum electioni atque consecrationi præcipuè addictis, Pastores & populi preces suas nostris precibus comites adjungant: quo quidem orationum & jejuniorum sancto fœdere, à divina clementia *idoneos novi Testamenti Ministros*, fidelesque divini eloquii & Sacramentorum dispensatores impetrare valeamus. Oretur pastorum Princeps, ut omnibus Episcopis Catholicis, ac præcipuè Nobis det *sedium suarum assistricem sapientiam* (h), quâ duce dignoscamus quinam per impositionem manuum debeant *accipere locum ministerii hujus* (i); *qui corda novit omnium, ostendat quos elegerit* (k), ut neminem ad sacrum ministerium, nisi parem ejus oneri sustinendo admittamus (l). Oretur & pro ipsismet Ordinandis, ut Spiritu sancto, fide & sapientiâ reple-

(e) 2 *Tim.* 1. 6.
(f) *Vide S. Aug.* Ep. 19. (*al.* 148.)
(g) *Jerem.* 3. 15.
(h) *Sap.* 9. 4.
(i) *Act.* 1. 25.
(k) *Ibid. v.* 24.
(l) *Conc. Mediol. II, an.* 1569, *tit.* 1. Decr. 22.

ti, quemadmodùm septem Diaconi quos primos Apostoli elegerunt & consecrârunt, quemadmodùm & sanctus Barnabas ad opus conversionis Gentium divinitùs assumptus (*m*), ad Ordines capessendos accedant, quorum munia integerrimè religiosissimèque exerceant. Nec desint pro toto Clero fervidæ preces; ut Deus in singulis Pastoribus & Presbyteris internam renovet unctionem, quam de manu Pontificis cum externa Unctione susceperunt, utque *suum* ipsi *ministerium honorificent ac* fideliter *impleant* (*n*). Specialiter pro hac Diœcesi oretur, ut Dominus in ea suscitet perpetuâque successione conservet idoneos Vineæ suæ operarios.

CUM autem præcipua dispositio ad ineundum Clericatum necessaria, quæ est morum integritas, solo Parochorum testimonio Nobis, ut plurimùm, innotescat, quo quidem stare omninò securâ fiduciâ intendimus; ipsos in CHRISTO JESU obsecramus, ne testimoniales Litteras ulli ad primam Tonsuram aspiranti concedant, nisi perspexerint satis in eo vigere judicii, ut sentiat quantæ dignitatis atque sanctitatis sit illud vitæ institutum quo se initiari postulat; nisi pariter in ipso agnoverint aptum disciplinis ingenium, ac pietatem cum liberali indole conjunctam; undè sperandi locus sit, eum priùs moribus quàm ætate senem, utilis operæ subsidio Ecclesiæ adfuturum. Atque ut Candidatorum vocatio faciliùs introspici possit, hi saltem sex mensibus antequàm Nobis offerantur ad Tonsuræ postulationem, suum quisque Pastorem, vel Collegii seu Communitatis Moderatorem præmonere teneantur: quo quidem temporis intervallo, Pastor, aliusve Superior, vice nostrâ, ipsos edocebit quænam sint Ecclesiastici muneris partes, diligentiùsque illorum dispositionibus & moribus advigilabit.

Curabunt etiam, pro sua pietate, Rectores Ecclesiarum, ut juniores Clerici quos sacri tirocinii domo ad tempus egressos in Parochiis habent commorantes, vitam & mores ad normam Ecclesiasticæ disciplinæ componant, probatissimoque exemplo jam tum luceant coram hominibus (*o*); ut nunquam nisi veste talari (saltem si Clerici majores sint) & Tonsurâ convenienti insignes prodeant in publicum; per quam decentiam *habitûs extrinseci*, *morum honestatem intrinsecam ostendant* (*p*); ut prætereà diebus Dominicis & Festis Missæ Parochiali & Vesperis eâ quâ decet modestiâ Superpelliceoque ornati intersint; ut decorem *domûs Domini* plurimùm *diligant*; ut in ipsa pueros Religionis elementa doceant; postremò, ut sibi aut Vicario ad infirmos, Sacra ferenti, cum debita pietate & cum ornatu Clericali præstò sint

(*m*) *Act.* 6. 3. & 11. 24.
(*n*) *Rom.* 11. 13. 2 *Tim.* 4. 5.
(*o*) *Matth.* 5. 16.
(*p*) *Trid. Sess.* 14. de Ref. *cap.* 6. Vide *Mogunt. I*, *an.* 813. can. 10. *Paris. an.* 1528. decr. morum, *cap.* 23. *Decr. Guillelmi*, *Paris. Episc.*

ac ministrent. Ipsorum indolem, finem intentum, agendi rationem, studia, sodalitates maximâ vigilantiâ observent; eosque ut filios in Christo charissimos & spem Ecclesiæ opportunissimam, consiliis salutaribus adjuvent, *quo modo boni patres spiritaliter nutriant, & in Lege Domini* atque in Clericali instituto magis ac magis *erudire contendant* (q).

Jam verò testimoniales morum Litteras, ad hoc necessarias ut quis Seminarium ingrediatur, vel ad Examen pro suscipiendis Ordinibus admittatur, iis duntaxat concedet Parochus, qui, observatâ eâ quam modò attigimus morum disciplinâ, piè, ut Clericos decet, ac religiosè vixerint; qui etiam Ordinum suorum munia solemniter obierint ac decenter; qui Sacramenta, pro diversis Ordinum gradibus, convenienter frequentârint; & in quibus nullum appareat, seu naturæ, seu indolis grave impedimentum, nihilque omninò quod, juxta Canonum sanctiones, hominem ad suscipiendos Ordines inhabilem efficiat.

ATQUE ut omnia diligentissimè præcaveantur eâ in re, quæ, tum ad Religionis decus, tum ad salutem animarum tanti momenti est; ubi se aliquis ad sacros Ordines capessendos accinget, illius propositum intrà Missæ Parochialis solemnia promulgabitur tribus diebus Dominicis consequentibus, aut Festis non continuis (r), ita ut nempè inter primam & secundam, vel inter secundam & tertiam dies saltem unus intercedat, ne brevitate temporis eludantur qui aliàs possent aliquid revelare. Quæ triplex denuntiatio fieri debet in Parochia undè originem sumpsit Ordinandus, tum in qua domicilium habent parentes; tum, si sedem mutaverit Ordinandus, in Parochia ubi plures annos commoratus fuerit antequàm Seminarium ingrederetur. In casibus dubiis, consulendus est Præsul Diœcesanus, ut proclamationis locus assignetur. Eam porrò sic tempestivè institui oportet, ut peracta sit ultima denuntiatio ante Feriam tertiam hebdomadæ quæ illam præcedit in qua Ordines conferuntur (s). Quòd si verò intrà sex menses post ultimam denuntiationem non fuerit susceptus Ordo sacer, iterandæ erunt tres hujusmodi denuntiationes, perindè ac si nullæ factæ fuissent.

Porrò Ecclesia, nullum volens nisi notæ probitatis in Ministrorum suorum ordinem cooptari, Lege sapientissimâ constituit, ut publicè quæreretur suffragium populi, cujus etiam res agitur in Ordinationibus; utque Ordinandi, juxta præceptum Apostolicum, *non tantùm coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus* testimonium bonum haberent (t). Itaque hujus promulgationis scopus est, ut innotescat an non sacri Ordinis Candi-

(q) *Conc. Vas. II, an.* 529. *can.* 1.
(r) *Trid. Sess.* 23. de Ref. c. 5.
(s) *Rit. Paris. den. ed. an.* 1777, *pag.* 339.
(t) *Rom.* 12. 17. 1 *Tim.* 3. 7. *Conc. Tolet. IV, an.* 633. tit. 22.

datus se cuiquam Matrimonii fide vel sponsione obligaverit; an non ære alieno laboret; an non pro reddendis de administrata, sive publica, sive privata pecunia rationibus alicui sit obnoxius; an non famam habeat criminis aut vitii alicujus labe aspersam; postremò, an non aliquo Impedimento Canonico, vel aliquâ Irregularitate à sacris Ordinibus excludatur. Scilicet, juxta sacrorum Canonum Sanctiones, Im-» pedimento irretiti hi sunt: mino-» res natu, Sacramento Chrisma-» tis non confirmati, rudes & igna-» ri, criminosi, solemniter pœni-» tentes, neophyti, ebrietati & » gulæ dediti, impudici, lapsi post » Ordinem susceptum, perjuri, » usurarii manifesti, infames, ra-» tiociniis obligati, servi, corpore » vitiati, insigniter deformes, ille-» gitimè nati, peregrini & ignori, » bigami, irregulares, suspensi, » interdicti, excommunicati, mor-» bo caduco laborantes, energu-» meni, non examinati, & non » probati (*u*). » Hæc autem Impedimenta cùm plerique Fidelium ignorent, poterit Sacerdos ea populo summatim exponere, juxta brevem *de Irregularitatibus* Appendicem, quæ hunc *de Ordine* Tractatum subsequetur.

In illa verò promulgatione, docentibus Parochis, intelligant Fideles, conscientiæ religione strictissimâ teneri se ad revelandum, si fortè aliquid in persona vel moribus Ordinandi observaverint quod professionis Ecclesiasticæ sanctitatem dedeceat, quo proindè sacris Ordinibus indignum se demonstret; sibique in hoc esse duntaxat cogitandum Ecclesiæ decus, ipsamque ejus utilitatem, postposito unius hominis vel familiæ commodo. Neque id unquam obliviscantur ipsi Pastores in conscribendis Ordinando cuique testimoniis. Si enim, quod absit, vilis obsequii potiùs quàm veritatis impulsu aliquid testificentur; & turpiter in Ecclesiam proditores, & graviter in Deum perfidos se constituunt: omnium insupèr ineunt scelerum communionem, quibus sese commaculaturi sunt illi infelices Ministri sub falsis testimoniis ordinati. Pastores igitur nihil quidquam nisi suggerente conscientiâ, ullius testimonii scriptione affirment. Si quem præsertim ad sacrum Ordinem aspirare viderint, mores ejus potiore diligentiâ scrutentur; quàm dignè illo gradu vixerit; quali exemplo in Parochia fuerit: de quo etiam secretò inquirant, quò certiùs consequantur ejusmodi documenta, quorum ope nec ipsi fallantur, neque Nos fallant, verum testificari se existimantes.

Quòd si nullum impedimentum afferatur, Parochus post horas ab ultima denuntiatione quatuor & viginti, *Bannorum*, seu triplicis illius promulgationis testimoniales Litteras conficiet ad Nos perferendas, in quibus designabit quo die facta unaquaque fuerit; simulque testificabitur, modò sinat rei veritas, Or-

(*u*) *Mediol. IV, an.* 1576, part. 2. *tit.* 7. *Stat. Syn. D. Steph.* Poncher, *Parisf. Episc. ante an.* 1519, *tit.* de SS. Ordinib.

diiandum integris esse moribus, suorumque Ordinum munia ritè & studiosè in Parochia obiisse. Si quod verò aliarum fuerit impedimentum, nullas concedet testimoniales Litteras, sed de impedimento certiores Nos faciet.

UT quis prætereà Subdiaconus ordinetur, huic necessarius est *Titulus Clericalis*, id est, honesta sustentatio, constituta nempè vel in Beneficio, vel in possessione fundi seu reditûs annui, vel in professione Religiosa. Undè triplex est Titulus, scilicet *Beneficii*, *Patrimonii*, & *Monasterii*, sive *paupertatis*. Quartus addi potest, qui dicitur *obedientiæ*, si quis nimirùm eâ lege ordinetur, ut semper & quacumque datâ occasione ad Diœcesis ministerium præstò sit Episcopo vocanti: & tunc illi de necessariis providet Episcopus. Olim, ut jam superiùs observatum est (*x*), solus propriè locum habebat *Titulus Beneficii* (*y*). Nullus quippè instituebatur Clericus, qui certæ Ecclesiæ non addiceretur, in qua Ordinis sui munia exerceret, & cujus in *Matriculam* relatus, jus haberet ex ea percipiendi undè vesceretur. Aucto subindè, propter Ecclesiæ utilitatem, Clericorum numero, ne quisquam è sacris Ministris non liberâ mente suis functionibus vacaret, de victu scilicet cultuque humano sollicitus, sapienter ab Ecclesia constitutum est, ut qui sine Beneficii Titulo ad sacros Ordines promoverentur, Patrimonii Titulum possiderent, quo possent honestè sustentari: » neque enim decet eos, qui » divino ministerio ascripti sunt, » cum Ordinis dedecore mendi- » care (*z*), ullove turpi vel in- » honesto negotio victum quæ- » rere (*a*). »

Titulus Patrimonii sit fundus, vel reditus ad totam vitam certò collocatus; cujus possessor *fructus faciat suos*, prorsùsque immunes, *saltem ad centum-quinquaginta libras*, ut exigit hujus Diœcesis consuetudo. Cujus Tituli instrumentum coram Notario Regio conficiatur & ratum habeatur, fidem facientibus pariter duobus sponsoribus qui sint solvendo pares. Deindè exemplar cum prima perscriptione collatum, & in Acta Ecclesiastica relatum (1), Parocho tradetur, à quo tribus diebus Dominicis aut Festis intrà Missæ Parochialis solemnia cum Subdiaconi *Bannis* promulgabitur in Parochia ubi jacet fundus Titulum constituens; ut innotescat num ad parentes, aliosve Subdiaconum dotantes, vel ad ipsum hæreditario jure, sive aliàs legitimè, pertineant bona in prædicto Titulo enuntiata; num denique centum-quinquaginta suppeditent libras immunes. His ita compositis, si nemo se interponat, Parochus testificationem conscribet infra ipsum quod promulgaverit, apographum (2). Hoc autem in Archiepiscopatûs nostri Tabulario (3) deponetur; ut à Nobis ritè ap-

(1) Insinué.

(2) Copie.

(3) Au Secrétariat.

(*x*) *Cap. III.*

(*y*) *Calced. gen. IV, an.* 451, *can.* 6. Decret. *l.* 5. *tit.* 5. *c.* 2. *Conc. Narb. can.* 13. *Trid. Sess.* 23. de Ref. *cap.* 17.

(*z*) *Trid. Sess.* 21. de Ref. *cap.* 2.

(*a*) *Carth. III, an.* 397. *cap.* 15.

probetur & suscipiatur ille ipse Titulus Clericalis, postquàm nihil in eo solemnitatis aut formæ omissum fuisse, causâ cognitâ, judicaverimus.

Si autem aliqua fraus aut collusio in Tituli creatione adhiberetur, qui v. g. nihil foret præter simulatam donationem; graviter peccarent & *Donator* & *Donatarius*. Prætereà, qui sine Titulo, seu Dispensatione Tituli, vel sciens & volens sub Titulo falso aut fallaci ad Subdiaconatum promoveretur, Suspensionem *ipso facto* ab illius Ordinis functionibus incurreret (*b*). Nec patrimonium illud, vel pensionem annuam, sine Pontificis Diœcesani permissu alienare aut extinguere licet, vel *Donatori* reddere, quoadusque *Donatarius* Beneficium Ecclesiasticum, Judice proprio Antistite, sufficiens adeptus fuerit, vel aliundè consecutus undè possit honestè sustentari (*c*).

Titulus Beneficii, ut ad Subdiaconatum valeat, institutionem Canonicam & pacificam possessionem exigit; debetque librarum, ad minus, centum-quinquaginta proventum aut pensionem asserere; nisi minoris pretii Beneficium pro Titulo habendum censeamus. Itaque Clericus Beneficium adeptus quod sibi pro Titulo esse cupiat, *Provisionum* instrumenta Nobis exhibebit, simulque suam probabit possessionem pacificam; quid sibi ex Beneficio annui reditûs proveniat, quid oneris incumbat, sigillatim aperiet. Qui sub Titulo Beneficii ordinatus fuerit, Beneficium illud cuiquam transcribere non poterit nisi de nostra licentia, postquàm videlicet Nobis certò constiterit honestam ei sustentationem aliundè suppetere (*d*).

(*b*) *Rotom. an.* 1445. *can.* 16. *Mandat. D. Lud. Ant. Card.* de Noailles, *an.* 1709, de Casib. Reserv. *&c. in Synodico, p.* 409. *Et Rit. Parif. pag.* 115.

(*c*) *Conc. Trid.* sup. *Stat. Parif. an.* 1697. *tit.* 9.

(*d*) *Ibid.*



CAPUT VI.

De officiis Presbyterorum è sacra Ordinatione recentium.

Prima Missa piè celebranda. Sacerdotum dignitas quid velit, & vocatio quaenam sit. Novi Sacerdotis Pastorale tirocinium. Sacerdotium sit continuatio studiorum. Praeludia curae Pastoralis. Levis adumbratio Pastoris. Qualem animum requirat Ecclesiastici Ministerii sublimitas. Officia Pastorum à Concilio Tridentino, &c. summatim expressa.

POSTQUAM, emensis singulorum Ordinum gradibus, tandem ascensus patuit ad praecellentem Sacerdotii dignitatem; Missa prima, non multo interjecto spatio, celebranda incumbit. Eam autem sensu pietatis tam vivido atque inflammato celebrare studeat novus quisque Sacerdos, ut semper deinceps primi hujus Sacrificii memor, ejusque veluti sapore imbutus, ad Altare Dei ascendat. Prætereà, ut indè suscepti ministerii fructum afferere aliquatenùs possit, à summo æternoque Pontifice ardenter postulet animi Sacerdotalis plenitudinem, zelum salutis animarum, quo ipse indesinenter flagravit in terris; seque holocaustum devoveat pro Dei gloria & proximi sanctificatione consumendum. *Hunc diem*, ut potè sibi & familiæ *celeberrimum atque sanctissimum* (*a*), exigat velut *absconditus cum Christo in Deo* (*b*). Si autem cum propinquis & amicis epuletur, ipse & convivæ omnes temperanter sobrièque *epulentur in conspectu Dei, & delectentur in lætitia* spirituali (*c*). Absit ut choreæ quasi nuptiales agitentur: nihil indecorum; nihil profanum occurrat, cùm Sacerdotalis officii primordia excellentissimæque sanctitatis primitiæ celebrantur (*d*).

JAM verò qui de sub manibus Spiritu sancto fœcundis atque è sacra Unctione recentes, seculum, quod sanctificent, ingrediuntur, ii sublimem Sacerdotii gradum ad quem evecti sunt, in semetipsis revereantur, aliisque venerabilem exhibeant. Munus sibi impositum quale sit, attento animo considerent. » Sicut » enim Episcopi Apostolorum in » Ecclesia, ita Presbyteri cæterorum » Domini Discipulorum vicem te» nent. Undè oportet eos semper esse

(*a*) *Levit.* 23. 31.
(*b*) *Col.* 3. 3.
(*c*) *Ps.* 67.
(*d*) *Conc. Mediol. IV, an.* 1576. *tit.* de Missa.

» memores

» memores tantæ dignitatis (*e*); » ut quorum manus in Sacerdotio consecratæ sunt, nunquam Sacerdotium polluant, & super quos fusum est oleum sanctæ Unctionis Dei, ab ea nunquam degenerent (*f*). » Unusquisque igitur, tam in conversatione sua, quàm in habitûs » & vultûs ac sermonis gravitate, » talem se domi forisque, & suis » & extraneis exhibere studeat, ut » maturitate morum, & repudia» tione omnium levitatum ac vanitatum, omnibus sibi adhærentibus, seque intuentibus, formam » disciplinæ, verecundiæ ac modestiæ infundat (*g*). » Scilicet *Clericorum vitam perpetuum quoddam prædicandi genus* (*h*), perpetuamque morum censuram esse oportet.

» Illud præterea unusquisque » sæpè repetat, se non ad inertiam » atque ignaviam, sed ad spiritualis atque Ecclesiasticæ militiæ labores vocatum; non ad privatam » requiem, sed ad publicam utilitatem provectum (*i*). » Itaque novi Sacerdotes, quamvis nondùm ulli sint Ecclesiæ addicti, totam nihilominùs quâ pollent, operam offerant Pastori suo, quem venerentur & in Christo diligant ut patrem, orentque & obtestentur sibi esse in ingressu ministerii ducem ac monitorem. Sic denique *in omni opere bono fructificent* (*k*), sic honorandam in seipsis pietatem ostendant, ut mereantur à Nobis ad animarum regimen assumi.

Quoniam autem Religionis præcones & magistri (*l*), populique ductores futuri sunt, omni curâ & studio *attendant lectioni & doctrinæ* (*m*). Præcipit Synodus Tridentina, ut » qui ad Presbyteratûs Or» dinem assumuntur, hi sint qui » ad populum docendum ea quæ » scire omnibus necessarium est ad » salutem, ac administranda Sacra» menta idonei comprobentur (*n*). » Attamen quantacumque diligentiâ præformentur, multis adhùc studiorum subsidiis post Unctionem Sacerdotalem indigent, ut susceptum ministerium dignè fructuosèque exerceant. Quòd si verò non ingentem sibi conficiant Bibliothecam, eos saltem assequantur Libros, quibus carere omninò non possunt. B. Pauli Epistolas ad Timotheum & ad Titum frequenter evolvant; earumque doctrinam, non solùm ad Episcopos, verùm etiam ad secundi Ordinis Pastores pertinentem, studeant in mores suos transfundere. Librum hunc Pastoralem perdiscant, ejusque præceptis ac sensibus animum imbuant.

(*e*) Capit. *Theodulph. Aurel. an.* 797. *cap.* 1.

(*f*) *Levit.* 21. 10. 12. 2 *Esdr.* 13. 29. *Vide Conc. Elib. c. an.* 304. can. 19. *Carth. III, an.* 397. can. 25. *Turon. I, an.* 461. can. 3. *Tolet. VIII, an.* 653. can. 4. 5. *Trid. Sess.* 25. de Ref. *cap.* 14. 15. *S. Hier.* Ep. 2. (*al,* 24.) ad Nepotian.

(*g*) *Conc. Valent. III, in Delph. an.* 855. can. 15.

(*h*) *Conc. Trid.*

(*i*) *Mediol. V, an.* 1579. part. 3. *Vide S. Chrys.* Hom. 15. in 2 Cor.

(*k*) *Col.* 1. 10.

(*l*) *Decr. Eccl. Gall. in Conv. Melod. an.* 1579. *tit.* de sacr. Ord. *Vide Conc. Paris. VI, an.* 829. *l.* 1. *c.* 4.

(*m*) 1 *Tim.* 4. 13.

(*n*) *Conc. Trid, Sess.* 23. de Ref. *c.* 14.

Et quoniam, inter cæteras scientiæ Ecclesiasticæ partes, ea quæ morum doctrinam spectat, Sacerdotibus, sive ad publicas Institutiones peragendas, sive ad animas in arcano Tribunali dirigendas, maximè necessaria est; huic statim dedere se non omittant Presbyteri è sacra Ordinatione recentes, posteàque ad ipsam magnâ diligentiâ incumbere non desistant; ut potè quæ latissimè patet, Sacerdotalisque ministerii fructum asserere, penitùs animo comprehensa & luculenter exposita, potissimùm valet.

Sacros etiam Ritus, piamque ac decentem Sacramentorum administrationem, annuentibus ac dirigentibus Parochis, ipsâ experientiâ sibi familiarem faciant. Quotidiè *crescant in scientia Dei* (*o*); quâ duce, animarum gubernationem pleniùs addiscant, eique posteà feliciùs animum adjiciant. In verbo Dei, de nostra licentia, prædicando sese naviter exerceant. Concionentur autem non ambitiosè atque oratoriè, nec tamen perfunctoriè & negligenter; sed ad captum vulgi, piè, solidè & evangelicè. In Catecheticis Institutionibus præparandis & exequendis, prout requirit magna ipsarum utilitas, summo studio indefessoque labore versentur. Pastorali denique officio jam tum præludentes, hunc illius scopum esse intelligant, humanæ cujuslibet miseriæ depositum in se recipere, benefacere quamplurimis, opem ferre necessitatibus corporum, ad animas lucrifaciendas; » Ecclesiam, quæ est Corpus Christi, » Capite illo immortali dignam » efficere, ac singulorum membrorum incolumitati providere (*p*). »

Porrò medias inter sacri ministerii sollicitudines, interiorem sibi quemdam secessum parare oportet unumquemque Pastorem; ita ut, cum hominibus degens, secum ipse nihilominùs habitet, collectâque mente totus in Deo recumbat. Servandus pariter flos ille famæ integerrimæ, *bonum Christi odorem* ubique diffundens, innocentia illa, pudor ille Sacerdotalis, eximiæ videlicet pulchritudinis ornamentum, Deo & hominibus dilectum faciens Mysteriorum dispensatorem. Si autem aliquandò inter homines, præsertim potentiores, extra ministerii sui necessitatem versetur; ad eorum limina gravitatem convenientem, non tamen tetricam, deferat necesse est, exempli sui auctoritate voluptatem, luxum, mollitiem atque ambitionem condemnans.

Hùc accedit quòd vigil in statione sacra excubare debeat, instructus armis fidei & doctrinæ, quibus retundat errores qui sacrum depositum adulterant, mundi opiniones quæ morum disciplinæ Evangelicæ adversantur. Sacerdos *induatur justitiâ ut loricâ; & galea salutis in capite ejus; & operiatur quasi pallio zeli* (*q*). Mala enim quæ à Pastoribus tolerantur vel non corriguntur, ipsis crimini sunt; publicæque corruptelæ, quasi propria vitia, his qui

(*o*) *Col.* 1. 10.
(*p*) *S. Chrys.* de Sacerd. *l.* 4. *c.* 3.
(*q*) *Is.* 59. 17.

præsunt, imputantur. Et quidem, moribus ferè in universum labefactatis, Legibus proculcatis ac ludibrio habitis, quo tandem fræno coërcebitur tam procaciter effusa licentia, nisi Pastores huic sese constanter & tamen prudenter quasi *murum æreum* opponant?

Pastoralis igitur ministerii sublimitas animum desiderat sublimem, terroribus invictum, contradictionibus ac difficultatibus fortiorem, adulationi impervium, humano obsequio superiorem; quem sive promissa, sive comminationes, sive gratia, sive offensa cujusquam perindè immotum rectique propositi tenacem inveniant. Scilicet anima Pastoralis *elevabitur* ut *aquila* (*r*), ac tumultuantes in infimis cupiditates mortalium interrita despiciet. *Magnum* certè *ac generosum animum ad eam rem afferre oportet* (*s*), in qua instituitur *colluctatio adversùs carnem & sanguinem* (*t*), adversùs cunctos animorum æstus, ac totam vitiorum cohortem. » Qualis » esse debet, qui tantæ tempestati » opponendus est? Nam & gravem » illum, sed minimè fastuosum; » & terrificum, sed humanum; & » visendâ majestate principem, sed » omnibus tamen appellandis co» mem; eumdemque integrum, » officiosum, humilem, sed mini» mè servilem; acrem quoque ac » vehementem esse convenit, sed » tamen & mansuetum (*u*). »

Itaque novi Sacerdotes Pastorale officium, quod quibusdam lineamentis adumbravimus, assiduè meditentur ac prætentare studeant. Et cùm denique imposita ipsis fuerit animarum cura, præ oculis ea documenta jugiter habeant, quibus Pastorum erga populos sibi creditos officia præcipua hisce gravissimis verbis attigit, sedulòque expendenda proposuit Ecclesia, Tridenti in Spiritu sancto congregata: » Cùm » præcepto divino mandatum sit om» nibus, quibus animarum cura » commissa est, oves suas agnosce» re, pro his Sacrificium offerre, » verbique divini prædicatione, Sa» cramentorum administratione, ac » bonorum omnium operum exem» plo pascere, pauperum, aliarum» que miserabilium personarum cu» ram paternam gerere, & in cæ» tera munia Pastoralia incumbere; » quæ omnia nequaquam ab iis » præstari & impleri possunt, qui » gregi suo non invigilant neque » assistunt, sed mercenariorum mo» re deserunt; sacrosancta Synodus » eos admonet & hortatur, ut di» vinorum præceptorum memores, » factique forma gregis, in judicio » & veritate pascant & regant (*x*).

Scilicet *publici & communis boni procurator & antistes* (*y*), » stu» diosè Parochus (debet esse) sol» licitus de pauperibus suæ Paro» chiæ, præsertim puellis nubilibus, » viduis, orphanis, pupillis, ægro-

(*r*) *Job*, 39. 27.
(*s*) *S. Chrys.* de Sacerd. *l.* 2. *c.* 3.
(*t*) *Eph.* 6. 12.
(*u*) *S. Chrys.* sup. *l.* 3. *c.* 15.


(*x*) *Conc. Trid. sess.* 23. *cap.* 1. de Ref. *Vide Conc. Aquisgr. II, an.* 836, de mor. & doctr. *c.* 5.
(*y*) *S. Greg. Naz. in obitu S. Basil.*

» tis, senio confectis, aliisque per- » sonis utraque misericordiâ indi- » gentibus, quibus & ipse opitule- » tur, & alios hortatu suo ad id » officium invitet (z). » Sic *Pastor ad alta charitatis mirabiliter surgit, cùm ad ima proximorum se misericorditer attrahit* (a). Sic *omnibus omnia factus*, homines ad virtutem, privatæ simul & publicæ felicitatis, æternæque omnium salutis causam, Pastoralis bonitatis dulcedine allicit.

Et quidem Pastoris est, Religionis uti subsidio ad multiplicis generis beneficia in societatem Christianam conferenda. Religionis Minister, cui sit ejus virtus profundo contuitu explorata, ipsiusque annuntiandæ optima ratio in assuetudinem versa, per eam, quâ nihil potentiùs multitudinem regit, publicum ordinem divinitùsque institutæ potestatis reverentiam tuetur: per eam legibus robur asserit, dum, in legislatore principe, Dei *per quem Reges regnant* imaginem ostendit (b): per eam firmiore simul & sanctiore vinculo eos constringit, quos jam verendo nexu natura devinxerat: per eam sublimibus incitamentis omnium suggerit amorem virtutum, quæ, ipsâ deficiente, stimulo carent, nec ad finem legitimum referuntur. Pastori etiam in promptu est præsentis ævi ærumnas Fidelibus ope Religionis mitigare, dum iis *æternum* exhibet *gloriæ pondus momentaneæ tribulationi* à justo Deo rependendum (c). Quid plura? *creaturam ingemiscentem* consolatur (d), ne desperet; exultantem compescit, ne superbiat: hincque divites, & indè pauperes ita moderatur, ut Deus utrobique mirabilis prædicetur, qui *infinitæ bonitatis consilio fecit miserum, ut agnosceret misericordem* (e), & coronaret æquanimiter patientem.

Hisce præviis documentis imbuti Sacerdotes, cùm ad Pastorale munus assumpti fuerint, scientiam sibi necessariam in dies augere satagent, eamque magis ac magis experientiâ firmabunt. Sic nempè ex iis erunt, de quibus Deus per Prophetam, *Dabo vobis*, inquit, *Pastores juxta cor meum; & pascent vos scientiâ & doctrinâ* (f). Sic verendam omnibus efficient Ecclesiæ gubernandæ præcelsam ac divinam potestatem (g). Sic demùm, & seipsos, & plebem cui præerunt, salvam facient, hoc velut sibi dictum accipientes: *Nolite negligere: vos elegit Dominus ut ministretis illi* (h); *ministrate in Sanctuario, & sanctificati immolate; fratres etiam vestros, ut possint juxta verba quæ locutus est Dominus, facere, præparate* (i); *quoniam vos estis Presbyteri in populo Dei, & ex vobis pendet anima illorum* (k).

(z) *Conc. Avenion. an.* 1594. can. 42.
(a) *S. Barthol. à Martyr.*
(b) *Prov.* 8. 15. (c) 2 *Cor.* 4. 17.
(d) *Rom.* 8. 22.
(e) *S. Paulin. serm.* de gazophylac. *post Ep.* 33. (f) *Jerem.* 3. 15.
(g) *S. Cypr.* Ep. 55. (*al.* 59.) §. 2.
(h) 2 *Paral.* 29. 11.
(i) 2 *Paral.* 35. 5. 6.
(k) *Judith*, 8. 21.



APPENDIX ORDINIS.

DE IRREGULARITATIBUS.

Dicetur, 1°. *Quid & quotuplex generatim sit Irregularitas* : 2°. *De causis ab Irregularitate incurrenda excusantibus* : 3°. *De Irregularitatibus ex defectu*: 4°. *De Irregularitatibus ex delicto* : 5°. *De Dispensatione in Irregularitatibus.*

CAPUT PRIMUM.

Quid & quotuplex generatim sit Irregularitas.

Irregularitatis in universum natura & proprietates. Maximè generales ejus divisiones & effectus.

Irregularitas est *Impedimentum Canonicum, quo vir baptizatus, ab Ordinum susceptione primariò ac directè, secundariò verò ab eorum usu interdicitur.* Cùm autem præsens argumentum non minùs intricatum sit & perplexum quàm Ecclesiæ Ministris necessarium, definitionem modò allatam distinctiùs evolvere operæ pretium videtur.

Dictum est igitur, I°. *Impedimentum*, id est, inhabilitas quædam moralis; quæ cùm citra delictum, ex defectu, v. g. corporis vitio, interdùm oriatur, hinc ipsa, ex genere suo, pœnæ rationem non habet: undè à *Censura* distinguitur, quæ pœna est, & culpam supponit. Quinimò ipsa Irregularitas quæ *ex delicto* provenit, quamvis pœna sit, à Censura tamen discrepat, quia medicinalis non est, nec ad tempus emendationis imposita, sed propter divini ministerii decus & honorem Jure constituta. Ad illud quippè

ministerium, neminem nisi *operarium inconfusibilem* admitti decet (*a*): ipsumque obire indignus meritò censetur, qui talem contraxit peccati maculam.

II°. *Canonicum*, seu Jure Ecclesiastico, & quidem solo, institutum, atque in eo expressum. Hinc 1°. nec peculiaribus Diœceseôn Statutis, nec solâ consuetudine inducitur Irregularitas, quia solo Jure induci potest. Hinc 2°. Qui Irregularitate aliquâ, etiam *ex delicto*, irretitus Ordines suscipit, vel susceptos exercet, novam non contrahit Irregularitatem; neque enim Irregularitas Irregularitatem parit. Hinc 3°. in Irregularitatibus non valet argumentum *à pari*, aut etiam *à fortiori*; quia similis aliqua, imò potior Irregularitatis constituendæ ratio ipsam reverà non constituit, sed solum omninò Ecclesiæ Statutum. Hinc 4°. verba Juris comminatoria, cùm effectum non præsentem, sed futurum significent, Irregularitatem inducere nequeunt; ut enim suum parerent effectum, Judicis Sententiâ, quæ ab homine fertur, opus habetent: nulla autem est Irregularitas *ab homine*, solæque Censuræ non semper *à Jure*, sed etiam aliquandò *per Sententiam* feruntur.

III°. *Vir baptizatus*: itaque non vir infidelis, nec mulier quæcumque. Non ille quidem: cùm enim Ecclesiæ legibus minimè subjectus sit, Impedimento per eas constituto ligari nequaquam potest. Non hæc verò; eò quòd videlicet non Ordinis, atque ideò nec Irregularitatis sit capax.

IV°. *Directè & primariò interdicitur Ordinum susceptione*, quæ quidem tunc non irrita, sed illicita esset; nec ab Ordinibus duntaxat, verùm etiam ab ipsa Tonsura Clericali prohibet, juxta Theologorum sententiam longè communiorem, Ecclesiæ praxi & rationi quàm maximè consentaneam.

V°. Dictum est, *& secundariò susceptorum usu*. Qui enim Ordines suscipere, is consequenter & susceptos exequi vetatur, nisi *partialis* sit Irregularitas; quæ nempè, licèt cujusvis Ordinis impediat susceptionem, non tamen usum interdicit Ordinis jam anteà legitimè suscepti.

Præter hos Irregularitatis characteres præcipuos, sunt & alii qui ex iis consequuntur; scilicet inhabilitas ad Beneficium, vel obtinendum, vel jam obtentum retinendum, & consequenter ad suscipiendam Jurisdictionem ordinariam, seu Beneficio annexam, vel jam susceptam exercendam, sive licitè, sive etiam validè, pro circumstantiarum varietate. Eos nimirùm effectus diversis modis parit Irregularitas, prout vel publica est, vel occulta, præveniens aut superveniens, perpetua vel temporaria, totalis aut partialis, ex delicto vel ex defectu: de quibus proindè dicendum est in antecessum, ut faciliùs intelligantur

(*a*) 2 *Tim.* 2. 15.

quæ de earum effectibus postmodùm sumus dicturi.

Irregularitas igitur alia est *publica*, quæ *notorietate* facti vel Juris innotescit; alia *occulta*, quæ neutro modo cognoscitur. Alia *perpetua* est, quæ solâ potest Dispensatione auferri, ut Irregularitas ex homicidio: alia *temporaria*, quæ temporis lapsu desinit; talis est Irregularitas *ex defectu ætatis*, quæ, hac adveniente, aufertur. Alia est *præveniens*, quæ Ordinis aut Beneficii susceptionem antecedit; alia *superveniens*, quæ iisdem jam legitimè susceptis supervenit. Alia *totalis* est, quæ Ordinis cujusque, tum susceptionem, tùm usum absolutè prohibet; alia *partialis*, quæ non omnes, sed aliquos duntaxat parit ejusmodi effectus. Sic Sacerdos, homicidio perpetrato, Irregularis est Irregularitate *totali*; ipsi enim cujuslibet Ordinis usus interdicitur: cæcitate verò perculsus, Irregularis est Irregularitate *partiali*; potest enim concionari & Confessiones excipere; & ab iis solummodò functionibus interdicitur, quibus, propter cæcitatem, jam inhabilis factus est. Irregularitas quam incurrunt Clerici, *totalis* est, respectivè ad ulteriores Ordines suscipiendos, non tamen semper quoad susceptorum usum: quoad utrumque verò *totalis* est, quotiès *Irregularitas* illi Casui in quem inciderunt, Juris dispositione simpliciter & absolutè annexa est. Quod autem ad Laïcos pertinet, Irregularitas quam incurrunt, semper *totalis* est, eâ nihilominùs exceptâ quæ ex ætatis aut scientiæ defectu oritur; qui enim propter ætatem ad Subdiaconatum inhabilis est, non idcircò ad Minores Ordines aut Clericalem Tonsuram inhabilis esse censetur.

Sed posterioris generis Irregularitates, scilicet *partiales*, aliæ quidem Ordinis alicujus, non tamen omnium usu interdicunt; sic Sacerdos qui dubitat an homicidium perpetraverit, in Ordinibus quidem sacris, non autem in Minoribus ministrare prohibetur (*b*): aliæ verò Clericum ad certa quædam Beneficia inhabilem reddunt, non tamen ad omnia; sic filius, etiam legitimus, irregularis est ad Beneficia quæ obtinuit pater, immediatè post eum obtinenda, & tamen alia Beneficia potest obtinere.

Irregularitas denique alia est *ex delicto*, ut ex homicidio, aut Censuræ violatione; alia *ex defectu*, v. g. ex cæcitate. Multiplex verò utriusque discrimen assignatur. Nam Irregularitas *ex delicto* semper voluntaria est; culpam necessariò supponit, & quidem lethalem, exteriorem, & in genere suo consummatam; solâque Dispensatione potest auferri. Si ex delicto occulto proveniat, Diœcesani Præsulis auctoritate relaxari potest, eâ tamen exceptâ quæ oritur ex homicidio voluntario, in qua nempè solus dispensat Romanus Pontifex. At contrà, Irregularitas *ex defectu*, nec semper, nec plerumque voluntaria est, aut culpam supponit: aliter quàm per Dispensationem auferri potest; siquidem,

(*b*) *Cap.* 12. de homic.

cessante causâ, non rarò cessat; eaque summo Pontifici, ut plurimùm, reservatur.

PORRO multiplex generatim est Irregularitatis effectus. I°. enim, Ordinum, ipsiusque adeò Tonsuræ Clericalis susceptionem prohibet, ac susceptorum usum; omnium quidem, si sit *totalis*; quorumdam autem, si *partialis* (*c*). Qui quidem geminus effectus ex iis quæ superiùs dicta sunt, manifestè colligitur.

II°. Paucis quibusdam Casibus exceptis, in Jure expressis (*d*), Clericum inhabilem reddit ad obtinendum, non licitè tantùm, sed & validè, Beneficium quodcumque, aut illud saltem cujus munia, Irregularitate contractâ, prohibentur; undè ipso Jure irrita est ipsius collatio (*e*). Et certè, cùm Beneficium propter officium detur, atque ad illud ex natura sua ordinetur, consequens est ut Beneficium nec licitè, nec validè accipere possit is qui sit per Irregularitatem Ordinis Officio interdictus. Hinc 1°. Clericus Beneficium cujuscumque generis quod accepit dum Irregularis esset, dimittere tenetur, si *totalis* sit Irregularitas; si verò *partialis*, illud saltem cujus munia propter eam licitè exercere non potest: utque Beneficium (in alterutro casu respectivè) tutâ conscientiâ retinere possit, necesse est Dispensationem super Irregularitate & novam Beneficii collationem ab illo impetrari. Hinc 2°. idem tenetur Beneficii fructus quos percepit, restituere. Si tamen Irregularitate se ligatum esse invincibiliter ignorasset, satis foret eam restituere perceptorum fructuum partem, quam adhùc retineret, vel undè esset ditior factus. Hinc 3°. eos actus validè exercere non potest, quos exercendi jus & facultas non aliundè quàm ex ipso Beneficio oritur: cujusmodi sunt electio & præsentatio ad Beneficia, eorum collatio, & ipsius Beneficii in Irregularitate accepti administratio. Collapso enim fundamento, corruunt quæcumque ipsum necessariò præsupponunt. Hinc 4°. (saltem si *totalis* sit Irregularitas) idem, nec licitè, nec validè accipere aut exercere potest Jurisdictionem ordinariam, Beneficio scilicet annexam. Cùm enim *ipso facto* nulla & irrita sit Beneficii collatio, nulla consequenter atque irrita est Jurisdictio in collatione fundata (nisi hæc propter errorem communem rata & valida fiat, quod quidem non rarò contingit). Adhùc tamen capax ille est Jurisdictionis delegatæ, aut alterius facultatis quæ non à Beneficio pendeat, sed à delegantis aut committentis voluntate; secùs verò, si Ordinum exercitium requiratur. Hactenùs de Irregularitate *præveniente*.

Quod autem ad *supervenientem* attinet, Beneficiarius eâ ligatus, Beneficio obtento privari quidem potest per Judicis Sententiam; sed ante illam reipsâ non privatur, nec illud

(*c*) *Can.* 9. & 10. *dist.* 34. *Cap.* 17. de temp. ordin. *tit.* de Cleric. excomm.

(*d*) *Cap.* Si celebrat.

(*e*) *Cap.* 2. de Cleric. ægrot.

illud dimittere tenetur: nemo enim legitimè acquisitâ re spoliare se tenetur, nisi priùs interveniat Judicis Sententia. Debet nihilominùs Irregularis ejusmodi Beneficiatus Beneficium dimittere, si Irregularitatis Dispensationem impetrare nolit, aut nequeat. Id enim retinere nemo potest, cui annexum est officium quod licitè adimplere nunquam poterit. Hoc tamen de sola Irregularitate *ex delicto* intelligi oportet. Si enim sit *ex defectu*, v. g. ex infirmitate; nec Beneficium dimittere tenetur, nec per Judicis Sententiam eo spoliandus est: nam afflictionem afflicto superaddi vetat humanitas, adeòque & ipsa Religio (f). Verùm in hujusmodi casu, ei sociandus est sacri muneris adjutor, qui functiones ipsi interdictas exequatur. Quinimò, rametsi ex delicto sit illa Irregularitas *superveniens*, nihilosecius poterit qui eâ constringitur, Beneficium resignare *in favorem*; nisi obstet Beneficii conditio, aut nisi tale sit crimen, ut vacationem *ipso facto* inducat. Prætereà Beneficii fructus retinere poterit, quos percepit quamdiù Dispensationem prosequebatur, licèt eam non obtinuerit; dummodò nec temerè inconsultèque speraverit ipsam esse obtinendam, nec fuerit in illa persequenda negligentior; dummodò etiam ex Beneficii fructibus debitum ejus officium interim præstari sedulò curet.

Postremò Irregularitas *superveniens* Jurisdictioni ordinariæ, id est, Beneficio jam legitimè accepto annexæ, invalidum non efficit hujus exercitium, si sit occulta, aut solâ facti *notorietate* publica; quia, ex modò dictis, ipso Beneficio non spoliat. Et verò de Irregularitatibus occultis idem ac de Censuris hac in parte censendum est, cùm eædem rationes in utrisque locum habeant. Quotiès tamen Jurisdictio illa non sine Ordinis usu exerceri potest, ut in Pœnitentiæ Sacramento & Nuptiarum Benedictione, eam exercere nequit Irregularis, cùm Irregularitas usum Ordinis impediat. Hinc, qui, obtento Beneficio curam animarum annexam habente, Irregularitatem contraxit, quamvis ea licitè munia exercere possit quæ meræ Jurisdictionis sunt, v. g. delegare ad Sacramenta Parochianis suis ministranda; non tamen ea ministrare ipsemet potest; quia nempè illi actus Jurisdictionis includunt usum Ordinis quo per Irregularitatem interdicitur. Quòd si autem Irregularitas *superveniens* publica sit Juris *notorietate*, id est, per denuntiationem, scilicet per Sententiam Judicis Ecclesiastici debitè latam, significatam & promulgatam; hujusmodi Irregularitate invalidum efficitur exercitium Jurisdictionis ordinariæ.

Ex dictis facilè intelligitur, eum qui Irregularitatem perfringit, graviter peccare, ut potè qui præceptum Ecclesiæ transgrediatur in re gravissima, Sacrorum reverentiam,

(f) *Ibid.* Cap. 5.

divini ministerii decus, ipsiusque adeò Religionis dignitatem & honorem spectante. Non tamen sicut in Censuræ, ita in Irregularitatis violatorem pœna ipso Jure decernitur; tametsi huic plura Concilia Excommunicationem ac Depositionem comminantur (*g*).

Cæterùm urgens necessitas potest à violatæ Irregularitatis peccato excusare. Hinc, si Parochus Irregularitate occultâ ligatus, ab offerendo Sacrificio citra scandalum v. g. aut infamiam abstinere nequeat, licitè celebrare poterit; lex enim Ecclesiastica cum tanto incommodo non obstringit. Is tamen tenetur, cumprimùm poterit, Irregularitatis Dispensationem postulare & impetrare: quæ si Pontifici maximo sit reservata, nec possit nisi tardiùs obtineri; ad Ordinarium, sive per se, sive intermedio Confessario, confugere illum oportebit, ut, eo permittente, suo interim munere fungi valeat.

(*g*) *Conc. Elib.* can. 30. *Agath. an.* 506. can. 43. *Aurel. IV, an.* 541. *Nic. I*, can. 1. 2. 9. 10.

CAPUT II.

De causis ab Irregularitate incurrenda excusantibus.

Quænam causæ ab Irregularitate incurrenda excusent: quænam verò non excusent. Dubium Juris: *dubium* facti.

Quanquam Irregularitas, Jure ita disponente, certis quibusdam delictis annexa est; plures tamen causæ impedire possunt quominùs ipsa ex iis contrahatur. Cùm enim gravis sit pœna, ideòque, nisi ob grave peccatum, nequaquàm infligenda; certum est ab ea incurrenda excusare ignorationem, inadvertentiam, oblivionem, bonam fidem, materiæ levitatem, aliasque id genus causas, quatenùs à peccato lethali excusantes. Quod cùm præstare nequeant ex quæ vincibiles reverà sunt, hinc, & Jure ipso (*a*), & ratione non minùs constat eas ab Irregularitate excusare nullomodò posse. Et quamvis nòn perindè constet ab ipsa minimè excusandum esse eum qui legem quidem noverit quâ vetitum est delictum quod perpetravit, sed Irregularitatem huic annexam esse inculpabiliter nescierit; probabilius id tamen videtur,

(*a*) *Greg. IX*, *cap.* 9. de Cleric. excomm. ministr.

& tutiùs asseritur; tum quòd ignoratio pœnarum quæ cæteris Legibus feruntur in delinquentes, neutiquam ab iis excusat transgressorem qui leges ejusmodi noverit, idemque pari jure idcircò de Irregularitate *ex delicto* censetur, mera siquidem est pœna; tum quòd indecentiam cujus removendæ causâ instituta est Irregularitas, hujus ignorantia non aufert ab eo qui sciens ac volens crimen ipsum perpetravit. Licèt enim homicida v. g. Irregularitatem suo sceleri annexam esse ignoraverit, indecorum tamen est ut Ecclesiæ à sanguine abhorrentis ministet is constituatur, qui humano cruore manus suas tam criminosè respersetit.

Neque obstat quòd ignoratio Censuræ excuset à Censura, idemque idcircò de Irregularitate dicendum videatur. Scilicet magnum inter utramque discrimen intercedit. Censura enim pœna est medicinalis, duntaxatque in contumacem lata. Ut autem quis contumax censeatur, necesse est ut de pœna per Ecclesiam infligenda præmonitus fuerit, eamque cognitam habere potuerit. Contrà verò, quæ Irregularitatis species pœnæ rationem habet, ea quidem nec medicinalis est, nec propter contumaciam fertur, sed in pœnam delicti. Quemadmodùm igitur ut aliæ pœnæ legales, ita, ut hæc possit incurri, necessaria non est pœnæ cognitio, sed delicti propter quod illa infligenda decernitur.

Ad ignorationem propè accedit dubium; tum *Juris*, quo nempè, propter Legis obscuritatem, ancipites hærent vel ipsi peritiores, an Irregularitas per eam feratur; tum *facti*, quod tunc videlicet occurrit, cùm quis dubitat an delictum commiserit cui certò annexa est Irregularitas. Ac primò quidem certum est, eum qui dubitat, non priùs agere debere quàm dubio emerserit, si, consideratè expensis omnibus, possibile sit dubio emergere: alioqui, periculo sese objiceret Irregularitatis violandæ, quam fortè, præmisso diligentiore examine, à se contractam fuisse deprehensurus esset.

Itaque si dubium *Juris* sit, tenetur is qui in tali dubio versatur, ad ipsum, antequàm agat, deponendum, si, adhibitâ quàm diligentissimâ investigatione, certò dignosci possit an Lex, in casu posito, Irregularitatem statuat, nec-ne. Si enim ille, neglectâ hujusmodi investigatione, Ordines suscipiat, extra culpam non erit. Quanquàm, si, adhibito postmodùm examine, dubium adhuc perseveret, munia suscepti Ordinis obire poterit; siquidem peccato negligentiæ quod commisit, licèt gravi, nulla invenitur in Jure annexa Irregularitas, nulla Censura.

Si verò, priusquàm agatur, rè sedulò discussâ, & consultis doctoribus, non solvatur illud dubium *Juris*; ab Irregularitate contrahenda excusat. Sic enim statuente Jure (*b*),

(*b*) *Cap.* 18. de sent. Excomm. in 6.

Irregularitatem ea sola pariunt, quæ in illo sunt expressa; ibi autem non exprimuntur casus verè dubii, ut potè de quibus ipsi prudentes ac periti judicium suspendere coguntur. Porrò id de opinione non potest intelligi; quæ scilicet à dubio *Juris* diversa est: undè, qui in ea versatur, vel pro Irregulari se gerere debet, vel secùs agere potest, prout vel magis vel minùs probabile meritò videtur eum reipsâ Irregularem esse, juxta saniores opinionum probabilium regulas. Quòd si æqualis utrimque sit probabilitas, hoc ipsum *Juris* dubium est, de quo jam diximus.

Quod ad dubium *facti* pertinet; vel circa homicidium, vel circa aliud delictum versatur. Si prius; qui eo laborat, pro Irregulari se gerere debet: ita nempè Canonicis legibus disertè sancitum est (*c*). Hinc Irregulares habendi sunt, adeòque Ordines licitè suscipere nequeunt, Medicus qui prudenter suspicatur culpâ suâ evenisse ut ægrotus interierit; similiter, qui novit se abortui causam dedisse, sed dubitat num fœtus animatus esset; qui, dato perpetrandi homicidii consilio, dubitat utrùm indè efficaciam in homicidium contulerit; qui cum aliis percussit, sed anceps hæret atque incertus an ipse vulnus lethale inflixerit; qui dubitat, an hominem, an feram interfecerit; ii siquidem, an homicidium perpetraverint, reipsâ dubitant.

Sicut dubio *Juris*, ita & dubio *facti*, quod non circa homicidium, sed circa alia delicta Irregularitatem parientia versetur, censent communiter Theologi & Canonistæ quemvis ab Irregularitate contrahenda excusari (*d*). De quo tamen si quid in praxi ambiguum occurrat, nihil erit, inconsulto Pontifice Diœcesano, definiendum.

Duo verò hìc diligenter observanda sunt: primum quidem, modò expositam de dubio doctrinam, de solo intelligendam esse dubio probabili; si enim leve sit, merusque scrupulus, id pro nihilo ducendum est: alterum, ea quæ diximus de causis ab Irregularitate contrahenda excusantibus, ad solam Irregularitatem *ex delicto* spectare, non autem ad eam quæ *ex defectu* est, transferenda esse; quippè quæ, defectu etiam inculpabiliter posito, contrahitur, nisi is fortè ex eorum numero sit quos voluntarios esse oporteat, ut Irregularitatem pariant.

(*c*) *Cap.* 15. de homic. volunt. & *Cap.* 20. *ibid.* *Vide Suarez, Avila, Confér. d'Angers, Abrégé de Pontas, &c.*

(*d*) *Cabassut*, lib. 5. cap. 20. n°. 14.

CAPUT III.

De Irregularitatibus ex defectu.

Octo Irregularitates ex defectu : *scilicet defectus natalium , corporis , animi , ætatis , libertatis , Sacramenti , lenitatis , & famæ.*

Octo recensentur Irregularitates *ex defectu :*

I°. *Defectus natalium.* Hac Irregularitate ab Altarium ministerio submoventur , qui nati sunt, vel extra legitimum Matrimonium , nothi (1) videlicet , etiam occulti ; vel ex legitimo quidem conjugio , sed cujus posteà illicitus factus fuerit usus , ei scilicet qui , jam conjugatus , Ordine sacro initiatus sit , vel continentiæ Votum solemne in professione Religiosâ legitimè nuncupaverit.

Porrò istam Irregularitatem *ex defectu natalium* instituit Ecclesia , tum propter incontinentiæ periculum ex parentûm imitatione ; tum ut ejusdem » incontinentiæ memo- » ria locis Deo consecratis , quos » maximè puritas sanctitasque de- » cet , longissimè arceretur (*a*) ; » tum denique propter quamdam ignominiæ labem quâ aspersi videntur illegitimi (*b*). Nemo quidem sibi parentes eligit ; tamque innoxii quàm infelices habendi sunt , qui suam non legitimæ conjunctioni originem debent. Sed tristes iniquitatis paternæ fructus , etsi paternam *iniquitatem* coram Deo non *portant* (*c*) , imaginem tamen ipsius coram hominibus quasi fronte manifestam gerunt : quod novi Sacerdotii sanctitatem haudquaquam decet , *suum* utique non ferentis *vituperari ministerium* (*d*) , etiam in iis quæ vitare liberum cuique non fuerit.

(1) Enfans naturels.

Qui ex Matrimonio nati sunt irrito quidem , sed cum omnibus solemnitatibus requisitis celebrato , Irregulares non habentur , dummodò conjugum saltem unus legitimo sese Matrimonio junctum bonâ fide crediderit.

II°. *Defectus corporis.* Ab ipsismet Gentilibus non admittebantur , nisi magno delectu , Sacerdotes qui diis fictitiis immolarent ; à quo ministerio repellebatur quicumque insigni vitio corporis , vel notabili deformitate , intuentium oculos offendere potuisset. In veteri etiam

(*a*) *Conc. Trid. Sess.* 25. de Ref. *cap.* 15.

(*b*) *Dist.* 46. *c.* 10. *Dist.* 56. Decretal. *l.* 4. Qui sint filii legitimi , *cap.* Tanta , *&c.* & *cap.* Nisi cùm pridem , *&c. Conc. Meld. an.* 845. *c.* 64.

(*c*) *Ezech.* 18. 20.

(*d*) 2 *Cor.* 6. 3.

Testamento Irregularitati ex defectu corporis locus fuit, Deo nimirùm sic præcipiente: *Homo de semine (Aaron) non accedet ad ministerium Dei sui, si cæcus fuerit, si claudus; si parvo, vel grandi, vel torto naso; si fracto pede, si manu; si gibbus, si lippus, si albuginem habens in oculo, si jugem scabiem, si impetiginem in corpore; vel herniosus. Omnis qui habuerit maculam, non accedet offerre hostias Domino, nec panes Deo suo, nec accedet ad altare; quia contaminare non debet Sanctuarium* (*e*).

Primis Ecclesiæ seculis, nulla corporis vitiis annexa erat Irregularitas, modò ex delicto non provenissent. Cùm verò posteà *refrixisset charitas multorum* (*f*), nec ea esset corpore vitiatis animi excellentia virtutisque pulchritudo, quæ deformitatem exteriùs apparentem vinceret, adeòque in Clero despicatui onerique essent; Ecclesiæ matri sapienter visum est prohibere, ne Ordinibus initiarentur ii qui certis quibusdam corporis vitiis laborarent (*g*).

Hinc Irregulares sunt cæci; vel sinistro, qui *Canonis* dicitur, oculo capti, saltem nisi dexter eâ vigeat perspicaciâ, ut sine indecenti ad populum conversione, Canon legi possit: utraque aure surdi, vel magnâ auditûs gravitate laborantes: muti, aut sic balbutientes ut nullum ferè verbum integrè distinctèque pronuntiare valeant; aut quibus ita hæsitans ac difficilis est loquela, ut vel invitis risum moveant: qui naso, labiis, manu, crure vel pede carent: qui sic tremuli sunt, vel eâ manuum, oculorum aut pedum debilitate, ut, quamvis ad sacras functiones obeundas non omninò & absolutè sint inhabiles, eas tamen vel tutò, vel sine scandalo, indecentiâ aut periculo exercere nequeant: quibus pollex vel index digitus omnino truncatus est, vel partim amputatus, & ita imminutus, vel, ungue deficiente, sive aliàs ita debilis alteruter, ut sacram Hostiam decenter elevare ac dividere non possint: quibus desunt duo digiti cum dimidia vola (1): paralytici, vertigine affecti, undè frequenter existat mentis alienatio gravis: monstrosi; ad derididiculum claudi vel gibbosi: leprosi; horrendum in modum scabiosi; quibus est facies ustulata, aut fœdissimè maculata; quibus est albugo in oculo: qui carent auriculis, seu externâ illâ cartilagine, quæ auditûs organo adhæret; nisi hoc vitium obducto capillamento lateat: uno verbo, qui insigni quolibet corporis vitio suî horrorem quemdam seu contemptum spectantibus injiciunt; vel *qui nec securè propter debilitatem, nec sine scandalo propter deformitatem* sacra munia exequi possunt (*h*).

Jam verò notandum est Irregu-

(1) La paume de la main.

(*e*) *Levit.* 21. 17. 18. 19. 20. 21. 23.
(*f*) *Matth.* 24. 12.
(*g*) *Dist.* 55. *lib.* 1. Decretal. *tit.* de corpore vitiatis, *lib.* 3. de Cleric. ægrot. *c.* 2.
(*h*) *Ibid.* tit. 20. *cap.* 1. 6. 7. *Conc. Rom. an.* 465. can. 3. *Aurel. II*, *an.* 531. can. 6. *Burdig. an.* 1624. *cap.* 6. *n.* 1. *S. Greg. l.* 2. (*al.* 3.) Ep. 25.

laritatem plerumque non induci occultis corporis vitiis quæ nec periculum in celebrando, nec horrorem astantibus pariunt. Excipiendum tamen, si quis propriâ culpâ factus fuerit eunuchus, aut membrum aliquod, seu partem membri sine justa causa sibi ipse resecuerit; is enim Irregularis est, quantumlibet occultum sit vitium (*i*). In dubio autem an ex aliquo defectu corporis existat Irregularitas, consulendus est Pontifex Diœcesanus, ejusque judicio obsequendum.

Quod pertinet ad abstemios, id est, ad eos qui à vino sic abhorrent ut vinum bibere nequeant, aut bibitum retinere; ii quidem Jure ipso naturali ad Sacerdotium inhabiles omninò sunt.

Corporis defectus modo recensiti, cùm Ordines præcedunt, ab omnibus excludunt Ordinibus; cùm verò susceptis Ordinibus superveniunt, iis laborantes munia illa exercere possunt quibus habiles remanent. Sic Presbyter, abscissâ manu, Missam celebrare jam nequit; sed facultatem retinet prædicandi. Sic auditûs gravitate affectus, inutilis fit arcano Tribunali, non autem Sacrificio vel Prædicationi. Qui defectus Tonsuram præcedunt, ii quidem ab illa excludunt, adeòque ab omni Beneficio: sed qui eam sequuntur, ab iis tantùm Beneficiis excludunt, quibus inhabilem efficiunt. Qui promotionem ad Beneficia præcedunt, hi impediunt ne quisquam ad ea sine Dispensatione promoveatur: qui autem illam sequuntur, minimè impediunt quominùs Beneficia jam adepta retineantur.

III°. *Defectus animi;* qui triplex est, scilicet rationis, scientiæ, & fidei confirmatæ.

Itaque 1°. Sequitur Irregularitas *ex defectu rationis*, sive absoluta sit hujus privatio, sive tantùm ipsius imminutio; sive alterutra sit perpetua, sive lucidis intervallis dispuncta; sive causam habeat naturalem, sive dæmonis exagitantis sævitiâ immittatur. Undè Irregulares sunt mentis inopes, insani, furiosi, lunatici, epileptici, energumeni, seu malo dæmone possessi vel obsessi (*k*). Quæ quidem Irregularitas non solo Jure Canonico fundatur, verùm etiam Jure naturali. Qui enim rationis defectu laborat, hic sanè utilem non potest Ecclesiæ operam præstare, nec proindè ministeriis Ecclesiasticis aptus ullomodò censetur: præterquàm quòd naturali eodem Jure gravissimis obviandum est incommodis quæ evenire possent, si quis vesaniæ æstu repentino medias inter Ordinis sui functiones abriperetur, vel (quod religiosæ menti etiam cogitatu horrendum est) dum salutis Hostiam vel divinum Calicem manibus teneret, aut Sacramentum aliquod ministraret. Qui ergò furoris, epilepsiæ, possessionis misertimos casus semel experti sunt, ipsi

(*i*) *Conc. Nic. I, œcum. an.* 325. can. 1.

(*k*) *Gennad. V seculo Massil. Presb.* Eccl. Dogm. *c.* 72. (*al.* 39.) Can. Ap. 78. *Conc. Tolet. XI, an.* 675. *cap.* 23.

ad Ordines sine Dispensatione promoveri nequeunt, etiamsi ab hujusmodi vexationibus longo temporis intervallo penitùs conquieverint. Si quis verò, postquàm ordinatus fuit, ejusmodi calamitatibus fiat obnoxius; Ordinum munia exequi jam non potest, nisi unius saltem anni probatio intercedat, ut de veritate atque integritate curationis, Ordinario judice, indubitanter constet.

2°. *Defectu scientiæ.* Irregulares sunt illitterati, quamdiù non discussa est imperitia (*l*). Est enim intrinsecè & ex natura sua malum, ut quis officium suscipiat, cui obeundo sit impar. Itaque nullus Ordini suscipiendo potest esse idoneus, nisi scientiæ comparandæ habilis sit, & ipsam quæ necessaria est ad Ordinis munia exequenda, jam comparaverit. Muneri suo non satisfaciunt Pastores, nisi doceant (*m*): quomodò autem docebunt quod non didicerint? De qua quidem Irregularitate divinum hoc pervulgatum est oraculum: *Quia tu scientiam repulisti, ego quoque repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi* (*n*); undè illud sapientissimè conditum fuit Decretum: « Sicut iniqui & peccatores ministerium Sacerdotale » assequi prohibentur, ita indocti » & imperiti à tali officio retrahuntur: illi enim exemplis suis vitam bonorum corrumpunt; isti » suâ ignaviâ iniquos corrigere nesciunt (*o*). »

3°. *Defectu fidei confirmatæ.* Irregulares sunt Neophyti, seu ab Infidelitate recèns conversi & baptizati, necdùm satis in Christianæ disciplinæ proposito roborati (*p*). Cùm enim ii *sicut modò geniti infantes* in vita spirituali adhùc reputentur, periculum esset, ne, *in superbiam elati* (*q*), gratiâ Baptismatis exciderent, si statim Fidelium patres ducesque instituerentur. Illi quoque Neophytis annumerantur, qui, nullo interposito spatio, volunt à statu Laïcorum ad Ordines convolare. Quia verò à sanctis Canonibus minimè constitutum fuit quanto tempore vigeat *defectus fidei confirmatæ*, in Diœcesani Antistitis prudentiâ est ut illud pro circumstantiis decernat.

IV°. *Defectus ætatis.* Hic defectus ad solos Ordines sacros pertinet; ætas enim ad Minores constituta nulla est: quanquàm ante annum circiter octavum-decimum conferri non solent. Itaque Irregulares habentur quicumque sancitam Canonibus ætatem non attigère; qui est annus vigesimus-secundus (saltem incœptus) ad Subdiaconatum, vigesimus-tertius ad Diaconatum, vigesimus-quintus ad Presbyteratum (*r*). Qui, sciens & volens, sacros Ordines immaturè suscipit,

(*l*) *Hilar. P.* in Conc. Rom. *an.* 465. *c.* 3. *Ep. Gelas. P.* ad Episc. Lucan. *an.* 494. *c.* 16. *Cap.* Illitteratos. *Dist.* 36.

(*m*) *S. Hier.* Comment. in Aggæi Proph. cap. 2. ante med. *S. Thom. opusc.* 65. de Off. Sacerd.

(*n*) *Osee*, 4. 6.

(*o*) *Conc. Aquisgr. I. an.* 816. *lib.* 8. *cap.* 16.

(*p*) 1 *Tim.* 3. 6. *Conc. Nic. I*, *c.* 3.

(*q*) 1 *Tim.* 3. 6.

(*r*) *Cap.* Cùm in cunctis, *Decret. l.* 1,

eorum

eorum functiones obire non potest, quin priùs legitimam ætatem attigerit, atque insupèr à Suspensione quam *ipso facto* incurrit, absolutionem obtinuerit. Si quis autem ordinatus fuisset, bonâ fide ignorans se nondùm ætatem requisitam adeptum; suppletâ postmodùm ætate, collati sibi Ordinis munia exercere posset.

V°. *Defectus libertatis.* Conjugio implicitus Irregularis est, nisi accedat consensus uxoris Religionem approbatam solemniter profitentis (*s*), ita ut mutuâ sponsione ad reliquum vitæ curriculum ambo digrediantur. Impedimento *servitutis* jam nullus est locus, in hoc præsertim Galliarum Regno; cùm inter cætera Christianæ Religionis erga humanitatem benefacta numeretur abolitio mancipiorum, ob reverentiam *libertatis filiorum Dei* (*t*), *quâ libertate Christus nos liberavit* (*u*); undè *non est servus, neque liber* (*x*), *omnesque unum sunt in* CHRISTO JESU (*y*).

Defectu libertatis ii etiam laborare censentur, qui æs alienum ingens contraxêre, usquedùm creditoribus satisfecerint; qui Magistratum gessêre, vel munus repetendis pecuniis obnoxium: qui denique rem alienam, sive publicam, sive privatam, quovis nomine ac titulo tractavêre; quales sunt Regiæ vel privatæ pecuniæ administri, pupillorum tutores & curatores, quoadusque, depositis ac redditis ratiociniis, liberi omninò effecti fuerint à negotiis secularibus, quibus implicari neminem Deo militantem sinit Apostolici documenti memor Ecclesia (*z*).

VI°. *Defectu Sacramenti:* cujus Impedimenti nomine *Bigamia* intelligitur. Idcircò autem hæc Irregularitas nuncupatur *ex defectu Sacramenti*, quòd secundæ nuptiæ minùs perfectè exhibent Christi cum Ecclesia junctionem mysticam, *quæ* nimirùm, inquit S. Thomas, *est unius ad unam;* sicque iteratæ nuptiæ aliquid Sacramento detrahunt. Præterea, exclusis ab Ordinatione *Bigamis*, attenta videtur species quædam incontinentiæ quæ in secundis nuptiis apparet.

Scilicet præcipit Apostolus & Sacerdotem & Diaconum esse *unius uxoris virum* (*a*); undè *Bigamos* ab Ordinibus nunquam non submovit Ecclesia; neque eos tantùm qui ante conversionem plures simul uxo-

Greg. IX, *tit. 6.* de electione. *Const. Pii II*, Cùm ex Sacram. *Conc. Trid. Sess.* 29. de Ref. *c.* 11.

(*s*) Fraternitati vestræ auctoritate Apostolicâ prohibemus ne uxoratum præsumatis in Episcopum ordinare, nisi uxor priùs professa continentiam, sacrum sibi velamen imponat, & religiosam vestem assumat. *Alex. III*, *cap.* Sanè, *extrà*, *de convers. conjugat.* Vide Conc. Abrinc. an. 1172. & *D'Héritourt*, Loix Eccl.

(*t*) *Rom.* 8. 21.

(*u*) *Gal.* 4. 31.

(*x*) *Gal.* 3. 28.

(*y*) *Ibid.*

(*z*) 2 *Tim.* 2. 4. *Inn. I*, Ep. 2. c. 2. Ep. 4. *c.* 3. Ep. 23. *c.* 4. *S. Greg. l.* 2. Ep. 25. (*al.* 37.) *Conc. Rem.* sub Sonnat. *an.* 625. *v.* 630. c. 6. *Tribur. an.* 895. can. 29. *Decret.* tit. 19. *Cod. Theod. l.* 19. tit. 19. *Ferrand.* c. 119.

(*a*) 1 *Tim.* 3. 2. 12. *Tit.* 1. 6.

res habuissent, sed qui plures successivè duxissent (*b*). Itaque *Bigamus* ille est, ideòque Irregularis, qui cum duabus vel pluribus successivè uxoribus legitimum Matrimonium contraxit & consummavit, sive ante, sive post Baptismi susceptionem (*c*); » Baptismus enim solvit » culpas, & non solvit conjugia: » undè cùm ex ipso conjugio sequa» tur Irregularitas, per Baptismum » solvi non potest (*d*). » Hæc autem est *Bigamia realis*.

Altera distinguitur *Bigamia*, nempè *interpretativa*; ubi aliquis Matrimonium contraxit cum vidua, vel cum puella corrupta, etiamsi uxorem ducens, eam viduam aut corruptam esse ignoraverit: hìc enim non agitur de peccato vel de pœna, sed de defectu, qui semper defectus est, nihil obstante ignoratione, vel errore (*e*). Esset pariter *Bigamiæ interpretativæ*, ideòque & Irregularitati locus, etiamsi puella, antequàm uxor duceretur, fuisset invitò animo violata. Quamvis enim virgo, in hujusmodi casu, non amittat virginitatis meritum, nihilominùs adest defectus significationis Sacramenti (*f*). Sed nulla est Irregularitas, cùm quis uxorem ducit puellam quam priùs ipse solus corrupit, *quia*, inquit S. Thomas, *carnem suam non divisit in plures*. Nulla quoque esset Irregularitas, si quis duxisset viduam virginem, id est, à priore conjuge non cognitam, qui v. g. ipso celebrati Matrimonii die obiisset (*g*). Idem est, cùm quis duas successivè puellas uxores duxit, si, consummato Matrimonio cum prima, non illud cum altera consummaverit, aut vice versâ. Ratio est quòd Irregularitatem non inducit Bigamia, nisi quatenùs hæc impedit quominùs Matrimonium exhibeat Christi cum Ecclesia junctionem mysticam, quæ, ut jam diximus, *est unius ad unam*; id autem impediri non censetur, quandò ex duobus Matrimoniis unum duntaxat consummatum est (*h*).

Tunc verò adest *Bigamia interpretativa*, cùm aliquis à conjuge *notoriè* adulterâ non discessit, vel ob adulterium dimissam, datâ veniâ, recepit, & cum ipsa maritali modo habitavit (*i*); *hìc* enim, inquit Doctor Angelicus, *non quæritur quid sit peccatum, sed significatio tantùm*: cohabitatio verò cum uxore corrupta jam non significat Christi junctionem cum Ecclesia, quæ scilicet nullum, præter hunc, sponsum habuit.

(*b*) Decret. *tit.* 21. *c.* 6. *Tert.* l. 1. ad ux. *Orig.* Hom. 17. in Luc. *S. Basil.* can. 12. *Inn. I*, Ep. 2. *c.* 5.

(*c*) *Cap.* Super eo, *de Bigam. non ordin.*

(*d*) *S. Thom.* in 4. dist. 27. *q.* 3. *a.* 2.

(*e*) *S. Thom.* in 4. dist. 27.

(*f*) *Idem.*

(*g*) *Dist.* 34. *c.* 20. Decret. l. 21. *c.* 5.

(*h*) *Inn. III*, c. 1. d. Bigamis.

(*i*) Can. Ap. 17. (*al.* 18.) *Siric. P.* Ep. 1. *c.* 10. 11. Const. Ap. *l.* 6. *c.* 17. *Conc. Elib.* can. 65. *Aurel. III*, *an.* 538. can. 9. *Dist.* 34. *cap.* Quotquot. *C.* 27. *q.* 1. *& cap.* Nuper, *de Bigam. non ordin. cap.* Curandum. Si Laïci. Si cujus. *Novell.* 22. le. 22.

Huic autem Impedimento præluserat ipsa Lex per Moysen data, sic de omni Sacerdote filio Aaron, ac præsertim de Sacerdote maximo pronuntians : *Virginem ducet uxorem ; viduam autem & repudiatam, & sordidam atque meretricem non accipiet, sed puellam de populo suo* (*k*).

Tertii generis est *Bigamia*, nempè *Similitudinaria :* 1°. Si quis secundam quasi uxorem, adhùc superstite legitimâ conjuge, duxerit ; vel si quis, mortuâ conjuge legitimâ sibi maritaliter cognitâ, aliud Matrimonium irritum contraxerit & affectu conjugali consummaverit (*l*). In hoc scilicet magis attenditur intentio quàm actio ; & Irregularitas non præcisè ex actione inducitur, sed ex actione quatenùs fit animo conjugali : undè in Jure exprimitur nullam contrahi Bigamiam, nullam proindè Irregularitatem ex fornicatione cum pluribus concubinis (*m*). 2°. Si quis post Matrimonium spirituale, postquàm scilicet in Religione approbata solemne castitatis Votum emisit, vel postquàm Ordine sacro initiatus est, Matrimonium attentavit & consummavit (*n*). Hic instar Bigami habetur, » licèt in veritate » Bigamus non existat ; non propter » defectum Sacramenti, sed propter » effectum intentionis cum opere » subsecuto (*o*).

Irregularitatem inducit triplex illa *Bigamia ;* nec tantùm cujuslibet Ordinis susceptione, & Ordinum jam susceptorum usu interdicit, verùm etiam omni privilegio Clericali spoliat.

VII°. *Defectus lenitatis.* Hinc Ithacium Episcopum & asseclas olim excommunicavit Ecclesia. Hi videlicet Priscillianum Hæresiarcham & socios flagitiosè tumultuantes, zelo veritatis minùs quàm æstu violentæ simultatis, apud Magistratus ipsumque Imperatorem insectati erant, donec ad supplicium raperentur ; & quasi cruentatis inimicorum cæde manibus Victimam pacis immolare non dubitaverant. Non tulit Ecclesia, mutuato nomine suo, vel noxium effundi sanguinem ; cùm pia mater, quemadmodùm & *Pater misericordiarum* (*p*), *nolit mortem impii, sed ut convertatur & vivat* (*q*).

» Omnes quidem Ordines Clericorum ordinantur ad Altaris » ministerium, in quo sub Sacra» mento repræsentatur Passio Chri» sti ; & ideò non competit iis occi» dere, sed magis esse paratos ad » propriam sanguinis effusionem pro » Christo, ut imitentur opere quod » gerunt ministerio : & propter hoc » institutum est ut effundentes san» guinem, etiam sine peccato, sint » Irregulares (*r*). » Itaque *ex defectu lenitatis* Irregularitatem incur-

(*k*) *Levit.* 21. 7.
(*l*) *Inn. III*, sup.
(*m*) *Ibid. cap.* 6.
(*n*) *Cap.* A nobis, *extrà*, de Bigam. non ordin.
[illegible]*id.*
(*p*) 2 *Cor.* 1. 3.
(*q*) *Ezech.* 33. 11. *Vide S. Ambr.* Ep. 27. *&c. Sulp. Sev.* Hist. *l.* 2. *c.* 3.
(*r*) *S. Thom.* 2. 2. *q.* 50. *a.* 2.

rit, si quis voluntariè, proximè & efficaciter, licèt justè, ad alicujus necem vel mutilationem ex officio concurrit. Undè Irregulares sunt, 1°. Qui in bello, etiam justo, propriâ manu occidunt vel mutilant (*s*). Qui autem in bello evidenter injusto sanguinem hostium effundunt, ii quidem *ex delicto homicidii* magis quàm *ex defectu lenitatis* fiunt Irregulares; quin etiam ad hoc satis est ut prælio interfuerint in quo aliquis perierit. Præterea qui in bello etiam justo meruêre stipendia, licèt propriis manibus sanguinem non effuderint, sed tantùm imperaverint, aut præstò fuerint commilitantibus in prælio vel obsidione, Irregulares in foro externo censentur, atque idcircò Dispensatione opus habent; multò magis si sclopum adversùs hostes, incerto licèt ictu, disploserint. 2°. Judices qui morte aut mutilatione damnârunt, si modò secuta fuerit alterutra. 3°. Advocati & Procuratores Regii, atque ipsi Procuratores Fiscales qui mortem vel mutilationem inferri postulârunt, si tamen secutum fuerit Judicium postulationi consentiens. 4°. Multò magis carnifices, qui latam à Judicibus Sententiam mortis vel mutilationis executi sunt (*t*). Juxta Gallicanam Jurisprudentiam, delatores, testes & Scribæ in causa sanguinis, Irregulares non censentur. Neque ullibi tales habentur Medici aut Chirurgi, qui, suadentibus Artis legibus, amputationes præcipiunt vel exequuntur, etiamsi mors indè proveniat. Secùs dicendum est de Clericis, quibus nempè *illam Chirurgiæ partem quæ ad ustionem vel incisionem inducit*, interdicunt sancti Canones (*u*). Sed neque Clerici, neque Laïci Irregulares fiunt, ubi animo sanandi, illæsisque Artis legibus, potiones medicas præcipiunt, undè mors reipsâ sequitur.

VIII°. *Defectus famæ* (*x*). Apud omnes omnium seculorum populos tanta fuit Sacerdotii existimatio, ut nemo, vel in ipsa Ethnica superstitione, ad illud assumeretur, nisi priùs discussa atque honestati consentanea judicata fuissent ejus vita & mores. Quid mirum, si ad sanctum JESU CHRISTI Sacerdotium aspirantes, *viros boni testimonii* esse oportet (*y*), famæque integerrimæ? Quin etiam illos quondàm præceperat Apostolus *testimonium habere bonum ab iis qui foris* essent, id est, ab ipsismet Gentilibus (*z*). Et certè irreprehensibiles esse convenit eos qui aliis regendis, erudiendis, arguendis, sanctificandis, præficiendi sunt (*a*); » ne ab his qui » exemplum bonæ conversationis » esse debent, videantur scelerum » magisteria procedere (*b*). »

Duplicis autem generis distinguitur infamia; alia *Juris*, alia *facti*.

(*s*) *Siric. P.* Ep. 4. c. 3. *Inn.* [illegible] Ep. 23. c. 2. 4. *can.* Si quis viduam, *Dist.* 50.

(*t*) *Conc. Tolet. VI*, *an.* 638. can. 31. *Later. IV*, *an.* 1215. can. 18.

(*u*) *Ibid.*

(*x*) Infamibus portæ non pateant dignitatum, *penult. Juris reg.* in 6°.

(*y*) *Act.* 6. 3. (*z*) 1 *Tim.* 3. 7.

(*a*) *Ibid. v.* 2.

(*b*) *Conc. Elib.* can. 65.

Infamia Juris in Lege fundatur Civili aut Canonica, quæ certis quibusdam actionibus vel professionibus infamiæ notam inurit (*c*). Itaque ipso Jure infames sunt duello decertantes, & eorum (si qui sint) Patrini; mulierum raptores, &, raptûs causâ, consilium, auxilium aut præsidium adhibentes: qui turpes vel minùs honestas professiones exercent; quales sunt lenones, fœneratores publici, sortilegi, comœdi, histriones, iique omnes qui, oblectationis publicæ causâ, in scenam prodeunt, & spectaculo sunt (*d*); qui uxorem scenicam duxerunt (*e*): ac generatim quicumque, pronuntiantibus Ecclesiæ vel Principis Legibus, infames publicè habentur, ideòque ad ferendum in Judicio testimonium non recipiuntur.

Incurritur etiam *infamia Juris* ex Sententia Judicis, aliquem damnantis ad pœnam corporalem, sive aliàs infamantem; v. g. ad flagella, ad cauterium liliatum (1), ad mulctam honorariam (2), ad triremes (3), ad collariam (4), ad ipsum quoque exilium. Et quamvis injusta foret Sententia, nihilominùs Irregularitatem induceret, quoadusque probata fuisset injustitia. Prætereà ipso Jure infamis, ideòque Irregularis habetur is qui publicâ objurgatione mulctatus à Judice est (5) in auditorio; non verò qui simpliciter in Judicio admonitus (6), aut pecuniâ in subsidium pauperum (7) mulctatus (*f*).

Infamia facti ea est quæ oritur ex delicto gravi & *notorio*, propter quod reus apud graves honestosque viros malè audiar (*g*). Hujusce generis infamiâ laborant, exempli causâ, sacrilegi, blasphemi, perjuri, venefici, fures, sicarii, concubinarii & adulteri, Simoniaci & Confidentiarii: uno verbo, ii omnes qui cum multorum offensione peccaverunt, vel quorum vita scandalo fuit, licèt ea peccata non commiserint quæ ex se Irregularitatem inducunt. Quin etiam eos olim qui inter Pœnitentes publicos relati fuissent, ab omni Ordine & ministerio Ecclesiastico legimus exclusos, tanquam *defectu famæ* laborantes (*h*): non Pœnitentiæ causa, sed culparum, quas utique graves supponebat Pœnitentia publica; & propter scandalum priùs illatum.

Porrò *infamia facti* tollitur per *notoriam* vitæ morumque emendationem. Ut verò tollatur *infamia Juris*, & Irregularitas indè proveniens, necesse est, vel ut per Sententiam purgetur crimen propter quod inflicta est condemnatio, vel ut à sancta Sede Apostolica, cui reservatur ista Irregularitas, obtineatur Dispensatio; quæ tamen, secundùm Jurisprudentiam Gallicanam, ultra effectus spirituales non extenditur.

(7) Condamné à une aumône.

(1) Fleur-de-lys.

(2) Amende-honorable.

(3) Galeres.

(4) Carcan.

(5) Blâmé.

(6) Admonesté.

(*c*) *Lc.* Ait Prætor, *de his qui infamiâ notantur. Et c. 6. cap.* Infames.

(*d*) *Lc.* 1. Prætoris; & *le.* 2. Quid ait. *Lc.* Ait Prætor, *sup. Lc.* 20. Improbum fœnus. *Cod.* Ex quib. causis infamia irrogatur.

(*e*) Can. Ap. 17. (*al.* 18.)

(*f*) Cùm te, *tit.* De sententia & re judicata. *Lc.* Interlocutio, 19. *Lc.* Ex quib. caus. infam. irrog.

(*g*) *Cap.* Latet, *de probationibus.*

(*h*) *Conc. Elib. can.* 76. *Nic. can.* 2. 9. *Rom. an.* 465. *can.* 3. *Agath. an.* 506. *can.* 50. *Epaon. c. an.* 517. *can.* 3.

CAPUT IV.

De Irregularitatibus ex delicto.

Septem Irregularitates ex delicto : Homicidium ; mutilatio ; illicita susceptio alicujus Ordinis ; usurpatio functionum Ordinis sacri ; violatio Censuræ ; profanatio Baptismi per ejus iterationem , vel Baptismus ab Hæretico denuntiato susceptus ; Apostasia , vel Hæresis.

Irregularitas *ex delicto* nulla incurritur , ut jam diximus (*a*) , nisi ob culpam lethalem , exteriùs consummatam, & completam in genere actûs quem exprimit Lex Irregularitatem ferens. Cùm enim Irregularitas pœna sit gravissima , ex se perpetua , difficilèque relaxanda , gravissimam necessariò culpam supponit : alioqui pœna non foret delicto consentanea. Nulla quoque Irregularitas contrahitur , nisi ob culpam quæ post Baptismum fuerit admissa. Nemo siquidem propter id quod ante Baptismum deliquerit , sic puniri potest : quin potiùs, justo interjecto spatio , » ad Ordines pro» movetur , tanquam ab omni cri» mine lavacri salutaris sanctifica» tione purgatus (*b*) »

Jam verò septem numerantur delicta , undè sequitur Irregularitas :

I°. *Homicidium* injustum & criminosum , etiam occultum (*c*) , quod quis sive directè , sive indirectè voluerit & patraverit , vel physicè agendo , vel moraliter cooperando per mandatum , consilium , adjumentum , consensum , vel per officii alicujus omissionem , si reipsâ indè mors evenerit (*d*). Quo quidem homicidii voluntarii impedimento ipsi etiam laborant , quorum mandato , consilio , adjumento contigit in muliere abortio fœtûs animati. Eadem Irregularitas ab iis contrahitur , qui , non consultò & cogitatò , sed casu occidunt , si illicitæ simul & periculosæ rei operam dederint ; vel si rei licitæ operam dantes , debitam diligentiam non adhibuerint : minimè autem , si fortuitum omninòque non voluntarium fuerit homicidium , dum nempè res ageretur licita, nihilque periculi habens quod prævideri posset (*e*). Ii quoque ex eodem delicto fiunt Irre-

(*a*) *Cap. I.*
(*b*) *Conc. Ancyr. c. an.* 314. can. 12. *Vide Sozom.* Hist. l. 7. c. 10.
(*c*) *Conc. Trid. Sess.* 14. de Ref. *c.* 7.
(*d*) *Tribur. an.* 895. can. 11. *Can. Ap.* 64. *S. Greg. Nyss.* Ep. Canon. *can.* 4. (*al.* 5.) *Alex. III*, *l.* 5. tit. 12. c. 6. *extrà* , de homic. *Dist.* 50. *c.* 4. 5. 6. 8.
(*e*) *Nicol. I*, Dist. 50. c. 49.

gulares, qui rem illicitam mandaverunt vel suaserunt ex qua sit interfectio secuta, fortuita quidem, sed quæ prævideri debuerit. Qui verò injustum aggressorem repugnanter interfecit, non ille factus est Irregularis, nisi justæ defensionis fines excesserit, & ipse aliter incolumis evadere potuerit (*f*).

II°. *Mutilatio* corporis, sive proprii, sive alieni (*g*), quæ sit notabilis imminutio vel totalis abscissio membri, distinctam in corpore humano functionem habentis. Et quidem Irregularitas ex proprii corporis mutilatione eosmet ipsos afficeret qui se amore castitatis eunuchos fecissent (*h*): ut quondam Origenes, illud de eunuchis voluntariis, seu de his qui continentiæ robore carnis concupiscentiam plenè absolutèque subigunt, ad apicem litteræ accipiens Domini Jesu effatum: *Sunt eunuchi qui seipsos castraverunt propter regnum cælorum* (*i*). Alieni corporis mutilatio, actu sive physico, sive morali, sive etiam casu peracta, Irregularitatem parit iisdem in circumstantiis, quibus homicidium ad culpam, ideòque ad Irregularitatem imputari diximus. Qui ebrius occidisset vel mutilasset, nihilominùs Irregularis haberetur, si culpâ suâ in ebrietatem incidisset.

Medici porrò & Chirurgi, qui suâ imperitiâ vel negligentiâ morti vel mutilationi causam præbuêre, Irregularitatem incurrunt. Idem dicendum est de Clericis Beneficiatis, vel ad sacros Ordines evectis, cùm mala hujusmodi ex eo sequuntur quòd alicui ferrum aut ignem vel ipsimet applicârint, vel applicari curaverint.

III°. *Illicita susceptio alicujus Ordinis* (*k*). Undè Irregularitatem incurreret, 1°. Qui, cùm esset excommunicatus, suspensus vel interdictus, Ordines susciperet: 2°. Qui fraudulenter eos interciperet; dum scilicet, vitato examine, neque recognitus aut admissus, vel se furtivè immisceret Ordinandorum frequentiæ, vel sub nomine alterius admissi ordinaretur, vel, postquàm Minoribus Ordinibus esset initiatus, Subdiaconatum susciperet, licèt minimè ad hunc Ordinem admissus. 3°. Qui non *ordinatè* ascenderet, sed *per saltum*; id est, qui ad Ordinem sacrum, prætermisso inferiore, promoveretur; qui, v. g. non antè Subdiaconus factus, Diaconus fieret. 4°. Qui duos Ordines sacros in eadem Ordinatione susciperet.

IV°. *Usurpatio functionum Ordinis sacri* (*l*): ex hoc delicto Irre-

(*f*) Si furiosus, aut infans, seu dormiens hominem mutilet vel occidat, nullum ex hoc Irregularitatem incurrit; & idem de illo censemus, qui mortem aliter vitare non valens, suum occidit vel mutilat invasorem. *Clement.* Si furiosus, *de homicidio.* Et Innoct. III, tit. 37. cap. 5.

(*g*) Can. Ap. 20. 21. 22. *Inn. I*, Ep. 4.

(*h*) *Conc. Nic. I, œcum. an.* 325. can. 1.

(*i*) *Matth.* 19. 12.

(*k*) *Cap.* Unicus, *tit.* de eo qui furtivè.

(*l*) Si quis baptizaverit, aut aliquod divinum officium exercuerit non ordinatus; propter temeritatem abjiciatur de Ecclesia, & nunquam ordinetur. *Cap.* Si quis, *de Clericis non ordin. ministr.*

Diaconus qui Missarum celebrationem usurpare præsumpserit, ad Sacerdotis officium promoveri non poterit. *Cap.* Ex litteris, *ibid.*

gularis esset, qui Ordinem sacrum non sibi collatum solemniter exerceret, quasi reverâ sibi collatus fuisset. Indè contracta Irregularitas, perpetua est quoad ascensum ad Ordines superiores, nisi obtineatur Dispensatio: quoad Ordinem jam susceptum, solam parit Suspensionem, cujus duratio in Diœcesani Pontificis arbitrio tota est.

V°. *Violatio Censuræ* (*m*): si quis nempè Subdiaconus, Diaconus vel Sacerdos Excommunicatus, Suspensus vel Interdictus, Ordinem suum, cujus exercitio privatus est, sine justa causa, nec urgente necessitate exerceat; etiamsi ad tempus vel per modum pœnæ lata fuerit Suspensio, vel Interdictum. Si quis autem ex hujusmodi Clericis Ordinum suorum munia exerceret, Censurâ constrictum se esse omninò nesciens, is profectò Irregularitatem minimè incurreret, etiamsi contra eum Judicis Sententia intervenisset. Quæ enim à peccato, hæc etiam à peccati pœnâ excusat ignoratio, nisi tamen supina sit, vel affectata. Id scilicet expressâ Juris Canonici definitione constitutum est (*n*).

Irregularitatem *ex violatione Censuræ* incurreret etiam Sacerdos, qui Corporis & Sanguinis Christi Sacrificium offerret in Ecclesia per Sententiam interdictâ; non autem qui celebraret in Ecclesia polluta, vel coram excommunicato (*o*).

VI°. *Profanatio Baptismi* per ejus iterationem nullâ causâ legitimâ provocatam; vel *Baptismus ab Heretico susceptus* (*p*). Undè Irregularis haberetur, tum qui, antehàc validè baptizatus, tamen sciens & volens rebaptizaretur; & qui rebaptizaret, & Clericus qui hujusmodi cæremoniæ interesset: tum verò, qui spontè, & extra casum necessitatis, fuisset ab Hæretico denuntiato baptizatus.

VII°. *Apostasia, vel Heresis* (*q*). Undè Irregulares ii censentur, 1°. Qui Religionem Christianam publicè ejurârunt, vel resilierunt à Professione Religiosa: 2°. Qui Hæresim denuntiatam publicè anteà professi sunt: hi nempè, simulque ipsorum liberi & fautores, Jure

(*m*) Decret. *l.* 5. *tit.* 27. c. 1. *Greg. X*, *in* 6. *l.* 5. tit. 11. c. 18.

(*n*) Qui à tempore Suspensionis ignari celebrastis Divina, vos reddit ignorantia probabilis excusatos. Cæterùm, si fortè ignorantia crassa & supina aut erronea fuerit, propter quod Dispensationis gratiâ egeatis, eam vobis de benignitate Apostolica indulgemus. *Gregorius IX*, *cap.* Apostolicæ, *De Clericis excommunicatis vel interdictis ministrantibus.*

(*o*) Is qui in Ecclesia sanguinis aut seminis effusione pollutâ, vel qui præsentibus majori Excommunicatione nodatis scienter celebrare præsumit, licèt in hoc temerariè agat, Irregularitatis tamen, cùm id non sit expressum in Jure, laqueum non incurrit. Is verò qui scienter celebrat in loco supposito interdicto, nisi super hoc privilegiatus existat, aut à Jure sit concessum eidem, Irregularitatem incurrit, à qua nequit per alium quàm per Romam Pontificem liberari. *Bonif. VIII*, *Cap.* Is qui, *de Sent. Excomm. in 6.*

(*p*) *Cap.* Ex Litterarum, *tit.* de apostatis. *Cap.* Confirmandum, *dist.* 50. & *cap.* Qui bis, *de cons.* dist. 4. *Cap.* Qui in qualibet, *c.* 1. *q.* 7.

(*q*) *Conc. Elib.* can. 51. *Arel. II*, *an.* 452. *Dist.* 50. *c.* 69.

communi,

communi, Irregulares esse prorsùs existimantur; hæc autem Irregularitas in Galliis non viget. Enimverò apud Ecclesiam Gallicanam usus obtinuit, ut ablata censeatur *Irregularitas ex Heresi* per solemnem Absolutionem à Pontifice Diœcesano, vel de hujus licentiâ concessam: undè, in Galliis, Calviniani eorumque filii, sic absoluti, nullâ Romani Pontificis Dispensatione indigent, ut Ordines suscipere & ad Beneficia promoveri possint.



CAPUT V.

De Dispensatione in Irregularitatibus.

Quædam Irregularitates sine Dispensatione desinunt. Quænam sint Irregularitates in quibus dispensant Ordinarii. Quid sit observandum ut obtineatur Dispensatio in Irregularitatibus summo Pontifici reservatis. Quædam circumstantiæ, in quibus Irregularitates Sedi Apostolicæ reservatas tollere possunt Præsules Diœcesani. In dubiis casibus, quid agendum. Quandò publica, quandò occulta sit Irregularitas. Quandò ad forum contentiosum verè deductum censeatur delictum. Dispensatio super Irregularitatibus in aliena Diœcesi.

Non per Absolutionem, sed per Dispensationem tollitur Irregularitas. Dispensationis autem concessio in arcano Tribunali applicatur post Absolutionem sacramentalem, juxta formam in Pastoralis hujus parte Rituali descriptam.

Irregularitates quæ ex temporario defectu oriuntur, desinente defectu, sine ulla Dispensatione desinunt. Sic puer & illiteratus, ætatis & scientiæ accessu; mutus vel surdus, loquelâ vel auditu recuperato; vir unius uxoris, defunctâ conjuge; rationibus reddendis obnoxius, redditis rationibus, jam non sunt Irregulares. Irregularitas *ex defectu natalium* tollitur 1°. ex parte parentûm, per Matrimonium subsequens (*a*): 2°. ex parte filiorum ipsorum, vel sine legitimatione, per solemnia Religionis Vota, etiam ad sacros Ordines, minimè verò ad Prælaturas, sive Ecclesiasticas, sive Monasticas (*b*).

Aliæ Irregularitates, » si urgens » justaque ratio & major quando- » que utilitas postulaverit, causâ » cognitâ (*c*), » per Dispensationem, sive à Pontifice maximo, sive à Diœcesano Præsule tolluntur (*d*).

Juxta præsentem Ecclesiæ Disciplinam, in Irregularitatibus *ex delicto occulto* neque ad forum contentiosum deducto provenientibus, tum quoad susceptos, tum quoad suscipiendos Ordines dispensant Ordinarii locorum, eâ tamen exceptâ

(*a*) *Vide infrà*, de Sacram. Matrim. *Divis. VI*, *Cap.* 4.

(*b*) *Conc. Pictav. an.* 1078. *cap.* 8. *Melphit. in It. præside Urb. II*, *an.* 1089.

(*c*) *Trid. Sess.* 25. de *Ref. c.* 18.

(*d*) *Stat. Syn. D. Henr.* de Gondy, *Paris. Episc. an.* 1608. *n.* 38. *in Synodico.*

quæ *ex homicidio* quantumlibet occulto existit, in qua nempè solus dispensat Romanus Pontifex (*e*), quandò voluntarium fuit homicidium, id est, insidiosè & de industria perpetratum. Si enim ex necessitate commissum fuerit, scilicet vim vi repellendo, vel fortuitò & contra intentionem, quamvis occasione aliàs culpabili; tunc Irregularitas quam parit *homicidium occultum*, à Diœcesano Pontifice tolli potest (*f*).

Dispensare similiter possunt Episcopi,

I°. In Irregularitate quæ *ex defectu natalium* oritur, sed ad Tonsuram, Minores Ordines & Beneficia simplicia duntaxat: ad Majores Ordines & Beneficia curam animarum annexam habentia solus dispensat Pontifex maximus (*g*).

II°. In *Bigamia similitudinaria*, etiam publica (*h*).

III°. In *promotione per saltum*, *si sic promotus non ministraverit* (*i*). Hic porrò malè suscepti Ordinis munia exequi non potest, neque ad ulteriorem promotionem habilis declarari, quin priùs Ordinem susceperit quem transilierat (*k*).

IV°. denique, *In violatione Censurarum quas ipsimet tulerunt*, pro jure suo dispensant Ordinarii. Et quidem super hujusmodi Irregularitate Dispensatio legitimè concessa, valet etiam in foro externo, si probetur hanc fuisse concessam. Itaque iis delictis, quibus Statuta Synodica aliave Diœcesana Decreta Censuram aliquam *ipso facto* incurrendam annectunt, hæc pœna non ita imponitur, ut, qui ob ista delicta in Censuram inciderint, violatâ hujusmodi Censurâ, Irregularitatem contrahant, propter quam necesse sit ad sanctam Sedem Apostolicam confugere. Pertinet igitur ad Diœcesanum Antistitem in ea Irregularitate dispensare, quæ exurgit à Censura, non à Jure, non à Conciliis, non à Pontifice maximo, sed ab ipso loci Ordinario Præsule constitutâ: Si quis, v. g. non hujus Diœcesis Sacerdos, *ipso facto* suspensus ob Missam in hac ipsa Diœcesi, post quindenos commorationis dies, sine licentia, percepto honorario, celebratam, rursùm ante susceptam Absolutionem celebraverit, ideòque Irregularitatem ex violata Censura incurrerit (*l*).

In cæteris Irregularitatibus Dispensatio à Pontifice maximo postulanda est. Quâ Dispensatione si quis uti velit in foro externo, necesse est ut *Breve* à Tribunali *Dataria* obtineat; quod *Breve* dirigatur ad Ordinarium vel ejus Officialem, ut

(*e*) *Conc. Trid. Seß.* 24. de Ref. *c. 6.*

(*f*) *Ibid.*

(*g*) *Bonif. VIII*, *in 6. cap.* 1. de filiis Presbyt.

(*h*) *Alex. III*, *cap.* 1. Qui Clerici.

(*i*) *Conc. Trid. Seß.* 23. de Ref. *c.* 14.

(*k*) *S. Greg. l.* 7. Ep. 111. *Cap.* Sollicitudo, *quæ est Ep. Alex. II* ad Rumold. Constant. Episc. *c. an.* 1065. *Cap.* Tuæ Litteræ.

(*l*) *Mandat. D. Lud. Ant. Card.* de Noailles, De Casib. reserv. *&c. an.* 1709. *in Synodico*, *pag.* 402. *Et Rit. Parif. ed. an.* 1777, *pag.* 104.

executioni mandetur. Quæ autem Dispensationes in solo foro interno locum habent, eæ quidem à *Pœnitentiaria* Tribunali conceduntur, & ad *Supplicantis* Confessarium, qui eas in foro conscientiæ applicet, ab illo diriguntur (*m*).

In Epistola supplici non scribatur nomen *Supplicantis*; verùm in ea disertè exprimantur atque enumerentur omnes & singulæ, si quas diversæ speciei contraxit, Irregularitates; quotiès id peccatum iteraverit propter quod Irregularis sit factus; à quo tempore & quonam Ordine insignitus Irregularitatem incurrerit; quibus Beneficiis tunc frueretur; quæ Beneficia deinceps consecutus fuerit; à quo tempore illis potiatur; quid emolumenti afferant; quid patrimonii habeat. Quæ quidem declarationes ideò necessariæ sunt, ut, causâ cognitâ, injungatur Supplicanti, si locus sit, restitutio fructuum Beneficialium quos malè perceperit, aut fiat eorum condonatio, & ipsorum quoque Beneficiorum; si delictum ejusmodi fuerit ut ea pleno jure vacaverint.

Porrò, si existat offensæ Dei vel scandali periculum imminens ex Apostolicæ Dispensationis dilatione; si difficilis ad Pontificem maximum sit recursus; si denique gravis urgeat Ecclesiæ necessitas; in quacumque Irregularitate summo Pontifici reservata dispensare potest Ordinarius, donec ad summum Pontificem recurratur. Reservatio enim accipienda est *secundùm potestatem quam Dominus dedit* Vicario suo *in ædificationem, & non in destructionem* (*n*). Hinc si quis Parochus in Irregularitatem publicam incidisset, nec haberi posset alius Presbyter à quo suppleretur; ei Parochiales functiones obeundas concedere posset Antistes proprius, donec Apostolicam Dispensationem accepisset; neque enim Ordinarii Dispensatio nisi ad intermedium hoc tempus datur: quàm qui obtinuit, non minùs tenetur quamprimùm ad Sedem Apostolicam confugere.

In casibus dubiis adeundus est Pontifex Diœcesanus, qui, si locus sit, dispenset, vel, post maturam investigationem, Dispensatione opus non esse pronuntiet.

Et certè, quamvis Ordinarii locorum Episcopi super *defectibus corporis*, ut potè summo Pontifici reservatis, non propriè quoad Majores Ordines dispensent; in dubio tamen, horum potestati relinquuntur ii defectus; ipsique, cùm res ita postulat, Dispensatione opus non esse declarant, si minùs eam reverâ concedunt. Illorum profectò est ut definiant quibusnam in casibus ad Sedem Apostolicam sit confugiendum; ideòque in dubiis casibus semper consulendi sunt.

Porrò, ut super Irregularitate *ex delicto* valeat Dispensatio Episcopalis, duo requiri jam diximus: 1°. ut delictum sit occultum (excepto semper homicidio voluntario, quantumvis occulto); 2°. ut illud ad forum contentiosum non fuerit

(*m*) *Vide infrà*, De Sacram. Matrim. *Can. ult.*

(*n*) 2 *Cor.* 13. 10.

deductum. Circa hæc autem sunt quædam observanda.

Occultum hic intelligitur, quod non est *Juris publicitate* publicum, id est, in Judicio probatum aut confessum; vel *publicitate facti*, id est, ita publicè constans, ut nullâ tergiversatione celari possit (*o*). Quò verò faciliùs dignoscatur quænam publica, quænam occulta sit Irregularitas, notandum est fieri posse ut publicum sit crimen quoad actum, occultum verò quoad malitiam. Si v. g. Presbyter occultâ Excommunicatione ligatus, publicè Missam celebret, publica erit actio, seu Missæ celebratio; sed violatæ Censuræ delictum quod perpetrabit, ipsaque Irregularitas quam ex eo contrahet, occulta erunt. Evenire similiter potest ut Presbyter Missam celebret *notoriâ* Excommunicatione irretitus, & tamen occulta maneat Irregularitas quam ex violatione Censuræ incurrit (*p*); quòd quidem locum habet, quandò, non solùm minimè *notorium* est ejusmodi Sacerdotem, antequàm ad Altare Domini accederet, ab Excommunicatione quam incurrerat, non fuisse absolutum, sed potiùs credendi ratio est eum absolutum fuisse. Quòd si celebraverit inabsolutus, delictum quod celebrando commisit, publicum est *materialiter*, sed *formaliter* occultum, quemadmodùm & indè secuta Irregularitas.

In utroque illo casu, Dispensatio super Irregularitate non censeretur esse Pontifici maximo reservata; posset autem Ordinarius loci Antistes eam concedere, ut potè quòd ista Irregularitas non esset propriè publica & *notoria*, cùm è delicto provenisset quod *materialiter* quidem esset *notorium*, sed *formaliter* secretum & occultum.

Ut autem occulta censeatur Irregularitas *ex delicto violatæ Censuræ*, sufficit occultum esse alterutrum delictum, sive illud quo Censura incurritur, sive illud quo Irregularitas ex violata Censura contrahitur. Idem quoque dicendum videtur, si delictum fuerit occultum quandò commissum est, licèt in publicum vulgari famâ eruperit quandò postulatur Dispensatio (modò tamen ad forum contentiosum eatenùs deductum illud non fuerit); tunc enim ignoratur an non impetrata fuerit Dispensatio antequàm publicum foret: proindè, quamvis delictum jam non sit occultum, nihilominùs occulta remanet Irregularitas. In his similibusque Casibus ad Ordinarium pertinet Dispensationis concessio.

Jam verò, ut delictum ad forum contentiosum verè deductum censeatur, non sufficit *in Jus vocatio* (1), nec *delatio*, vel *expostulatio* (2) apud legitimum Judicem, nisi ex Decreto Judicis supervenerit litis contestatio; quâ quidem durante, non poterit Ordinarius absolvere à delicto Sedi Apostolicæ reservato, Censurâque annexâ, nec dispensare in Irregularitate quæ ex delicto fue-


(1) Assignation.
(2) Dénonciation, ou plainte.

(*o*) *Vide sup.* de Sacram. in gen. *Cap. VIII, in fine*: & De Sacram. Euch. *Div. III, cap.* 3.

(*p*) *Navar. Inn. Papa XI Pœnitentiarius*, Manud. ad praxim, *cap.* 3. introd.

rit ſecuta ; id autem poterit, ſtatim atque litis actio finem acceperit per Sententiam abſolutoriam ; delictum enim quod ad forum contentioſum ita ſine effectu deductum eſt ut ſequeretur abſolutoria Sententia, occultum remanet ; ideòque ipſum, ut priùs, cum Cenſura annexa & Irregularitate ex eo ſecutâ, ad Pontificis Diœceſani Juriſdictionem pertinet. Idem contingit, ſi Reus, etiam viis non legitimis, innocens declaretur ; modò tamen ipſe dimiſſus non fuerit cum onere ſeſe denuò ad Judicium ſiſtendi.

CÆTERUM, ne quid ex Nobis deſit ad obviandum anxietatibus improviſis, in Irregularitatibus *ex delicto*, quarum Diſpenſatio ad Epiſcopos attineat, concedimus ut Diœceſani noſtri Diſpenſationem obtinere poſſint ab illo Antiſtite, cujus in Diœceſi hoſpites erunt ; dummodò illùc non ſeſe in fraudem contulerint. Ab hac nihilominùs conceſſione excipimus Irregularitatem *ex violatione Cenſuræ* quæ noſtrâ auctoritate ſpeciatim lata fuiſſet ; ideòque Nobis reſervata.





TRACTATUS NONUS.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

DIVISIO PRIMA.

AGETUR in hac Divisione, 1°. De Matrimonio generaliter spectato : 2°. De Matrimonio quatenùs est Sacramentum, & de gratia ipsius propria : 3°. De Matrimonii materiâ, formâ, & Ministro : 4°. De Matrimonii unitate : 5°. De Matrimonii indissolubilitate.

CAPUT PRIMUM.

De Matrimonio generaliter spectato.

MATRIMONIUM in officium naturæ primitùs institutum ; posteà contractus civilis. Ipsum Ethnicâ licentiâ profanatum, ad primævæ institutionis formam à Christo reductum, Sacramentique dignitate auctum. Infensi Matrimonio Hæretici, quomodò ab Ecclesia confutati. Vel Matrimonium ineundum, vel servanda castitas perfecta. Apud Judæos contempta virginitas. Apud Christianos virginitas Matrimonio potior, sed non temerè vovenda.

MATRIMONII Sacramentum, licèt ordine postremum, significatione tamen magnum est ; tum verò quæstionum quibus abundat, non minore momento quàm difficultate præcipuum ; in quo videlicet omnes

Leges, naturalis, divina, canonica & civilis concurrunt. Matrimonium quippè, cùm naturæ simul officium, contractus civilis & Sacramentum sit, non ab Ecclesia tantùm, sed etiam à natura pendet, atque à politica Principum res humanas gubernantium auctoritate; quorum utique Leges in connubialibus contractibus, quemadmodùm & in reliquis ad societatis ordinem spectantibus, constat indubitanter esse *propter conscientiam* observandas (*a*). Quæ igitur ad præsens argumentum ex se intricatum & obscurum pertinent, distinctè ac dilucidè, quoad fieri poterit, exponemus; cùm præsertim Reipublicæ Christianæ plurimùm intersit ut ea Pastoribus ac per hos Fideli Populo accuratè innotescant.

» Matrimonium ab eo dicitur, » quod fœmina idcircò maximè nubere debet, ut *mater* fiat; vel » quia prolem concipere, parere, » educare *matris munus* est. *Conjugium* quoque à *conjungendo* appellatur, quòd legitima mulier » cum viro quasi uno jugo adstringatur. Prætereà *nuptiæ*, quia, ut » inquit sanctus Ambrosius, pudoris gratiâ puellæ se *obnuberent*: » quo etiam declarari videbatur, » viris obedientes subjectasque esse » oportere (*b*). »

(1) Douaire.

Ita verò ex communi Theologorum sententiâ Matrimonium definitur, ut sit *Viri & mulieris conjunctio maritalis inter legitimas personas, individuam vitæ consuetudinem retinens.* In officium naturæ primitùs institutum fuit, scilicet ad humani generis propagationem & multiplicationem (*c*), utriusque conjugis stabilem perpetuamque societatem (*d*), ut alter alteri opportunum esset *adjutorium* (*e*).

Hæc fuit primæva Matrimonii institutio. Hinc Matrimonium contractus naturalis est, auctore ipso Deo, in statu innocentiæ inter mundi nascentis exordia institutus. Cui, post exitialem primi Parentis lapsum, accessit, quòd remedium sit concupiscentiæ ad vagas libidines allicientis (*f*), cujus nempè dira lues miserrimos Adæ posteros perpetuâ successione fœdavit; quòdque ex mutuo consortio adjutoria senectutis, & adversùs imminentes ærumnas quasi quædam munimenta atque propugnacula præparentur.

Multa insupèr in connubiali contractu occurrunt merè politica: cujusmodi sunt ea quæ dotem spectant, dotalitium (1), mutuæ etiam utriusque conjugis donationes, bonorum alienationes, eorumdem, sive immobilium, sive mobilium post mortem alterutrius partitiones, vel inter conjugem superstitem & liberos, vel inter liberos ipsos, alterutrius vel utriusque hæredes; aliaque

(*a*) *Rom.* 13. 1. 2. 5. 1. *Petr.* 2. 13. *S. Aug.* Expos. quarumd. prop. ex Ep. ad Rom. *Prop.* 72.

(*b*) *Cat. Trid.* de Matrim. Sacram. *n.* 4.

(*c*) *Gen.* 1. 28.

(*d*) *Gen.* 2. 24.

(*e*) *Gen.* 2. 18.

(*f*) 1 *Cor.* 7. 2. 9. 28. &c.

id

id genus plurima. Quæ quidem conjugum jura, onera & officia, cùm ad familiarum tranquillitatem, ipsiusque adeò Reipublicæ felicitatem haud mediocriter conducant, nec fuerint à naturâ præstituta, Legum civilium sanctionibus definiri oportuit, prout variis temporibus executi sunt, primùm quidem Ethnici, deindè verò Christiani Principes. Atque hinc Matrimonium contractus civilis est.

Talia igitur ante Christum natum extitêre, & veterum Credentium, ipsorumque adeò Israëlitarum, & Infidelium Matrimonia. Talia etiamnunc sunt horum conjugia, si modò juxta naturæ institutum, patriæque Leges naturæ consentientes, aut saltem ei non repugnantes, contrahantur. Principio nimirùm solam contractûs naturalis rationem habuêre; cui postmodùm, aucto genere humano atque in politicas societates confluente, civilis accessit contractus.

Porrò, quemadmodùm ipse protopatens non sine divino instinctu præsignaverat, virum uxori in fœderis indissolubilis unitatem adhærere, quocumque posito Matrimonii statu, oportebat (*g*). Lapsu verò temporis, *obscurato insipienti hominum corde* (*h*), atque à veri Numinis cultu ad inanium deorum multitudinem converso, sicque sublatâ Religionis & morum antiquâ simplicitate, Matrimonium à primæva sanctaque institutione sua incredibilem in modum recesserat. Scilicet apud alios nefanda mulierum communitas, apud alios, plures simul uxores habendi easque mutandi libertas invaluerat: quæ duo postrema, divortium nempè & polygamiam, in Israëlitis tolerabat Deus, *in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo* disponens (*i*).

Christus igitur *novam creaturam novaque omnia faciens* (*k*), Matrimonium usque adeò profanatum ad primigeniam formam sanctitatemque ita reductum voluit, ut esset unius viri cum una muliere junctio, quâ fieret ut duæ animæ unum corpus habere viderentur, & quæ non posset nisi solâ morte dissolvi (*l*). Quò tandem sanctior ea foret, naturalem civilemque contractum ad Sacramenti dignitatem evexit; Sacramento annectens gratiæ singularis copiam, quæ naturalem viri & mulieris amorem, accedente verâ charitate, perficeret, individuam astringeret unitatem, ac demùm efficeret ut jugo illo sanctissimo colligati, officia sua tum erga se invicem, tum erga liberos facilè adimplerent; undè sanctimoniam assequerentur suæ conditionis propriam.

Summoperè igitur admirandam sese ostendit Jesu Christi gratia, quâ dignatus est ad ipsum mali fontem remedium adhibere, humani ortûs originem peccati contagione vitia-

(*g*) *Gen.* 2. 24. *Tert.* de anima, *cap.* 11. *&c.*
(*h*) *Rom.* 1. 21.
(*i*) *Matth.* 19. 8. *Eph.* 1. 10.
(*k*) 2 *Cor.* 5. 17.
(*l*) *Matth.* 19. 4. *&c.*

tam sanctificando (*m*). Quod quidem pernecessarium erat ad refrænandam indomitæ concupiscentiæ petulantiam, ad inducendam in omnes familias pacem & consolationem, ac denique ad propagandam à parentibus in filios & in filios filiorum, illibatam fidem & cultum Dei intemeratum.

Hinc Religio singularem connubiis curam impendit; omnemque Ministrorum suorum excitat vigilantiam, ut piè sanctèque à Fidelibus contrahantur. Quamobrem id inter præcipua susceptæ administrationis munia referant Pastores: cùmque ab ipsis Ecclesiæ simul & Reipublicæ animos geri oporteat, quidquid ad conjugiorum honestatem simul & faustitatem conducere possit, multâ sollicitudine promoveant. Quoniam verò ex morum honestate pendet Matrimonii decus ipsaque fœcunditas; indefessam, tum inculcandæ Religioni, tum restituendis, quas ipsa suggerit, virtutibus operam adhibeant. Sic demùm reflorescet connubialis pacti reverentia, in hoc ferè universo Religionis morumque interitu tam indignè proculcata.

CIRCA Matrimonii Sacramentum illudentes doctrinas, veritatisque corruptelas, summâ curâ & fortitudine coërcuit sacra Religionis interpres Ecclesia. Extitêre olim, quibus, ex odio *mali principii* quod fingebant, & cui carnis creationem tribuebant, generationem impedire eximii cujusdam meriti instar fuit; quique idcircò sexuum conjunctionem absolutè damnârunt, vel potiùs (horrendum dictu!) in promiscuo mulierum usu ne proles aliqua nasceretur, efficiendum censuerunt. Execrandam humano generi Sectam dum Principes Edictis proscriberent, ferroque & igne profligarent, (*n*), eam verbi gladio aggressa est Ecclesia. Contra hujus generis homines, tam fœdis moribus quàm absurdâ doctrinâ famosos, probandum incubuit, licitum sanctumque esse Matrimonium. Nec defuerunt argumenta firmissima. Utrumque enim in ipsa creatione docuit primus omnium parens Adamus, cùm dixit: *Relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit uxori suæ; & erunt duo in carne una* (*o*): docuit & Christus Dominus, cùm nuptiarum celebritatem suâ præsentiâ honestavit, insignique miraculo illustravit in Cana Galilææ (*p*); apertiùs verò, cùm à Deo junctos neque ab homine separandos conjuges pronuntiavit (*q*). Hoc idem prædicat B. Paulus Apostolus (*r*), doctrinamque Matrimonio adversantem *doctrinis dæmoniorum* annumerat (*s*). Et certè, secluso

(*m*) *S. Cyr. Al.* in Joan. *l.* 2. *c.* 22.

(*n*) Diocl. *an.* 296. Theodosius, *lege constitutâ an.* 382. Cabas, *Rex Pers. an.* 523. Michaël, *Græcorum Imperator, an.* 812. *Imperatrix* Theodora, *an.* 845, *&c.*

(*o*) *Gen.* 2. 24. *Tert.* de anima, *cap.* 11. *&c. Conc. Trid. Sess.* 24. doctr. de Sacr. Matr.

(*p*) *Joan.* 2. *S. Aug. Tract.* 9. in Joan. §. 2. (*q*) *Matth.* 19. 4. *&c.*

(*r*) 1 *Cor.* 7. 9. 38. *Hebr.* 13. 4.

(*s*) 1 *Tim.* 4. 1. 3.

connubio, neque Virgines, neque Sacerdotes forent, nec ulla stare omninò posset Religiosa aut Politica societas; ipsaque Ecclesia, irritis Domini Jesu pollicitationibus (t), usque ad ultimam Orbis eversionem indeficiens non permaneret.

Hinc, primis Christianorum temporum seculis, Gnostici, Carpocratiani, Encratitæ, Manichæi, & si qui præterea hujusmodi prodierunt infames Hæretici, *prohibentes nubere* (u), & prophetice ab ipso Apostolo (x), & canonicè à Sanctis Conciliis & Patribus condemnati atque anathemate perstricti sunt (y), ut potè » frustrantes antiquam plasmatio» nem Dei, & obliquè accusantes » eum qui & masculum & fœmi» nam ad generationem hominum » fecit (z). » Hinc veteres Patres conjugii sanctitatem mirum in modum extulerunt, in medium afferentes exempla Beatorum Apostolorum Petri & Philippi, qui & uxores sibi adjunxerant, & ex iis liberos susceperant (a). Scilicet de conjugio altum quiddam sentiebant, eò quòd finis ejus sit hominum procreatio, ratione utique præditorum, nobiliore sui parte immortalium, Deique cognoscendi, amandi, æternùmque possidendi capacium: undè homo, per conjugium, singulariter fit imago Dei, dum sui similis creandi particeps cum Deo est. Et quidem circumfusæ Gentilitatis haud minùs quàm Manichææ pravitatis flagitiosus erat cælibatus; vulgivagamque licentiam Legibus matrimonialibus (1) compescere jamdiù tentaverant Principes, quorum nempè est *in multitudine populi dignitas* (b). Sed, ut Poëtæ verbis utamur, » Quid » Leges sine moribus vanæ profi» ciunt (2)? » Ex ipsa connubiorum fœcunditate emerserunt novæ scelerum facies; abortus, infanticidia, expositiones parvulorum: quæ quidem licita esse existimavit incredibilis Ethnicorum cæcitas. Immania hujusmodi facinora semper detestati sunt Christiani. Quippè » om» ninò vel Matrimonium non ali» ter contrahebant, nisi liberorum » creandorum atque educandorum » gratiâ; vel conjugium detrectan» tes, perpetuò continebant (c). » Non minùs videlicet Religioni repugnat, quàm rerum humanarum ordini adversatur cælibatus ille turpissimus, heu! nostrâ ærate frequentior, qui juventutem liberrimè impudicam nuptiali jugo subducit, vel effœtam libidine conjugiis transmittit infœcundis.

(1) Decreta super jugandis Fœminis, prolisque novæ feraci Lege maritâ. *Hor. carm. secul.*

(2) Id. l. 4. Od. 18.

Orbe adhùc recenti, ut, juxta Creatoris intentionem, *cresceret ac multiplicaretur* humanum genus (d),

(t) *Matth.* 28. 20.

(u) 1 *Tim.* 4. 3. (x) *Ibid.*

(y) *Conc. Mesop. an.* 277. *Carth. IV*, *an.* 398. can. 1. *Gangr. IV°. sec.* can. 1. *Bracar. II*, *an.* 563. anath. 11. *Tert.* de idol. *c.* 16. *S. Aug.* de morib. Manich. *c.* 18. (*al.* 65. 66.) & *cont. Faust. l.* 5. *c.* 1. *S. Chrys. Hom.* 2. in Ep. ad Phil. *S. Leo*, *Ep.* 93. (*al.* 15.)

(z) *S. Iren.* adv. Hær. *l.* 1. *cap.* 30. Vide *Gennad.* Eccl. Dogm. *cap.* 67. (*al.* 34.)

(a) *S. Clem. Al.* Pædag. *l.* 2. *c.* 10.

(b) *Prov.* 14. 28.

(c) *S. Just.* Apol. ad Imp.

(d) *Gen.* 1. 28.

omnes ad ineunda conjugia tenebantur. Postquàm illud satis propagatum est, libera cuique fuit Matrimonii vel cælibatûs optio. Quinimò in veteris Testamenti paginis laudatur Virginitatis *incorruptio*, quæ *facit esse proximum Deo* (*e*); fueruntque ante Christum natum sancti homines qui cælibes & casti vixerunt: inter quos eminent Josue, Elias, Eliseus & Jeremias (*f*). Rara tamen fuit apud Judæos illa virtus continentiæ perfectæ; in qua scilicet nihil videbat carnalis populus præter sterilitatem, cui opprobrium quoddam & quasi maledictionem annexam volebat (*g*). Infelices habebantur puellæ, quibus mori contingebat innuptis: sic filia Jephte suam planxit virginitatem (*h*). Multò magis probrosa nuptæ mulieri sterilitas erat; quam ægrè ferebat Rachel (*i*), & amarè flebat Anna mater Samuelis (*k*), & per miraculum à se ablatam in senectute gaudebat Elisabeth mater Joannis-Baptistæ (*l*). Judæi quippè maximum numerosæ sobolis desiderium ex ipsa Lege hauriebant; cùm ex ea scirent innumerabilem posterorum multitudinem Abrahæ divinitùs esse promissam, ac tandem ex illius semine oriturum Ducem & Messiam, qui salvaret populum Israël. Hinc apud eos plurimùm diligebatur *uxor* fœcunda *sicut vitis abundans* (*m*); summoque honori ducebatur multitudo filiorum ac nepotum, qui, *sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ* verendi patriarchæ assiderent (*n*). Hinc illud Scripturæ effatum: *Corona senum, filii filiorum* (*o*). Hinc apud ipsam commemoratur filiorum numerus, neque alio fine, nisi ut laudentur parentes (*p*).

Apud Christianos licitum honestumque semper habitum fuit Matrimonium, & honori ducta ejus fœcunditas. Ab initio tamen inter eos non pauci utriusque sexûs » in cælibatu » consenescebant, quòd in hoc Deo » conjunctiores se futuros sperarent (*q*). » Quin etiam nonnulli, eximio quodam Spiritûs sancti impulsu, venerandum simul & admirandum Mariæ & Joseph exemplum sectantes, ex mutuo consensu perpetuam in Matrimonio castitatem servabant, » non permixto corporis sexu, sed custodito mentis » affectu (*r*) » verè & propriè conjuges.

Habeant igitur *conjugia bonum suum* (*s*): Matrimonio potiorem esse virginitatem docet Scriptura, quæ virgines ostendit cœlestis Agni comites individuos, Sanctis proin-

(*e*) *Sap.* 3. 14. *Is.* 56. 4. 5. *Sap.* 6. 20.
(*f*) Ita S. Hieron.
(*g*) *S. Bern. Hom.* 3. *super* Missus est, §. 7.
(*h*) *Judic.* 11. 31.
(*i*) *Gen.* 30. 23.
(*k*) 1 *Reg.* 1. 7.
(*l*) *Luc.* 1. 7. 18. 24. 25.
(*m*) *Ps.* 127. (*n*) *Ibid.*
(*o*) *Prov.* 17. 6.
(*p*) *Judic.* 10. 4. 2 *Paral.* 11. 2. 2. *Paral.* 13. 1.
(*q*) *Athenag. Relig. Apolog. c. an.* 178. *c.* 38.
(*r*) *S. Aug.* de cons. Evang. *l.* 2. *c.* 1. (*al.* 2.)
(*s*) *S. Aug.* de sancta virginit. *c.* 2.

dè, dum viverent, conjugatis, æternâ distinctione celsiores (*t*): undè, prout legitur in Patribus, » ampliorem gradum honoris & sanctitatis » in Ecclesia tenent (*u*); *pulchriùsque florent* lilia castitatis; & ad alta » cœli, pudicitiæ templum, fastigium virginitatis extollitur (*x*). » Perfectior denique ac præstabilior usquequaque existimatus fuit eorum status, qui continenter vivunt; ipsorum etiam in utroque sexu viduorum (*y*).

Cùm verò Dei donum, & quidem inter cætera eximium sit continentia (*z*), attendant Confessarii diligenter ne unquam à Fidelibus, præsertim junioribus, imprudenter emittatur Votum castitatis; neminemque, ut jam præmonuimus (*a*), ad illud nuncupandum inducant, multò minùs quemquam adigant. Virginum certè sublimis est gloria (*b*); sed Virginibus ingens ruina patet in præceps, nisi ad hoc Angelicum vitæ genus vocati sint. » Flos est ille Ecclesiastici germinis, » decus atque ornamentum gratiæ » spiritalis, laudis & honoris opus » incorruptum, Dei imago respon» dens ad sanctimoniam Domini, » illustrior portio gregis Christi; » gaudet per illos atque in illis lar» giter floret Ecclesiæ matris glorio» sa fœcunditas (*c*): » sed mœret pia mater luctu acerbissimo, si contingat eos *qui spiritu cœperint, carne* infelices *consummari* (*d*). Suam quisque vocationem circumspectè videat, & fideliter sequatur. Investiget prudens Confessarius, num puella, conjux facta, *salvanda sit per filiorum generationem* (*e*); an *virgo* permanere debeat, *ut sit sancta corpore & spiritu* (*f*), sicque pudicâ bonorum operum fœcunditate *fructum* afferat *centesimum* (*g*). Nemo committat ut in se Domini Dei sui, vota non reddita requirentis & vindicantis, iracundiam concitet (*h*). Votum enim castitatis, etiam non solemne, haud sine gravi peccato infringitur; nec sine Dispensatione ab eo resilire potest, qui se ipsius vinculo semel obstrinxit.

(*t*) *Apoc.* 14. 4.
(*u*) *S. Aug.* tract. 9. in Joan. Ev. §. 2. *Vide S. Cypr.* de discipl. & hab. Virg. *pauld post. init.*
(*x*) *S. Petr. Chrysol.*
(*y*) *S. Hieron. S. Ambr. S. Aug.* adversùs Jovinian. & *Siricius Papa* in Conc. Rom. *an.* 390. *Conc. Trid.* de Sacr. Matr. *can.* 10.
(*z*) *Sap.* 8. 21. *Matth.* 19. 11.
(*a*) *De Sacr. Pœnit. Div. III, cap.* 3.
(*b*) *S. Cypr.* sup.
(*c*) *S. Cypr.* sup.
(*d*) *Gal.* 3. 3. (*e*) 1 *Tim.* 2. 15.
(*f*) 1. *Cor.* 7 34.
(*g*) *Matth.* 13. 23.
(*h*) *Deuter.* 23. 21.



CAPUT II.

De Matrimonio quatenùs est Sacramentum, & de gratia ipsius propria.

Ante Christi tempora, Sacramenti rationem non habuit Matrimonium, nisi impropriè dictam. Quandò illud ad Sacramenti dignitatem evectum fuerit. Undè fluat hujus gratia. Quam rectè inter Sacramenta numeretur. Quomodò per Matrimonium adumbretur JESU CHRISTI *cum Ecclesia junctio. Hujus Sacramenti quinque effectus. Cur Matrimoniis tam paucis feliciter succedat.*

AB omni ævo sanctum quiddam fuit Matrimonium. Sanctum in sua origine; Deus enim illud, prout jam diximus, ad humani generis propagationem in statu innocentiæ instituit; cujus divinæ institutionis virtute & influxu, post hominis lapsum, sub naturæ Lege sanctum permansit: sanctum sub Lege Moysi; quo tempore in eo potissimùm declarata est ejus dignitas, quòd Deus ipse hujus conditiones & officia disposuit, fidem illius, propositâ mortis pœnâ, intactam voluit, pièque ac religiosè nuptias ineuntibus mille benedictiones promisit (*a*). Sed Matrimonium, nec sub Lege naturæ, nec sub Lege Mosaïca Sacramentum fuit, nisi latiore sensu, quatenùs nempè signum erat futuræ aliquandò Christum inter & Ecclesiam conjunctionis, tum physicæ per Incarnationem, tum moralis per gratiam (*b*). Solo igitur hoc modo similitudinem Sacramenti aliquam gerere potuerunt veterum Credentium conjugia; solumque Legis novæ Matrimonium, veri propriè que dicti Sacramenti rationem obtinet.

Tunc verò è naturali civilique Contractu ad Sacramenti dignitatem evectum illud fuit, cùm » nuptias præsentiæ suæ benedictione » sanctificavit » Christus Dominus (*c*); expressiùs autem, cùm, post Resurrectionem suam *per dies quadraginta apparens* (*Apostolis*), *& loquens de Regno Dei* (*d*), hoc est, de Ecclesiæ administratione,

(*a*) *Levit.* 18. & 20. *Deut.* 5. 18. & 22. 22.

(*b*) *Tert.* de anima, *c.* 11. &c. *S. Aug. in Joan.* tract. 120. *S. Hier.* in c. 5. Ep. ad Eph. &c.

(*c*) *S. Maxim.* Hom. 1. in Epiph. *Vide S. Cyr.* in Joan. l. 2. c. 22. & 26. & *S. Aug.* tract. 9. in Joan.

(*d*) *Act.* 1. 3.

multaque injungens ad eam sanctificandam pertinentia, quæ per solam Traditionem ad nos pervenêre, ipsis, ut verisimiliter conjicitur, mandatum dedit, ut, sacris quibusdam Ritibus adhibitis, Matrimonium posteà celebrarent, tanquam Sacramentum cui gratiam annecteret. » Gratia verò quæ naturalem (viri & uxoris) amorem » perficeret, & indissolubilem unitatem confirmaret, conjugesque » sanctificaret, ipse Christus, venerabilium Sacramentorum institutor atque perfector, suâ nobis » Passione promeruit; quod Paulus » Apostolus innuit, dicens: *Viri, diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea*; mox subjungens: » *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia*. Cùm igitur Matrimonium in Lege Evangelica veteribus connubiis per Christum gratiâ præstet, meritò inter novæ » Legis Sacramenta annumerandum sancti Patres nostri, Concilia & universalis Ecclesiæ Traditio semper docuerunt (*e*). » Quod quidem unanimiter agnoscit ipsamet Orientis Ecclesia: ut patet, non solùm ex omnibus Græcorum, Cophtarum, Jacobitarum, Syrorum, aliorumque Orientalium Euchologiis, verùm etiam ex peritissimis Ecclesiæ Græcæ Scriptoribus (*f*). Matrimonium denique, tanquam unum è septem Legis novæ Sacramentis, ab omni rettò antiquitate, & nullo reclamante, possidebat tum Latina tum Græca Ecclesia (*g*), cùm illud, simulque alia plura, è Sacramentorum numero expungere Pseudoevangelicis reformatoribus visum est (*h*). Et certè plurimùm decebat Sacramentum vocari & esse mutuam illam viri & mulieris adhæsionem, quæ modò dictam Christi cum Ecclesiâ conjunctionem significabat.

In hoc autem adumbrata intelligitur ea conjunctio, quòd, quemadmodùm Christus Patrem reliquit ut se Ecclesiæ conjungeret, ita *relinquit homo patrem & matrem, & adhæret uxori* (*i*). Prætereà originem à Christo sumpsit Ecclesia: & ex homine formata est mulier. *Christus caput est Ecclesiæ*: sic *vir caput est mulieris* (*k*). Christus & Ecclesia unum Corpus efficiunt: vir & uxor *duo* sunt *in carne una* (*l*). Eodem spiritu aguntur Christus & Ecclesia: vir & uxor idem sentire debent. Christus diligit Ecclesiam, & Ecclesia Christum veneratur: sic vir uxorem diligere, & uxor virum

(*e*) *Conc. Trid. Seß.* 24. doctr. de Sacram. Matrim. *Vide S. Aug.* serm. 41. de Temp. *Et Conc. Parif. an.* 1528, decreto fidei 10, *art.* de Sacram. Matrim.

(*f*) *Simeon Thessal. lib.* de initiatis, *c.* 33. *Greg. Protosync. posteà C. P. Patriarcha*, Apol. adv. Marc. Eph.

(*g*) *Conc. Later III*, *sub Alex. III*, *an.* 1179. can. 7. & 8. *Lucius III*, *Alex. III successor*, c. 9. de Hæreticis. *Conc. Constant. ab an.* 1414. *ad an.* 1418. Decr. Eug. IV pro Arm. *in Conc. Florent. an.* 1439.

(*h*) *Trid. Seß.* 24. can. 1.

(*i*) *Gen.* 2. 24.

(*k*) *Eph.* 5. 23.

(*l*) *Gen.* 2. 24.

debet venerari (*m*) : tum, *ficut Ecclesia subjecta est Christo, ita & mulieres viris suis* (*n*). Christus Ecclesiæ adhæret nexu indissolubili; eam ipse nunquam derelinquet; eorum conjunctionem abrumpere, seu mutuam fidem temerare nihil potest: ita etiam vir & uxor intemeratam sibi fidem per totam vitam servare tenentur; & vinculum, quo inter se nectuntur, non potest nisi alterutrius morte dissolvi. Ecclesiæ demùm Christus omnia bona confert atque commoda; Ecclesia verò Christi gloriam quibuscumque modis potest, amplificat: indefessâ pariter officiorum concertatione virum & uxorem sibi invicem prodesse oportet.

Porro Matrimonii Sacramentum effectus gratiæ mirabiles in iis producit, qui benè præparato corde illud suscipiunt; de quibus hìc breviter differendum censuimus; quos videlicet multâ curâ ac diligentiâ Fidelibus explicent Pastores.

Matrimonium, cùm sit unum è Sacramentis *vivorum*, non quidem gratiam *primam*, sed tantùm *secundam* confert nullum obicem ponentibus. Enimverò Sacramenta novæ Legis in omnibus qui ad ea capessenda cum pietate accedunt, illud operantur quod significant: & quoniam Matrimonio significatur sancta illa charitas, quâ Christus, Sponsorum exemplar, Sponsam suam Ecclesiam prosequitur; manifestum est eo Sacramento conciliari novùm charitatis gradum, per quem Deo conjunctiores atque acceptiores efficiuntur qui illud suscipiunt. Sed quia, ut in primo hujusce Operis Tractatu prænotavimus, sua cuique Sacramento est *gratia Sacramentalis*; cum ea quam modò designavimus, gratiâ, per Matrimonii Sacràmentum simul confertur jus ad actuales gratias, quæ malis in nuptias per culpam originalem invectis medeantur: & hac quidem viâ tutior ac perfectior nulla erat, ut sanctæ & castæ dilectionis virtus in Sponsis integra atque illæsa permaneret.

Quinque autem potissimùm ex Adami peccato in conjugium mala transierunt: Scilicet 1°. Humana infirmitas, quæ societatem conjugalem pluribus gravat incommodis; qualia sunt corporis morbi, animi vitia. 2°. Conceptio prolis in peccato. 3°. (Quid enim teterrimum ex originali culpa non prodiit?) Ipsa quandoque execranda perversitas, quâ conjuges proli nocent, vel eam impedientes concipiendam, vel conceptam extinguentes, vel natam abjicientes, vel pravis exemplis aut amore præpostero corrumpentes. 4°. Libido sæviens, quæ conjuges extra temperantem atque honestum Matrimonii usum abripit, aut etiam ad alienos amores impellit. 5°. Miseriæ quæ nuptias consequuntur; nempè onus uteri, partûs labores & pericula, alendæ atque instituendæ prolis sollicitudo, casus adversi & ærumnæ, quæ Matrimonio junctos plerumque obsident.

(*m*) *Eph.* 5. 25. 28. 33. (*n*) *Ibid.* v. 24.

Ac

Ac primò quidem Matrimonii gratia efficit ut ejus vinculo colligati, mutuas sive animi sive corporis infirmitates æquo animo propter Deum ferant. Quemadmodùm enim, ex una parte, corpus suum licèt malè affectum, quisque diligit; ex altera, Christus Ecclesiam suam non abjicit propter ejus membrorum vitia, sed ipsam quotidiè mundat & fovet, protegit & gubernat, donec illam in futuro seculo *exhibeat ipse sibi gloriosam* (*o*): sic nempè Christiani conjuges, ut sublimem illam Christi cum Ecclesiâ junctionem quàm possunt perfectissimè in seipsis reddant, mutuò sese tolerant ac fovent; viri uxores, ut sua corpora, sanctissimò videlicet ac tenerrimo amore diligunt (*p*); uxores viris, ut membra capiti, constantissimè adhærent: ac denique Christianorum conjugum domo exulant iræ, rixæ, diffidia, querelæ, murmurationes, quæ domesticam pacem atque individuam conjugalis vitæ societatem miserrimè interturbarent.

II°. Hujus Sacramenti gratia eam vim habet, ut in nuptiis prolem quærant conjuges, *non tantùm ut nascatur, verùm etiam*, & multò quidem instantiùs, *ut renascatur* (*q*). Humanæ scilicet nuptiæ divinas Christi cum Ecclesia nuptias, quantùm spiritualia carnalibus æquari possunt, referre debent: Christus autem non alio fine cum Ecclesia junctus est, quàm ut ex hujusmodi nuptiis nascerentur filii Dei adoptivi: undè conjuges in hoc pariter incumbant, ut proles sua religiosè instituatur, in pietate adolescat, & aliquandò cœlestem hæreditatem consequatur.

III°. Multò magis efficit Matrimonii gratia ne quoquomodò frustretur quod ex ipso in votis habent natura & Religio; neve proles edita non secundùm Deum ametur, aut pravis exemplis à pietate revocetur. Hinc procul ii omnes qui gentem sanctam atque adoptionis filios nefandis artibus student non multiplicare, *quæ homicidarum impia conspiratio existimanda est* (*r*). Hinc procul ejusmodi nupta, quæ corpori serviens, aut pravo quolibet instinctu, fœcunditatis gloriam abjicit, & mater fieri dedignatur. Hinc procul & ipsi conjuges, qui prolem suam non modò non curant *ambulare in innocentia* (*s*), dummodò in via fortunæ ambulet, sed etiam Deo per Baptismum consecratam perversâ educatione diabolo reddere festinant.

IV°. Id quoque per gratiam conjugalem efficitur, ut qui hanc susceperunt, eo se invicem amore diligant quo Christus Ecclesiam, casto nimirùm, sancto atque immaculato; sicque *sciat unusquisque* conjugum *vas suum possidere in sanctificatione & honore* (*t*). Hinc ipsis conciliatur spiritus castitatis conjugalis, cujus virtute corrigitur & minuitur ardor concupiscentiæ originali culpâ inditæ; qui spiritus in sen-

(*o*) *Ibid. v.* 27.
(*p*) *Ibid. v.* 28.
(*q*) *S. Aug.* de nupt. & concup.

(*r*) *Cat. Trid.* de Sacram. Matrim. n. 10.
(*s*) *Ps.* 83. (*t*) 1 *Thess.* 4. 4.

sum voluptatis dominatur, amoremque illum quo devinciri oportet virum & uxorem, superadditæ charitatis igne puriorem facit: undè pares fiunt reprimendis concupiscentiæ motibus inordinatis, tum erga omnes alienos, tum erga se invicem.

V°. denique Conjuges firmat hæc eadem gratia, ut invicto animo cuncta incommoda perferant, quæ per *tribulationem carnis* designavit, & conjugibus nunquam defutura pronuntiavit Apostolus (*u*). Ex hac enim gratia sequitur *fortis* illa *dilectio* (*x*), cujus archetypus & forma est ea quâ nos Christus dilexit; quam videlicet *nec* molestiarum *aquæ* inundantes *extinguere*, *nec* rerum adversarum *flumina obruere* unquam *possint* (*y*).

Expositis Sacramenti effectibus eximiis, investigandum superest quonam fato fieri possit ut conjugiis tam paucis feliciter succedat, sed, è contrario, signa maledictionis evidentissima plerisque inhæreant. Non abstrusa deplorandi hujus mali causa est. Pauci hoc Sacramentum suscipiunt ritè dispositi, plerique verò cum dispositionibus quæ illius gratiam prorsùs excludunt. Alii solam quærunt voluptatem: alii solam intendunt illustris aut opulenti fœderis opportunitatem; neque attendunt ipsi, num indoli suæ congruat indoles personæ illius, cui se in societatem indissolubilem adjuncturi sunt. Aliis pro vocatione ad Matrimonium solus est amor libertatis, & longa severi patris aut matris nimiùm vigilantis impatientia. Et ipsi aliquandò parentes auctoritate suâ liberos conjiciunt in nuptias à quibus abhorrent. *Nullus* ferè *est qui recogitet corde* (*z*), an ad conjugium, an ad cælibatum, Deo vocante, sit factus & comparatus. Plurimi cæco impetu Matrimonium eligunt. Paucissimi seipsos aliquantisper, silente cupiditatum tumultu, consulunt: paucissimi Deum interrogant, vel ad cor suum loquentem ipsum audiunt: paucissimi verè Deo reconciliati ad Matrimonii Sacramentum accedunt, sibique satis religiosè temperant, ut ejus celebrationem honestas requisita comitetur. Quid mirum, si tam malè incœpta res, non prosperè cedat; & benedictionis loco, maledictionem in se & in familiam suam inducant, qui tam improvidi atque imparati Sacramentum suscipiunt?

Hinc in praxi colligendum est quantoperè Fidelium intersit, ut ad Matrimonium capessendum accedant eâ consilii maturitate, eoque animo ac delectu, eâ demùm præparatione, de quibus inferiùs ex professo differetur (*a*). Quin etiam, posito Matrimonii ingressu benè ordinato, non minùs diligenter curandum est conjugibus ut in suscepta gratia perseverent. Si autem in peccatum aliquod ex humana fragilitate lapsi fuerint, illud quamprimùm salutari Pœnitentiâ deleant.

(*u*) 1 *Cor.* 7. 28.
(*x*) *Cant.* 8. 6. (*y*) *Ibid.* v. 7.
(*z*) *Jerem.* 12. 11.
(*a*) *Div. II*, *cap.* 2.

Non aliter in seipsis Sacramenti efficaciam magis ac magis operantem, suumque conjugium & sibi & Reipublicæ fortunatum experientur. Ea nempè Matrimonii natura est, ut ex eo sequatur, non modò conjugum, sed & societatis ipsius felicitas aut infelicitas. Sicut enim è vitiosis parentibus nasci solent filii libidinosi, in ebrietate & crapula defixi, desidiâ torpentes, corpore & animo imbecilles, patriæ inutiles atque onerosi, Religioni & Ecclesiæ probrosi; sic ex parentibus benè moratis, piis & in optima quæque propensis, plerumque originem sumunt filii bonæ indolis & spei, mente & corpore vegeti, virtutis bonarumque artium in Ecclesiæ decus & patriæ utilitatem studiosi.

Quicumque igitur in Matrimonii ætatem adolescere incipiunt, atque hoc vitæ genus ingressuri videntur, illos, datâ occasione, moneant Pastores, ut sapientiâ & morum sanctitate viam sternant propriæ felicitati: qui verò mox conjuges faciendi erunt, eos plurimùm hortentur ut Sacramenti gratiâ dignos se præbeant; quâ juvante, susceptos liberos in virtutis disciplinâ educare possint. Non aliter successio pietatis & faustitatis perpetua in familiis constituetur: non aliter è medio tollentur vitia, quæ Christianitatis faciem deformant.

CAPUT III.

De Matrimonii materiâ, formâ, & Ministro.

Circa Sacramenti materiam, formam & Ministrum, duplex opinio; quarum probabilior astruitur. Utralibet eligatur, irritum foret Matrimonium quod à Partibus, licèt consentientibus, absente proprio Pastore, contraheretur. Quinam consensus, & quomodò expressus requiratur. Conditiones irritum efficientes consensum. De Matrimonio surdorum & mutorum.

In Sacramento Matrimonii, quemadmodùm in cæteris, distinguuntur *materia & forma*; de quibus diversæ circumferuntur Theologorum opiniones. Alii mutuam illam donationem, quâ vir mulieri & mulier viro corporis sui potestatem tradit, *materiam* esse contendunt; *formamque* reponunt in illius mutuæ donationis acceptatione, verbis aliove signo sensibili expressâ. Cùm autem vir & mulier vicissim consentiant & consensum acceptent, sicque *materiam* & *formam* sibi invicem applicent, in hac sententia Partes contrahentes Sacramentum sibi mutuò administrant; Parochus verò non Minister est, sed tantummodò testis

necessarius. Alii, & quidem probabilius, Contrahentium consensum, *materiam*; & verba Sacerdotis consensum illum excipientis & conjugio benedicentis, *formam* esse volunt; ita ut Sacerdos eam Benedictionem proferens, verè & propriè sit Matrimonii Minister.

Et certè recentior est opinio quæ Contrahentes instituit Matrimonii Ministros; eamque per decem ad minùs priora secula nullus in medium attulit. E contrario, quotquot de Sacramento Matrimonii per totum hoc temporis intervallum disseruêre, simul de Benedictione Sacerdotali, tanquam ad illud necessariâ & gratiæ collativâ, locuti sunt. Matrimonio jungi debent Fideles *in Ecclesia, Benedictione Ecclesiæ, ex Domini præcepto* (*a*) : Matrimonia Fidelium *Ecclesia conciliat, & confirmat Oblatio, & obsignat Benedictio* (*b*) : *conjugium velamine Sacerdotali & Benedictione sanctificari oportet* (*c*) : hæc est veterum Patrum unanimis doctrina : quis autem credat Ritum merè *accidentalem* his tam gravibus verbis commendari ? Uno verbo, Matrimonii Ministrum Sacerdotem esse docent duodecim priorum seculorum Patres tum Græci tum Latini, Conciliaque hoc tanto spatio celebrata, omnia demùm quæ extant Juris Canonici & Civilis monumenta (*d*). Ex Conciliis verò post duodecimum seculum habitis, Matrimonii Ministrum Sacerdotem esse quædam affirmant (*e*), nulla inficiantur.

Hùc accedit quod *Sacramenta tribus perficiuntur, rebus tanquam materiâ, verbis tanquam formâ; & intentione Ministri* (*f*) : si autem Contrahentes sint Ministri, eo ipso Matrimonium, cùm in mutis per nutus & signa valeat, non constabit necessariò *verbis tanquam formâ*. Denique Presbyter, aut Episcopus, nullo in contrarium disputante, cæterorum Sacramentorum Minister est à Christo institutus; sed Matrimonium neque Scriptura sacra, neque Traditio excipit : nec verò ulla probabilis afferri unquam ratio poterit, cur Sacerdos Ecclesiæ nomine loquens, dicat inani formulâ, *Ego vos conjungo*, nullam utique efficiens conjunctionem, si verus & proprius non sit Matrimonii Minister.

Permittantur Scholis controversiæ, de quibus nihil definiit Ecclesia. Utralibet eligatur opinio, certum est, juxta Concilii Tridentini doctrinam & Regni Christianissimi Leges, Matrimonium illud omninò nullum atque irritum fore, quod à Partibus, licèt consentientibus, absente proprio Parocho, aliove Sacerdote de ipsius Parochi seu Ordinarii licentiâ, contraheretur (*g*).

(*a*) *S. Ign. Epist. & Mart. Ep.* 8. ad Polyc.
(*b*) *Tert.* ad ux. l. 2. c. 9.
(*c*) *S. Ambr.* Ep. 19. n. 7.
(*d*) Voy. les Confér. de Paris sur le Mar. *tom.* 1. *pag.* 10. 11. 12. & 202; *tom.* 3. *pag.* 192. & *seq. Vide ibid. pag.* 196.
(*e*) *Conc. Colon. an.* 1536. *part.* 7. c. 40. *Camer. an.* 1567. c. 1. de Matrim.
(*f*) *Decr. Eug. IV pro Arm.*
(*g*) *Conc. Trid. Sess.* 24. de Ref. Matrim. *cap.* 1. Ordonnance de Blois, de

Jam verò, ut ratum sit Matrimonium, ipso jure naturæ mutuus requiritur Partium consensus, sine quo neque esse, neque concipi potest Contractus matrimonialis, nec stare ipsummet Sacramentum; hoc siquidem nihil est aliud quàm ipse Contractus ad Sacramenti dignitatem evectus. Itaque, ut ratum sit Matrimonium, requiritur consensus, & quidem liber, absolutus, serius & sensibilis, coram idoneo Sacerdote, solemnique Testium numero editus (*h*). Hic porrò consensus mutuam ex parte Contrahentium donationem & acceptationem perpetuæ in sua corpora potestatis includit, si minùs expresse, saltem implicitè. Quæ quidem donatio & acceptatio fiat necesse est *per verba de præsenti*; vel, in mutis, per scripturam aut per signa virtute paria; nullaque apponatur conditio quæ Matrimonii essentiam destruat: si v. g. duæ personæ Matrimonii jugum eâ lege susciperent, ut possent à se invicem discedere & cum aliis nuptias contrahere; vel ut sibi liceret cum aliis habere consuetudinem, aut naturalem conjugii effectum impedire. Hujusmodi conditiones irritum efficiunt Matrimonium; ejus enim fini repugnant; & qui eas ponit, veram ineundi conjugii intentionem habere non censetur. Porrò mutua illa corporum traditio firma & rata est, etiam si jure sibi per [illegible]m acquisito non utantur conjuges: sufficit liber ad eam ex utraque parte consensus.

Qui surdi & muti sunt, ii valida possunt inire connubia, dummodò consensum exteriùs manifestare possint (*i*), prætereàque probabilibus saltem indiciis se Matrimonii naturam sufficienter intelligere significent. Partium quidem liber consensus, ad Matrimonii essentiam pertinens, signis sensibilibus non minùs quàm verbis exprimi potest: cùm tamen signa quæ ab à surdis & mutis emittuntur, sæpè ambigua sint, nullus Pastor, aliquo emergente dubio, eorum conjugia celebranda in se recipiat, quin priùs Diœcesanum Pontificem consuluerit; *ad quem videlicet semper referendæ sunt omnes Matrimonii dubitationes* (*k*).

Henri III, en 1579, art. 40. Déclar. *de Louis XIII, du* 26 *Nov.* 1639. *art.* 1. *de Louis XIV, en* 1697.

(*h*) *Conc. Trid.* sup. *cap.* 9. *Cat. Trid.* de Matrim. *n.* 6. 7. 8. 9. 10.

(*i*) *Inn. III, Cap.* Cùm apud, *de Sponsalib.*

(*k*) *Stat. D. Odonis* de Sully, *Parif. Episc. c. an.* 1198, *Syn.* 1. Capitul. de Matrim.

CAPUT IV.

De Matrimonii unitate.

Polygamia simultanea ante Legem Evangelicam sub certis conditionibus tolerata, licèt Juri naturali aliquatenùs repugnans, & pluribus incommodis obnoxia. Antiquæ Polygamiæ tolerantia divinæ bonitati consentanea. Polygamia tandem à Christo abrogata. Ad ipsos Ethnicos pertinet abrogatio Polygamiæ. Polygamia successiva licita. Viduitas honore & merito potior. Ut sanctificetur Viduitas, quomodò vita instituenda. Novas nuptias inire cupientibus quænam observanda. Procaces iterati conjugii insectationes è medio tollendæ.

Matrimonii unitas, quæ *Monogamia* dicitur, est unius viri cum una muliere conjunctio. Huic opponitur *Polygamia*, per quam unus plures, aut successivè, aut simul ducit uxores.

Uxor plurium simul virorum, portenti cujusdam instar foret; neque conjugalis honestas, *sed meretricia turpitudo* (*a*). Hujusmodi Polygamia, alio nomine *Polyandria*, non tantùm omnibus Legibus, sed ipsimet Juri naturali contraria est; ut potè quæ fœcunditatem minueret, horrendamque in genus humanum confusionem induceret (*b*).

Quamvis autem simultanea uxorum pluralitas nullo Legis textu sit disertè concessa, sed, ad summum, quasi tacitè uno in loco approbata videatur (*c*); *absolutè* tamen huic obduci & velut superindui possunt quædam circumstantiæ, quarum accessione fiat ut ipsa illicita non videatur: si nimirùm supponatur (ut supponi meritò potest) eam certis quibusdam temporibus certasque ob causas nullâ lege positivâ esse prohibitam; si non immodicæ libidinis impulsu, sed prolis amore, si, consentiente primâ uxore, plures habeantur; si utriusque conjugis ea sit prudentia & animus benè moratus, ut domesticæ paci ac tranquillitati nihil, aut certè parùm detrimenti sit metuendum; si benevolentiæ signa inter utramque uxorem vir ita partiatur, ut neutram minùs diligat, sed nec minùs diligere videatur, quàm si uni duntaxat junctus esset, quemadmodùm solent benigni sapientesque parentes in plures liberos agere. Licèt

(*a*) *S. Aug.* de doctr. Chr. *l.* 3. *c.* 12. *cap.* 17.
(*b*) *Idem*, ibid. & de bono conjug.
(*c*) *Deut.* 21. 15.

enim hæc difficilia sint, non sunt tamen omninò impossibilia: idque satis innuunt exempla veterum Patriarcharum, aliorumque prioris Testamenti Sanctorum, Abrahæ v. g., Jacob, David, &c. (*d*), quos in contrahendis pluribus simul conjugiis peccasse, vitamque totam perpetuo contaminatos adulterio exegisse nemo dixerit; quod tamen dicendum foret, si uxorum *pluralitas* suprà memoratis honesta fieri circumstantiis non posset, in quibus utique versatos fuisse Patriarchas, cùm plures simul uxores haberent, unanimiter docent sancti Patres, ac præsertim clarissimum Ecclesiæ lumen Augustinus (*e*): præterquàm quòd, iisdem observantibus, ante diluvium, inducendæ Polygamiæ ratio specialis fuerat, ut nempè multiplicaretur humanum genus (*f*).

Ea tamen Polygamia, quamvis Legi naturali, seu primariis conjugii finibus non repugnet, ejus tamen secundariis finibus adversatur: quod certè pro levi incommodo non est habendum. Et verò impedit ne suum finem tam perfectè assequatur natura; quia nempè difficiliorem reddit numerosæ prolis educationem, domesticæque paci vehementer nocet (*g*). Incredibile enim dictu est quanta & quàm gravia incommoda Matrimonii compedem sæpè aggravarent, dum maneret plures simul uxores ducendi libertas. Cùm vir plurium uxorum æquè omnibus placere difficilè posset, eas imperio regere infelix cogebatur, ut etiamnunc moris est Orientalibus. Tunc igitur in Matrimonio rara æqualitas erat, rara conjunctio animorum, vitæque societas; rara inter æmulas rivales concordia (*h*): perpetui motus animorum, perpetuæ lites & bella domestica exardescere solebant. Singularum uxorum filii tot sæpiùs novercas experiebantur, quot erant patri aliæ uxores; & unusquisque filius, matris partibus ac simultatibus adhærens, extraneus fiebat fratribus suis, ac peregrinus, aut etiam inimicus filiis patris sui.

Eam perfecti Matrimonii naturam esse ut unus vir uni duntaxat mulieri jungeretur, Deus quidem ab initio declaraverat, & quandò unicam Adæ uxorem creavit, & quandò per os Protoparentis dixit: *Erunt duo in carne una* (*i*). Mirum tamen videri non debet quòd Polygamiam posteà toleraverit, quantumvis primævæ institutioni repugnantem. Cùm enim Matrimonium in Paradiso terrestri institutum fuit, nondùm erat concupiscentia; & ex quo illud ad Sacramenti dignitatem evectum est, annexam habuit gratiam copiosissimam: sed intermedio concupiscen-

(*d*) *Gen.* 16. 3. 4. & 29. 27. 28. & 30. 4. 9. 1. *Reg.* 1. 2. 2. *Reg.* 2. 2. & 3. 3. 13. 14. 15. 16. 1 *Paral.* 14. 2. 3. Vide *Gal.* 4. 22. & *S. Ambr.* l. de Abrah. c. 4.

(*e*) Contra Faust. *l.* 22.

(*f*) *Gen.* 4. 19. *S. Chrys.* Hom. 56. in Gen. *S. Ambr.* sup. *c.* 3. 4.

(*g*) Vide exempla Saræ & Agar, *Gen.* 21. Liæ & Rachelis, *Gen.* 25. Annæ & Phenennæ, 1 *Reg.* 1.

(*h*) *Gen.* 30. 1. 1 *Reg.* 1. 6.

(*i*) *Gen.* 2. 24.

tiæ regnantis & gratiæ minoris tempore, consentanea divinæ bonitati erat latior quædam indulgentia.

Vergente ad interitum Lege Mosaïcâ, & jam novæ Legis autorâ illucescente, Polygamiam simultaneam expressè tandem abrogavit melioris sanctiorisque Testamenti conditor. Cùm enim Matrimonium ad primævæ institutionis formam revocavit, hoc ipso Polygamiam omninò sustulit. Pro adultero scilicet virum illum habens qui, dimissâ uxore, aliam ducit, quod utique expressè declaravit (*k*), multò magis adulterum eum censet, qui, retentâ uxore, aliam sibi adjungere non dubitat.

Hoc præeunte Veritatis ipsius decreto, plures simul uxores habere illicitum esse unanimi sententiâ docent Patres (*l*) & Concilia (*m*). Hinc Pseudoevangelici præcones *libertatem* Evangelii *transferentes in luxuriam* (*n*), manifestæ corruptelæ atque impurissimæ seductionis convicti, æterno *pudore induuntur*, & *operiuntur sicut diploïde confusione suâ* (*o*), qui Philippo Hessiæ Landgravio, per summam temeritatem atque incredibilem audaciam concesserunt, ut alteram, priore superstite, neque repudiatâ, neque thoro dissociatâ, sibi conjugem asciceret (*p*). Hinc Anabaptistas, fœdam Lutheri propaginem, ipsumque Lutherum, qui scripserat se Polygamiæ *consuetudinem nec introducere velle, nec improbare posse* (*q*), meritissimo anathemate solemniter condemnavit Ecclesia (*r*). Hinc in eos qui, vivente uxore, aliam ducere audent, præter vitium irriti hujus secundi Matrimonii, graviter animadvertunt Legum Civilium æquissimæ sanctiones.

Lex autem Evangelica quæ Polygamiam abrogat, ad ipsos etiam Ethnicos pertinet, ut potè ab eo sancita, cui *data est omnis potestas in cœlo & in terra* (*s*). Fieri tamen potest ut Infideles, ob invincibilem Legis Evangelicæ ignorantiam, ab adulterio *formali* excusentur. Porrò si quis Infidelis ad veram Religionem conversus, plures anteà uxores duxerit; priorem, cæteris dimissis, tanquam legitimam retinere debet.

ALTERIUS generis Polygamia, quæ *successiva* dicitur (secundæ nimirùm atque ulteriores nuptiæ), tam mulieri quàm viro licita est (*t*): quod soli negârunt Montanistæ &

(*k*) *Matth.* 19. 3. 8. 9. Vide *Luc.* 16. 18.

(*l*) *S. Ambr. S. Hier. &c.*

(*m*) *Conc. Milev, an.* 402. *c.* 17. *&c.*

(*n*) *Ep. Judæ*, v. 4.

(*o*) *Ps.* 108.

(*p*) Vide hac de re, ut de cæteris, luculentissimè disserentem illustrissimum *Bossuet*, Hist. des variat. *ad calc. lib. 6.*

(*q*) *In Gen.* 16.

(*r*) *Conc. Trid. Sess.* 24. can. 2.

(*s*) *Matth.* 28. 18.

(*t*) *Rom.* 7. 2. & seq. 1 *Cor.* 7. 9. 39. 1 *Tim.* 5. 14. *S. Clem. Al.* Strom. l. 3. *S. Hier.* cont. Jovin. *l.* 1. *c.* 4. & Ep. 11. (*al.* 91.) *S. Ambr.* de vid. *c.* 11. (*al.* 68.) *S. Chrys.* Hom. 20. in Ep. ad Eph. *Conc. Nic. I. gen. an.* 325. *Laod. c. an.* 368. can. 1. *Carth. IV, an.* 398. can. 1.

Novatiani (*u*). Sed utrùm olim Ecclesia tertias nuptias speciali Lege irritas renuntiaverit, inter se non consentiunt eruditi. Constat quidem trium & sæpè quatuor annorum pœnitentiam publicam tertio Matrimonio junctis impositam fuisse (*x*), & de illis veteres Patres, maximè Græcos, duriùs locutos videri: quanquàm sic intelligi plerumque possunt, ut nuptias tertium repetitas minùs quàm libidinem quæ ad eas impellere solet, insectari existimentur. Apud Græcos jamdiù non licet quartum inire conjugium (*y*): quæ severitas minimè apud Ecclesiam Latinam in usu est. Huic in votis esset ut vidui & viduæ sufficienti virtute pollerent ad reliquum vitæ tempus in continentia exigendum: cùm autem id multorum virtutem exsuperet, nuptias, positâ viduitate, totiès iterari permittit, quotiès id expedire coram Deo judicatur. Quin etiam iteratæ nuptiæ aliquandò suaderi possunt, vel potiùs debent; cùm præsertim de junioribus agitur viduis, quarum pudor extra conjugium periclitaretur: *Volo*, inquit Apostolus, *juniores viduas nubere, filios procreare, matres-familiàs esse* (*z*).

Viro igitur aut fœminæ liberum est sese iterùm, quotiès occurrit viduitas, connubiali jugo submittere. Si tamen in statu viduitatis permanere possint, *bonum est illis si sic permaneant, secundùm* Apostoli *consilium* (*a*). Etsi enim virginum statu inferior est viduarum conditio, hæc tamen conjugium honore & merito antecellit; viduæque efficaciùs salutem suam operari possunt. Atque hinc Fideles in viduitate permanentes tanti faciebat Apostolus, ut *viduas, quæ verè viduæ essent, honorari* præciperet (*b*). Nec tantùm in Lege nova laudantur viduæ: eam ipsimet usque adeò carnales Judæi singularibus encomiis in celeberrima Judith extulerunt (*c*).

Ut autem vidua sanctificetur, debet, juxta præceptum Apostoli, 1°. Vivere in solitudine, animumque totum in curanda familia occupatum habere (*d*). 2°. Se diligenter in ea quæ viduas decet, castitate conservare; ideòque à seculi conventibus profanisque oblectationibus, ludis, choreis, conviviis longè se removere: *nam quæ in deliciis est, vivens mortua est* (*e*). 3°. Suam in Deo spem totam collocare. Vidua scilicet omni ope & solatio destituta, Deum jugiter exoret ut sibi omnium loco sit; charitatis opera exerceat, Sacramenta frequentet, ac denique omnibus Christianæ pietatis operibus incumbat (*f*). Sic omnium perfectissima laudatur *Anna Prophetissa*, quæ à juventute *vidua*

(*u*) *Conc.* adversùs Montanum, *an.* 172. *Conc. Rom. sub S. Cornel. an.* 251. & *Antioch. an.* 252. advers. Novatian.
(*x*) *S. Basil.* can. 4. *Epist.* ad Amphil.
(*y*) *Ibid. Basil. Maced. Imper.* de Jure Or. *l.* 2. *Nov.* Illicitæ sunt quartæ nupt.
(*z*) 1 *Tim.* 5. 14.
(*a*) 1 *Cor.* 7. 8.
(*b*) *Ibid. v.* 3.
(*c*) *Judith*, 15. 10. 11.
(*d*) 1 *Tim.* 5. 4.
(*e*) *Ibid. v.* 6. Vide *S. Hier.* Ep. 10. 16. 17. *S. Aug.* Ep. 130. (*al.* 131.) ad Probam. *S. Ambr.* de Vid.
(*f*) 1 *Tim.* 5. 5.

usque ad annos octoginta quatuor., non discedebat de Templo, jejuniis & obsecrationibus serviens die ac nocte (g).

PORRO si viduus aut vidua novo se cupiant jungi Matrimonio, his multâ curâ ac diligentiâ observandum est, 1°. Ne temerè ac præcipitanter quidquam in tanti momenti negotio definiant, sed priùs Deum studiosissimè consulant. 2°. Si liberos ex anteriore conjugio susceperint, eorum jura sibi necessariò servanda esse non obliviscantur: & quoniam iterato Matrimonio committunt ut jam iis minùs prodesse possint, saltem non committant ut suâ eos possessione defraudent: *ne attingant parvulorum terminos*, & *agrum pupillorum ne introeant (h)*. 3°. Tametsi nullâ Lege prohibitum est ne viduæ per annum luctûs novo se conjugii fœdere obstringant, summoperè tamen dedeceret orbam marito fœminam ad alias nuptias, nondùm expleto viduitatis anno, convolare: tales fœminæ Legibus Romanis infames pronuntiatæ olim fuerunt (*i*). Videant saltem Parochi ne viduam ullam ad novi Matrimonii celebrationem admittant, quin priùs, interposito tempore sufficienti, certò constiterit eam utero non gerere. Timendum enim foret ne, existente graviditate, hæres novo conjugi daretur suppositiius, neve suo ad paternam hæreditatem jure spoliaretur conjugis anterioris filius posthumus. Et quidem Confessarius qui à vidua rescivisset eam esse prægnantem, huic deberet Absolutionem denegare, si, nondùm edito fœtu, novas nuptias inite vellet; ipsa enim contra Legem naturalem, quæ vetat ne proximo noceatur, procul dubio peccaret.

CÆTERUM curent Pastores diligenter, ut penitùs è medio tollantur perversæ quædam consuetudines, morum corruptelis non sine Sacramenti contumeliâ introductæ: quales sunt vespertinæ seu nocturnæ vociferationes, & vasorum æneorum pulsationes ad januam eorum qui secundo vel ulteriore connubio junguntur (*k*). Procax eâ in re juventutis libertas, quantùm prudenter fieri poterit, compescatur, aliique hujus generis (sicubi adhùc vigeant) usus pessimi ad exagitandas viduarum nuptias excogitati, & in quibusdam Provinciis sub pœna Excommunicationis prohibiti (*l*). Quinimò, propter Sacramenti reverentiam, propositis pœnis, in hujusmodi abusus animadvertunt quædam supremæ Curiæ (*m*). Neminem verò qui talia commiserit, priùs absolvant nostræ Diœcesis Parochi, Vicarii, cæterique Confessarii, quàm ipse læsis conjugibus pro modo injuriæ satisfecerit.

(*g*) *Luc.* 2. 36. 37.
(*h*) *Prov.* 23. 10.
(*i*) *Cod.* l. 2. t. 12. *Nov.* 22. lc. 2 *Cod. Theod.* l. 3. c. 8. c. 1. 2. 3.
(*k*) *Conc. Turon. an.* 1448. can. 15.
(*l*) *Narb. an.* 1609.
(*m*) *Divion. Grantianop. Aquensis.* Diction. des Arrêts, *au mot* Charivari.

CAPUT V.

De Matrimonii indiſſolubilitate.

MATRIMONII quanta ſit indiſſolubilitas. Illud ratum & non conſummatum dirimit Profeſſio Religioſa. Eo conſummato, non licet conjugibus, niſi ex mutuo conſenſu, Religionem profiteri. Illud, etiam non conſummatum, minimè reſcindit Ordinis ſacri ſuſceptio. Poſſunt conjuges thorum dividere ex conſenſu ad tempus. Circa divortium propter adulterium, varii caſus diſtinguendi. Aliæ divortii cauſæ. Quædam minimè ſufficientes. Divortia non temerè facienda; & reconciliandi conjuges diſſociati.

» MATRIMONII perpetuum in- » diſſolubilemque nexum primus » humani generis parens divini Spi- » ritûs inſtinctu pronuntiavit, cùm » dixit: *Hoc nunc os ex oſſibus meis,* » *& caro de carne mea. Quamobrem* » *relinquet homo patrem ſuum &* » *matrem, & adhærebit uxori ſuæ;* » *& erunt duo in carne una.* Hoc » autem vinculo duos tantummodò » copulari & conjungi, Chriſtus » Dominus apertiùs docuit, cùm, » poſtrema illa verba, tanquam à » Deo prolata, referens, dixit: » *Itaque jam non ſunt duo, ſed* » *una caro;* ſtatimque ejuſdem ne- » xûs firmitatem, ab Adamo tantò » antè pronuntiatam, his verbis » confirmavit: *Quod ergò Deus* » *conjunxit, homo non ſeparet* (*a*).» Sic videlicet primævam conjugii formam, ethnicâ licentiâ dedecoratam, & ſub Lege Moyſi obſcuratam, in integrum reſtituit.

Judæis nimirùm, ut, ſubortâ gravi cauſâ, cuique liceret uxorem, dato repudii libello, dimittere, & aliam ducere, ita ut viciſſim alteri viro nubere poſſet repudiata mulier, ex indulgentia conceſſerat Moyſes (*b*); ſive ſolius pœnæ, ſive etiam ipſius culpæ immunitatem iſtâ lege feciſſet, quâ de re in diverſas opiniones ſcinduntur Theologi. Quidquid ſit, hanc dimittendæ uxoris libertatem cum facultate ad alias nuptias convolandi, Evangelicæ Legis auctor penitùs abrogavit Chriſtus Dominus his verbis: *Omnis qui dimittit uxorem ſuam, & alteram ducit, mœchatur: & qui dimiſſam à viro ducit, mœchatur* (*c*). Ex quo quidem abſoluti ſermonis textu, nullam neque adulterii neque alte-

(*a*) *Conc. Trid. Seſſ.* 24. doctr. de Sacram. Matrim.

(*b*) *Deut.* 24. 1 *Matth.* 5. 31.

(*c*) *Luc.* 16. 18. Vide *Marc.* 10. 11.

rius cujuslibet casûs exceptionem interponente, explicandum est, prout sapienter admonet S. Augustinus (*d*), hocce aliud Evangelicum Christi Domini effatum: *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur* (*e*). Quapropter immeritò protsùs contendunt recentiores Hæretici, ipsaque Ecclesia Græca, fornicationis exceptionem ad utrumque simul hujus textûs membrum referri; ita ut nempè, & uxorem, eveniente ipsius adulterio, dimittere, &, eâ dimissâ, cum alia jungi perindè liceat. Et verò Apostolus, cui scilicet perspecta erat divini Legislatoris intentio, sine ambiguitate scriptum reliquit: *Mulier alligata est legi* (scilicet conjugali), *quanto tempore vir ejus vivit* (*f*): idemque planè & apertè docet, non tanquam suum, sed tanquam Domini præceptum, non posse uxorem à viro dimitti, nec ab illo discedere; quòd si discesserit, eam *manere innuptam, aut viro suo reconciliari* oportere (*g*).

Huic insupèr sententiæ suffragantur Patres Latini ferè omnes (*h*), imò & Græci priorum seculorum non pauci (*i*), rum plurima Concilia (*k*), & probati omnes Ecclesiæ Romanæ Theologi. Hinc eos qui dixerint Ecclesiam errare, cùm docet, juxta Evangelicam & Apostolicam doctrinam, propter ipsum adulterium, Matrimonii vinculum non posse dissolvi, inflicto anathemate condemnat sacrosancta Tridentina Synodus (*l*). Quod quidem anathema recentiores meritò percellit Hæreticos, Lutheranos nempè & Calvinianos, qui Doctrinam à Christo & Apostolis acceptam, à Patribus Latinis, & Græcis sat multis, iisque Apostolicorum temporum vicinis (*m*), ac totius Occidentis Ecclesiis probatam, veram proindè, solamque amplectendam, ausu remerario erroris insimulant, dicteriis lacessunt, & iniquis perstringunt censuris. Quamvis enim quidquid ab Hæreticis profertur, non sit hæreticum, & quod ab ipsis proponitur, non sit eo ipso rejiciendum; si tamen in Catholicæ Doctrinæ odium arroganter contumelioseque aliquid proferant vel proponant, ipsique injuriosam tueantur opinionem, in hanc semper justum infligitur anathema. Soli autem Hære-

(*d*) De adult. conj. *l.* 1. c. 8.

(*e*) *Matth.* 19. 9.

(*f*) 1 *Cor.* 7. 39. Vide *Rom.* 7. 2. 3.

(*g*) 1 *Cor.* 7. 10. 11. *S. Aug.* de adult. conj. *l.* 2. *c.* 5.

(*h*) *Tert.* cont. Marcion. *l.* 4. *cap.* 34. *S. Aug.* suprà, *l.* 1. *c.* 4. & 8. de bono conj. *c.* 7. de nupt. & concup. *l.* 1 c. 10. *S. Inn. I*, Ep. ad Exup. *c.* 6. *S. Ambr.* in Luc. l. 8. c. 16. n. 2. &c.

(*i*) *Hermas*, Past. *mand.* 4. *Athenagor.* Apol. pro Christ. *S. Clem. Al.* Strom. *l.* 2. *Origen.* tract. 7. in Matth. *S. Greg. Naz. carm.* 2. de laud. virginit. *S. Chrys.* Hom. 17. in Matth. 5. & Hom. 62. & in 1 Cor. 7. & lib. de virginit.

(*k*) *Conc. Milev. III*, *an.* 416. can. 17. *Andeg. an.* 453. can. 6. *Rom. sub Eug. II*, *an.* 826. & *sub Leone IV*, *an.* 853. can. 36. *Florent. Decr.* Quamvis ex causa fornic. *Trid. Sess.* 24. doctr. de Sacram. Matrim. *Rem. an.* 1583. *tit.* de Matrim. *n.* 11.

(*l*) Sup. *can.* 7. Vide *can.* 5.

(*m*) *Vide suprà*, Herm. &c.

tici, Ecclesiæ Catholicæ odio incitati, doctrinam de perseverante post adulterium matrimoniali vinculo, erroris incusant. Nam Græci quibus est contraria sententia, modestè eam propugnant, nullamque contrà sentientibus censuram inurunt : ex quo efficitur ut eos nequaquam attingat anathema Tridentinum.

Et certè (ut ex historia Concilii Tridentini perspicitur) primùm quidem ita conditus fuerat Canon, ut videri potuisset Matrimonii in casu adulterii definita indissolubilitas; subindè verò immutatus est; horumque verborum loco, *Si quis dixerit, propter adulterium alterius conjugum Matrimonii vinculum posse dissolvi, anathema sit,* hæc posita fuerunt, quæ nunc leguntur : *Si quis dixerit Ecclesiam errare, cùm docuit & docet, juxta Evangelicam & Apostolicam Doctrinam, propter adulterium alterius conjugum Matrimonii vinculum non posse dissolvi, anathema sit* (*n*). Testantur prætereà Historici; non alio animo retextum, & eo quem nunc habemus modo confectum fuisse illum Canonem, nisi ut Græcorum sententiæ nulla nota inureretur.

Porro novi Testamenti Lex Matrimonialis, præter ipsam rei formam, qualis ab initio fuit, instaurandam, non sine causis gravissimis æternæque Sapientiæ respectu dignissimis constituta est. Ut enim fileamus quod honestati publicæ aliquatenùs repugnat divortium in se spectatum, annexam habens aliud Matrimonium ineundi libertatem; innumera ex eo, propter humani cordis depravationem, sequi facilè possent incommoda, Matrimonii bono & prolis educationi maximè contraria. Temerè conjugium iniret, qui sciret liberum sibi fore ut invisæ uxori aliam subrogaret : vir asper & morosus non sibi facilè temperaret ut placeret uxori : filii vivis parentibus pupilli essent : ac demùm conjugia conjugiis cumulari usque adeò possent, ut jam propè nihil forent nisi mera lascivia, honesto quodam velamine prætexta.

Quod si autem solummodò ratum, neque consummatum sit Matrimonium; alterutri conjugi, vel sine alterius consensu, licet Religionem approbatam ingredi solemniterque profiteri. Et quidem Pars eo modo ante consummatum Matrimonium derelicta, novum inire potest conjugium, priore scilicet quoad ipsum fœdus per solemnem Religionis professionem dissoluto. Ecclesiæ Catholicæ hac in re Disciplinam & praxim *à multis jam seculis stabilitam* (*o*), confirmavit Synodus Tridentina, in eos qui secùs dicerent anathematis sententiam pronuntians (*p*). Juri autem naturali non repugnat Christianorum Matrimonia rata, sed nondùm consummata,

(*n*) *Sess.* 24. *can.* 7. *Pallavic. lib.* 22. *cap.* 4. *Suav. Polan. lib.* 6. *circa med.*

(*o*) *Alex. III, Decretal. lib.* 3. *tit.* 32. *& Cap.* Ex publico, *eod. tit. Inn. III, Cap.* Ex parte, *eod. tit.* de convers. conjug.

(*p*) *Sess.* 24. can. 6.

juxta hanc Legem ac Disciplinam, quoad fœdus & vinculum dissolvi. Conjugiorum enim omnium quæ apud Christianos celebrantur, hæc tacita conditio est, ut, si conjux alterutet solemni castitatis Voto astringere se velit, rupto per ejusmodi professionem conjugali fœdere, quod eatenùs quasi suspensam habet fidem atque obligationem, possit ille qui non profitetur, aliud inire conjugium (*q*). Nihil ergò est, quandoquidem Lege & consuetudine palàm approbatur ea conditio, quod Juri naturali adversetur, si Matrimonium, alioqui firmum ac indissolubile futurum, dissolvatur. Cùm enim conditione utrique contrahenti notâ suspenditur Contractus, in Legem naturæ nihil peccatur, si, positâ conditione, quam ponere utrique liberum est, dissolvatur. Penès contrahentes haud quidem semper est ut Contractum aliquâ conditione suspensum faciant, eorumque super hujusmodi re vanus atque inutilis sæpiùs futurus esset conatus. De conditione verò, quâ fit ut per solemnem Religionis Professionem dirimatur Contractus nondùm consummatus, id certè nemo dixerit: siquidem modò dicta conditio non privatâ utriusque duntaxat conjugis voluntate, sed publicâ totius Ecclesiæ auctoritate approbatur.

Dispar existit eorum status, qui justo & legitimo connubio sociati, jure matrimoniali inter se usi sunt (*r*). Conjux alter, dissentiente altero, non potest Religionem ingredi. Quòd si nihilominùs profiteatur, hujus Vota irrita & nulla erunt: ipse autem ad contubernium expetentis conjugis redire tenebitur, nisi ob justam causam Judicis auctoritate approbatam excusetur, salvo nihilominùs conjugii vinculo. Si autem alter conjux Matrimonium consummatum fuisse affirmet, alter verò neget; affirmanti credendum est, ac tuenda Matrimonii indissolubilitas. Imò, postquàm uxor ad domum viri deducta fuit, iis credendum non est in conjugii detrimentum, *ne inter se contra Matrimonium velint colludere* (*s*). Mensium porrò duorum spatium communiter Sponsis assignatur, quo, maturâ deliberatione habitâ, vel ad Religionem transeat utercumque voluerit, vel cum sponso maritaliter vivat (*t*).

Itaque non potest alter conjugum validè profiteri, altero vel inscio, vel per dolum aut metum consentiente. Tunc nihilominùs valet ejus Votum quoad obligationem castitatis, quantùm poterit, servandæ. Undè nec debitum postulare, sed tantùm reddere potest; nec, post mortem uxoris, ei licebit sine Dispensatione aliam ducere, quamvis tunc ad Monasterium redire non teneatur.

Etiamsi verò conjugem alterum solemnia Religionis Vota nuncu-

(*q*) *S. Thom.* q. 61. a. 2. ad. 2.

(*r*) *S. Greg.* l. 9. (*al.* 11.) Ep. 39. *Nicol. I*, ad Carol. Reg. *c.* 27. *q.* 2. *c.* 26. *Alex. III*, Decret. l. 4. tit. 1. c. 16.

(*s*) *Cœlest. III*, *c.* 5. de eo qui cognovit.

(*t*) *Cap.* 7. de convers. conjug.

pare alter consenserit, hic tamen non ideò Matrimonii semel consummati vinculo exolvetur; nec propter omnimodam ac perpetuam hujusmodi separationem aliud Matrimonium contrahere poterit: imò tenebitur ipse simul Religionem ingredi, si sit adhùc juvenis, aut aliàs emergat incontinentiæ periculum; vel, si cupiat in seculo remanere, necesse erit non modò ut sit senex & ab omni incontinentiæ suspicione immunis (*u*), verùm etiam ut castitatis Votum simplex emittat coram suo Episcopo ac testibus, qui eâ de re fidem facere possint. Quinimò connubium illud minimè dissolvitur, etiamsi vir & uxor mutuo consensu Vota solemnia emiserint: & quamvis Matrimonii usus in perpetuum eis sit interdictus, firmo tamen atque indissolubili fœdere conjuges remanent, propter antecedentem cohabitationem, quâ ex duabus una eademque caro effecti sunt.

Jam verò per sacrorum Ordinum susceptionem haudquaquam rescinditur Matrimonium anteà legitimè contractum, etiam non consummatum. Si conjugis Ordinationi conjux dissenserit, eum ipsa poterit ad se revocare (*x*): si consenserit, illæsâ Matrimonii stabilitate, ejus tamen usu ambobus in perpetuum interdicto, fœmina Religionem profitebitur, aut saltem, prout jusserit Diœcesanus Pontifex, in pio secessu continenter vivet.

Cæterùm in primo casu, cùm nempè ad conjugem redit qui, eâ malè derelictâ, Ordinem sacrum susceperat, is debitum quidem reddere, non verò petere potest; eique, mortuâ uxore, interdictum erit aliud connubium.

Servatis igitur quæ servari Jus præcipit, omninò & in perpetuum sejungi ex mutuo consensu possunt conjuges in gratiam electi statûs perfectioris.

Possunt etiam ad tempus à thoro discedere consentientes, Religionis videlicet impulsu, atque ut piis exercitiis liberiùs vacent. Laudandi quidem sunt conjuges qui continentiæ studio thorum dividunt; sed, deficiente singulari gratiæ dono, temerarium foret quidquam eâ de re ad longius intervallum pacisci; plura enim & gravia indè sequerentur incommoda, nisi ad hoc utrimque moveret inflammatum sanctioris vitæ desiderium. Hac nimirùm thori separatione decrescit amor conjugalis, remittitur animorum nexus; forsitan *caro concupiscit adversùs spiritum* (*y*), & malè vincere conjugem eum potest, quem pudet remedium necessarium postulare, ne levitatis atque infirmitatis objectationem experiatur. Hinc sapienter Apostolus, *Nolite*, inquit, *fraudare invicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi; & iterùm revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram* (*z*).

(*u*) *Cap.* 13. *ibid. Conc. Abrinc. an.* 1172. *can.* 10.

(*x*) *Joan. XXII*, *Extrav. unic.* de voto.

(*y*) *Gal.* 5. 17.

(*z*) 1 *Cor.* 7. 5.

Atque hæc sibi potissimùm dicta existimare debent, qui paucis abhinc annis Matrimonio juncti sunt: quanquam & ipsismet qui ætate maturiores thorum dividunt, viris præsertim, diligenter curandum est ut conjuges intelligant, se, ubi primùm voluerint, in illum reversuros.

Porrò conjux à conjuge quoad thorum & habitationem discedere potest in quibusdam gravium offensionum casibus, ob adulterium imprimìs (*a*); & tunc in utroque conjuge divortii jus æquale est (*b*). Non tamen justè conjux conjugem dimittere aut ab eo discedere propter adulterium potest, si hoc ipsi non certò constet; si vel expressè vel tacitè, spontaneo scilicet conjugii usu certam flagitii cognitionem secuto, illud condonaverit (*c*); si ejusdem causa fuerit, si v. g. consenserit, vel ipsemet uxorem prostituere non erubuerit, vel effrenatæ hujusmodi incontinentiæ objecerit, debitum conjugale justo diutiùs & sine causa detrectando; si postmodùm scelus idem ipse admiserit, vel etiam anteà, nec fuerit condonatum; si denique *materiale* seu extra culpam fuerit adulterium, si nempè causam huic dederit illata vis propriè dicta, error inculpabilis.

Aliquandò verò conjux innocens, non modò licitè potest, verùm etiam necessariò debet à conjuge sonte, divortio facto, discedere. Viro quidem, cùm uxoris adulteræ scelus in vulgi collocutionem erupit; *qui enim tenet adulteram, stultus est & impius* (*d*). Ideò nempè *stultus*, quia proprio dedecori assentitur, & in hoc ipse turpissimam tolerantiam confert: *impius* autem, eò quòd non obsistit injuriæ quæ per flagitiosam conjugis vitam supremo Numini infertur, connubialis vinculi sanctissimique fœderis auctori, testique solemniter obligatæ fidelitatis. Quòd si occultum sit flagitium, atque ad meliorem frugem aut jam reversa sit, aut brevi reversura esse haud immeritò speretur adultera; eam retinere quidem & in consortium thori admittere vir poterit, atque interdùm charitatis lege tenebitur (*e*); si, exempli causâ, periculum immineat, ne, plus æquo frænatâ concupiscentiâ, aut rupto per discessionem residui pudoris aggere, pergat in turpibus, vel ad turpiora delabatur. Quòd si emendationis nulla spes verisimilis affulgeat; à thoro, ut minimùm, dimittenda erit; quia vir uxoris flagitium approbare videtur, cùm eam tenet ab illo non

(*a*) *Conc. Trid. Seff.* 24. can. 8. *Matth.* 5. 32. & 19. 9.

(*b*) *S. Hier.* Ep. 84. (*al.* 30.) *S. Aug.* de serm. in monte, *l.* 1. *c.* 16. *Inn. III*, *c.* 32. *q.* 3. *can.* Christiana. *Conc. Trid. Seff.* 24. can. 7.

(*c*) *Alex. III*, Decret. l. 4. tit. 19. *c.* 4. *Lex*, Crimen, 11. *Cod.* Ad Legem Juliam, *de adulterio. Lex*, Quæsitum, 40. §. Item quæritur. *ff.* ad Leg. Jul. *sup. Inn. III*, de adulter. & stupro, *cap.* Tua fraternitas. *S. Aug.* de serm. in monte, *sup.*

(*d*) *Prov.* 18. 22.

(*e*) *S. Aug.* cont. Faust. *c.* 26. *Idem*, de adult. conjug. *l.* 2. *c.* 5.

cessantem

cessantem (f): sic *vir*, *caput mulieris*, in eam tam graviter sontem justè animadvertit.

Pensandum verò est, antequàm erumpat disjunctio, num fortè alia suppetat via, quâ possit adultera conjux ad officium reduci. Deus multùm est orandus; consulendi sunt viri sapientes, periti, à propriæ utilitatis respectu alieni: nihil inconsideratè, nihil præcipiti stomacho definiendum. Quòd si, factâ discessione, adultera culpam suam longâ pœnitentiâ eluerit, etsi nullâ (saltem justitiæ) lege tenetur maritus innocens thori sui violatricem in gratiam recipere, plerumque tamen Evangelicæ charitati magis consentanea est reconciliatio, si noxa tamdiù expiata fuerit, ut jam nullum ipsius vestigium superesse videatur. Attamen, pro casuum varietate, diligenter investiget prudentia Christiana quid optimum factu sit; ac potissimùm consulatur Parochus vel Confessarius.

Quod ad mulierem attinet, tam stricta in eam non incumbit obligatio à conjuge adultero discedendi, ne quoad thorum quidem. Hìc enim locum non habent incommoda pleraque superiùs memorata, propter quæ disjunctionem viro licitam & quandoque ineluctabilem esse diximus. Hùc accedit quòd rarò contingat uxoris discessionem coërcendæ viri incontinentiæ remedium esse opportunum. Quinimò, derelictus ejusmodi maritus, auctâ libertate pejùs, ut plurimùm, abutitur. Si tamen probabiliter existimetur ille, facto divortio, neque aliter, ad meliorem frugem esse revocandus (quod maximè in pauperioribus nonnunquam accidit); mulier ab illo discedere poterit.

Sunt aliæ discessionis causæ, quas admittunt Leges tum Canonicæ, tum Civiles. Inter præcipuas autem numerantur immoderata sævitia, & periculum subversionis. Si igitur conjux conjugi mortem machinatus fuerit; si gladio, si fuste percusserit; si graves minas intentet, nec spes ulla sit efferum ingenium patientiâ & officiis obsequiosis placandi; alter ab altero sejungi potest. In judicio tamen de immoderata sævitia ferendo, distinguenda est personarum qualitas. Sunt enim, exempli gratiâ, fœminæ nobiles, liberaliter educatæ, quarum habito respectu immoderatæ censerentur sævitiæ, quæ, respectu mulierum de plebe, & ingenuâ institutione carentium, nihil essent nisi leviores atque in infima hujusmodi conditione vulgares molestiæ; quibus proindè, sine divortio, conveniens posset remedium afferri. Prudentissimi viri judicio eâ in re opus esse intelligitur. Similiter permittunt Canones divortium conjugi, propter conjugis Hæresim vel Apostasiam; quam licentiam ad alia scelera extendi nihil est quod prohibeat, iis saltem positis casibus, in quibus conjux conjugem ad eadem perperranda sollicitet, si tamen hic alio modo resistere omninò non pos-

(f) S. *Thom.* suppl. q. 62. a. 1. ad 4.

sit, aut impedire quin sibi ex illius contubernio immineat seductionis periculum (*g*).

Eæ causæ, & si quæ sunt iis similes, tanti esse momenti judicantur, ut conjuges non modò quoad thorum, verùm etiam quoad habitationem separari possint & nonnunquam debeant. Hujusmodi autem causas oportet certò constare & probari posse, atque insupèr legitimam Judicis Sententiam intervenire, ut conjux conjugem domo eliminare vel discedere ab eo licitè valeat (*h*).

Sed locum habere nequit illa disjunctio propter infirmitatem supervenientem, nisi emergat evidens contagionis periculum : multò minùs propter difficilem vel morosam indolem, sterilitatem, vel deformitatem (*i*).

ITAQUE, cùm nimis multi conjuges à se invicem levioribus de causis discedant, Pastores luculento & gravi sermone Fidelibus exhibeant illud CHRISTI JESU effatum : *Quod Deus conjunxit, homo non separet* (*k*) ; etiam atque etiam inculcantes, Matrimonium semel consummatum jam non posse quoad vinculum, nec debere quoad ipsam habitationem nisi graves ob rationes dissolvi. Qui demùm, sive ex animorum adversâ naturâ, sive ex morositate à se invicem discesserint, eos Parochus in fortitudine simul & lenitate Pastoralis spiritûs ad mutuam reconciliationem cohortetur ; quam si detrectent, eos Absolutione & Sacramentis indignos judicet : divortia enim peccatis & scandalis plerumque fœcunda sunt ; quin etiam ea peccato carere nunquam præsumuntur, nisi rata legitimè habeantur Ecclesiâ judice, cui paucissimis tantùm in casibus approbantur (*l*).

(*g*) *Lex* Consensu, *Cod.* de repudiis. *Urb. III*, *Decret. l.* 4. *tit.* 19. *c.* 6. *Inn. III*, *Extrà*, de restitut. spoliat. *cap.* Litteras, & *cap.* Ex transmissa. *Cap.* Idololatria, 28. *q.* 1. *S. Chrys.* Hom. 26. *in* 1. *Cor. S. Aug. de serm. in monte*, *cap.* 16. (*al.* 46.) *S. Thom. in* 4. *dist.* 35. *q. unic. a.* 1. *ad* 3.

(*h*) *Conc. Agath. an.* 506. *can.* 25. *Alex. III*, *decret. l.* 4. *tit.* 19. *c.* 3. 4. *Urb. III*, *ibid. c.* 6.

(*i*) *S. Aug. de bono conjug. c.* 7. *De nupt. & concup. cap.* 10. *Conc. Trid. Sess.* 24. *can.* 12.

(*k*) *Matth.* 19. 6.

(*l*) *Conc. Rem. an.* 1583. *tit.* de Matrim. *n.* 11.



Divisio II.

Dicetur in hac Divisione, 1°. De finibus conjugii, & de officiis conjugum: 2°. Quàm maturo consilio, quo animo, quanto personæ delectu ineunda sit conjugalis vitæ ratio; & quâ præparatione suscipiendum Matrimonii Sacramentum.

CAPUT PRIMUM.

De finibus conjugii, & de officiis conjugum.

Tres conjugii fines. Conjugii finibus respondentia conjugum officia. Ratione prolis, requiritur in conjugibus 1°. fides utrimque inviolata: 2°. conjugalis debiti redditio; circa quam plurima observantur. Ratione remedii concupiscentiæ oblati, cavendum cuique ne illo abutatur. Repugnantia castitati conjugali peccata sedulò Confessariis dignoscenda, & prudenter compescenda. Officia mulieris prægnantis, parientis, puerperæ. Officia parentûm in liberos & in familiam publicè exponenda. Ratione intimæ societatis mutuique subsidii, exurgunt officia conjugum in se invicem. Christiani conjugii faustitas.

Sic à Deo institutum fuit Matrimonium, ut ejus finis triplex esse intelligeretur: 1°. scilicet mutuum ex intima societate subsidium; deindè filiorum qui in Christo renascerentur, legitima procreatio; postremò oblatum concupiscentiæ remedium.

Et quidem, cùm » rerum omnium quas in nuptiis homines » expetunt, caput illud sit, ut con» victum, uterque societatem ju» cundissimam assequantur (*a*), » primus conjugii finis est, ut vir & uxor necessitudine omnium arctissimâ sociati, mutuo sibi adjumento sint in vitæ laboribus & ærumnis, quæ pariter Christiano animo perferant, sibique invicem leviora effi-

(*a*) S. *Greg. Nyss.* de virginit. *c.* 3.

ciant. Hinc Deus in Genesi, *Non est bonum*, inquit, *esse hominem solum; faciamus ei adjutorium simile sibi* (*b*). Ex hac nimirùm societate atque animorum conjunctione dulcissimâ exurgit illud *coram Deo & hominibus* vehementer *probatum*, *vir & mulier benè sibi consentientes* (*c*), singulari quodam, puro & sancto, charitatis & patientiæ pleno amore inter se devincti: qui sensus duas in studio virtutis colligens voluntates, castitatem parit conjugalem, mutuam fiduciam, communem familiæ curam, morum denique integritatem ac suavitatem.

Alter Matrimonii finis est legitima generatio filiorum, qui per Baptismum in Dei & Ecclesiæ filios regenerentur; ac præter jus hæreditatis paternæ, fiant *hæredes Dei*, *cohæredes autem Christi* (*d*); eorum deindè sancta & Christiana institutio, cujus ope, communis omnium Patris qui in cœlis est, regnum consequantur. Quem finem eo in pretio habuit Apostolus, ut scriptum reliquerit *mulierem salvatum iri per filiorum generationem* (*e*); quos videlicet thoro immaculato susceptos, in cultu veræ fidei & Religionis, juxta exemplum à sanctis fœminis proditum, in spem æternæ beatitudinis educaverit (*f*).

Hic finis est quem juveni Tobiæ Saram uxorem assumenti commendavit Raphaël Angelus: *Accipies*, inquit, *virginem cum timore Domini, amore filiorum magis quàm libidine ductus, ut in semine Abrahæ benedictionem in filiis consequaris* (*g*). Hoc etiam pio fine, inquiunt sancti Doctores, Matrimonium capessebant Justi sub antiquo fœdere, quòd sperarent Messiam in sua familia nasciturum, sicque majores se expectati Liberatoris futuros. Nunc, eo fine sublato, quia impletæ sunt omnes de Redemptoris adventu Prophetiæ, ea Christianis conjugium ineuntibus intentio esse debet, ut novos Ecclesiæ filios, veros Christo discipulos, mundo exempla virtutum, cœloque Sanctos progenerent (*h*).

Accessit alius finis, postquàm homo justitiâ originali spoliatus, appetitum rectæ rationi repugnantem sentire cœpit. Ut igitur sub homine sit appetitus ille indomitus, & *illius facilè dominetur* (*i*); iis *qui se non continent*, *nubere potiùs quàm uri* suadet Religio (*k*). Hinc tertius Matrimonii finis est, ut conjuges in ipso inveniant concupiscentiæ remedium, suppeditans naturali propensioni per noxam originalem depravatæ, circa quod honestè ac legitimè versetur: undè sequatur honesta simul & legitima generis humani propagatio; sicque fontem humanitatis, quem libido infræna corrupetat, purum & immaculatum faciat castitas conjugalis.

(*b*) *Gen.* 2. 18.
(*c*) *Eccli.* 25. 1. 2.
(*d*) *Rom.* 8. 17.
(*e*) 1 *Tim.* 2. 15.
(*f*) *S. Aug.* cont. Julian. *l.* 5. *cap.* 5. *Idem*, de bono conjug. c. 24.
(*g*) *Tob*, 6. 22.
(*h*) *S. Aug.* de nupt. & concup. *l.* 1. *cap.* 8.
(*i*) *Gen.* 4. 7.
(*k*) 1 *Cor.* 7. 9.

His conjugii finibus respondent officia conjugum; de quibus publicè & privatim disserere Pastorum est: publicè quidem, eâ præsertim Dominicâ quæ post Octavam Epiphaniæ occurrit; privatim verò in Pœnitentiæ Tribunali, quandò se ad contrahendum accingunt duo futuri conjuges.

Quantùm Religio faciat ad mores publicos, adeòque ad rectum & faustum societatis ordinem; quantâ fide homo, Religionis impulsu agens, officia exequatur sibi imposita, pro varietate necessitudinum quæ naturæ & societatis legibus conjugantur, nemo est cui non sit rei ipsius loquentis evidentissimo testimonio compertum. Atque hoc manifestiùs patet in officiis per Matrimonium impositis, sive marito in uxorem, sive uxori in maritum, sive utrique in liberos & domesticos.

Enimverò » habet, sicut castitas, » ita etiam Matrimonium propria » munera & ministeria quæ ad Do» minum pertineut, filiorum curam » gerere & uxoris (*l*). » Cùmque intet præcipua Matrimonii bona sit *proles* (*m*), hinc sequitur necessitas tum inviolatæ utrimque fidei, tum debiti conjugalis vicissim reddendi.

Et quidem per Matrimonium ita vir & uxor se sibi mutuo fœdere obstringunt, ut alter alteri *sui corporis potestatem* tradat, alio quolibet excluso (*n*), sanctumque illud fœdus se nunquam violaturum esse polliceatur. Hinc in adulteros pœnam capitis constituerat Lex vetus (*o*); & pronuntiat novæ Legis animadversio justissima ipsos à connubii auctore, sanctificatore & vindice Deo judicandos esse, quin etiam ab ipsius regno excludendos (*p*). Lethale verò peccatum ex utraque parte committitur; » eadem enim » à viro quæ ab uxore debetur casti» monia (*q*). » Posito adulterio, par utrobique violatio fidei, par injustitia, par dedecus & flagitium, par à Deo metuenda est temerati conjugii vindicta.

Ad suscipiendam prolem necessaria est mutua debiti conjugalis redditio; » nec possunt habere pu» dicitiæ libertatem, qui serviunt » dominatui nuptiarum: *atque ita* » sibi conjugati mutuam *illam* de» bent servitutem, ut, etsi alteri » eorum perpetua continentia pla» ceat, nisi ex alterius consensu » non possit (*r*), » dicente Apostolo: *Vir uxori debitum reddat, similiter & uxor viro* (*s*). Et quia subjungitur, *Nolite fraudare invicem* (*t*), hinc meritò colligitur debitum illud conjugi expressè vel tacitè postulanti non sine lethali peccato denegari posse, nisi tamen il-

(*l*) *S. Clem. Alex.* Strom. *l.* 3.
(*m*) *S. Aug.* cont. Julian. *sup.*
(*n*) 1 *Cor.* 7. 4.
(*o*) *Levit.* 20. 10. *Deut.* 22. 22. *Num.* 5. 12. *&c.*
(*p*) *Hebr.* 13. 4. 1 *Cor.* 6. 9. 10.
(*q*) *S. Ambr.* de Abrah. *l.* 1. *cap.* 4. (*al.* 25.)
(*r*) *S. Hier.* Ep. 91. (*al.* 11.) *S. Aug.* de bono conjug. *c.* 6. (*al.* 5.) *tom.* 6. *pag.* 323. Vide 1 *Cor.* 7. 4.
(*s*) *Ibid. v.* 3. (*t*) *Ibid. v.* 5.

lius denegandi legitima causa intervenerit. Prohibet Lex antiqua sub minis gravissimis; uxorem tangi à viro dum infirmitatibus laborat fœmineo sexui usitatis (*u*). Id quoque vehementer improbant Ecclesiæ Catholicæ Patres (*x*). Mulier igitur suum hunc statum viro aperire debet, eique simul, quid velit honestas, amicè exponere. Quòd si nihilominùs hic urgeat debitum poscens, illud reddere ipsa tenetur, propter incontinentiæ periculum in viro, & quia Matrimonii usus non tunc ejus fini præcisè repugnat. » Postquàm » verò uxorum venter intumuerit, » magis orationi quàm connubio » serviendum; quodque in animalibus & bestiis ipso jure naturæ » præscriptum est, ut prægnantes ad » partum usque non coeant, hoc in » hominibus sciant arbitrio derelic- » tum, ut merces esset ex abstinentia » voluptatum (*y*). » Quinimò non citra lethale peccatum vir debitum posceret, neque uxor redderet, si periculum esset fœtum jam utero conceptum suffocandi (*z*), aut lactenti infantulo nocendi, si sequeretur graviditas. Sunt aliæ causæ à reddendo debito excusantes: v. g. morbus gravis, periculum contagionis, adulterium, insania, ebrietas. Cùm scilicet adeò temulentus est conjux, ut in ipso penitùs defecerit usus rationis, non tenetur uxor debitum reddere poscenti, quia tunc humano modo non poscit. Quòd si tamen ex repulsa evidens existeret marito incontinentiæ periculum, deberet uxor illi obsequi, auditâ lege charitatis, quâ nulla sanctior est (*a*). Idem ferè de insano dicendum.

Ubi autem » matura ævi senec- » tus regendis liberis habilior vide- » tur, quàm creandis (*b*); » mutuò abstinere satius est atque honestius: non tamen id omninò præcipitur, ne ex eo quod sit perfectius, emergat incontinentiæ periculum. Si enim in senibus locum non habet præcipuus conjugis finis, qui est filiorum procreatio, suffragari eis potest alius ex indulgentia concessus, qui est oblatum concupiscentiæ remedium.

In quo tamen videant cujusvis ætatis conjuges ne sibi plus æquo blandiantur, neve remedium concupiscentiæ fiat illius incentivum. Neque enim sine delicto propter solam voluptatem exercetur » ille com- » plexus, qui propter solos gignen- » dos filios adhibendus est (*c*). » In hujusmodi opere, licito quidem, sed periculoso, teneatur modus rationis, pudoris & honestatis, quasi Deo præsente, cui *nox sicut dies illuminatur* (*d*), quique humana corpora, sua nimirùm templa, summa vult

(*u*) *Levit.* 15. 19. & 1. 19. & 20. 18. *Ezech.* 18. 6. & 22. 10.

(*x*) *S. Clem. Al.* Pædag. *l.* 2. *c.* 10. *S. Aug.* quæst. 64. in Levit. *S. Greg.* l. 12. Ep. 31. (*al. l.* 11. *Ep.* 64.) Resp. 10. *dist.* 5. *c.* 4. Const. Ap. *l.* 6. *c.* 27.

(*y*) *S. Hier.* l. 3. in Ep. ad Eph. *c.* 5. *v.* 24.

(*z*) *S. Aug.* de nupt. & concup. *l.* 1. *c.* 14. (*al.* 16.) Vide *c.* 4. 8. 9. (*al.* 5. 9. 10.)

(*a*) Sylvius, *suppl. quæst.* 69. *art.* 1.

(*b*) *S. Ambr.* l. 1. in Luc. 1. v. 24. c. 43.

(*c*) *S. Aug.* de consens. Evang. *l.* 2. *c.* 1. (*al.* 2.) (*d*) *Ps.* 138.

reverentiâ tractari. Et verò, quemadmodùm *Saræ* illius castissimæ *viros septem* olim *occidit Asmodæus*, ita nunc quoque innumeros conjuges perimit hoc immodicæ libidinis *dæmonium* (*e*). Quin etiam, docentibus Physiologis (1), constat nimio vel inordinato Matrimonii usu fœtum impediri, ne concipiatur; vel conceptum abigi, ne maturo partu edatur; vel fœtus enasci vitiatos, malè configuratos, deformes, quandoque monstrosos, filios denique (si supersint) valetudinarios, ad quælibet societatis munera ineptos, & parentûm *iniquitatem* infelici quadam existendi ratione *portantes* (*f*). Itaque suos habet fines libertas conjugalis; & castitas virum inter & uxorem faciliùs læditur quàm vulgò existimatur. Quinimò Patribus visum est minùs difficilè inventum iri qui continentiam perfectam servarent, quàm qui se intrà conjugalis castitatis limites coërcerent. Quidquid verò in usu Matrimonii, *sive voto malo, sive opere malo* (*g*), ad impediendum naturalem ejus finem committitur, scelus est, cujus in vindictam *à Domino percussus fuit Onam, eò quòd rem detestabilem faceret* (*h*). » Hæc libido cru» delis, volens prolem priùs in» terire quàm vivere, tum verò » immutatus naturalis usus in eum » qui est contra naturam, (infan» dæ abominationes sunt), quæ exe» crabiliter fiunt in meretrice, sed » execrabiliùs in uxore (*i*). » Castitatem igitur suæ conditionis propriam servent Christiani conjuges; neque existiment, quia conjuges sint, omnia sibi in seipsos licere; sed effrænatam compescant Ethnicæ intemperantiæ licentiam, & *corpora sua* quasi *membra Christi* mutuò venerentur (*k*).

(1) Les Naturalistes.

Quamvis autem superiùs delibata abominationum portenta vel nosse refugiat, earumque imagines longè repellat Sacerdotalis pudor, eas tamen in cordium abyssis cautè & modestè scrutari debent Confessarii, ut vulneribus diù forsitan celatis medeantur. In hoc præsertim genere immunditiæ *lepram à lepra* secernere eos oportet; scire quid inter conjuges licitum sit, quid illicitum; lethalia distinguere à venialibus; sicque prudenter se gerere, ne levia quædam amputare volentes, gravioribus occasionem præbeant. Quanquàm hæc interdùm severiùs redargui necesse est; quia ex iis quæ per se damnabilia non videntur, quædam tamen pudicitiæ ac pietati magis repugnant, eaque *medelâ fortiori* curanda sunt. Id etiam reminiscetur Sacerdos, aliqua inter conjuges occurrere, de quibus leniter & commiserante affectu Pœnitentes admonendi sunt. Itaque illos hortabitur ut temperantiùs agant, iisque resistant illecebris quæ divini amoris fervo-

(*e*) *Tob.* 3. 8.
(*f*) *Thren.* 3. 7.
(*g*) *S. Aug.* de nupt. & concup. *l.* 1. *c.* 15. (*al.* 17.)
(*h*) *Gen.* 38. 10.
(*i*) *S. Aug.* de nupt. & concup. *sup. Idem*, de bono conjug. *c.* 12. (*al.* 12.) *Rom.* 1. 26.
(*k*) 1 *Cor.* 6. 15.

rem valdè imminuunt, ac denique penitùs extinguunt, nisi quotidianâ pœnitentiâ culpæ deleantur. Minimè verò permittat Confessarius, nedùm suadeat aut jubeat, ut conjux conjugi debitum deneget, etiam non citra culpam venialem postulanti.

In detegendis porrò delictis quæ in usu Matrimonii committuntur, atque in Pœnitentibus circa illum erudiendis, eas prudentiæ leges quas suo loco tradidimus, sequantur Confessarii diligenter (*l*). Nec verò sine multa circumspectione disserat Pastor in sacro Suggestu de officiis conjugum & de peccatis inter ipsos frequentioribus. De usu Matrimonii quidquam publicè attingere, Christiani populi Doctorem vix patitur singularis castitas eloquiorum Domini (*m*), tum gravitas & pudor Sacerdotalis. Multa sunt quæ non decet ex Cathedra veritatis prodoceri, sed apud arcanum Pœnitentiæ Tribunal, datâ occasione, insusurrari. Cùm autem multæ conjuges, vel per inscitiam, vel per indebitum obsequium, graviter in corpus suum peccari sinant, & in ipsis quandoque inordinatum sancti Matrimonii usum inveniant Pœnitentiæ Ministri; optimum fortè esset ut puella nuptura, sive à matre, sive ab alia verecunda muliere in antecessum edoceretur quid admittat, quid excludat castitas conjugalis. Sic nempè multis sceleribus & sacrilegiis posset efficaciter obviari.

Jam verò, Apostoli consilium suggerente Pastore vel Confessario, vir & uxor nonnunquam à se invicem abstineant *ad tempus, ut vacent orationi* (*n*). Prisci Fideles, diebus cultui divino vel Pœnitentiæ consecratis, continenter vivebant. Quam disciplinam si nunc sequi velint conjuges Christiani, castitatem servent omnimodam Quadragesimæ tempore, in majorum Solemnitatum Vigiliis; sed nunquam nisi ex mutuo consensu. De castitate verò conjugum propter sacram Dominici Corporis Communionem, superiùs dictum est, ubi *de dispositionibus ad percipiendam Eucharistiam requisitis* (*o*).

PORRÒ, quoniam mulieris est prolem utero conceptam novem mensibus in utero portare, editam lactare, hominemque adhùc informem primâ educatione evolvere; plùrimis monitis opus habet, ut verendis hujusmodi, tum naturæ, tum Religionis officiis dignè sanctèque fungatur. Prægnans igitur fœmina, pretioso quod gerit oneri maximâ curâ invigilet; ne culpâ suâ fœtus sit abortivus aut debilis. Ipse maritus dulcem in hac parte uxori sollicitudinem exhibeat; nec patiatur naturæ opus eximium labore nimio, sive imprudenti fatigatione interturbari. Christiana mulier graviditatis incommoda, partûs dolores & consectaria, ut peccati pœnam, animo ferat pœnitenti. Natum infantulum, si possit, suis lactet uberibus: nec

(*l*) *Vide suprà*, de Sacram. Pœnit. *Div. V*, *cap.* 1.

(*m*) *Ps.* 11. (*n*) 1 *Cor.* 7. 5.

(*o*) De Sacram. Euch. *Div. III*, *cap.* 2.

pudeat

pudeat nutricem effici, quæ mater sit facta (*p*). Id quidem sanctarum mulierum, quas divina Scriptura commemorat, suadent exempla illustria: id vehementer commendant sancti Patres (*q*): id ex naturæ & Religionis voto faciendum, nec tam difficile factu esse demonstratum est Libris nuper editis (*r*): quos utique si, pro libellis in fidei morumque perniciem venustulis, paulisper legant fœminæ vel delicatissimæ, valetudinis excusatione non jam utentur; maternisque visceribus teneritatem suam recuperantibus, è medio tolletur prava illa, quæ, jamdudùm corruptis moribus, » consuetudo surrexit, ut » mulieres filios quos gignunt nu» trire contemnant, eosque aliis » mulieribus ad nutriendum tra» dant: quod videlicet ex sola » causa incontinentiæ videtur in» ventum (*s*). » Olim Patriarchæ Matrimonii usu abstinebant, non modò gravidis sive aliter infirmis conjugibus, verùm quanto tempore filios nutritio sinu fovebant, id est, biennii vel triennii spatio. Eorum verò uxores lactandi officium non facilè prætermittebant: nutrices loco matrum in Scriptura commemoratæ tres omninò inveniuntur (*t*). Nunc dives quæque fœmina, ne quid detrimenti capiat vana pulchritudo, maternitatem abdicat, statim atque, deposito pignore, mater facta est, sibique mercenariam substituit, quæ *nutricis & gerulæ fungatur officio* (*u*): quod & matri & soboli non rarò pessimè succedit. Mater quæ fuit, eadem si nutrix foret, ipsa quidem morbos acutissimos vitaret, nec proli, ut sæpè contingit, noceret scelesta mercenariæ intemperantia. Si qua tamen puerpera justis causis excusetur ne matrem se ultra partum exhibeat, & susceptum lactet infantem; non aliam eligat nutricem, quàm quæ sit Catholica, benè morata, indolis placidæ, æquabilis ac temperatæ, corporis etiam benè constituti.

Scilicet permagni interest ut ab ipsis incunabulis optima præparetur civium Christianorumque indoles. Deindè, sub morum custodiâ, præside vigilanti & sapienti educatione, postquàm ab infantili ac puerili ætate submota fuerint pericula, longè ab adolescentia removendæ sunt voluptates exitiales; undè po-

(*p*) *S. Chrys.* Hom. 1. in Ps. 50.

(*q*) *Idem* ibid. *S. Ambr.* de Abrah. *l.* 1. *c.* 7. *n.* 63. *S. Greg.* l. 12. Ep. 31.

(*r*) Avis aux femmes enceintes & en couche, *ou* Traité des moyens de prévenir & de guérir les maladies qui les affligent dans ces deux états: *Ouvrage traduit de l'Anglois*, vol. in-12. *Paris*, *Vincent*, *Rue des Mathurins*.

Le Traducteur de ce bon Ouvrage, dans la vue de remplir avec plus de fruit l'objet d'utilité qu'il s'est proposé en le publiant, y a joint un *Traité sur l'alaitement maternel*; & il le publie en formant des vœux ardens avec tous ceux qui s'intéressent vivement au bien de l'humanité, pour que les Meres, plus pénétrées de leurs obligations, alaitent leurs Enfans.

Nouvel avis aux Meres qui veulent nourrir leurs Enfans: *Paris*, *Lottin le jeune*, *Rue S. Jacques*. 1784.

(*s*) *S. Greg.* resp. 10. *dist.* 5. c. 4.

(*t*) *Gen.* 34. 59. 2 *Reg.* 4. 4. 4 *Reg.* 11. 2.

(*u*) *Ruth*, 4. 16.

steà cor mundum in corpore sano ad conjugium deferant, sicque è moribus existant Matrimonia fidelia, felicia & fœcunda. Et quidem beneficio morum augescunt vires in corpore, & vigor in mente: moribus acceptum refertur quidquid in societate honestum ac dulce est: quid plura? ex moribus facilè exoritur amor patriæ generosus, & Religionis virtutes heroïcæ.

Itaque fideles parentes *filios suos erudiant & curvent à pueritia, educantes illos in correptione Domini* (*x*). Disciplinæ severitatem patrio maternoque affectu temperent; dulcemque in omnes pariter curam & charitatem partiantur. Neque duntaxat morum documenta ingeminent, sed multò magis exemplorum auctoritate præluceant. Sic demùm Christiana juventus, repudiatâ hodiernæ institutionis corruptelâ, ad Patriæ utilitatem simul & Ecclesiæ in CHRISTO JESU ædificationem dirigetur. Sic in omnes familias inducetur benedictio & consolatio: sic in illis, instar pretiosæ cujusdam hæreditatis, propagabitur Dei cognitio, amor & cultus, Religio denique, & pietas quam ipsa præcipit, *ex qua* nimirùm *pendet* non solùm domestica felicitas, verùm etiam ipsa *Reipublicæ constitutio* (*y*).

Alia multa, ubi de quarto Decalogi præcepto differitur, de filiorum susceptione & Christianâ institutione exponi solent: quibus, juxta Catechismi Tridentini doctrinam, animum diligenter imbuant Pastores; ut in Concionibus & Catechismis qui frequente populo aguntur, quàm latè pateant suæ conditionis officia, tem propè in universum ignoratam vel neglectam, ab ipsis edoceantur conjuges. Neque ultimo in loco reponant *curam domesticorum* à conjugibus habendam (*z*); iisque tectas gubernandæ & instituendæ familiæ regulas solidè & luculenter explicent (*a*).

POSTREMO ex eo fine conjugii, qui est mutuæ charitatis & curæ subsidium, eruuntur conjugum in se invicem officia. *Vir caput est mulieris* (*b*): undè *mulieres viris suis subjectæ sint in omnibus* (*c*), nec rationi, nec Legi repugnantibus. Quæ potestatis & subjectionis virum inter & uxorem divinitùs ordinata dispositio sic temperetur, ut nulla sit neque ex parte viri dominatio, neque ex parte uxoris servitus; alioqui, nulla in Matrimonio esset æqualitas, nulla fiducia, nulla societas. Sic nempè Orientis populi, quos Pseudopropheta ferro subactos mollitiei mancipavit, captivarum mulierum greges infelicissimos, quasi servum pecus, abscondunt. Itaque uxor, non, ut ancilla, imperiosè; sed, ut *socia* (*d*), honorificè tractanda est. *Mulier* quidem, *si primatum habeat, contraria est viro suo* (*e*): ideòque hnic diligentissimè retinenda est *Capitis* auctoritas, sic tamen ut illæsa maneat prudens fiducia, justaque observantia.

(*x*) *Eccli.* 7. 25. *Eph.* 6. 4.
(*y*) Inter Epist. S. Cyrill. 17.
(*z*) 1 *Tim.* 5. 8.
(*a*) Acta Eccl. Mediol. *part.* 4.
(*b*) *Eph.* 5. 23. (*c*) Ibid. *v.* 24.
(*d*) *Gen.* 3. 12. (*e*) *Eccli.* 25. 30.

Præterea secundùm Deum sese diligant conjuges; nec sibi unquam in peccatis & cupiditatibus blandiantur, ultra modum obsequiosi; sic enim præcipit Apostolus: *Viri, diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam* (*f*). Quemadmodùm igitur offensionem incurrit vir » in uxorem superbus vel ar» rogans, sive asper, sive ferus mo» ribus, (ita vituperandus) amator » ardentior: nihil fœdius quàm uxo» rem amare quasi adulteram (*g*). » Justo ac temperato amore conjuncti vir & uxor, quomodò sibi vicissim placeant, solliciti sint, *supportantes invicem* æquabili tenore patientiæ, *quæ radix omnium custosque virtutum* (*h*), ac præsertim in conjugio pacis firmamentum est. Moneat Pastor conjugem Christianam, ut olim Saram parentes, *honorare soceros, diligere maritum, regere familiam, gubernare domum, & seipsam irreprehensibilem exhibere* (*i*), sub mariti arbitrio esse, eique in omnibus licitis obtemperare, vel difficili & moroso, quin etiam (quod absit) ebrioso, iracundo, nec facilè tractabili. Incredibile dictu est quid possit in virum, quantumlibet durum & abnormem, *mulier sensata & tacita* (*k*), mansuetudine, verecundiâ, ordinatâ pietate, domûsque & liberorum curâ commendabilis (*l*). Sic Beata Monica violentam iræque impotentem Patricium conjugem Deo lucrifacere meruit. Sic Beata Clotildis immiti Sicambro, Clodovæo conjugi, persuasit ut collum indomitum Christiano jugo submitteret.

Cum denique nihil sit hujus vitæ felicitas, nisi ad obtinendam melioris ævi beatitudinem conducat, *in provocationem charitatis & bonorum operum* junctos se existiment conjuges (*m*). Hoc nimirùm in sensu apud antiquos Fideles pervulgata erat connubii Christiani faustitas: » Quale jugum Fidelium duorum » unius spei, unius voti, unius dis» ciplinæ, ejusdem servitutis? Am» bo fratres, ambo conservi; nulla » spiritûs carnisve discretio; verè » duo in carne una. Simul orant, si» mul volutantur (1), & simul je» junia transigunt; alterutrò docen» tes, alterutrò hortantes, alterutrò » sustinentes: in Ecclesia Dei pari» ter utrique, pariter in convivio » Dei, pariter in angustiis, in per» secutionibus, in refrigeriis. Neu» ter alterum celat, neuter alterum » vitat, neuter alteri gravis est. Li» berè æger visitatur, indigens sus» tentatur: eleemosynæ sine tor» mento, sacrificia sine scrupulo, » quotidiana diligentia sine impedi» mento. Sonant inter duos Psal» mi & hymni, & mutuò provo» cant quis meliùs Deo suo cantet. » Talia Christus videns & audiens » gaudet: his pacem suam mittit. » Non licet aliter Fidelibus nubere; » non expedit (*n*). »

(1) *Id est*, prosternuntur.

(*f*) *Eph.* 5. 25.
(*g*) Const. Ap. *l.* 1. *cap.* 2. *S. Basil.* Hom. 7. *S. Hier.* cont. Jovin. *l.* 1. *c.* 30.
(*h*) *Eph.* 4. 2. *S. Greg.* Hom. 35. in Ev. 5. 4.
(*i*) *Tob.* 10. 12. 13.
(*k*) *Eccli.* 26. 18.
(*l*) *Tit.* 2. 5.
(*m*) *Hebr.* 10. 24.
(*n*) *Tert.* ad. ux. *l.* 2. *c.* 8.

CAPUT II.

Quam maturo consilio, quo animo, quanto personæ delectu incunda sit conjugalis vitæ ratio; & quâ præparatione suscipiendum Matrimonii Sacramentum.

Quantum sit conjugii benè vel malè suscepti momentum. Quatuor modi præcipui, quibus perperàm iniri potest conjugium. Matrimonia conciliet virtus, morum similitudo, &c. Ut conjugiis feliciter succedat, quænam sint priùs observanda. Quo animo, quo delectu suscipiendum sit Matrimonium, quænam dispositiones ad illud requirantur, diligenter edoceant Parochi. Prima omnium præparatio est ut Deus consulatur, & sua cuique vocatio dignoscatur. Ut obtineatur Matrimonii gratia sacramentalis, quid observandum sit ante & post solemnitatem Sponsalium. Adeundum Pœnitentiæ Tribunal. Nuptiis prævia Communio suadenda, non verò exigenda. Perversæ ad conjugium præparationes. Perfunctoriè confitentes; peccati consuetudine irretiti, sive aliàs Absolutione indigni: qui eo duntaxat animo accedunt, ut Confessionis Litteras testimoniales obtineant: qui scandalum intulerunt: inscii Religionis.

Tantus est in rectum societatis ordinem influxus conjugii, ut ex eo maximè sequatur hominum in cunctis vitæ conditionibus, vel probitas, vel corruptela; undè Matrimonio junctos præcipuam, morum publicorum esse causam jure ac meritò affirmari potest. Hi nempè, filiis genitis & multifariàm dispersis, Ecclesiam, Monasteria, Aulam, forum, castra, officinas, urbes, pagos, Regna denique & Imperia benè vel malè morata efficiunt, prout bonâ vel malâ institutione filios suos præformârunt; ita ut rerum humanarum status & ratio in illorum providentiâ tota quodammodò esse videantur. Et quidem tanta illa tamque luctuosa perturbatio quæ sæpiùs in Matrimoniis conspicitur, haud dubiè ex hoc fonte sumit originem. Vulgò perperàm conjugium ingreditur, qui perperàm institutus est: malè autem plerumque instituitur, cui parentes sunt conjugium malè ingressi. Hinc vitia perpetuo circulo in infinitum producuntur. Hinc *non est veritas, & non est misericordia, & non est scientia Dei in terra: ma-*

ledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundaverunt (a).

Plurimi autem sunt modi quibus malè iniri potest conjugium; inter quos isti præcipuum locum obtinent: 1°. Quòd multi hoc vitæ genus leviter ac temerè suscipiunt. 2°. Quòd in delectu personæ cui se adjungunt, pessimè se gerunt. 3°. Quòd Matrimonium perversâ corruptâque intentione eligunt. 4°. Quòd pravum qualemcumque ingressum comitantur circumstantiæ, quæ Dei Spiritum & benedictionem longè submovent: undè sequitur Sacramenti profanatio, ac terribilis quædam perturbationum, scelerum atque corruptelarum series.

Tantis malis occurri feliciter poterit, si, cohortantibus Pastoribus, Matrimonia non conciliet fortuna, vel præceps libido, sed Religio, sed virtus; si sacra vincula innectat, non tantùm par genus paresque tituli, sed multò accuratiùs morum similitudo, quæ sola veram illam conjugat amicitiam, sine qua in amaritudinem vertitur Matrimoniale contubernium; si sanctam illam societatem non copulet temeraria cupiditas, sed matura deliberatio, pluris faciens indolis bonitatem quàm censûs magnitudinem, minùs quærens terrestrium commodorum quàm mentium honestarum convenientiam. Sic Matrimonium inibant venerandi illi primævæ antiquitatis Christiani. Si quis aliter conjugium suscipit; cui Deus non benedicit, huic frustrà benedicunt homines: quod enim cupiditate jungitur, cupiditate citò perturbatur. Erumpit malè tecta animorum discrepantia: nec tot repudiorum offensio publica humanam in conjugiis ineundis perversitatem aut imprudentiam corrigit; nec minùs familiarum nomen quotidiè interit ac *scintilla extinguitur* eo ipso Sacramento (b), quo ipsæ fulciri & in mille generationes propagari debuissent.

» Oportet igitur felix Matrimo- » nium neque unquam divitiis, » neque pulchritudine censeri, sed » virtute (c): quæratur animæ pul- » chritudo & nobilitas: quæratur » à muliere lenitas, benevolentia, » modestia (d); » *gratia enim verecundiæ illius super aurum* (e): quæratur à viro studium Religionis, morum innocentia, tenor indolis cum recta ratione dulcem æquabilitatem conjunctam habentis. Observetur ætatis convenientia; ita ut nec vetulus juvenculam, nec juvenculus vetulam accipiat: prodigii enim cujusdam instar est, si malè coeuntibus ejusmodi Matrimoniis prosperè succedat. Multi scilicet non vetulæ se adjungunt, sed ejus fortunæ: multi beneficam ætatis provectæ uxorem non, ut debent, diligunt & venerantur; sed, per summam improbitatem, contemnunt ac derelinquunt. Denique pares pa-

(a) *Osée*, 4. 1. 2.
(b) 2 *Reg.* 14. 7.
(c) *S. Clem. Al.* Strom. *l.* 4.
(d) *S. Chrys.* Hom. 20. in Ep. ad Eph.
(e) *Eccl.* 7. 21.

ribus jungantur (*f*). Si enim fortunâ aut conditione plus justo inæquales sint conjuges, multùm detrimenti capiet conjugii pax & felicitas. Vir mulierem sibi socians locupletiorem, vel genere clariorem, morosum sæpiùs expetitur animum, superbæ fastidia, effusam impensam, rei familiaris eversionem.

Itaque plurimùm refert ut à Pastoribus frequenter, ac præsertim Dominicâ post Octavam Epiphaniæ, exponatur, quo animo & quo delectu conjugale institutum suscipere debeant Fideles. Iis tum publicè, tum privatim docentibus, nemo sensuum voluptatem aut inanem pompam in Matrimonio sectetur. Qui conjugium ineunt, hoc unum in votis habeant, ut, quos genuerint filios, in spem hæreditatis immortalis Christiano more instituant; undè propriam ipsimet sanctificationem ac cœlestem beatitudinem obtineant. Qui *voluptatum amatores magis quàm Dei* (*g*), vel *cor suum in avaritiam inclinantes* (*h*), nihil in conjugio præter sensuum blandimenta, seu fortunæ temporalis commoda sectantur, ii *Sacramentum in Ecclesia magnum* eâ quâ par est reverentiâ non suscipiunt (*i*), & *Spiritui gratiæ contumeliam* inferunt (*k*), rem sanctam explendis cupiditatibus terrenis famulam facientes. Atque hinc metuendi locus est, ne, propterea quòd vitæ genus totam dierum suorum longitudinem complectens, innumeris etiam periculis circumfusum tam perversâ voluntate susceperint, gratiæ subsidiis ad salutem animæ in illo consequendam necessariis meritò careant.

Necesse erit insupèr ut Fidelibus edisserant Pastores quâ præparatione ad Matrimonium accedi oporteat, ne hoc Sacramentum in statu peccati suscipiatur. Quod quidem argumentum eò diligentiùs tractabunt, quò ratior est hujus Sacramenti gratia, usus plerumque corruptior, abusio contagione latior, scandalisque atrocior.

PRIMA omnium præparatio est, ut Deus ab iis consulatur, qui de suscipiendo Matrimonio deliberant. Itaque, adhibito in consilium pio ac perito Confessario, diligenter coram Deo perpendant, num se illius instituti officiis adimplendis, molestiis & laboribus tolerandis pares agnoscant. Considerent *melius* quidem esse *nubere quàm uri* (*l*); sed multò meliùs concupiscentiæ incendia, implorato Dei auxilio, extinguere, quàm remedio bono malè uti, vitæ genus periculosum & gravissimis tentationibus obnoxium inconsultis viribus eligendo: si quis præsertim sit junior, quàm ut oneris quod suscipere meditatur, gravitatem sentiat. Parochi nihilominùs; cæterique animarum curam

(*f*) *S. Ambr.* de Abrah. *l.* 1. *cap.* 9. *S. Chrys.* Hom. 74. (*al.* 73.) in Matth. *Idem*, de Virg. *c.* 53. 54. 55. *Conc. Forojul. an.* 791. *cap.* 9. *Cod.* de incestis *nupt. Nov.* 1. 6. *c.* 6.

(*g*) 2 *Tim.* 3. 4.
(*h*) *Ps.* 118.
(*i*) *Eph.* 5. 32.
(*k*) *Hebr.* 10. 29.
(*l*) 1 *Cor.* 7. 9.

in arcano Tribunali gerentes, ne facilè inducantur ut vitam cœlibem etiam sine Voto, cuiquam suadeant, nisi castitatis dono prœditum eum esse longo experimento compererint. Paucissimorum utique est hæc tanta perfectio: plurimi ad conjugium vocari censentur, cùm videntur non aliter posse carnis tentationes vincere: atque idcircò, expositis conjugum officiis, impellendi sunt ad ea cum spe divini auxilii fortiter amplectenda.

Sedulò verò perpendendum est, conjugium non ad paucos dies vel annos, sed totam ad vitam suscipi; frequentius autem nihil esse quàm infelicia Matrimonia, quæ nempè ex insanis amoribus, ex ambitione, ex divitiarum aviditate conciliata fuerint: connubii voluptates, quas sibi nimias fingere solet imaginandi vis delusa, somniorum instar evanescere; ipsius autem onera & fastidia usque ad mortem permanere. Videant tamen Parochi & Confessarii diligenter, ne quem nisi gravissimis de causis & secundùm absolutissimæ prudentiæ leges à contrahendis nuptiis avertant. Consilium petentis cujusque menti lucem præferant, non malè præjudicatam opinionem injiciant: neque conjugii onera verbis exaggerent, sed potiùs eorum tolerationis sanctificandæ modum Fideles edoceant; hos denique, prout in cives simul & Christianos agi decet, rectissimis circa Matrimonium sensibus quàm studiosissimè imbuant.

Et ne quid in tanti momenti negotio desit religiosæ curæ & cautioni, *Dominum à quo datur uxor prudens, in qua confidat cor viri sui* (*m*), precibus, eleemosynis omnique opere bono sibi propitium facere studeat vir connubio jungendus. *Virum cum timore Domini suscipere consentiens* mulier (*n*), eum à Deo postulet maritum, cui, propter indolis bonitatem, subjecta esse, & *cujus annos in pace implere* gaudeat (*o*).

Jam verò, quia Matrimonium religiosè pièque susceptum annexam habet gratiam sacramentalem, cujus ope sanctitatem suæ conditionis propriam assequantur conjuges, omni ope atque operâ eniti debent qui despondendi sunt, ut ejusmodi gratiam, tum hujus vitæ felicitati, tum æternæ beatitudini adipiscendæ necessariam obtineant.

Ex quo igitur mutuam ineundi Matrimonii fidem obligaverint, ante ipsammet Sponsalium solemnitatem, preces ac bona opera studiosiùs ingeminent. Et quò certiùs Sacramenti gratiam vitæ innocentiâ promereantur, atque ad omnem tentationis vel malignæ suspicionis occasionem longissimè removendam, summopere decebit ut, juxta saluberrimum Tridentini Concilii admonitum, post nuptialem civilium pactionem, post ipsa Sponsalia in facie Ecclesiæ celebrata, omninòque » ante Benedictionem Sacerdota» lem in Templo suscipiendam,

(*m*) *Prov.* 19. 14. & 31. 11. Vide *Eccli.* 25. 32. & 26. 1. 3.

(*n*) *Tob.* 3. 18.
(*o*) 1 *Petr.* 3. 1. *Eccli.* 26. 2.

» in eadem domo non cohabitent » (*p*). » Si quandò in mutuum colloquium veniant, emineat in vultu verecundia, sermo sit pudore conditus. Et quidem satius erit ut, nisi coram parentibus vel propinquis, aut aliis gravibus personis, non colloquantur.

Paucis antè diebus vel pridiè quàm Matrimonii Benedictionem suscipiant, Pœnitentiæ Sacramento conscientiam diligenter emaculent (*q*). Matrimonium quippè gratiam sanctificantem requirit, ut sine sacrilegio & cum fructu suscipiatur. Hanc porrò adhibitam fuisse præparationem ut certò constet Parochis, neminem qui non sibi erit Pœnitens, Matrimonio jungant, quin priùs testimonium sibi exhibuerit fidem faciens ipsum ad sacramentalem Confessionem accessisse. Et cùm Pastores cæterique Confessarii non mediocriter anxii hæreant, ubi ad suum Tribunal, instante Nuptiarum celebratione, accedunt quidam Pœnitentes; Parochis, datâ opportunitate, monentibus, intelligant Fideles, quàm imprudenter eò usque differant confiteri, si peccati consuetudine vel occasione proximâ teneantur: quâ quidem incuriâ vulgò efficiunt ut dimittantur inabsoluti, vel, post Confessionem properatam verique doloris expertem, malè absoluti.

Si autem, ipso celebrationis die, Matrimonio conjugandos remordeat lethalis alicujus peccati, certi vel dubii conscientia, grave onus deponere festinent, ut necessariò postulat Sacramenti reverentia, & propriæ salutis cura.

Ne qua verò ex Nobis hac in parte facilitas desideretur, potestatem facimus omni Sacerdoti legitimè approbato, ut quicumque ad suum Tribunal propter Nuptias accesserit, eum (si modò aliàs ritè dispositus videatur) ab omni peccato & Censura Nobis quoquomodò reservatâ, semel eâ occasione, impositâ pœnitentiâ salutari, absolvat. Non tamen hoc ipso concessum intendimus, ut cum ullo Pœnitente dispensare valeat in quibuscumque Matrimonii Impedimentis, in Votis aut Juramentis.

Esset quidem vehementer optandum ut futuri conjuges ritè absoluti, sacræ Eucharistiæ participes ante Matrimonii susceptionem fierent (*r*). Sed ea Communio, ut plurimùm, suadenda potiùs est quàm exigenda. Olim Fideles mediâ ipsâ Matrimonii celebritate communicabant; quo nimirùm die Christo *concorporei & consangues* facti, non continenter vivere nefas duxissent (*s*). Nunc, quia plerumque Matrimonium eodem die celebratur & consummatur, ac prætereà illo die animus curâ multiplici distractus ad cœlestia sustolli facilè non potest, si quis Matrimonio jungendus Corporis Christi Com-

(*p*) *Conc. Trid. Seff.* 24. de Ref. Matrim. *cap.* 1.

(*q*) Ibid. & *Conc. Parif. an.* 1528. decr. morum 39.

(*r*) *Tert.* ad ux. *l.* 2. *c.* 9. *Timoth. Alex.* resp. 11. *Conc. Trid.* sup.

(*s*) *S. Cyr. Jer.* Catech. 22. Mystag. 4. *Conc. Carth. IV*, *an.* 398. can. 13.

munione

munione dignum se Confessario præbeat, satius erit ut pridiè aut vigiliæ pridiano die, collecto animo, divinæ Hostiæ communicet. Potiò decet ut jejuni ad suscipiendum Matrimonii Sacramentum accedant (t).

Qui verò, nedùm orationi piisque operibus ad illud se præparent, nihil in mente habent nisi vanitatem profanaque oblectamenta; quorum animus rerum secularium tumultu sic agitatur, ut Deum ne cogitent quidem; qui demùm Satanæ pompis, luxu, choreis, conviviis sumptu ambitiosis, verborum licentiâ impudentibus suas maculant nuptias, ii certè non Christiano, sed Ethnico potiùs more conjugium suscipiunt, seque supernâ benedictione indignos prorsùs exhibent (u).

Sunt qui, ut se ad Matrimonium disponant, sacrum Pœnitentiæ Tribunal nisi perfunctoriè non adeunt, strictimque ac negligenter confitentur. Caveat Confessarius, ac diligentissimè caveat, ne hujusmodi Pœnitentes justo faciliùs absolvat, eo prætextu, quòd instet urgens Matrimonii celebrandi necessitas. Eorum conscientiæ latebras quàm poterit profundissimè scrutetur: si autem iis longiore opus esse disquisitione intelligat, satisque supersit intervalli ut paratiores ante celebrandum Matrimonium redire possint; salutaribus monitis imbutos leniter dimittat: & cùm posteà fuerint accuratiùs confessi, aliàs ritè dispositos absolvat. Quòd si tempus non supersit nisi brevissimum, quo non possit eos per semetipsum, auxiliante gratiâ, sufficienter disponere; vel si, dato intervallo, nihil egerint ut conscientiam intricatam satis evolvant, sive aliter Absolutione indigni videantur; minimè absolvendi, sed ad Matrimonium differendum, propositis quæ dilationem exigent, rationibus gravissimis, inducendi erunt.

Alii satis quidem explicitè confitentur, sed peccati occasione vel consuetudine irretitos, aliove quolibet modo imparatos se Sacerdoti ostendunt. Iis quoque vehementer suadendum est ut Matrimonii celebrationem quacumque excogitatâ viâ suspendant. Quòd si rationibus ad obsequendum impellentibus nihil commori, se nullas trahere moras aut velle aut posse affirment; quidlibet obtendant, spiritualia temporalibus anteponet Sacerdos, eosque inabsolutos dimittet: Pœnitens enim, malè impertito Absolutionis beneficio, Matrimonii Sacramentum suscipiens, sacrilegium sacrilegio præmitteret. *Perditio ejus ex ipso tota* erit (x), si vivido zeli Sacerdotalis eloquio admonitus, infaustissima quæque in suum conjugium ultrò accersat, deficiente nimirùm Sacramenti gratiâ, quam in statu peccati remanens consequi non potest.

Hìc tamen obiter notandum est, quòd, si agatur de peccati consuetudine quæ per Matrimonium curari

(t) *Conc. Parif. sup.*
(u) *Vide S. Chrys.* Hom. 48. & 56. in Gen. & 12. in 1 Cor.
(x) *Osée*, 13. 9.

facilè posse judicetur, absolvendus videtur Pœnitens, dummodò nullus alius obex inveniatur. Hìc pariter in gratiam eorum qui insolita quædam veræ ac sinceræ conversionis indicia exhibebit, salva maneat exceptio.

Est aliud hominum genus, & omnium quidem pessimum, qui nempè sacrum Tribunal adeunt, non ut peccata confiteantur & cum Deo reconcilientur, sed eo tantùm animo ut exteriùs legi Confessionis Matrimonio præmittendæ satisfaciant, ejusque Litteras testimoniales obtineant. Postquàm verba lenitatis ac dulcissimæ charitatis incassùm effuderit Confessarius, ut fictos ejusmodi Pœnitentes ad religionis pietatisque sinceritatem revocet, in ipsos igneo zelo detonet, Dei omnipotentis, nec impunè irrideri se patientis (y), iram ostendens, iis videlicet imminentem, qui ad Sacra cum tanta animi perversitate accedere non verentur: nec sibi quemquam tristiùs ac flebiliùs nocere posse, quàm si fœdus & ad præsentem & ad futuram vitam longè omnium gravissimum inire cogitans, rem ab impietate & profanatione ordiri constituat. Si flexanimo sermone hypocritam hominem ad pœnitentiam emollierit felix Sacerdos; eum, pro tempore, summâ dirigat prudentiâ. Si obduratum atque irreligiosi propositi tenacem viderit; illi Absolutionem quidem denegabit, sed facere non poterit quin ipsi extra Pœnitentiæ Tribunal, ad quod palàm accesserit, postulanti, Confessionis Litteras testimoniales concedat.

Quod pertinet ad eos qui, ante Matrimonium, flagitiosâ consuetudine scandalum intulerunt, maximè verò si sint consanguinei aut affines, eos Parochus, cùm id prudenter fieri posse judicabit, hortabitur ut publicâ Pœnitentiâ publicæ offensioni satisfaciant. Quòd si dubius hæreat an hujusmodi Pœnitentiam exigere debeat & possit, rem totam ad Diœcesanum Pontificem deferet, cujus ex judicio suam componet agendi rationem. Semper autem, in foro conscientiæ, Parochus aut Confessarius quicumque alius, erga prædictos aliosve cujuslibet generis peccatores publicos, circa Pœnitentiæ impositionem eo modo se geret quem suo loco tradidimus (z).

Quod spectat imperitos rudesque utriuslibet sexûs Pœnitentes, qui Religionis quam profitentur, elementa, & instituti, quod jam amplexuri sunt, officia ignorant, eos Pastor id quod omninò scire debent, paternâ charitate priùs edoceat vel edoceri curet, quàm ipsos Matrimonio conjungat (a).

(y) *Gal.* 6. 7.

(z) *Sup.* de Sacram. Pœnit. *Div. VII*, *cap.* 1.

(a) *Conc. Mediol. V*, *an.* 1579. *part.* 3, *c.* 16.

DIVISIO III.

Erit hujus Divisionis argumentum, ut dicatur, 1°. De Matrimonii Impedimentis in genere: 2°. De Matrimonii Impedimentis Prohibentibus: 3°. De Matrimonii Impedimentis Dirimentibus: 4°. Quisnam sit proprius Parochus, in ordine benedicendi Matrimonii: 5°. De Matrimoniis filiorum-familiâs.

CAPUT PRIMUM.

De Matrimonii Impedimentis in genere.

Notiones generales populo tradendæ. Quàm diligenter cavendum ne quis Matrimonium ineat aliquo Impedimento ligatus. Impedimenta, alia Prohibentia, *alia* Dirimentia. *Potest Ecclesia; possunt & seculi Principes Impedimenta Matrimonium dirimentia constituere; sed diversâ ratione. Matrimonialia Instituta quanti sint momenti. Impedimentorum prospectus generalis.*

Tot tantaque incommoda, tot errores atque abusiones, tot improbæ fallaciæ, tot mentis perturbationes conscientiæque angores, tot denique infanda ex Matrimoniis inconsultè & non legitimè contractis passim eveniunt, ut permagni momenti sit ne quis Fidelium notionibus quibusdam generalibus careat, quarum subsidio puella maximè simplex atque incallida, mores suos, inducto conjugii prætextu, dolo perverti, seque in difficultates ferè inextricabiles miserrimam conjici nunquam patiatur. Ex illis notionibus ad imperitissimum quemque vulgatis hæc insupèr in societatem magna derivabitur utilitas, ne tot ubique occurrant familiæ probro affectæ, tot patres & matres filiabus corruptis omnique adeò spe connubii sæpè destitutis ingemiscentes.

Itaque rem Deo pergratam, po-

pulis autem suis plurimùm salutarem facturos se non dubitent Pastores, si, tum publicè, tum privatim doceant falsum esse aut fallax vulgare illud effatum, *Matrimonium fit consensu*. Ut enim ratum sit Matrimonium, haud sufficit duos se mutuâ Matrimonii fide obstringere; sed multæ prætereà requiruntur conditiones diligenter notandæ. 1°. Debet consensus liber esse; coacto siquidem consensu non fit Matrimonium. 2°. Debet consensus verbis non futuri, sed præsentis temporis exprimi: nimirùm necesse est ut eo consensu designetur mutua & præsens ab utraque Parte in virum & uxorem acceptio; etenim nuptias deinceps ineundi consensus, Matrimonii quidem sponsio est, non verò Matrimonium. 3°. Debet consensus vicissim dari & accipi coram Sacerdote Matrimonium benedicente, & quatuor testibus. 4°. Debet ille Sacerdos esse proprius Pastor, id est, Episcopus vel Parochus alterutrius saltem Contrahentium; vel Sacerdos à Parocho sive Episcopo ad hoc specialiter constitutus. 5°. Debent Contrahentes nullo Impedimento ligari, per quod, sive irritum, sive illicitum fiat Matrimonium.

» Cùm (igitur) vitia sæpè honesti similitudinem gerant, cavere » oportet ne Fideles (*a*), in primis » autem ne adolescentes & puel» læ, cui ætati inest maxima im» becillitas consilii, falso nuptiarum » nomine decepti, turpium amo» rum fœdera incautè ineant (*b*). » Undè frequenter doceant Parochi, ea neque vera neque rata habenda esse Matrimonia, quæ contra Ecclesiæ aut Imperii Leges conciliantur.

Sed quoniam ejusmodi sunt plura Impedimenta, ut non facilè à simplicibus dignosci queant, vel intelligi, priùs diligenter pro ipsis investigandum est, an non inter eos aliquod intercedat Impedimentum: nec sine gravi peccato ad ullius Matrimonii celebrationem procederet quisquam Parochus, nisi anteà Partium habilitatem ad contrahendum accuratè explorasset, ac dilucidè compertum habuisset eas omni Impedimento esse prorsùs immunes. Quin etiam in dubio Impedimenti, à Matrimonii celebratione abstinendum est (*c*): ac si vel levissima ipsius oriatur suspicio, Pastor, pro sua sapientia & religione, ab ipsorum Sponsalium celebratione supersedebit, donec, consulto Præsule Diœcesano, quid sibi agendum sit, acceperit (*d*).

Est autem Matrimonii Impedimentum *Obex illi præexistens, illudque irritum aut saltem illicitum ipso Jure efficiens*. Statim igitur ab initio alterutrum parit effectum, cùm Matrimonio prævium est. Quòd si verò jam legitimè contracto supervenerit, ipsum quidem non irri-

(*a*) *Cat. Trid.* de Matrim. Sacram. *n.* 3.
(*b*) *Ibid. n.* 34.
(*c*) *Inn. III*, *l.* 4. *tit.* 1. *c.* 27.
(*d*) *Stat. D. Odonis* de Sully, *Paris. Episc. c. an.* 1198. *Syn.* 1. *capitul.* de Matrim.

tum efficit, ipsius autem usum duntaxat illicitum reddit. Quanquam excipienda est Professio Religiosa, quæ Matrimonio rato, sed non consummato, ex alterutro conjuge superveniens, Matrimonium rescindit (*e*).

Itaque Impedimenta alia simpliciter *prohibentia* sunt, quæ nempè illicitum solummodò reddunt Matrimonium; alia verò *dirimentia*, quæ videlicet illud irritum efficiunt, non quidem eo sensu (prout modò observavimus) quòd jam validè legitimèque contractum dissolvant, sed quòd, ne validè contrahatur, impediant. Suum utraque effectum ipso Jure pariunt: quod cùm duplex sit generatim, naturale scilicet, & positivum, hinc duplicis generis distinguuntur Impedimenta: alia nimirùm Jure naturali, alia Jure positivo, nempè Divino, Ecclesiastico & Civili instituta.

Impedimenta dirimentia ad Jus naturale pertinentia, duplicis sunt generis. Alia quippè ad Jus naturale *primariò & immediatè* pertinent, eo sensu quòd Matrimonia iis comitantibus contracta, ex se, ipsâque naturæ lege, atque adeò antecedenter ad Leges quascumque positivas, vetita irritaque omninò sint, nec ullâ circumstantiarum adjunctâ diversitate aut superveniente mutatione, honesta seu rata ullomodò haberi possint, vel unquam potuerint. Talia sunt *Impotentia antecedens & absoluta; Amentia*, seu *furor; Error circa personam; Violentia propriè dicta*.

Alia verò Impedimenta *mediatè & secundariò* ad idem Jus naturale pertinent, eo nimirùm sensu, quòd Matrimonia iis obsistentibus contracta generatim aversetur, ab iisque refugiat natura, atque ut Legibus positivis prohibeantur vel irrita declarentur, exoptet, quinimò, raris quibusdam exceptis circumstantiis quibus aliquandò honesta fieri potuerunt, ex se prohibeat, irritaque efficiat. Talia Impedimenta sunt *Consanguinitas in primo Lineæ transversæ*, seu *collateralis gradu; Ligamen*, id est, vinculum conjugii rati, ad mortem usque alterutrius conjugis perseverans.

Impedimenta quædam in Lege Mosaïca Jure divino positivo constituta fuerunt, ut Consanguinitas *de primo Lineæ collateralis gradu ad secundum* (*f*). Id verò notandum est, quòd, licèt plura Impedimenta Jure divino positivo in Mosaïca Lege instituta fuerint, nullum tamen ex solo Jure divino in Lege Evangelica locum habet, Christianosque obligat; sed quæ divinitùs sancita existunt, omnia Jure simul naturali, vel Jure humano, sive Ecclesiastico, sive Civili, stabilita & confirmata sunt.

Alia denique Impedimenta solo Jure Ecclesiastico vel Civili constituta fuerunt, sive ea primitùs instituerit Ecclesia, sive à Principibus secularibus jam instituta approban-

(*e*) *Vide suprà, Div. I, cap. 5. & infrà, in hac tertia Div. cap. 3. art. iij.*

(*f*) *Levit.* 18. 12. 13. 14.

do, sua fecerit : cujusmodi sunt *Crimen, Ordo, Honestas*, &c.

PORRO Impedimenta tum prohibentia, tum dirimentia, potuisse ab Ecclesia constitui, sententia est apud Catholicos unanimis, atque ad fidem pertinens (*g*). Christus enim cùm vellet benè moratam sanctamque instituere societatem, Ecclesiæ suæ potestatem facere debuit eas Leges ferendi, quibus conjugii validè ac licitè ineundi conditiones decernerentur. Aliter constare optimum Reipublicæ Christianæ regimen, aliter disciplina morum piè ac religiosè componi haudquaquam potuisset. Nec verò ad Ecclesiam minùs quàm ad Principes temporales de rectissimo illo jungendi connubii modo providere attinet; siquidem, per Matrimonium, tam Ecclesiæ quàm Reipublicæ perennitati consulitur, & indè cœlesti æquè ac terrestri Patriæ cives acquiruntur.

Itaque potest Ecclesia, possunt & sæculi Principes Impedimenta Matrimonium dirimentia constituere; sed Ecclesia ratione Sacramenti spiritualiumque ejus effectuum, in quos nihil Jurisdictionis habet temporalis auctoritas; Principes autem ratione civilis Contractûs, & politicorum effectuum, in quos nulla est Ecclesiæ potestas (*h*). Jus illud Principum agnoscit Ecclesia : Jus Ecclesiæ ac dispensandi facultatem vicissim agnoscunt Principes, maximèque Reges Christianissimi; qui nempè cognitionem causarum ad illa Impedimenta atque ad Matrimonii celebrationem pertinentium, Ecclesiastico foro competere, suis Edictis decernunt (*i*).

Scilicet Matrimonium, seclusâ ratione Sacramenti, est Contractus, & Jure naturali, & Jure divino sacer. Non patiebatur quidem ordo publicæ rei, ut homines, brutorum instar animantium, fortuitò conjungerentur. Hinc, apud omnes omnium temporum societates rectè institutas, ea Legislatoribus habita fuit cura dignitatis humanæ, ut Matrimonii jura summo studio componerent. Et certè nulla neque Ecclesiæ Principibus, neque Christianis politicis cura dignior, quàm si vinculi conjugalis honestatem omni ope atque operâ illæsam tueantur; cùm in viri & mulieris conjunctione, familiarum omnium totiusque adeò Reipublicæ fundamentum & vitæ civilis origo, quin etiam Religionis perpetuitas & gloria cum spe omnis virtutis & sanctitatis posita esse intelligatur.

Ne igitur humanum genus confunderet promiscua libido, sanciendæ fuerunt Leges, quibus constitueretur quænam justæ nuptiæ, quinam proindè justi ac legitimi essent filii : arcendi fuerunt vagi concubitus, quorum licentiâ filii eduntur parentûm dedecore sordidi, miseriæ

(*g*) *Conc. Trid. Seff.* 24. can. 3. & 4.
(*h*) *S. Thom.* in 4. dist. 34. q. 1. a. 2.
(*i*) *Edit de Louis XIII, en* 1639, au préambule, & art. 3. *Vide Conc. Trid. sup. can.* 12.

addicti, patriæque onerosi; arcenda fuit Polygamia, bono conjugii usque adeò contraria; asserenda Contractûs libertas; tribuendus honor sanguinis propinquitati; obviandum seductioni furtivæque conjunctioni; assignandi prætereà fuerunt cæteri obices, quos ineundis conjugiis ponit natura, Religio, pudor, condecentia, aliaque paris momenti, quibus tanquam fundamentis nituntur omnia Matrimonii Impedimenta: postremò curandum fuit ut Ecclesiasticæ & Politicæ Leges ad asserendum Matrimonii decus mutuo sibi adjumento essent; ideòque constituendum, ut quos non legitimo connubio junctos renuntiaret Ecclesia, ii, nullo civilis Juris effectu aut Legis beneficio juvarentur (*k*) Quæ quidem omnia feliciter, ad optimam Ecclesiæ & societatis constitutionem, sancita vigere conspicimus.

(*k*) *S. Basil.* lib. de vera virgin.

CAPUT II.

De Matrimonii Impedimentis Prohibentibus.

QUATUOR Impedimenta Prohibentia quæ nunc supersunt, versu technico designata: quæ sigillatim explicantur. Quisnam dispenset in Impedimentis Prohibentibus. Quid hæc circa redditionem conjugalis debiti operentur in iis qui, parvi ducto eorum nexu, Matrimonium contraxerunt.

OMNIA Impedimenta Prohibentia, Ecclesiæ aut Principum temporalium auctoritate constituta fuerunt, uno fortassis excepto, quod est ex Voto simplici. Jure Canonico veteri duodecim recensebantur, ex quibus quatuor solummodò nunc vigent, hoc versu exprimi solita:

Ecclesiæ vetitum, Tempus, Sponsalia, Votum.

I°. Per *Ecclesiæ vetitum* intelligitur 1°. Inhibitio, quâ Episcopus, vel Judex Ecclesiasticus Matrimonii celebrationem, lite pendente, ex causa suspendit ad tempus. Scilicet Ecclesia, æqui & recti custos integerrima, communisque omnium Fidelium Mater, provides quam diligentissimè ut in Matrimoniis vitetur scandalum aut grave cujuslibet generis incommodum; ut tollantur alicujus Impedimenti suspiciones; ne demum alicui tertio quidquam inferatur detrimenti. His de causis, aut similibus, servato

Juris ordine, vetant Episcopi, vel ipsorum Officiales, ne ad celebrandas nuptias procedatur; easque, donec aliud constitutum fuerit, illicitas efficiunt (*a*). 2°. Status Hæresis publicæ ac denuntiatæ in uno Contrahentium: & verò Sacerdos qui sciens (aliâ tamen quàm Confessionis viâ) Hæreticum vel Hæreticam Matrimonio jungeret, Suspensionem *ipso facto* incurreret. 3°. Status Excommunicationis atque Interdicti; Excommunicatio quippè, etiam minor, à suscipiendo quolibet Sacramento intercludit. Est quidem dubio locus an idem efficiat Interdictum; sed vel ipsa dubii ratio ad Superiorem recurrere compellit. 4°. Defectus *Bannorum*, seu trinæ denuntiationis publicæ Matrimonio præmittendæ, nisi legitima Dispensatio impetrata fuerit. 5°. Defectus Sponsalium, in locis ubi moris est (quemadmodùm in hac Diœcesi) ut Matrimonio *per verba de præsenti*, solemnia in facie Ecclesiæ præmittantur Sponsalia *per verba de futuro*.

II°. *Tempus*. Quondàm omni die Jejunii aut Festivitatis interdicta erat Matrimonii celebratio, eò quòd nempè illis diebus plerique Fideles usu conjugii abstinerent (*b*). Nunc Temporis Impedimento nuptias celebrare non est illicitum, nisi à Dominica prima Adventûs usque ad Festum Epiphaniæ Domini, & à Feria quarta Cinerum usque ad Octavam Paschæ, utrobique inclusivè (*c*). Quâ Lege intendit pia mater Ecclesia, ne quid perturbationis filios suos ab oratione avertat & pœnitentiâ, quibus vacare instantiùs debent, cùm recurrit dierum ac temporum quorumdam Solemnitas. Nihil autem magis huic fini repugnat, quàm nuptiæ, » quarum novitas ad voluptatum curam » animos occupat, illosque vanâ » lætitiâ dissolvit (*d*). » Et quidem Apostolus ipsos conjuges hortatur ad servandam illis diebus ex mutuo consensu castitatem (*e*), præeunte ipsiusmet propheticæ vocis oraculo, jejunium sanctamque tristitiam sic prædicantis: *Egrediatur sponsus de cubili suo, & sponsa de thalamo suo* (*f*). Eam ob causam, præfati utriusque Temporis intervallo prohibita est Matrimonii benedicendi celebritas, sine licentia speciali à Diœcesano Præsule, seu ipsius Vicario-generali concessâ. Sed utroque illo Tempore, neque Matrimonii denuntiationes fieri, neque Sponsalia celebrari, ullo Canone ullove Constituto prohibetur.

Quibuscum verò à Nobis, propter legitimas gravesque causas, super *Temporis* Impedimento dispensatum fuerit, ii, monente Pastore, intelligant, Dispensationem illam

(*a*) *Alex. III*, l. 4. tit. 16.
(*b*) *Conc. Laod. c. an.* 368. can. 52. *Aquisgr. II*, *an.* 836. c. 3. can 18.
(*c*) *Trid. Sess.* 24. de Ref. Matrim. *cap.* 10. *Stat. Syn. D. Steph.* Poncher, *Paris. Episc. ante an.* 1519, de Sacram. Matrim. Et *D. Eust.* du Bellay, *n.* 32, *eod. tit. in Synodico*.
(*d*) *S. Thom.* in 4. dist. 32. q. unic.
(*e*) 1 *Cor.* 7. 5.
(*f*) *Joel*, 2. 15. 16.

eâ

eâ duntaxat lege concedi, ut ludos, choreas, tripudia, comessationes, inanem pompam, aliaque id genus profana sibi penitùs interdicant Impetrantes; quæ cùm longè Christianorum Matrimoniis omni tempore abesse debent, tum maximè dedecent illorum Temporum sanctitatem: neque enim ullus, propter Ecclesiæ indulgentiam, ab ejus Disciplinâ ex toto recedere, aut Christiani instituti modestiam ac temperantiam debet ullomodò infringere.

III°. *Sponsalia*: id est, futuri Matrimonii promissio legitima, inter personas ad contrahendum habiles vicissim data & accepta. Debet enim fides solemniter obligata servari, nec sine gravi delicto potest à quoquam violari. Qui ergò per Sponsalia valida sese Matrimonii contrahendi promissione cum aliqua persona obstrinxit, hic cum altera illicitè contrahit; nisi Sponsalia, sive ex mutuo consensu, sive aliàs legitimè dissoluta fuerint. Quibus autem in casibus ea dissolvantur, dicetur infrà, ubi *De Sponsalibus*.

IV°. *Votum* simplex, vel servandæ continentiæ, vel nunquam ineundi Matrimonii, vel ingrediendæ Religionis, vel suscipiendi Ordinis sacri. Vota scilicet castitatis privatim emissa, aut publicè & cum solemnitate in *Tertio* (ut loquuntur) *Ordine*, vel in Communitate Seculari nuncupata, & quæ *simplicia* tantùm habentur, Matrimonium impediunt contrahendum, etsi non dirimunt contractum (*g*). Qui ergò post unum è prædictis quatuor Votis simplicibus Matrimonio jungeretur, graviter in Religionem peccaret, obligatam Deo fidem pro nihilo ducens.

NUNC breviter explicandum est, quisnam sit cui competat in hujusmodi Impedimentis simpliciter Prohibentibus dispensare; & quid hæc circa redditionem conjugalis debiti operentur in iis qui, parvidicto eorum nexu, Matrimonium contraxerunt.

Quoad *Ecclesiæ vetitum* ex inhibitione Ordinarii, seu Officialis, uterque potest in hoc Impedimento dispensare, suam tollens inhibitionem; nisi hæc à Metropolitano ipsiusve Officiali in casu appellationis confirmata fuerit; vel nisi causa quæ inhibitioni locum dederit, adhùc integra subsistat.

Si *vetitum* oriatur è statu Hæresis, tollitur Impedimentum per abjurationem inter manus Episcopi, aut Sacerdotis, prævio illius concessu, peractam. Si autem agatur de Matrimonio contrahendo, subsistente unius Partis Hæresi; Sedi Apostolicæ reservatur Dispensatio: quæ locum non habet, ut plurimùm, nisi erga summos Principes, & quidem propter causas gravissimas ad Religionis Catholicæ utilitatem pertinentes.

Si *vetitum* proveniat è statu Excommunicationis quæ non sit Pontifici maximo reservata, in eo dispensat Ordinarius, Excommunica-

(*g*) *Cœlest. III*, *cap. 6.* Qui Clerici.

tionem tollens : sed nemo ab ea Censura sic absolvi potest, ut Sacramenta licitè suscipiat, nisi priùs condignam ad Superioris arbitrium pœnitentiam egerit. Idem dicendum est de Interdicto personali.

In Bannorum promulgatione, ob causas legitimas, quemadmodùm fusiùs suo loco dicetur (*h*), dispensant Episcopi. Ut Sponsalia omittere liceat, nulli unquam Dispensationi locus est : id unum postulatur, & propter causas gravissimas aliquandò impetratur, ut ea non pridiè (ut moris est), sed immediatè ante Matrimonii Benedictionem celebrentur.

In Impedimento *Temporis*, si causæ afferantur legitimæ, dispensat etiam Præsul Diœcesanus.

Ubi agitur de *Sponsalibus* validis & legitimis, neque Episcopus, neque ipse Romanus Pontifex dispensare potest *in forma gratiosa*. Legitima enim Sponsalia promissionem continent, quæ non sine tertii alicujus detrimento violaretur : quod quidem nemo potest licitum facere. Sponsalia igitur dissolvi nequeunt nisi ex mutuo Partium consensu, vel per Judicis Ecclesiastici Sententiam, vel propter causas suo loco inferiùs explicandas (*i*).

Quod pertinet ad Impedimentum *Voti simplicis*, non dispensat Episcopus in Votis castitatis perpetuæ, aut Religionis; hæc enim Pontifici maximo reservantur (*k*), non tamen Votum cælibatûs, seu conjugii nunquam ineundi, vel sacros Ordines suscipiendi, nisi præcipua intentio fuerit perpetuam vovendi castitatem : solum enim Votum perpetuæ castitatis *formaliter*, summi Pontificis Dispensationem exigit; non autem Votum castitatis ad tempus, in quo dispensat Diœcesanus Antistes, quemadmodùm in Voto conjugii nunquam ineundi, vel sacros Ordines suscipiendi.

Potest tamen Episcopus in Voto castitatis alioqui Sedi Apostolicæ reservato dispensare, si gravis atque urgens causa suboriatur; si, v. g. timeatur ne juvenis qui puellam Voto castitatis obstrictam sub spe Matrimonii vitiavit, ab ea, ut nunc annuit, uxore ducendâ facilè avertatur, nisi Matrimonium, nullâ interpositâ morâ, celebretur. Alioquin, & Ecclesiæ bono, & animarum saluti exitiosa esset Reservatio. Idem est, si grave immineat incontinentiæ aut scandali periculum.

In iis porrò qui Impedimentis Prohibentibus ligati, Matrimonio nihilominùs junguntur, præter illud grave peccatum cujus indè reatum incurrunt, aliquandò illicita est Matrimonii consummatio, usufve subsequens.

1°. Si Impedimentum sit *ex Tempore* vel *è Sponsalibus*; quamvis illicito Matrimonio junctus, non peccat qui debitum conjugale reddit vel postulat : quanquàm religiosiùs ageret, si Matrimonium non consummaret vel nisi post condignam

(*h*) *Div. V*, *cap.* 2.
(*i*) *Div. VI*, *cap.* 1.
(*k*) *Duperray*, tract. de Disp. *cap.* 52. *n.* 3.

pœnitentiam, vel nisi postquàm desponsatæ personæ quam læserit, & Ecclesiæ cujus prohibitionem violaverit, satisfecisset.

II°. Si Impedimentum sit *ex Voto simplici;* qui sic fuit Matrimonio junctus, totiès peccat, quotiès debitum conjugale poscit, aut etiam cùm illud primò reddit. Qui enim directè vel indirectè castitatem vovit, is Votum quidem infringit, quotiès aliquid exigit castitati contrarium, non autem cùm id reddit quod debet: Votum utique alieno juri nocere non potest. Excipiendus tamen est casus debiti primò reddendi: quia penès illum hactenùs est, vel omninò non reddere, cùm possit, rebus adhùc integris, Religionem ingredi, & sic Votum castitatis adimplere; vel potiùs id præstare per quod Matrimonio licitè utatur, nimirùm Dispensationem super Voto postulare & obtinere.

Jam verò quod circa postulandum vel teddendum conjugale debitum operantur supradicta Impedimenta, id omne tollitur per summi Pontificis vel Diœcesani Præsulis Dispensationem; cujus in postulatione exprimendum est, an consummatum fuerit Matrimonium; sic enim Superior, cognitâ causâ, pœnitentiam æquiùs imponit.

Postremò, qui Excommunicatione vel Interdicto personali irretitus Matrimonium contraxit, is quamprimùm Censuræ Absolutionem postulare & obtinere debet verè pœnitens; sed intereà conjugale debitum licitè poscit ac reddit.



CAPUT III.

DE Matrimònii Impedimentis Dirimentibus.

QUINDECIM Impedimenta Dirimentia; sex mnemonicis versibus collecta: deindè unumquodque, præfixo titulo, explicatum. Impedimentorum varius effectus, prout Matrimonium antecedunt vel sequuntur. Impedimentum dirimens ex defectu ætatis.

QUINDECIM vulgò numerantur Impedimenta Dirimentia (*a*), quæ summatim hisce technicis versibus indicantur:

Error, conditio, votum, cognatio crimen,
Cultûs disparitas, vis, Ordo, ligamen, honestas,
Amens, affinis, si consummare nequibis;
Si mulier sit rapta, loco nec reddita tuto;
Si Parochi & duplicis desit præsentia testis:
Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.

Ex his Impedimentis, tredecim prima sunt Juris antiqui: duo postrema, *Raptum* & *Clandestinitatem*, Jure novo induxit Concilium Tridentinum (*b*). Quæ duo cùm ad servandam familiarum honestatem ac tuendum ipsiusmet Sacramenti decus plurimùm faciant, idcircò in his, quemadmodùm in cæteris, auctoritate suâ firmandis Juri Ecclesiastico mirum in modum consonat Jurisprudentia Gallicana.

Itaque de prædictis quindecim Matrimonii Impedimentis dirimentibus satis copiosè, & quàm fieri poterit enucleatissimè, distinctis totidem Articulis differemus. Licèt verò tam evoluta hìc invenienda sit præsens materia, quàm exigit & patitur nostri instituti ratio; cùm tamen illa æquè ingentis momenti sit ac difficultatis, quod de ipsa fusiùs tradidère Auctores probatissimi, si necesse fuerit, consulant Parochi, Vicarii, cæterique Sacerdotes.

(*a*) *De his vide Stat. D. Odonis* de Sully, *Paris. Episc. c. an.* 1[illegible]8, *Syn.* 1. Capitul. circa Matrim. *D. Stephani* Poncher, *ante an.* 1519, de Sacram. Matrim. *& D. Eust.* du Bellay, *an.* 1557, de Matrim. *n.* 32, *in Synodico.*

(*b*) *Sess.* 24. de Ref. Matrim. *cap.* 1. & 6.

ARTICULUS I.

ERROR.

ERROR personæ irritum efficit Matrimonium : non autem error nominis, fortunæ, qualitatum ; nisi error qualitatum sit antecedens, & Contractui locum dederit. Duplex modus quo se habere potest hujusmodi error dissensum absolutum pariens. Duo hìc observanda. Impedimentum ex errore personæ nullâ Dispensatione tolli potest.

IMPRIMIS *error personæ* (si quis v. g. Corneliam duxerit, Claudiam putans) irritum efficit Matrimonium (*a*) : tum quia *objecti* ad ejus substantiam pertinentis, scilicet personæ certitudinem ac determinationem, adeòque & consensum perimit, quippè qui vel nullus est, vel certè non liber, cùm diversa est persona ; tum quia efficit ut qui errat, id reipsâ nolit quod velle videatur. Hujusmodi autem error non solùm Jure naturali, verùm etiam Canonico & Civili hunc parit effectum, sive invincibilis sit, sive vincibilis, sive antecedens, sive concomitans.

Planè verò aliud sentiendum est de *errore nominis* (*b*), *fortunæ, virtutis, aut alterius cujuslibet qualitatis*. Si quis, exempli causâ, uxorem ducere se existimet divitem, nobilem, vegetam, virginem ; quæ posteà inveniatur pauper, ignobilis, morbosa, corrupta. Licèt enim is qui inter contrahendum sic erravit, ita fuerit affectus ut contrahere noluisset, si non errasset ; reipsâ tamen contrahere voluit, quamvis erraverit : quia nempè error qui circa qualitates *accidentales* versatur, non impedit consensum in ipsam personam, quæ Contractûs *objectum* substantiale est. Excipiendum tamen, si qualitates ejusmodi, quamvis alioqui *accidentales*, Contractui intrinsecæ omninò sint ; ideòque error qui circa illas versetur, non concomitans, non in Contractum incidens, sed verè sit antecedens, seu Contractui causam dederit, sicque dissensum pariat hac vel simili verborum formâ exprimendum, *Contrahere nolo, si erro ;* cùm, vice versâ, dissensus ex errore concomitanter natus, sic exprimi ac declarari debeat, *Nollem* vel *noluissem contrahere, si non errassem :* quæ duo penitùs diversa sunt. Prius enim dissensum exhibet absolutum, efficacem, verique consensûs ex toto eversivum ; posterius

(*a*) *Causa* 29, *q.* 1. *S. Thom. dist.* 30. *q.* 1. *a.* 1. *ad* 4. & *a.* 2. *Inn. III, l.* 4. *Decret. tit.* 1. 26. (*b*) *Lc.* 9. *ff.* De contrah. nupt.

verò, merè conditionalem atque inefficacem, & consensui connubiali si minùs amicum, saltem non ita adversum ut simul constare nequeat.

Jam verò ille error antecedens, qui, ut modò diximus, absolutum parit dissensum, duobus præsertim modis se habere potest. 1°. Scilicet, cùm animus Contrahentis non aliâ ratione fertur in personam, quàm sub iis distinctè apprehensam qualitatibus circa quas erratur; qualitatibus utique tam ejus propriis ac singularibus, ut eam determinent, atque ab eâ quâcum ex errore contrahitur, & ab alia qualibet distinguant. Si v. g. cum supremæ Curiæ Principis, aut certi cujusdam Optimatis filiâ primogenitâ, aut unicâ hærede, non autem cum alia Matrimonium contrahere volenti, alia tamen sistatur præsens, quæ Magistratûs illius vel Optimatis filiam primogenitam se esse declaret, ideòque præcisè cum ipsa contrahatur, quòd talis esse existimetur, licèt reverà talis non sit; perspicuum est Contrahentis illius animum in personam haud ferri, nisi quatenùs distinctè apprehensam sub qualitatibus memoratis, ipsam determinantibus & à quacumque aliâ distinguentibus. His igitur deficientibus, non circa qualitates tantùm errat ille Contrahens, sed & circa personam iis singulariter & expressè designatam; tuncque adeò error qualitatis errorem personæ involvit, vel potiùs in eum omninò transit: qui quidem error, ex dictis, irritum facit Matrimonium. Secundus modus est, cùm quis sive explicitè, sive implicitè, consensum in personam à qualitate aut fortunâ, tanquam à conditione necessaria, pendere vult; undè cum ea contrahere nolit, si tali fortunâ aut qualitate careat; quæ proindè si deficiat, circa qualitatem aut fortunam errat Contrahens: efficitque error ille, ut conditione quæ existere putatur, sed reverà non existit, suspensus maneat ejus consensus, ideòque nullus planè sit, irritumque indè existat Matrimonium.

Ex his quæ modò exposita sunt, id facilè intelligitur, per errorem qualitatis aut fortunæ alterutrâ illâ ratione antecedentem, saltem si feriò exteriùs declaretur conditio, matrimonialem consensum adeòque & Matrimonium perimi. Hinc, si paterentur Ecclesiæ aut Principum Leges hanc emitti declarationem, *Volo consensum meum in talem personam pendere à qualitatibus, tanquam à conditione necessaria*, dubitandum non videtur quin, deficiente qualitate circa quam erratur, irritum ab utraque Potestate pronunriandum esset Matrimonium. Verùm, specialibus & rarissimis quibusdam casibus exceptis, non patiuntur Ecclesiæ aut Principum Leges talem emitti declarationem; quæ quidem si apud nos ab alterutro Contrahentium emissa fuisset, non admittentur ad contrahendum, sed ab omni Contractu abstineretur.

Cæterùm duo hìc observanda sunt, quorum alterum ad *errorem personæ*, alterum verò ad *errorem qualitatum* pertinet. 1°. Si quis ita sit animo affectus, ut contrahere velit cum persona præsente, quæ-

cumque illa ſit, quamvis aliam eſſe ex errore putet, error hujuſmodi irritum non efficit Matrimonium; quia ſcilicet non impedit conſenſum in perſonam. 2°. Qui perſonam jam anteà ex vultu notam, nullâ qualitatum factâ diſquiſitione, ducere voluit, ſi erret, nobilem vel primogenitam eſſe exiſtimans, validè tamen cum ipſa contrahit, licèt contrahere noluiſſet, ſi perſona illis prædita non fuiſſet qualitatibus; quia nempè tunc non errat circa perſonam, ſed tantùm circa perſonæ accidentia, à quibus reverà ſuum pendere non voluit conſenſum.

PORRÒ Impedimentum *erroris circa perſonam* nullâ Diſpenſatione tolli poteſt; nulla enim unquam auctoritas ratum & firmum id efficiet, quod irritum & caducum renuntiat Jus naturale, qualis eſt omnis Contractus in quo circa ipſam rei ſubſtantiam erratur. Tunc requiritur novus conſenſus; & is quidem coram Parocho & Teſtibus renovari debet, ſi error in foro externo poſſit aliquandò probari; ſecùs verò, adigendus eſt à Confeſſario Pœnitens (exceptis quibuſdam circumſtantiis inſolitis) ad conſenſum, nullo teſte, conjugi renovandum.

ARTICULUS II.

CONDITIO.

SERVI propriè dicti : ſervi pœnæ. Obſervatio.

CONDITIONIS nomine hìc intelligitur ſtatus ſervitutis. Servi autem ſunt vel propriè dicti, vel *ſervi pœnæ*.

PRIORIS generis ſervi illi ſunt in quos herus plenum habet dominium; adeò ut ipſos, tanquam rem ſuam, commutare poſſit, dono dare, locare, aut etiam vendere. Apud Hæbræos, ſervi, ex dominorum conſenſu, uxores ducebant; ipſorum autem filii, tanquàm vernæ, dominis nova poſſeſſio accedebant (*a*). Jure Civili & antiquo Eccleſiaſtico, Matrimonia ſervorum, invitis heris, irrita & nulla erant (*b*): Jure novo Eccleſiaſtico valida ſunt (*c*). Attamen irritum eſſet Matrimonium ingenui cum ſerva, vel ingenuæ cum ſervo, ſi, tempore Contractûs, Pars libera ſervitutem

(*a*) *Exod.* 21. 3. *Deut.* 21. 10.

(*b*) *Tert.* ad ux. *l.* 2. *c.* 8. Conſt. Ap. *l.* 8. *c.* 32. *Conc. Aurel. IV*, *an.* 541. can. 24.

(*c*) Nec inter ſervos Matrimonia debent ullatenùs prohiberi; &, ſi contradicentibus dominis & invitis contracta fuerint, nullâ ratione ſunt propter hoc diſſolvenda. *Decretal. lib.* 4. *tit.* 9. *c.* 1.

Vide Conc. Cabil. II, *an.* 813. *v.* 815. can. 30.

alterius ignorasset (*d*). Contrà verò, unius Partis servitus alteri cognita, Matrimonium non dirimit: cùm enim is qui liber est, alterius novit servitutem, & nihilominùs Matrimonium contrahit, tunc jure suo cedere censetur; & volenti nulla fit injuria (*e*). Ac multò magis ratum validumque conjugium esse omninò censetur, tum ubi Pars libera servam esse alteram putat; quæ tamen sit libera; quia nempè, in hujusmodi casu, Matrimonium, nedùm in errantis detrimentum, imò potiùs in ejus commodum vergit: tum ubi serva est Pars utraque, & alteram altera liberam esse existimat; tunc enim erranti nulla fit injuria, cùm adsit mutua compensatio. Itaque non propriè Conditio servilis, sed error illius Conditionis fœderi nuptiarum impedimento est.

Porrò, ut convalescat Matrimonium ex hujusmodi errore contractum, opus est novo Partis deceptæ consensu; qui scilicet coram Parocho & testibus exhiberi debet, quotiès error conditionis in Judicio probari potest (*f*).

Quoniam autem in hocce Regno Christianissimo locum non habet servitus, ipsique servi ex aliis regionibus in Gallias advecti, statim liberi fiunt; apud nos similiter locum non habet hujusmodi Impedimentum. Sed notandum est servos Nigritas (1) qui in Gallias adducuntur vel mittuntur, valida quoad effectus civiles, etiam heris consentientibus, ibi conjugia inire non posse (*g*).

(1) Nègres.

SERVI pœnæ ii sunt, qui ad triremes, ad exilium, ad mortem quam fugâ declinaverunt, Judicis Sententiâ damnati fuêre. Qui exilio vel triremibus in perpetuum mulctati, vel morte damnati sunt, quoad Sacramentum valent eorum Matrimonia; nullâ enim Lege irrita declarantur: quinimò talia conjugia non semel confirmavit supremus Senatus Parisiensis (*h*). Prædicta verò Matrimonia non valent qouad effectus civiles; qui enim ea contraxisse supponuntur, ii civiliter mortui sunt. Quia tamen *deceptis Jura subveniunt*, si conjux talem mariti conditionem se ignorasse validis argumentis probaret, ipsa quidem posset conventiones matrimoniales, v. g. dotem, dotalitium (2), & Communitatis jura sibi vindicare & percipere. Porrò si quis ad tempus exilio vel triremibus addictus fuisset, ejus

(2) Douaire.

(*d*) *S. Greg.* l. *6.* (*al. 7.*) Ep. 1. *C.* 29. q. 2. *c.* 6. *Urb. III*, *c.* 3. *Inn. III*, *l.* 4. *Decretal. tit.* 9. de conjug. serv. *cap.* 4. *Conc. Vermer.* can. *6.*

(*e*) *Ibid. can.* 13. *C.* 29. q. 2. c. 3. & q. integr.

(*f*) *Conc. Trid.*

(*g*) Déclar. *du* 15 *Déc.* 1738, dérogeant à l'Art. VII de l'Edit d'Oct. 1716.

(*h*) Sic, *an.* 1618, hominis in perpetuum exulantis ratas habuit nuptias. Sic, *an.* 1625, hominis morte damnati, qui carcere evaserat, nuptias confirmavit. Sic demùm, *an.* 1700, secundas nuptias rescidit à muliere contractas, quæ homini ad perpetuas triremes damnato primùm nupserat, conditionis ejus inscia, &, hoc allato prætextu, viro alteri sese in conjugem adjunxerat.

Matrimonium

Matrimonium valeret etiam quoad effectus civiles.

Ex dictis facilè intelligitur, Matrimonium ex errore conditionis servilis contractum, non Jure naturali, sed humano, irritum esse. Fatendum tamen est Juri naturali maximè consentaneum esse ut legibus positivis irritum decernatur hujusmodi Matrimonium; tum quia in tanti momenti Contractu nimia foret inæqualitas, dum scilicet Pars libera plenam sui corporis potestatem traderet, serva autem restrictam & aliquatenùs imperfectam; tum quia istud sobolis utilitatibus adversaretur, quæ quidem rectè convenienterque educari vix posset, propter impeditam, aut certè minùs liberam conjugum cohabitationem.

ARTICULUS III.

VOTUM.

OBSTAT Matrimonio contrahendo Votum solemne continentiæ. Tria hic animadvertenda. Solemni Voto continentiæ dissolvitur Matrimonium contractum & non consummatum; sed consummatum, nequaquam eo Voto dirimitur. In Impedimento Voti solemnis dispensatur quidem, sed rarissimè.

NON omni Voto ea est efficacia, ut sit Matrimonii Impedimentum dirimens, sed continentiæ Voto duntaxat, & quidem solemni; quod scilicet palàm & publicè cum requisitis solemnitatibus nuncupatur, Deique ipsius nomine ab Ecclesia per ejus Ministrum acceptatur. Huic autem Voto in duplici tantùm casu locus est: nimirùm in Professione valida Religionis Monasticæ ab Ecclesia approbatæ, & in sacrorum Ordinum susceptione; nam, licèt in hac nullum expressè Votum emittatur, cùm tamen Ecclesiæ Legi perfectam majoribus Ministris castitatem imponenti se subjiciat Ordino sacro initiatus, id certè, quoad obligationem continentiæ, Voto *formaliter* emisso æquivalere censetur. De priore casu continentiæ solemniter Deo promissæ, quatenùs Matrimonii Impedimentum dirimens est, hìc sermonem instituemus: de posteriore infrà dicemus, N°. VIII.

ITAQUE Matrimonium, post emissum hujusmodi Votum solemne, non quidem Jure naturali aut divino, sed Legibus tantùm positivis irritum est (*a*); quanquàm ut his irritum declaretur, & naturæ ipsi &

(*a*) *Bonif. VIII*, de Voto, *&c. in 6. Alex. III, tit.* Qui Clerici, *cap.* Meminimus, *& cap.* Veniens. *Conc. Later. II, an.* 1139. cap. 7. *Trid. Seff.* 24. can. 9.

divinæ Legi maximè consentaneum esse intelligitur. Continentiæ enim professio solemnis, quam Dei ipsius nomine acceptavit Ecclesia, spiritualis cujusdam atque indissolubilis instar Matrimonii esse meritò habetur, quo quidem fœdere omnium sanctissimo interdici debeant terrestrium nuptiarum fœdera, etiamsi (quemadmodùm opponere non erubuit famosus ille Monasticæ professionis desertor, Pseudoreformatorum Patriarcha) deinceps *continentiæ donum habere se non sentiat* qui continentiam professus est (*b*). Undè, qui à continentiæ Voto solemni ad seculi nuptias transeunt, ii « damnantur, non quia conjugalem fidem posteriùs inierunt, sed quia » continentiæ primam fidem irritam fecerunt (*c*). » Quæ tamen haudquaquam sic intelligenda sunt, quasi Legibus positivis semper & ubique irrita fuerint ejusmodi conjugia. Quamvis enim Christianæ Religionis omni ætate prohibita, adeòque & illicita fuerint, & nostro ævo, multisque retrò seculis irrita; hæc tamen disciplina nec semper, nec ubique recepta fuit, sed usu primùm in quasdam Ecclesias introducta, in alias posteà se diffudit, atque ita paulatim invaluit; donec tandem plurimis Conciliorum generalium definitionibus firmata fuit, omninòque stabilita (*d*).

ALIA quædam nunc exponenda occurrunt ejusdem Disciplinæ capita, quorum utique necessaria cognitio est.

I°. Qui invalidè, v. g. sine legitima Dispensatione ante expletum Novitiatûs annum, vel ante ætatis annum Legibus constitutum, vovit in Religione Monastica ritè approbata, is Voto minimè obstringitur. Attamen connubio jungi non potest, quin priùs, cognitâ causâ, Judex legitimus Vota ipsius irrita per Sententiam declaraverit.

II°. Vota quæ in Communitatibus Secularibus emittuntur, solemnia non sunt, adeòque nec Matrimonii Impedimentum dirimens constituunt; siquidem, ut Votum solemne sit, necesse est illud in Congregatione Religiosa emitti, quam ut talem approbaverit Ecclesia. Hinc Vota *Clericorum Missionis* simplicia tantùm sunt, ut potè quæ ab Ecclesia pro solemnibus publicè per Ministrum ejus acceptа non fuerint, ideòque simplicium duntaxat rationem & vim habere censeantur.

III°. Cùm quis invitus, ideòque in irritum, Vota solemnia emisit, huic licet Votis suis coram loci Ordinario reclamare, sed *intrà quinquennium à die Professionis*; alioqui, non valeret reclamatio. Si tamen eadem vis quæ ad vovendum coegit, à reclamando absterruit, tunc, etiam post quinquennium validè reclamabitur, modò reclametur intrà quinque annos à cessatione causæ quæ priùs metum incutiebat:

(*b*) *Ibid.*
(*c*) *S. Aug.* de bono viduit. *c.* 9.

(*d*) *Conc. Later. II*, sup. *Vienn. an.* 1311. *Trid.* sup.

quo quidem in casu ad Sedem Apostolicam esset confugiendum. Quoniam verò Sedis Apostolicæ Rescripta nihil juvant Religiosos Votis suis reclamantes, nisi à Judicibus ad hoc ipsum delegatis admissa fuerint; Religiosi & Sanctimoniales qui in hujusmodi casu versantur, habitum Regularem in Claustro servare tenentur, quoadusque Sententiam dixerint causæ cognitores (1): alioquin, *Appellationi tanquam de abusu* indè locus existeret.

(1) Les Commissaires.

Nec modò conjugium subsequens dirimit valida Professio Religiosa; quinimò conjugium antecedens, ratum & non consummatum, ut jam suprà diximus (e), per eam rescinditur: quod tamen ut fiat, Noviziatum intrà duos menses ab Ecclesia ad deliberandum concessos ingredi debet qui jure illo uti constituit. Si quis igitur, inito & non consummato Matrimonio, Vota solemnia in Religione approbatâ emiserit; Pars derelicta & in seculo remanens, ad alias poterit nuptias convolare. Sed Matrimonium, etiam non consummatum, ut jam quoque observavimus, per Ordinis sacri susceptionem minimè dissolvitur.

Quod pertinet ad Matrimonium ratum & consummatum, illud Professione Religiosâ neutiquam dirimitur, multò minùs Ordinis sacri susceptione: hujusmodi quippè Matrimonium ambos conjuges unam carnem efficit; undè tunc necessariò valet hoc Domini effatum: *Quod Deus conjunxit, homo non separet* (f).

Porrò Impedimentum *Voti solemnis* Ecclesiæ auctoritate relaxari potest; tum quia Ecclesiastico Jure constitutum fuit, ut patet ex varia quoad illud disciplinæ caput variis temporibus Ecclesiæ praxi; tum quia in Votis continentiæ solemnibus non semel dispensavit Ecclesia Romana, omnium mater & magistra. Cùm tamen Juri naturali maximè consentiat, imò ad illud quodammodò pertineat, ut homo per Votum solemne castitatis Deo consecratus, atque in ejus dominium plenè perfectèque translatus, se posteà in alterius potestatem non transferat; hinc, nisi rarissimis in circumstantiis, Dispensationem non admittit hujusmodi Impedimentum.

(e) *Div. I, cap. 5.* (f) *Matth. 19. 6.*

Articulus IV.

COGNATIO.

Triplex cognationis species. Quid sit cognatio naturalis: *quid* Stipes, *quid & quotuplex* Linea, *quid* Gradus. *Tres regulæ ad computandos Consanguinitatis Gradus. Duobus in casibus duplex sanguinis cognatio.*

In qua Linea, in quibus Consanguinitatis Gradibus, & quo Jure irritum in iis sit Matrimonium. In Linea collaterali quousque nunc extendatur Impedimentum, & quid hac in parte relaxet Ecclesia. Cognatio naturalis illegitima. Cur institutum sit Consanguinitatis Impedimentum. Cognatio legalis. Cognatio spiritualis. *Inter quos hæc, Jure novo, contrahatur. Septem consectaria negativa. Observationes.*

TRIPLEX distinguitur *Cognatio*: scilicet *naturalis*, *legalis* & *spiritualis*.

COGNATIO NATURALIS, seu *Consanguinitas*, quasi sanguinis unitas, est *Vinculum personarum à communi stipite per naturalem generationem, sive in Matrimonio, sive extra Matrimonium, descendentium.*

In Consanguinitate, tria sedulò distinguenda sunt: *Stipes*, *Linea*, & *Gradus*.

Stipitis, seu *Stirpis* nomine designatur, vel pater solus, vel sola mater, cùm filii è diversis conjugiis nati sunt; vel pater & mater conjunctim: nam vir & uxor, cùm sint una caro, unum eumdemque Stipitem constituunt. Stipes verò idem est respectu posterorum, quod truncus respectu ramorum.

Per *Lineam* intelligitur ordo vel series personarum quæ sunt ejusdem sanguinis participes, & ab eodem Stipite descendunt.

Duplex autem est Linea: scilicet *recta*, & *collateralis*. *Linea recta*, est ordo personarum, quarum alteram genuit altera, vel immediatè, ut filium pater, vel interposito medio, ut nepotem (1) avus. Alia est *descendentium*, cùm à genitoribus fit progressus ad genitos, scilicet à patre ad filium, nepotem, pronepotem, abnepotem (2). Alia *ascendentium*, cùm fit regressus à genitis ad genitores, inquirendo eorum Stipitem, v. g. patrem, avum, proavum, abavum (3).

Linea collateralis, alio nomine *transversa*, est ordo personarum quæ non à se invicem, sed ab uno communi Stipite descendunt: quales sunt frater & soror, patruus & fratris vel sororis filia (4), consobrinus & consobrina (5), avunculus & filia sororis filii (6) &c.

Hæc Linea vel *æqualis* est, cùm nempè ii quorum inquiritur cognatio, æqualiter distant à communi Stipite; ut duo fratres: vel *inæqualis*, ubi consanguineorum alter magis, alter minùs distat à Stipite communi; ut frater & fratris filius.

Gradûs vocabulo significatur mensura intervalli quo distant consanguinei, tum à se invicem, tum à communi Stipite.

Quæ quidem elementa circa Stipitem, Lineam & Gradum, inspecto gentilitio Stemmate quod vulgari sermone infrà descripsimus, evidenter patebunt.

(1) Petit-fils.

(2) Fils, petit-fils, arriere-petit-fils, fils de l'arriere-petit-fils.

(3) Le pere, l'ayeul, le bisayeul, le trisayeul.

(4) L'oncle paternel & la niéce.

(5) Le cousin-germain & la cousine-germaine.

(6) L'oncle maternel & la petite-niéce.



DIVERSÈ olim computati fuêre Consanguinitatis Gradus (*a*). Nunc ad illos computandos tres vulgò Regulæ ponuntur. Prima spectat Lineam rectam; duæ posttemæ Lineam collateralem.

Prima Regula, quæ sola pertinet ad Lineam rectam, hæc est: *Tot sunt Gradus, quot generationes personarum, quarum una descendit ab alia*; vel, *Tot sunt Gradus quot personæ*, dempto Stipite. Sic pater, filius, nepos, pronepos, abnepos, sunt quinque personæ; &, dempto Stipite, scilicet patre, supersunt quatuor tantùm personæ & quatuor Gradus; quia nempè quatuor tantùm sunt generationes. Hinc filius est in primo Gradu cum patre; nepos cum avo, in secundo; pronepos cum proavo, in tertio; abnepos cum abavo, in quarto. Hinc, in Stemmate

(*a*) *Conc. Compend. an.* 757. can. 1. 2. 35. *Bitur. an.* 1031. can. 17. *Rotom. an.* 1072. can. 14. 35. *Calixt. II*, c. 35. *Cælest. III*, l. 4. *tit.* 14. *c.* 3. Inst. *l.* 3. *tom.* 6.

præcedenti; *Josephus* est in quarto Gradu cum *Petro*; nam à Petro, qui Stipes est, & qui propterea numerari non debet, *Josephus* quarta persona invenitur.

Secunda Regula, quæ prima Lineam spectat collateralem, hæc est: *Si personæ, inter quas fit comparatio, æquè distent à communi Stipite, tot Gradibus inter se distant, quot Gradibus singulæ distant ab illo Stipite communi, à quo proximè descendunt.* Sic duo fratres uno gradu inter se distant, ut pote singuli à communi Stipite, qui pater est, uno Gradu distantes: filii duorum fratrum, duobus Gradibus; &c. Sic, in superiore Stemmate, *Martha* & *Thomas* consanguinei sunt in tertio Gradu, eò quòd trium Graduum intervallo uterque sit à *Petro* disjunctus. Hinc, undecimo seculo, *Incestuosi* dicti sunt, & tanquam Hæretici ab Ecclesia condemnati (*b*), qui Gradus Consanguinitatis numerari volebant ex Regula Juris Civilis, juxta quam unaquæque persona unum Gradum efficit, cùm, ex placito Juris Canonici, duæ ad unum Gradum efficiendum requirantur personæ; ita ut frater & soror, qui, secundùm Leges civiles, in secundo sunt Gradu, in primo tantùm sint, ex instituto Canonum: & sic de sequentibus Gradibus.

(1) Cousines-germaines, filles des deux freres.

(2) Cousines-germaines, filles des deux sœurs.


(3) Cousines-germaines, filles du frere & de la sœur.

Tertia Regula, quæ secunda pertinet ad Lineam collateralem, hæc est: *Personæ inæqualiter à Stipite distantes, eo Gradu inter se distant, quo remotior ipsarum distat ab illo communi & proximo Stipite.* Sic frater est in secundo Gradu cum filia fratris; quia, etsi frater uno tantùm Gradu distat à Stipite communi, qui est pater, ab eo tamen communi Stipite fratris filia duobus distat Gradibus (*c*). Sic, in Stemmate præcedenti, licèt *Joannes* duobus tantùm Gradibus distet à *Petro*, ab hoc tamen *Martha* & *Joannes* tribus distant Gradibus, eò quòd *Martham* à *Petro* sejungat trium Graduum intervallum. Quid autem circa tertiam hanc Regulam sit ulteriùs observandum, ad impetrandam super Consanguinitatis Gradibus legitimam Dispensationem, inferiùs dicetur, Divisione IV, Capite III.

Jam verò duplex aliquandò inter duas personas intercedit sanguinis cognatio: quod quidem duobus in casibus contingit. 1°. Cùm occurrunt duo Stipites: si v. g. à duobus fratribus ductæ fuerint uxores quæ sint inter se vel *sorores patrueles* (1), vel *consobrinæ* (2), vel *amitinæ* (3), liberi ex utroque conjugio suscepti dupliciter consanguinei erunt; scilicet in secundo Gradu ex capite paterno, & in tertio Gradu ex capite materno. 2°. Inter eos etiam qui ex uno communi Stipite descendunt, idem potest locum habere: sic, in subjecto Stemmate:

(*b*) Duo Conc. Rom. sub Alex. II, *an.* 1065.

(*c*) *Greg. IX, cap.* Vir qui, *de consang. & aff. Conc. Later. IV, cap.* 50.



cùm *Bernardus, Philippus & Marcus* fratres sint, & cùm *Philippus Ceciliam* filiam fratris-filii (1) uxorem duxerit, *Franciscus* ex hoc Matrimonio genitus, in secundo Gradu est cum *Anna*, quandoquidem duorum fratrum sunt filii : *Franciscus & Anna* sunt etiam inter se in secundo ad quartum, propter *Ceciliam*; undè geminam inter se habent Consanguinitatem inæqualem, quamvis ex eodem Stipite provenientem.

Quandò unus duntaxat occurrit Stipes communis, simplex ille est, vel duplex : sic *Paulus & Martha* sunt frater & soror vel ex patre & matre, vel ex patre tantùm, vel solummodò ex matre. Sed nihil interest, quoad Matrimonium, simplexne an duplex inveniatur Stipes; cognatio enim ex alterutro procedens, Matrimonium æquè dirimit.

Ubi agitur de contrahendo inter consanguineos Matrimonio, caveant Parochi diligenter ne in inquisitione Graduum Consanguinitatis quoquomodò aberrent. Ut igitur in tanti momenti materiâ tutò procedant, optimum erit Consanguinitatis Arborem in chatta delineari, inscripto communi Stipite à quo descendunt ii quorum genealogia texitur; ac deinceps hinc & indè generationes & nomina personarum, usque ad illas de quibus inquiritur an consanguineæ sint in Gradu prohibito. Sic nempè, an Dispensatione indigeant, & ad quem pertineat Dispensationem concedere, multò tutiùs ex Regulis supradictis judicabitur.

His præmissis, constituendum est in qua Linea & in quibus Consanguinitatis Gradibus, tum etiam quo Jure irritum in iis sit Matrimonium.

(1) Sa petite-nièce.

Ac primò quidem constat Matrimonia *in prima Linea recta Gradu* Jure naturali irrita esse; *in cæteris* verò *ejusdem Lineæ Gradibus*, naturam ab his refugere, atque ut prohibeantur & irrita declarentur, legum positivarum auctoritatem tacitâ quadam reclamatione implorare.

Constat 2°. per Consanguinitatem *in Linea recta*, Jure tum divino, tum Ecclesiastico, irritum effici Matrimonium, quocumque Gradu à se invicem distent *ascendentes & descendentes* (*d*). Juri Ecclesiastico præiverat Jus Civile, his verbis : „ Inter eas personas quæ parentûm „ liberorumve locum inter se obti„ nent, contrahi nuptiæ non pos„ sunt, velut inter patrem & fi„ liam, vel avum & neptem, & us„ que in infinitum; & si tales perso„ næ inter se coierint, nefarias atque

(*d*) *Levit.* 18. 7. 10. *Nic. Papa I*, resp. ad Consult. Bulgar. *c.* 39.

» incestas nuptias contraxisse dicun- » tur (*e*). » Sic etiam solo rationis instinctu ipsimet hac de re senserunt Ethnici; & aliquæ tantùm gentes barbaræ Jus illud omnibus hominibus communi infregerunt, ideòque cæteris populis execrationi fuerunt. Hinc, in priore Stemmate, *Petrus* nullam ex fœminis in utralibet Linea collaterali, quæ sibi recta est, occurrentibus potest uxorem ducere, neque ad hoc ullam Dispensationem obtinere.

Constat 3°. refugere naturam à conjugiis *in primo Lineæ collateralis Gradu*, seu fratrum & sororum nuptias; tum propter ingenitam consanguineis tàm propinquis erga se invicem reverentiam; tum ad præcavenda scelera, impudicitias & incestus, quorum occasionem periculosissimam summamque facilitatem præberet conjugii spes inter eos, qui ab infantia sub eodem tecto viventes, arctissimâ secum necessitudine & familiaritate junguntur. Attamen certum est modò dicta conjugia non esse ipso Jure naturæ per se vetita & irrita, saltem posito extremæ necessitatis casu, ut patet ex Matrimoniis, orbe recenti, fratres inter & sorores contractis. Neque enim credibile ullomodò videtur sic à Deo conditum fuisse humanum genus, ut primævi homines à naturæ legibus desciscere coacti fuerint, illudque Creatoris mandatum, *Crescite & multiplicamini, & replete terram*, non potuisse in prima hominum generatione nisi per scelus adimpleri. An verò extra illum casum ipso Jure naturæ irrita sint ejusmodi connubia, inter se dissentiunt Theologi. Quidquid autem sit de diversis eorum hac in parte opinionibus, in confesso est apud omnes, ex consanguinitate *in cæteris Lineæ transversæ Gradibus* nuptias Jure naturæ irritas non effici. Abraham enim, pater credentium, uxorem duxit Saram, quæ sibi vel fratris-filia erat, vel certè consobrina (*f*): Jacob autem nuptias iniit cum Lia & Rachele, suis consobrinis (*g*). Quæ scilicet conjugia non contraxissent Patriarchæ illi sanctissimi, si, salvo Jure naturæ, contrahi non potuissent.

Verùm deinceps, præter nuptias fratrum & sororum (*h*), alii quidam Gradus in Levitico prohibiti fuerunt. Hac enim Lege irritum evasit Matrimonium inter consanguineos *in primo ad secundum Lineæ collateralis Gradum* (*i*), scilicet inter amitam (1) vel materteram (2), & fratris vel sororis filium (3). Inter consanguineos in secundo & cæteris Lineæ transversæ Gradibus, manente veteri Testamento, non modò non prohibitum, sed magnoperè commendatum fuit Matrimonium (*k*).

(1) Tante-paternelle.
(2) Tante-maternelle
(3) Neveu.

Ecclesiæ autem variis temporibus varia fuit hac in parte disciplina. Primis quidem seculis, nuptias inter consanguineos vetitas fuisse, docent Patres universi: & Levitici Leges de Gradibus interdictis, apud

(*e*) *Institut. Justiniani, lib.* 1. *tit.* 10. §. Ergò non.
(*f*) *Gen.* 12. 13. (*g*) *Gen.* 29.
(*h*) *Levit.* 18. 9.
(*i*) *Levit.* 18. 12. 13.
(*k*) *Tob.* 6. 11. 12. 13. & *cap.* 7. *v.* 5.

remotissimæ

remotissimæ antiquitatis Christianos inviolatæ fuerunt (l). Ulteriores deindè Gradus prohibuit Ecclesia: sed diversi diversis temporibus & locis usus fuêre. Tertium, quartum, quintum, sextum & septimum Gradum prohibent varii Canones (m): alii Matrimonium tollunt *quousque parentela cognosci potest* (n). Eam diversitatem, XII seculo, Alexander III ad quartum Gradum inclusivè restrinxit (o). Quod cùm à Concilio Œcumenico Lateranensi IV° confirmatum fuerit (p), jam non ultra hos terminos incestum reputatum fuit inter consanguineos Matrimonium (q). Sed in Gradibus inæqualibus validum est, si Gradus remotior infra quartum jaceat: v. g. consanguineus in tertio vel quarto ex una parte, potest uxorem ducere consanguineam in quinto ex altera parte; & vice versâ: Pars enim à Stipite communi remotior trahit ad se propinquiorem. Sic, in priore Stemmate, *Josephus* cum *Catharina* Matrimonium inire non potest; sed nihil vetat quin ejus filiam ducat uxorem.

Nunc igitur Matrimonia consanguineorum in Linea collaterali usque ad quartum Gradum inclusivè, Jure Ecclesiastico irrita sunt. Ecclesiæ nihilominùs competit, ut Matrimonia, ob causas gravissimas, per Dispensationem concedat inter collaterales consanguineos, etiam in primo Gradu ad secundum, id est, inter patruum aut avunculum & fratris vel sororis-filiam, vel inter fratris aut sororis-filium & amitam vel materteram. Neque obstant Levitici Leges, quæ scilicet cum Lege Moysi abrogatæ fuerunt: undè Ecclesia quædam per eas prohibita concedere, sicut & quædam per eas concessa prohibere potest (r).

Cognatio naturalis illegitima, Impedimentum similiter parit, quo quidem excluditur omne Matrimonium in Linea recta, & quod pariter usque ad quartum Lineæ collateralis Gradum extenditur.

PORRÒ nuptiæ irritæ sunt, si quæ ab Infidelibus contractæ fuerint intrà illos Gradus in quibus Matrimonium Jure naturali dirimit Consanguinitas. Contrà verò, si de illis Consanguinitatis Gradibus agatur, qui Jure duntaxat Ecclesiastico sint Ma-

(l) *S. Basil.* can. 68. *Tert.* de Monog. c. 7. *S. Chrys.* Hom. 20. in Gen. *Conc. Elib.* c. *an.* 304. can. 61. 66. *Turon. II*, *an.* 567. can. 20. *Rom. sub Greg. II*, *an.* 721. can. 9.

(m) *Conc. Epaon.* c. *an.* 517. can. 30. *Autiss. an.* 578. can. 27. *Mogunt. I*, *an.* 813. can 56. *Mogunt.* sub Rab. *an.* 847. *can.* 30. Bitur. *an.* 1031. can. 2. 17. *Rom. sub Nicol. II*, *an.* 1059. can. 11. *Vide S. Ambr.* l. 6. Ep. 3. (*al.* 60.) n. 1.

(n) *Conc. Tolet. II*, *an.* 531.

(o) Decretal. *lib.* 4. *tit.* 14. c. 1.

(p) An. 1215. cap. 50.

(q) CONSANGUINITATIS GRADUS PROHIBITI.

1°. Frere & sœur.
2°. Cousin-germain & cousine-germaine.
3°. Cousin & cousine issus-de-germain.
4°. Cousin & cousine, fils d'issus-de-germain.

(r) Vide *Conc. Trid. Sess.* 24. de Matrim. *can.* 3.

trimonii Impedimenta dirimentia, valebit conjugium intrà ipsos ab iisdem contractum : illud proindè solvendum non erit, ubi tales ad fidem Catholicam conversi fuerint. Etenim qui Baptismo tincti non fuerunt, Ecclesiæ legibus non obstringuntur, juxta illud Apostoli: *Quid mihi de iis qui foris sunt, judicare* (*s*)? .

Jam verò Consanguinitatis Impedimentum ideò constituit Ecclesia, quòd Matrimonia inter propinquos non solùm honestati publicæ repugnant, sed & pudori quem propinquorum animis erga se invicem injecit natura : prætereà, ut, multiplicatis affinitatum conjunctionibus, charitas latiùs extenderetur : denique ad molem objiciendam illicitæ familiaritati & corruptelis, in quas faciliùs, ex libertate colloquii & convictûs, delaberentur utriusque sexûs propinqui, si Matrimonia inter se inire facilè posse confiderent.

Cognatio Legalis ex adoptione oritur (*t*) : quæ cùm in Galliis, atque in ipsismet Provinciis quæ Jure scripto utuntur, penitùs obsoleverit, apud nos jam nullus est huic Impedimento locus.

Cognatio Spiritualis ratione Baptismi contrahitur. Scilicet Baptismus nova quædam est generatio, in qua vicem parentûm sustinent Baptizans & Susceptores; undè spiritualem, respectu baptizati, paternitatem, ideòque & ejusdem generis compaternitatem cum illius parentibus contrahunt : propptereàque Matrimonio sine legitima Dispensatione jungi non possunt, nec Patrinus, aut ipse Laïcus baptizans, cum baptizata, vel hujus matre; nec Matrina, aut ipsa fœmina baptizans, cum baptizato, vel hujus patre.

Jure antiquo, latiùs extendebatur *Cognatio spiritualis* ; » sed volens » sancta (Tridentina) Synodus in» commodis indè frequenter exur» gentibus providere, statuit ut » unus tantùm, sive vir, sive mu» lier, vel ad summum unus & » una, baptizatum de Baptismo sus» cipiant; inter quos ac baptizatum » ipsum, & illius patrem ac ma» trem, necnon inter baptizantem » & baptizatum, baptizatique pa» trem ac matrem tantùm, spiritua» lis Cognatio contrahatur (*u*). »

Hinc I°. Nullam cognationem contrahunt, 1°. Qui Patrinum & Matrinam in levando infante adjuvant, tametsi infantem physicè tangunt (*x*) : 2°. Qui infanti jam domi baptizato nomen imponunt, cùm supplentur Baptismi Cæremoniæ(*y*); quia tunc infantem de sacro Fonte non suscipiunt : 3°. Qui infantem suscipiunt extra Baptismum solemnem; cùm enim Patrini & Matrinæ

(*s*) 1 *Cor.* 5. 12.
(*t*) Vide *S. Thom.* in 4. dist. 52. q. 2. a. 3.
(*u*) *Conc. Trid. Sess.* 24. de Ref. Matrim. *cap.* 2. (*x*) Ibid.
(*y*) *Clem. III*, l. 4. tit. 11. c. 5. *Bonif. VIII*, l. 4. tit. 3. c. 2. *in* 6.

extra Ecclesiam adhiberi nunquam debeant, Patrini & Matrinæ nisi per errorem non dicuntur ii, qui infantem tenent cùm domi baptizatur; 4°. Susceptoris Procurator; nam (ut fert opinio communior & probabilior) ille solus, qui, sive per seipsum, sive per Procuratorem Susceptor est infantis, Cognationem contrahit (ζ). Cùm tamen hæc opinio non sit omninò certa, & reverâ quibusdam in Diœcesibus (a) ille Cognationem contrahere censeatur, qui, sive proprio, sive alterius nomine infantem de sacris Fontibus physico actu suscipit; tutius est ut Susceptoris Procurator, si de Matrimonio agatur, obtineat à Diœcesano Præsule Dispensationem; quæ quidem, propter dubium, sufficiet.

Hinc II°. si moriatur infans jam incœpto Baptismi *Catechismo*, sed priusquàm fuerit aquâ Baptismali perfusus, nulla indè Cognatio contrahitur.

Hinc III°. Patrinus & Matrina simul Matrimonio jungi possunt, quoniam nulla inter eos exurgit Cognatio.

Hinc IV°. Qui infantem sub conditione baptizatum susceperunt, ii *Cognationem spiritualem* contraxisse supponuntur, & quidem tutiùs; dubium enim est an non hujusmodi Baptismus verum sit Sacramentum.

Hinc V°. illâ Cognatione non eximuntur ipsi Hæretici, sive Baptizantes, sive Susceptores; quia, virtute Baptismi, Ecclesiæ Legibus obnoxii fiunt.

Hinc VI°. Spirituali incestu pollueretur, si quis, (quod absit) sive cum puella quam baptizasset, sive cum ea quam de Fonte sacro suscepisset, vel cum hujus matre peccatum carnis posteà consummaret.

Hinc VII°. Qui, urgente necessitate, infantem baptizat, prædictam Cognationem contrahit: etenim inter baptizantem cum necessitate & baptizantem sine necessitate, Jus non distinguit. Si tamen pater, in casu necessitatis prolem suam legitimam baptizaret, nullam cum uxore Cognationem contraheret. Casus autem necessitatis ille est, si quandò infans periclitetur, nullusque adsit alius vir Catholicus ad baptizandum idoneus. Idem probabiliùs dicendum videtur, etiamsi coram Obstetrice baptizet pater; neque enim decet mulierem, præsente viro, baptizare, nisi aliud suadeat pudor. Quòd si progeniem suam, nullâ necessitate cogente, & ex malitia baptizaret pater, ut nempè ab uxoris thalamo abstineret; huic debitum conjugale reddere, sicut anteà, nihilosecius teneretur, ne quid ex fraude sua commodi caperet; quanquàm, ad illud poscendum, Dispensatione opus haberet.

(ζ) Sic definiit sacra Rit. Congr. *teste Fagnan*, *cap.* Veniens, *de cogn. spir. Vide* Conférences de Paris, *tom.* 2, *pag.* 288. & d'Angers, *tom.* 2. *pag.* 320.

(a) Saltem in Diœcesi Gratianopolitana.

Si quis verò susceptam sibi ex concubina aliave qualibet muliere non sua conjuge, sobolem vel in ipsa suprema necessitate baptizaret, Cognationem cum eâ fœmina contraheret, nec sine Dispensatione posset justo ac legitimo conjugio cum ea fœmina sociari.

Quemadmodùm autem ex Baptismo, ita etiam ex Confirmatione sequeretur *Cognatio spiritualis*, sicubi adhùc Patrini & Matrinæ confirmandis adhiberentur (*b*).

PORRÒ hujus Cognationis Impedimentum quia solo Jure Ecclesiastico Matrimonium dirimit, ab Ecclesia relaxari potest. Sed qui carnis opere cognovit personam quîcum sibi intercedebat *Cognatio spiritualis*, hic, si Dispensationem obtinere velit, non solam Cognationem, verùm etiam crimen admissum debet in Epistola Supplici exprimere (*c*); hic *sacræ Pœnitentiariæ* stylus est, Jus autem stylo efficitur.

(*b*) *Conc. Cabil. II*, *an.* 813. *v.* 815. can. 31. *Tribur. an.* 895. can. 48. *Trid.* sup. (*c*) *Pyrrh. Corrad.* l. 8. c. 8. n. 12.

ARTICULUS V.

CRIMEN.

Quadruplex hujus Impedimenti species.

DUo in universum crimina Matrimonium contrahendum prohibent, contractumque dirimunt: *Adulterium* nempè; & *Conjugicidium*; quæ, prout conjuncta fuerint vel disjuncta, & certis quibusdam conditionibus atque circumstantiis induta, quatuor efficiunt criminum species eumdem effectum parientes: scilicet 1°. *Adulterium sine Conjugicidio, sed cum Matrimonii postmodùm contrahendi promissione.* 2°. *Adulterium pariter sine Conjugicidio, sed cum novo Matrimonio attentato.* 3°. *Conjugicidium simplex, id est, sine Adulterio.* 4°. denique *Conjugicidium cum Adulterio.*

§. I. *ADULTERIUM SINE CONJUGICIDIO, SED CUM MATRIMONII CONTRAHENDI PROMISSIONE.*

In quo posita sit hæc species, & quàm sapienter in ea constitutum fuerit Impedimentum. Quinque conditiones requisitæ, ut ex ipsa Impedimentum existat.

ADULTERUM inter & adulteram Impedimento locus est, cùm, præter adulterium, intervenit, conjuge adhùc vivente, promissio Matrimonii post hujus mortem cum sceleris participe ineundi (*a*). Neque igitur sola Matrimonii promissio Impedimentum parit, nisi accedat

(*a*) *Alex. III*, *c.* 6. *Extrà*, De eo qui duxit in Matrim. quam polluit adult.

adulterium; neque solum adulterium, nisi accedat Matrimonii promissio. Porrò illud Impedimentum Jure Canonico, cui consentit Jurisprudentia Gallicana, sapienter constitutum fuit, ne conjux conjugi mortem exoptaret aut inferret, prout sæpiùs daretur occasio, si Matrimonium, post conjugis mortem, inter eos validè contrahi posset, qui, conjuge adhùc vivente, Matrimonium inter se contrahendum promisissent, & promissioni adulterium adjunxissent.

Adulterium autem & Matrimonii promissio irritum non faciunt Matrimonium, nisi concurrant plures conditiones; quarum prima est, ut, quo tempore commissum fuit utrumque hujusmodi crimen, criminis sociorum saltem unus verè validèque connubio junctus fuerit; nam alioqui nullum fuisset adulterium. Hìc verò nihil interest an conjuges de quibus agitur, simul aliquandò, an omninò nunquam habitaverint; an post cohabitationem fuerint divortio sive legitimo sive non legitimo separati; an ratum solummodò fuerit eorum Matrimonium, an prætereà consummatum. In diversis ejusmodi casibus & circumstantiis, Impedimentum dirimens perindè efficitur ex futuri Matrimonii promissione cum adulterio; perindè siquidem constat verè connubio junctum fuisse conjugem alterutrum.

Ex dictis intelligitur, non contrahi Impedimentum hoc dirimens, si ex errore existimatum sit adulterium esse quod reipsâ tale non esset; quia v. g. complicis Matrimonium quod ex errore validum putabatur, reipsâ irritum fuerit; vel quia complicis conjux qui tunc vivere existimabatur, reverâ non superesset.

Secunda conditio est, ut, quo tempore perpetratum fuit adulterium, promissumque Matrimonium, adulterium ùtrimque *formale* fuerit, seu utrique complici notum; ad quod requiritur ut nòverit uterque Matrimonio junctum esse unum saltem eorum (*b*). Hinc sequitur non existere istud Impedimentum, 1°. Si, licèt ambo etiam criminis participes Matrimonio juncti fuerint, neuter tamen alterum Matrimonio junctum esse noverit: 2°. Si quis, vivente conjuge, quam bonâ fide mortuam putaverit, solutæ fœminæ, aut quæ soluta putaretur, bonâ fide Matrimonium promisit, & cum ea carnis opere se conjunxit. Cæterùm ad bonam ejusmodi fidem non sufficit ignorantia, ut loquuntur, crassa & supina; sed ea sola in præsenti negotio bonam fidem parit, quæ in aliis materiis à præcepti transgressione excusat.

Tertia conditio est, ut consummatum fuerit adulterium. Qui enim Canones hoc Impedimentum constituunt, pœnales sunt, atque adeò restringendi, seu strictiore sensu intelligendi, quemadmodùm pœnales Ecclesiæ Leges interpretandas esse

(*b*) *Ibid.*

docent potioris notæ famæque Theologi. Cùm igitur ex adulterio *simpliciter & sine addito* illud Impedimentum contrahendum statuant modò dicti Canones (*c*), ad hoc scelus consummatum restringi debent.

Quarta conditio est, ut Matrimonii promissio à sceleris consorte acceptata fuerit, sive expressè, ut verbis, sive virtualiter & implicitè, ut nutibus, aliisve signis exterioribus acceptationem sufficienter declarantibus. Ad hoc tamen sufficere non videtur silentium: quanquàm, eveniente hujusmodi casu, consulendus esset Episcopus Diœcesanus.

Jam verò circa istam conditionem observandum est, nihil referre 1°. an seriò & sincerè, an fictè subdolèque data & acceptata fuerit ejusmodi promissio. Ratio est, quia promissio, etiam ficta, si modò seria videatur ac talis exteriùs appareat, non minùs quàm si vera & sincera esset, occasionem præbere adulterio & conjugicidio potest, ad quæ scelera præcavenda constitutum ab Ecclesia fuit illud Impedimentum. Nec refert 2°. an mutua, seu ex utraque parte facta; necne, fuerit ejusmodi promissio. Sufficit enim promissio ab uno criminis socio facta, & ab altero acceptata; neque ex parte acceptantis nova promissio requiritur. Ratio est, quia promissioni æquivalet promissionis acceptatio. Nec refert 3°. utrùm ante, utrùm post adulterium data & acceptata fuerit promissio: tum quia statuunt Canones Impedimentum dirimens ab eo contrahi, qui *priùs* vel *posteà* (*d*), id est, vel ante vel post Matrimonii promissionem, alterius uxorem adulterio polluit; tum quia promissio adulterium subsecuta, ad novum adulterium & ad conjugicidium proclivi gradu impellit; ideòque indè existit Impedimentum dirimens. Quod tamen (juxta sententiam probabiliorem) sic intelligendum est, modò scilicet adulterium & Matrimonii promissio, uno & eodem connubio subsistente, concurrerint: secùs enim dicendum foret, si, duobus successivè Matrimoniis à sceleris participe contractis, priore subsistente promissio data & acceptata fuisset, eoque per conjugis mortem soluto, novoque postmodùm contracto commissum adulterium; aut vice versâ. Hinc si *Joannes* v. g. vivente *Genovefâ* conjuge, Matrimonium cum *Bertha* post mortem *Genovefæ* con-

(*c*) Audivimus rem execrabilem & Catholicis omnibus detestandam, quemdam nefario carnis opere alicujus uxorem, vivente eo, commaculasse, & in argumentum iniquitatis juramento confirmasse, si ejus legitimum supervixissent ambo maritum, ut ille fornicator illam adulteram adulterio pollutam sibi associaret thoro & legitimo Matrimonio... Non licet ergò, nec Christianæ Religioni oportet, ut ullus eâ utatur in Matrimonio, cum qua priùs pollutus est adulterio. *Conc. Tribur.* (locus nunc desertus propè Moguntiam) *an.* 895, *can.* 40. Vide Alex. III, suprà, *De eo qui duxit in Matrim. quam polluit adult.*

(*d*) De eo qui duxit, *&c.*

trahendum promiserit, deindè verò, mortuâ *Genovefâ* uxore, & in secundam ductâ *Joannâ*, eâque vivente adulterium cum eadem *Bertha* commiserit; in hujusmodi casu, *Joannem* inter & *Bertham* nullum exurgit Impedimentum, saltem nisi adulterium committentes subsistente altero *Joannis* Matrimonio, promissionem priore subsistente factam renovaverint aut ratam habuerint. Nec refert 4°. an absoluta, an conditionalis fuerit illa promissio. Ratio est, tum quia, ut Matrimonii promissio cum adulterio sit Impedimentum dirimens, non requiritur ut sit valida, cùm sit ipso Jure irrita: tum quia promissio, etiam conditionalis, cui accessit adulterium, ad hoc ingeminandum & ad conjugis mortem exoptandam atque attentandam vehementer incitat; quibus nempè sceleribus occurrere voluit Ecclesiæ providentia, dum illud Impedimentum constitueret. Idem utique ob eamdem rationem dicendum est de promissione facta sub conditione impossibili, vel turpi, vel Matrimonii substantiæ contrariâ (*e*); nam ex promissionis valore omninò non pendet hocce Impedimentum. Excipiendum tamen, si ex ipsa promissionis naturâ, eam non seriò, sed fictè dari perspiceret sceleris consors, vel si, propter ejus turpitudinem, eam non acceptaret. Quintò demùm, nihil refert an juramento firmata, necne, fuerit promissio; sufficit enim simplex promissio cum adulterio (*f*). Sic nimirùm Canones Impedimentum illud constituentes interpretatur communis Theologorum sententia, ipsaque consuetudo, optima Legum interpres.

Quinta conditio est, ut promissio, quemadmodùm exposuimus, data & acceptata, non ante adulterium revocata fuerit. Ad inducendum quippè illud Impedimentum requiritur & futuri Matrimonii promissio, & adulterium. Promissio verò, ubi ante adulterium revocata fuit, non jam cum adulterio subsistit ampliùs; hæc siquidem, factâ revocatione, perindè se habet, ac si nunquam data fuisset.

§. II. *ADULTERIUM SINE CONJUGICIDIO, SED CUM NOVO MATRIMONIO ATTENTATO.*

In quo posita sit hæc species. Tres conditiones ad eam efficiendam requisitæ. Tria hic observanda.

Si, vivente conjuge, conjux adulterium commiserit, & cum sceleris participe Matrimonium scienter contraxerit, seu potiùs contrahere attentaverit; ex utroque illo crimine, inter ejus consortes exoritur Impedimentum dirimens, quo fit ut Matrimonium inter se post mortem conjugis validè contrahere nequeant (*g*). Id nempè constat ex totius Ecclesiæ consensu & praxi; cujus ratio hæc ipsa est

(*e*) *Cap.* Laudabilem. Propositum. Significasti.

(*f*) Ibid.

(*g*) *Greg. IX*, l. 4. tit. 7. c. 8. *Alex. III*, ibid. *c.* 1, 3.

quam pluriès jam annotavimus; quia scilicet Matrimonium illud præfatis in circumstantiis attentatum, ad mortem conjugis tum exoptandam, tum machinandam potentissimè impelleret.

Ut verò indè oriatur Impedimentum dirimens, certas quasdam conditiones concurrere necesse est; quarum prima est, ut validum fuerit Matrimonium priùs contractum; 2°. ut idem adhùc subsistat, cùm novum attentatur connubium. Utriusque ratio est, quòd alioqui, vel non intervenisset adulterium, vel sine novo Matrimonio attentato fuisset: quæ duo tamen ad hoc Impedimentum requiruntur. Undè sequitur id locum non habere, 1°. Si prius Matrimonium quod ex errore validum putaretur, nihilominùs reipsâ irritum fuisset: 2°. Si conjux qui adhùc vivere crederetur, esset reverâ mortuus: 3°. Si, quamvis novum, superstite conjuge, Matrimonium inter criminis socios attentatum fuerit, tamen ii à quibus attentatum illud fuit, carnis opere juncti non fuerint nisi post conjugis mortem; aut vice versâ: (*h*) etenim, ex dictis, non est Impedimento locus, nisi utrumque illud crimen, vivente conjuge, seu adhùc subsistente priore connubio, perpetratum fuerit.

Tertia conditio est, ut Matrimonium ejusmodi scienter attentatum fuerit, & adulterium scienter quoque admissum; id est, ut, quo tempore perpetratum fuit scelus utrumque, sceleris socio alteri notum fuerit adhùc subsistere validum alterius conjugium (*i*). Si ergò alter bonâ fide Matrimonium attentavit, aut carnis opere cum sceleris socio junctus est, solutum hunc falsò existimans; cum eodem, postquàm reverà solutus fuerit, Matrimonium validè contrahere poterit: quinimò, vir connubio junctus, qui malâ fide Matrimonium attentavit adulteriumque commisit cum fœmina quæ bonâ fide in utrumque consensit, eam, postquàm solutus ipse fuerit, uxorem, si exigat, ducere tenetur (*k*). Si tamen alter hoc modo contrahentium, post Matrimonium bonâ fide attentatum, & adulterium *materiale*, seu bonâ pariter fide commissum; validum alterius conjugium esse resciverit, & nihilominùs cum sceleris participe maritalem in modum habitare persistat; inter eos tunc exurgit Impedimentum dirimens, quo fit ut, ne soluto quidem priore Matrimonio, novum inter se contrahere possint. Ratio est quòd, eo ipso, ab illo criminis consorte renovatur & ratum habetur connubium priùs attentatum, & adulterium anteà commissum.

Hìc porrò diligenter observandum est, 1°. ad hoc Impedimentum inducendum perindè esse, sive ut Matrimonium attentatum adulterio præiverit, sive secutum fuerit, modò utrumque scelus uno eodemque conjugio subsistente sit perpetratum: 2°. Hac specie criminis non constitui Impedimentum dirimens,

(*h*) *Greg. IX*, suprà.
(*i*) *Alex. III*, ibid. *Tit.* De eo qui duxit, *&c. cap.* 2.
(*k*) Eod. tit. *cap.* 7.

si, ante commissum adulterium, revocatum fuerit Matrimonium attentatum. Scilicet Canones generatim statuunr non exurgere Impedimentum dirimens, si data fides revocetur antequàm perpetratum fuerit adulterium. Jam verò per *fidem datam* intelligi debet non sola futuri Matrimonii promissio, sed & Matrimonium ipsum *per verba de præsenti*, quanquàm invalidè, contractum. Notandum est 3°. Ad hoc idem Impedimentum inducendum non requiri ut novum Matrimonium in facie Ecclesiæ contractum fuerit, seu potiùs attentatum. Sicut enim ad Impedimentum constituendum non requiritur ut validum sit novum quod attentatur, Matrimonium, ita omninò non opus est ut in facie Ecclesiæ attentatum fuerit.

§. III. CONJUGICIDIUM SINE ADULTERIO.

Quænam sit hujus speciei natura. Tres conditiones ad eam requisitæ. Tria notanda.

CONJUGICIDIUM simplex, id est, sine adulterio, Impedimentum dirimens efficit inter virum & fœminam qui alterutrius conjugi mortem, vel ex mutua conspiratione, vel alter, altero consentiente, intulerunt, cum intentione (saltem in uno) post dicti conjugis mortem Matrimonium cum homicidii socio contrahendi. Quod quidem à Canonibus ideò constitutum fuit, quia, si tanti sceleris consortes Matrimonium inter se post mortem conjugis interfecti validè contrahere possent, conjugi utrique vel eorum alteri occasio & incitamentum præberetur cum aliquo tertio in conjugis mortem conspirandi: quod tamen, Ecclesiâ sapienter providente, aufertur, præclusâ spe Matrimonii cum sceleris participe ineundi.

Ut autem huic sit Impedimento locus, requiritur 1°. ut homicidarum saltem unus valido sit junctus Matrimonio, idque adhùc subsistat, quo tempore perpetratur homicidium. Conditionis verò hujus consectaria, ex iis quæ de secunda specie diximus, facilè intelligi poterunt.

Requiritur 2°. ut ex tali conspiratione seu machinatione reipsâ interfectus fuerit alterutrius homicidæ conjux. Hinc non sufficit 1°. quòd unus sine alterius mutuâ operâ vel consensione scelus commiserit: neque 2°. quòd mors conjugis attentata fuerit, nisi ipso effectu secuta sit: nec 3°. quòd, etiam post inflictum ab utroque sceleris consorte vel eorum altero, lethale vulnus, posteà casu mors conjugis evenerit, v. g. medici aut chirurgi imperitiâ vel negligentiâ; sed necesse est u[illegible] inflicto vulnere secuta per se fuerit: nec 4°. quòd ejusmodi vir & fœmina Matrimonium inter se post conjugis mortem contrahere volentes, conjugicidium ab aliquo tertio, sed sine ipsorum communicatione & consensu, jam perpetratum, posteà ratum habeant: siquidem facti alicujus ratihabitio non potest nisi fictione Juris vim retroactivam habere; undè in solis casibus Jure ipso expressis incurrit pœnas Jure constitutas.

Cæterùm hìc nihil refert an physicè, id est, per se & propriâ manu, an moraliter, scilicet mandato vel

consilio per aliquem interpositum, mortem conjugi intulerit sceleris consors uterque, vel alteruter altero consentiente : sufficit ut ex illa seu physicâ, seu morali actione, mors reipsâ contigerit (*l*). Quòd si mandatum aut consilium in conjugis mortem reverâ non influxerit, quia v. g. is qui mandatum aut consilium accepit, mortem inferendam jam anteà decreverat; in hujusmodi casu nullum exurgit Impedimentum dirimens : quemadmodùm in simili circumstantia, prout docent Theologi, ex mandato aut consilio non contrahitur Irregularitas, nec restituendi obligatio Scilicet, ut jam observavimus, Legum pœnalium verba restringenda sunt, seu strictiore sensu intelligenda : undè, in præsenti instituto, ea de solo mandato vel consilio in crimen efficaciter influente intelligi oportet.

Requiritur 3°. ut crimen illud perpetraverint ejus consortes cum intentione (saltem in uno) Matrimonium, interfecto conjuge, cum sceleris socio contrahendi : hæc nempè communior & probabilior est Theologorum sententia. Ratio est, quia nempè ideò constitutum fuit hoc Impedimentum, ne ad mortem conjugi exoptandam, attentandam atque inferendam, conjugem incitaret spes connubii cum sceleris participe ineundi : porrò nullus est huic rationi locus, ubi mors conjugi non eâ mente seu intentione illata fuit, ut ambo sceleris consortes Matrimonio inter se jungerentur. Quod autem censent nonnulli huic Impedimento locum non esse, nisi talis fuerit amborum intentio, minùs probabiliter asseritur, cùm id nullo Juris decreto sit constitutum. Non tamen improbabile, imò probabilius videtur, haud sufficere intentionem merè internam & occultam, sed oportere ut ipsa exteriùs manifestetur. Quidquid sit, in Ecclesiæ foro semper præsumitur prava illa intentio, quotiès constat illatam fuisse conjugi mortem ex mutua utriusque conspiratione, aut ex unius machinatione cum alterius consensu.

Ex ista conditione intelligitur, 1°. non esse huic Impedimento locum, etiamsi uterque criminis particeps communi consilio alterutrius conjugem interfecerit, sed non eâ mente seu intentione ut post conjugis mortem connubio inter se jungerentur, verùm ex odio, irâ, aut vindictâ, sive ut libidini explendæ liberiùs vacarent, sive ut necem utrique aut alterutri à conjuge, v. g. viro adulterii impatiente, inferendam præcaverent, sive ut Matrimonium quidem aliud, soluto priore, non verò inter se contraherent, sive ob causam quamlibet aliam à prædicta intentione diversam. Intelligitur 2°. ad idem Impedimentum non requiri ut sceleris consortes, aut eorum alter noverit ex tali scelere Impedimentum dirimens exurgere. Licèt enim illud ignorent, non minùs indè locus Impedimento est. Ea quippè notitia neque Canonum præscripto,

(*l*) *Cœlest. III*, l. 3. tit. 33. c. 1. *Inn. III*, l. 4. tit. 7. c. 6. 7. *Glossa in c.* Laudabilem. Vide *Navar.* de Matrim. *c.* 22.

neque usûs & consuetudinis virtute ad hoc Impedimentum requiritur: quemadmodùm ipsa nec ad Irregularitatem, aliasve pœnas Ecclesiasticas (solis Censutis exceptis) incurrendas necessaria est.

Porrò notandum est, 1°. ad hanc Impedimenti speciem perindè esse, sive vir uxorem, sive uxor virum interfecerit, eam enim ex *viricidio* non secùs atque ex *uxoricidio* nasci, Jure Canonico certissimum est (*m*): 2°. Ad eamdem non requiri ut Christiani ambo sint, qui criminis sunt participes. Undè, si maritum Christianum interfecerit mulier Christiana, consorte vel consentiente viro Gentili aut Judæo, cui nubere, soluto Matrimonio, intendat, inducitur Impedimentum dirimens (*n*): 3°. Neque necessariam esse promissionem Matrimonii, post mortem conjugis, cum sceleris socio contrahendi (*o*).

§. IV. CONJUGICIDIUM CUM ADULTERIO.

In quo posita sit hæc species, & quænam conditio ad ipsam efficiendam requiratur. Observatio. Ad hanc speciem concurrant necesse est præcedentis speciei pleræque conditiones. Ecclesiæ mens in quadruplici hujus Impedimenti specie. In homicidio rarissimæ Dispensationes ad contrahendum.

CONJUGICIDII & adulterii gemino crimine Impedimentum dirimens constituitur adulterum inter & adulteram, quotiès eorum alteruter, sive suum, sive complicis conjugem interfecit, adjunctâ intentione Matrimonii, eo interfecto, cum adulterii participe contrahendi (*p*). Huic autem non est Impedimento locus, nisi conjugicidio præiverit commercium libidinis; cùm alioqui, Matrimonio per conjugis mortem soluto, jam nullum esset adulterium. Hinc, si *Titius*, eâ mente ut uxorem ducat *Popiliam*, quîcum nondùm peccavit, ejus virum interficiat, &, nisi post viri mortem, *Popiliam* carnis opere non cognoscat; nihil inter utrumque existet Impedimenti, saltem nisi *Popilia* in viri necem cum suo amatore conspiraverit: quæ quidem hypothesis non ad quartam hanc speciem, sed ad tertiam refertur.

Observandum tamen est, quòd, quamvis ad illud Impedimentum pariendum necesse sit ut illatam necem temporis ordine præcedat commercium libidinis, non requiritur tamen ut necis machinationem antecedat. Hinc si præfatus *Titius* cum modò dictâ intentione *Popiliam* uxorem ducendi, hujus viro venenum propinaverit, aut lethale vulnus inflixerit, & posteà quidem, sed ante viri illius mortem cum *Popilia* peccaverit; his positis, inter utrumque oritur Impedimentum dirimens. Etenim, viro nondùm mortuo, integrum adhùc ma-

(*m*) *Cap.* Si quis, vivente. 31. q. 1.
(*n*) *Cœlest. III*, de convers. conjugat. *cap.* 10.
(*o*) *Alex. III*, *Cap.* Super hoc, *Extra*, de eo qui duxit in Matrim. quam poll. adult.
(*p*) Eod. tit.

nebat conjugium quo tempore *Titius* cum *Popilia* peccavit, &, ex causa efficaciter influente, hujus viro necem intulit: quod nempè sufficit ut occurrat *conjugicidium cum adulterio.*

Cæterùm, præter conditionem modò expositam, quæ ad criminosi hujus Impedimenti postremam speciem peculiariter propriè que pertinet, necesse est insuper ut ad eamdem speciem concurrant pleræque aliæ conditiones in triplici specie præcedenti recensitæ. Requiritur enim 1°. ut validum sit complicis alterutrius connubium, & adhùc integrum maneat quo tempore alter alterum carnis opere cognoscit; alioquin, adulterium non esset: 2°. Ut mors conjugis non solùm attentata, sed & reipsâ secuta fuerit; nec verò casu duntaxàt, v. g. medici incuriâ aut imperitiâ, sed per se, seu ex ipsa homicidii molitione provenerit, sive physicè, sive moràliter tantùm hoc scelus perpetratum ab auctore suo fuerit: 3°. Ut hic, necem inferens, intentionem habuerit Matrimonii cum adulterii consorte post conjugis mortem ineundi: 4°. Ut consummatum fuerit adulterium: 5°. Ut hoc scelus fuerit utrimque *formale*, id est, utrique cognitum; ad quod necesse est ut adulterorum unus, quo tempore adulteravit, alterum verè Matrimonio junctum esse noverit. Attamen haud necessaria sunt, nec Matrimonium sive criminis socio promissum, sive cum eo attentatum fide datâ & acceptâ per verba de præsenti (*q*), nec mutua utriusque in conjugis necem conspiratio, nel unius machinatio cum alterius communicatione & assensu; nec Impedimenti gemino illo crimine exorientis notitia. Denique nihil interest an uxor virum, an vir uxorem interficiat: Impedimento nimirùm locus est, uterlibet ex adulteris è medio tollat eum conjugem, ex cujus nece intenditur ineundi conjugii libertas (*r*).

Porrò adulterium, etiam cum homicidio vel mutuâ ineundi Matrimonii promissione conjunctum, neque naturali, neque divino Jure connubium dirimit; David enim Bethsabee, quam adulterio polluerat, & cujus maritum *Uriam Hethæum gladio filiorum Ammon interfecerat*, uxorem posteà duxit (*s*). Ecclesia tamen hujusmodi scelerum merito horrore perculsa, ut cordis humani perversitatem quasi oppositâ mole coërceret, neve cujusquam animo illorum cogitationem injiceret spes futuri connubii, ut demùm sanctior ac tutior ab omni injùria servaretur conjugalis fides, *Criminis* Impedimentum quadruplex, quod modò exposuimus, movente Spiritu sancto, instituit; & super ipso ex causa legitima dispensare potest. Sed in homicidio, nisi rarissimè & propter causas extra consuetum ordinem posi-

(*q*) *Conc. Meld. an.* 845. can. 69. *Alex. III*, *cap.* Super hoc; *Extrà*, de eo qui duxit in Matrim. quam poll. adult.

(*r*) C. 5. 31. q. 1.

(*s*) 2 *Reg.* 11. & 12.

tas, *ad contrahendum* non dispensat sacræ Romanæ *Pœnitentiariæ* Tribunal. Et meritò quidem; timendum quippè foret ne ab Ecclesiæ indulgentiâ faciliore audaciam & quoddam incentivum ii sumerent, quos tam atrocis facinoris incitaret cupiditas.

ARTICULUS VI.

CULTUS DISPARITAS.

DUPLEX Religionis disparitas. Matrimonium inter Fidelem & Infidelem Jure naturali valet ut Contractus; sed, Jure Ecclesiastico, & Contractûs & Sacramenti ratione irritum est. Matrimonium inter Catholicum & Hæreticam, aut vice versâ, non irritum quidem quoad fœdus, sed illicitum est: &, nisi cum summis Principibus, in hoc Impedimento non dispensatur. Observationes.

CULTUS disparitas, ubi agitur de duabus personis Matrimonio jungendis, vel tanta est, ut una sit baptizata, altera non baptizata; vel hujusmodi, ut, ex utraque baptizata, una de gremio sit veræ Catholicæque Ecclesiæ, altera de grege Hæreticorum, vel Schismaticorum.

MATRIMONIUM spectari potest vel ut *Sacramentum*, vel ut *Contractus*. Matrimonium, ante ipsa Christi tempora, Contractus erat, & quidem legitimus; atque etiamnùm tale est apud omnes populos quibus nondùm resulsit Evangelii lumen. Cùm janua Sacramentorum sit Baptismus, inter virum & mulierem non baptizatos nullum potest intercedere Matrimonii Sacramentum; sed justo & valido inter se Matrimonio jungi possunt, si *Matrimonii* nomen pro legitima illa viri & mulieris conjunctione quæ ad humani generis propagationem necessaria est, accipiatur, nullumque obstet naturalis aut divini Juris Impedimentum dirimens. Nempè in hoc sensu legitima esse Infidelium conjugia evidenter supponit Apostolus, cùm docet Matrimonium inter duos Infideles contractum non dirimi per alterutrius conversionem; quinimò, Infidelem conversum posse ac debere in contubernio permanere uxoris ab Infidelitate non desistentis, *si hæc consentit habitare cum illo* (*a*); & vicissim Infidelem conversam, cum marito avitæ superstitionis tenaci (*b*). *Non enim per Baptismum solvuntur conjugia* (*c*). Absit ut quisquam è Judæo factus Christianus, ad vitandam perseve-

(*a*) 1 *Cor.* 7. 12.
(*b*) *Ibid. v.* 13.
(*c*) Vide *S. Just.* Apol. ad senat. *S. Aug.* de fide & oper. *c.* 1. & 7. (*al.* 2. & 10.) *Conc. in Trull. an.* 692. can. 72.

rantis in Judaïſmo uxoris ſocietatem det ei *libellum repudii*. Hujuſmodi ſejunctionem, tanquam *deteſtabilem abuſum*, meritò proſcripſit (*d*), Eccleſiæ Romanæ decus & lumen, Benedictus Papa XIV.

Quamvis porrò Matrimonium inter Fidelem & Infidelem Jure naturali valeat ut Contractus; attamen, & Contractûs & Sacramenti ratione, Jure Eccleſiaſtico irritum eſt (*e*). Non quòd ex ipſâ rei naturâ ſceleſtum ſit hujuſmodi Matrimonium. Etſi enim connubia Judæorum cum alienigenis, præſertimque fictitios & inanes deos colentibus (*f*), ſtrictè vetita erant (*g*), propter evidens ſubverſionis periculum; ea nihilominùs, imprimis extra Chananæam Gentem præ cæteris Deo inviſam, certis in caſibus tolerata ad minimum fuêre. Jacob ſcilicet filias Laban idololatræ conjuges accepit (*h*); Joſeph, filiam Putiphare, ſacerdotis Helíopoleos, Ægyptiam (*i*), &c. Et in nova Lege, ſancta Monica nupſit Patricio, adhùc fictorum numinum cultori. Primis igitur Eccleſiæ ſeculis, conceſſum eſt ut à Fidelibus uxores ducerentur Infideles, & viciſſim; maximè verò inter Principes. Quod quidem prudentis moderationis causâ fiebat, ne quid publica tranquillitas detrimenti caperet. His prætereà conjugiis Ethnicos ad amplectendam fidem allici olim poſſe ſperabat Eccleſia. Sic ſancta Monica Patricium Deo lucrari meruit. Sic etiam, cùm beata Clotildis, ab ortu Chriſtiana, Clodovæo adhùc Gentili tradita in uxorem fuiſſet (*k*), connubii hujus benedictione *ſanctificatus eſt vir Infidelis per mulierem Fidelem* (*l*); & Franci, qui, à Chriſto *erant longè, facti ſunt propè* (*m*). Plerùmque autem filios à talibus conjugiis ineundis, nullâ urgente causâ peculiari, meritò deterruit Eccleſia (*n*), metuens videlicet ne *fidei donum electum* objicerent periculo (*o*), ſi *cum Infidelibus* Matrimonii *jugum ducerent* (*p*); *quæ* enim *pars Fideli cum Infideli* (*q*)? Saltem quieto Religionis exercitio & prolis educationi Chriſtianæ, ut plurimùm, adverſantur ejuſmodi connubia. Nunc multò magis, cùm Legem Evangelicam ſuſceperit multitudo Gentium, nec jam inter Infideles commorentur Chriſtiani, nefas eſſet cum Infideli muliere virum Chriſtianum Matrimonio jungi, aut viciſſim viro Infideli mulierem Fidelem nubere: & tale conjugium in qualibet Chriſtianitatis regione nullius momenti aut roboris eſſe judicaretur. Quod qui-

(*d*) *Anno* 1747.
(*e*) 2 *Cor.* 6. 14. *Conc. Aurel. II*, *an.* 533. can. 19.
(*f*) 3 *Reg.* 11. 2.
(*g*) *Exod.* 34. 16.
(*h*) *Gen.* 29.
(*i*) *Gen.* 46. 20.
(*k*) *S. Greg. Turon.* Hiſt. l. 2. c. 28.
(*l*) 1 *Cor.* 7. 14.
(*m*) *Eph.* 2. 13.
(*n*) *Tert.* de cor. mil. *c.* 13. *S. Cypr.* de lapſ. *S. Hier.* Ep. 11. (*al.* 91.) *Conc. Elib.* can. 15. *Agath. an.* 506. can. 67. *Rom. ſub Zach. an* 745. can. 10.
(*o*) *Sap.* 3. 14.
(*p*) 2 *Cor.* 6. 14.
(*q*) *Ibid. v.* 15.

dem Impedimentum nullo expresso Juris Canone aut Decreto, sed populi Christiani more Ecclesiæque praxi introductum fuit: quæ scilicet in præsenti instituto, quemadmodùm in aliis plerisque, vim Legis obtinet.

Itaque prima Religionis disparitas, ea nempè quæ dissociat virum baptizatum & mulierem non baptizatam, aut vice versâ, irritum efficit connubium; id est, mulierem Ethnicam, Judæam vel Mahumetanam validè uxorem ducere non potest vir Christianus: de muliere autem erga virum idem quoque dicendum est.

Si autem, postquàm duo Fideles sese invicem, in sinu Matris Ecclesiæ, conjugii fœdere obstrinxerunt, alteruter à Christi Religione ad Ethnicos, Judæos vel Mahumetanos deficiat; nihilominùs ratum permanet conjugium, quia suscepti Sacramenti vinculum indissolubile est.

ALTERA Religionis disparitas, ea nempè quæ Catholicum ab Hæretica discernit, aut vicissim, non quidem irritum, sed illicitum reddit conjugium. Nullo Ecclesiæ Canone irrita declarantur Catholicorum cum Hæreticis vel Schismaticis conjugia; ipsius tamen Legibus tam districtè prohibentur, ut neque ipsis benedicere possint Ecclesiarum Parochialium Rectores, neque alio quovis modo cum Catholico Hæreticam, aut cum Hæretico Catholicam jungere: quod si quis sciens (aliâ tamen quam Confessionis viâ) & volens attentaret, Suspensionem ab Ordinum suorum executione *ipso facto* incurreret (*r*); ac Regiâ Declaratione cautum est, ne, quocumque prætextu, Catholici cum Pseudo-Reformatis nuptiarum fœdere jungeretur (*s*). Et verò in his Matrimoniis frequenter occurrit subversionis periculum, aut saltem Catholicæ Religionis exercendæ, prolisque in ipsa educandæ magna difficultas. Hinc sanctæ Romanæ Sedis Pontifices connubia hujusmodi plerumque non concedunt nisi summis Principibus, quorum nuptialia fœdera cum Religionis atque Imperii statu conjunctionem habent arctissimam. Sic Clemens VIII cum Duce Barriensi dispensavit, ut Catharinam, Henrici IV Galliæ Regis sororem Pseudoevangelicæ Reformationis sequacem, uxorem duceret. Sic indulsit Urbanus VIII, ut Henricia, Ludovici XIII Regis pariter Christianissimi soror, Carolo I Majoris-Britanniæ Regi nuberet, modò dictam Reformationem profitenti (*t*). Ubi autem cum Catholica Matrimonio jungitur Hæreticus, aut vicissim, nulla impenditur Benedictio (*u*). Quòd si deindè Pars Hæretica sese ad Catholicam fidem convertat, quamvis de hujusmodi Casu nihil universè constitutum inveniamus, nihil tamen impedire videtur quin solemni Ritu in Ecclesia benedicantur ambo conjuges,

(*r*) *Rit. Parif. D. Joannis Franc.* de Gondy, *primi Parif. Archiep. auctorit. editum*, *an.* 1654. *Et Rit. an.* 1777, *pag.* 355. (*s*) *Déclar. de* 1680.
(*t*) *An.* 1625.
(*u*) Ita decrevit *Clem. VIII.*

ut ex illa Benedictione quidquid gratiæ consequi possint, consequantur. Idem dicendum est de viro & muliere, qui, postquàm in conventiculo Hæreticorum Matrimonio aliàs legitimo juncti fuissent, Catholicam Religionem amplecterentur (x). Qui autem in Infidelitate secundùm naturæ & Patriæ Leges conjuncti, ad Catholicæ fidei lumen oculos aperirent, in iis, quod initio simplex erat Contractus, accedente Sacerdotis Benedictione, Sacramentum procul dubio fieret.

Cùm de Matrimonio inter privatos agitur, si Pars Hæretica sese ad Catholicos transituram promittat, expectandus erit promissionis effectus, antequàm ad nuptias celebrandas admittatur. An verò priùs benedicendum sit Matrimonium, quàm Pars ad Catholicos transiens jamque ab Hæresi in foro conscientiæ absoluta, publicè ac solemniter in facie Ecclesiæ absolvatur, consulendus erit Ordinarius loci Antistes; & generatim similis Casus ad eum referendus.

Videant autem Parochi diligenter, ne quem recèns ab Hæresi conversum ad Matrimonii Sacramentum admittant, quin priùs justo temporis intervallo sincerum ipsius in Catholicæ Religionis professione animum perspexerint; & tunc pariter nihil, inconsulto Diœcesano Pontifice, definiant.

(x) Statut. *Claud. Sanctesii, Ebroïc. Episc. an.* 1576.

ARTICULUS VII.

VIS.

NON vis propriè dicta, sed metus. Quatuor conditiones requisitæ, ut conjugium ex metu irritum censeatur. Ut conjugium ex metu irritum per cohabitationem ratum & validum fiat, tres sunt conditiones necessariæ.

NON hìc sermonem instituimus de vi absoluta, seu coactione, quâ nempè ad aliquid faciendum, vel potiùs patiendum, invitus quispiam renitensque violenter compellitur, si v. g. in vincula aut carcerem illatâ vi conjiciatur; hæc enim corpori infertur, ejusque motus, reluctante omninò voluntate, extorquet: nedùm igitur cum libero aut voluntario in eos consensu subsistat, quin potiùs utrumque necessariò excludit. De metu verò hìc agitur, seu de mentis trepidatione, vel instantis vel futuri periculi causâ; qui quidem metus consensum parit non modò voluntarium, sed & absolutè liberum, tametsi aliquâ ex parte involuntarium,

involuntarium, ut potè qui, secluso metu, non præberetur: quemadmodùm ex eo manifestum est, qui metu mortis ex naufragio imminentis, merces in mare projicit, ut vitam sibi servet incolumem. Nec tamen, qualicumque metu posito, Impedimentum dirimens constitui existimandum est. Ad hoc siquidem non sufficit levis metus, quo scilicet timetur leve malum, aut etiam grave, sed quod probabiliter non imminet; qui proindè levi nititur fundamento, & in solum cadit animum levem, imprudentem, constantiæ & firmitatis expertem. Talis utique timor connubialem non impedit consensum. Nec enim quæ levia sunt, maximarum rerum ordinem pervertere debent aut possunt, earum imprimìs, quibus continetur humana societas, cujusmodi est Matrimonium. Justam prætereà querelam aut excusationem non habet talis metus, cùm facilè excuti possit, & ex sola timentis culpa profluat, qui proindè ex propria voluntate potiùs quàm ex metu conjugium inire censendus est.

Itaque Matrimonium non dirimit metus, nisi gravis, injustus, causæque liberæ & externæ ministerio incussus, eoque fine ut consensus in Matrimonium extorqueatur. Præcipuè verò gravem esse metum necesse est, qui nempè cadat in virum fortem atque constantem, propositique prudenter tenacem, nec ab eo facilè aut sine justa causa dimovendum; qui insupèr ejus animum commovere meritò censeatur, non solùm ex magnitudine mali cujus timor incutitur, verùm etiam ex gravi timoris illius causâ, justoque fundamento. Porrò, ut grave sit malum quod timetur, id tale oportet esse, ut ad illud sustinendum, ejusque metum superandum, vir constans maximam sibi vim adhibere debeat. Ut autem ex gravi causa profluat metus, justoque fundamento nitatur, necesse est ut malum inferri queat, & inferendum meritò censeatur, nec illud avertere possit is qui metuit. Hujusmodi est metus mortis, mutilationis, plagarum, exilii, gravis & diuturni carceris, spoliationis rerum, fortunæque & statûs eversionis, sive alterius cujuslibet durissimæ tractationis, damnive ingentis, quod quisque vel sibi, vel personis arctissimâ secum necessitudine conjunctis, non leviter, sed justè judicet imminere, nisi consensum, à quo mens refugit, obsequiosa lingua pronuntiet. Licèt verò consensus simpliciter & absolutè liber, seu libertatis gradus ad *meritum* ac *demeritum* requisitus, metu gravi non perimatur, cùm tamen ille metus directè graviterque repugnet intimæ societati animorumque conjunctioni, quam ipsa Matrimonii natura postulat, ideòque eum libertatis gradum qui ad Matrimonium requiritur, vel penitùs auferat vel insigniter & injuriosè lædat; hinc videlicet consensum, ipsumque adeò Contractum connubialem, vel ipso Jure naturæ irritum facit, vel saltem, naturâ jubente, irritum declarandum; quem idcircò nullius roboris esse sanxerunt Leges positivæ: sicque Matrimoniorum plenæ perfectæque liber-

tati consultum meritò voluerunt (*a*). Undè Ecclesia potentes compescere voluit, ne cogitatent quidem ullam in tanti momenti negotio vim subjectis inferre. Quin etiam in temporales dominos ac Magistratus ita nefariè agentes, ut Matrimonii libertatem audeant directè vel indirectè violare, anathematis pœnam, quam *ipso facto* incuttant, pronuntiat Tridentina Synodus (*b*).

Fieri tamen potest ut metus naturâ levis, multam, respectu personæ cui infertur, contineat gravitatem. Sic minæ quibus mediocriter moveretur vir magnanimus, gravissimo nonnunquam timore puellam afficere possent, vel sexu timidam, vel ingenio pusillanimem: & tunc ablata censeretur consensûs libertas, adeòque irritum Matrimonium (*c*). Sed metus quem parit obsequium & reverentia, quique *reverentialis* vulgò nuncupatur, qualis in filium ingenuum cadere potest, qui nolit patri non obtemperare; aut in famulum, qui vereatur ne heri benevolentiâ excidat, non sufficit ut irritum fiat Matrimonium, nisi minæ detonuerint, vel dutum aliquid sævierit, quo timor ille vehementer augeatur (*d*). Semper autem, in dubio gravitatis ex parte vis aut metûs, tuenda est conjugii stabilitas.

Præterea necesse est ut incussus fuerit metus contra fas & rationem, & cum metuentis injutiâ. Si enim auctoritate publicâ & legitimâ illatus fuisset, ratum nihilominùs constaret Matrimonium. Sic validè contraxisset, qui virginem aut viduam à se raptam vel stupratam, uxorem non duxisset nisi ob Sententiam Judicis, præsentem alioqui mortem intentantis (*e*).

Requiritur etiam ut vis à causa libera & externa proficiscatur. Qui se connubiali fœdere non obstrinxisset, nisi ad vitandum morbum, quem, secluso Matrimonii usu, vitari à se non posse existimasset, is profectò sui conjugii dissolutionem frustrà in Judicio persequeretur.

Postremò requiritur ut timoris illius incussi finis fuerit Matrimonium. Nam v. g. si quis propter æs alienum in carcere detentus, ac metuens ne totam vitam in vinculis exigeret, creditoris sui filiam uxorem duxerit; is quidem suo non poterit Matrimonio reclamare, cùm metus ille non ipsi causa contrahendi, sed tantùm occasio fuerit.

JAM verò (quod sedulò notandum est) qui Matrimonio invitus assentiretur, illud sine gravi peccato consummare non posset, nisi conjugium eo ipso ratum habere vellet. Et quidem Matrimonium ratione metûs irritum, suam obtinet validitatem per secutam coha-

(*a*) *S. Clem. Al.* Strom. *l.* 2. *Greg. IX*, c. 29. tit. 18. c. 4. *Vide Stat. Syn. D. Steph.* Poncher, *Paris. Episc.* de Sacram. Matrim. *in Synodico.*

(*b*) *Sess.* 24. de Ref. Matrim. *cap.* 9.

(*c*) *Alex. III*, l. 4. tit. 1. c. 6.

(*d*) *ff.* l. 23. tit. 2. le. 22.

(*e*) C. 36. q. 1. c. 8. l. 4. tit. 8. c. 1.

bitationem verè & ex animo spontaneam, etiamsi non secuta fuerit thori communitas (*f*). Ea enim cohabitatio signum est novi internique consensûs, qui solus ad Matrimonii validitatem deerat. Ut autem ex irrito ratum sic fiat Matrimonium, tria requiruntur: 1°. Ut cohabitatio vel copula spontè & affectu maritali, id est, animo conjugaliter vivendi habita fuerit (*g*): si enim non liberè, sed pariter ex gravi metu sequatur ipsa copula, lethaliter peccant ambo contrahentes, ut potè actum exercentes merè fornicatium; neque hinc ratum habebitur connubium. Requiritur 2°. ut Pars metum & vim experta, hoc suum conjugium irritum fuisse non ignoret: si enim spontè cohabitet aut conjugaliter vivat ex errore, quòd scilicet validum credat Matrimonium, nunquam illud ratum habebitur; nihil quippè tam consensui repugnat quàm error. Requiritur 3°. ut adhùc perseveret consensus Partis quæ metum incussit, vel spontè contraxit; nam ad Matrimonii validitatem necessarius est utriusque Partis consensus simultaneus, saltem moraliter. Porrò ut Matrimonium, suppleto consensu, ex irrito ratum fiat, nihil novæ solemnitatis opus est, nisi fortè metus incussus in Judicio probari possit; tunc enim coram Parocho & Testibus consensum renovati oporteret.

(*f*) C. 1. de Sponsalib. (*g*) *S. Thom. S. Bonav. S. Antonin.*

ARTICULUS VIII.

ORDO.

CLERICI majores ad Matrimonium inhabiles. Inter Impedimenta Voti Monastici & Ordinis sacri quid intersit.

ORDO sacer est Matrimonii contrahendi Impedimentum dirimens. Subdiaconatus videlicet, Ordinesque superiores idem Impedimentum constituunt ac Votum solemne castitatis in Religione approbata nuncupatum: ita ut Clerici majores, sicut & Religiosi solemniter professi, ad Matrimonium inhabiles reputentur (*a*). Cùm autem Clericorum majorum cælibatus non divini sit Juris, sed tantùm Ecclesiastici, in hoc Impedimento dispensari potest: quæ tamen Dispensatio summis duntaxat Principibus conceditur, & quidem non sine causis

(*a*) *Conc. Melphit. an.* 1089. *Later. II, an.* 1139, can. 7. *Trid. Sess.* 24. de Matrim. *can.* 9. *Calixt. II*, d. 28. c. 8. *Decret. Siricii Papæ, an.* 386. *Vide Thomass. & Morin.*

gravissimis, quales sunt maxima universi Regni utilitas, & Regiæ familiæ respectus, alioqui prorsùs extinguendæ.

Jam verò potest aliquis Ordine sacro initiatus contrahendi Matrimonii facultatem obtinere, 1°. per Rescriptum *gratiæ*, seu per Dispensationem: 2°. Per Rescriptum *justitiæ*, cùm ex gravi & injustè incusso metu Ordines suscepit. Rescripta *justitiæ* vix unquam iis conceduntur qui Ordinis sacri functiones rite obierunt; sic enim suam Ordinationem ratam habuisse censentur. Aliud esset, si probaretur Ordinis executionem non minùs coactam fuisse quam susceptionem.

Porrò, ut jam suprà observatum fuit, Clericis majoribus (quemadmodùm & Religiosis) cùm Votis suis reclamant, nihil prosunt (saltem quoad Matrimonium & effectus civiles) Sedis Apostolicæ Rescripta, nisi à Judicibus ad hunc finem delegatis admissa fuerint.

CÆTERUM in hoc inter se discrepant Impedimenta Voti Monastici & Ordinis sacri, quòd Votum Monasticum ab uno conjuge ante Matrimonii consummationem solemniter emissum, conjugalem nexum ita dissolvat, ut Parti alteri omninò integrum sit aliud sibi vinculum innectere; contrà verò susceptus Ordo sacer post legitimum connubium, non hoc rescindat, quamvis tantummodò ratum & non consummatum.

ARTICULUS IX.

LIGAMEN.

LEGITIMI conjugii nexus, quoad subsistit, aliud conjugium excludit. Quid hac in re Pastoribus cavendum. Quomodò viduitas probata censeatur. Mulier bonâ fide iterùm nupta, vivente legitimo conjuge. Cùm de hujus vitâ dubitatur, quomodò in novo conjugio sit agendum. Prudentia Pastorum erga adventitios qui se conjuges esse affirmant.

PER *Ligamen* intelligitur *Nexus Matrimonii legitimè contracti, etiam non consummati*. Desumitur hoc Impedimentum ab unitate simul & indissolubilitate Matrimonii, quod Christus Dominus à polygamia & divortiis olim toleratis in primitivam formam atque sanctitatem vindicavit, ut in posterùm esset, quemadmodùm ab initio fuerat institutum, individua unius viri cum una muliere societas. Undè Apostolus, *Quæ sub viro est mulier*, inquit, *vivente viro, alligata est legi* connubii: *si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est à lege viri* (*a*). Ea-

(*a*) *Rom.* 7. 2. *Vide* 1 *Cor.* 7. 39.

dem utique est viri erga uxorem conditio: utroque superstite, neuter aliud conjugium inire potest; & quicumque illud attentaret, non Matrimonio jungeretur, sed adulterio pollueretur (*b*).

CAVEANT igitur Pastores, ac diligentissimè caveant, ne quis in tanti momenti negotio suam intercipiat religionem. Neminem, qui fuerit anteà Matrimonio innexus, novo nuptiarum fœdere conjungant, nisi priùs certum de absentis conjugis morte testimonium exhibuerit (*c*), legitimâ auctoritate recognitum & confirmatum (1). Neque enim satis est ut quæ ad alias nuptias convolare intendit, pro certo habeat comparem ad extremas mundi oras translatum fuisse, vel audierit eum lethaliter in prælio vulneratum, vel de ipso per longum temporis intervallum nihil nuntii acceperit (*d*). Aliquandò enim ad uxorem quæ se viduam existimabat, ex improviso rediit maritus, qui absens fuerat, alius annos jam viginti, alius triginta, alius tres & quadraginta.

Ac primò quidem, viduitas, ut plurimùm, non censeatur probata nisi testimonio ex Parochiæ in qua decesserit vel sepultus fuerit conjux qui mortuus perhibebitur, mortualibus Codicibus excerpto; quod videlicet apographum (2), exscriptum fideliter, & cum exemplari archetypo (3) diligenter collatum, & proprio chirographo munitum tradiderit Parochiæ Rector seu Vicarius, aut Scriba Judicis Regii, penès quem fuerint transcripti illi Codices. Quæ Parochia si sit alienæ Diœcesis (aut etiam ejusdem, cùm affertur ignota subscriptio), exceptum ejusmodi testimonium non admittatur, nisi Episcopi sigillo, ejusque aut Vicarii-generalis subscriptione, vel Judicis Regii signo roboratum (4).

Si defuncti conjugis neque mors, neque sepultura in mortuales Codices relata occurrant; vel si non extent hujusmodi Codices, eò quòd vel combusti fuerint, vel deperditi, vel omninò non conscripti; admitti poterit superstes conjux ad probandam per Titulum & per Testes mortem alterius conjugis. Nullus porrò, in illis rerum angustiis, certior Titulus desiderari potest, quàm si Pastoris, à quo celebratæ fuerint Exequiæ, testimonium, subscriptis testibus, afferatur. Cæterùm, ad vitandam omnem fallaciam, deficiente testimonio è mortualibus Codicibus excerpto, Litteræ testimoniales quæcumque aliæ, non priùs ut certissimæ atque indubitatæ, quales requiri oportet, à Parochis admittantur (si præsertim afferantur è longinqua regione), quàm à Nobis aut Vicario nostro generali visæ & approbatæ fuerint.

(3) Original.

(4) Légalisé.

(1) Légalisé.

(2) Copie.

(*b*) *Rom.* 7. 3. *Vide Stat. Syn. D. Steph.* Poncher, *Paris. Episc.* de Sacram. Matrim. *in Synodico.*

(*c*) *Ibid. Ex Stat. Syn. D. Eust.* du Bellay, *n.* 32, de Matrim. *Ibid.*

(*d*) *S. Basil.* Epist. canon. *can.* 31. *S. Aug.* de adult. conjug. *c.* 13. *C.* 2. de sec. nuptiis. *Clem. III*, *l.* 4. *tit.* 1. *c.* 19. de Sponsalib. &c. *Conc. Rotom. sub Alex. II*, *an.* 1070. can. 18.

Cùm viduæ iterùm nubere cupienti nihil in scripto suppetit, quo possit mariti decessum probare, superest ut hæc ad probandum per Testes admittatur. Eo in casu, ad nostrum Officialem supplex dirigitur Libellus, ut isto probationis genere uti liceat. Posteà causæ Cognitor (1) designatus, Inquisitionem (2) à se factam ad nostrum Officialem refert: & cùm sufficientes judicantur testificationes ut constet maritum illum è vivis excessisse, fertur Sententia, quæ Patocho Partium contrahere cupientium loco sit testimonii è mortualibus Codicibus excerpti.

(1) Commissaire.

(2) Enquête.

Ut constet de morte militis in prælio vel obsidione occisi, requiritur testimonium Centurionis (3), vel, deficiente Centurione, *Majoris*, sive alterius ordinum ductoris in Legione (4). De morte navalium sociorum testificari etiam possunt navium Eleemosynarii, aut Præfecti (5): sed hujusmodi testimoniis, inconsulto Diœcesano Pontifice, non facilè credant Pastores, ne fortè suppositia pro veris ad manum porrecta illos decipiant.

(3) Capitaine.

(4) Major, ou autre Officier du Régiment.

(5) Capitaines de Vaisseaux.

Quod si verò mulier novo Matrimonio juncta, certo disceret priorem conjugem in vivis ahùc superesse; quamvis bonâ fide cum alio contraxisset, imò etiam prolem ex eo suscepisset, nihilominùs deberet cum reduce priore marito habitare (*e*), derelicto altero, cui nempè in irritum nupsisset. Attamen filii ex novo Matrimonio bonâ fide suscepti, pro legitimis haberentur, saltem in foro Ecclesiæ: quin etiam tales nonnunquam habiti sunt in foro seculari; cùm Judices (positâ conjugum bonâ fide, pro qua facilè præsumunt, nisi aliud requirant circumstantiæ) tueantur susceptos eo in casu liberos, posthabitâ collateralium avidorum utilitate; qui scilicet causam obtinere non possunt, quin prædicti liberi (utique insontes) ignominiæ simul & miseriæ addicantur (*f*). At verò non censeretur fœmina superstitem conjugem certò didicisse, si nihil circa ipsum audivisset nisi ex vago rumore, qui sæpiùs falsa promiscuè & vera disseminat, vel ab ignotæ fidei testibus. Si miles ex acie reversus, & qui vir probus habeatur, mulieri dicat maritum ipsius visum à se in *tali* loco fuisse; hæc, priùs consulto Pastore vel Confessario, debiti conjugalis petitionem suspendere tenetur, donec pleniorem acquirat rei notitiam; quia nempè, licèt testis unus, quantæcumque fuerit auctoritatis (*g*), certam fidem non faciat, tamen dubiam facere videtur.

Quòd si mulier de vita prioris mariti qui bonâ fide cum ipsa contraxerit, anceps hæreat, dubium-

(*e*) *C.* 2. de sec. nuptiis. *S. Basil.* can. 46. *S. Leo*, Ep. 79. (*al.* 129.) *c.* 1. *Conc. in Trull.* can. 93.

(*f*) Supremi Senat. Parif. Decretum, 13 *Junii* 1656. Vide *Libr. qui inscribitur* Causes Célèbres, rédigées de nouveau par M. Richer; *tom.* 3. *Cause dernière*: L'Enfant adultérin déclaré légitime.

(*g*) *C.* 28. de testib.

que sit probabile ac discretum; cum secundo marito remanens, & rei veritatem interim perquirens, conjugale *debitum reddere* quidem *potest, sed postulare non debet; ne, vel contra legem conjugii, vel contra judicium conscientiæ committat offensam* (*h*). Si tamen dubiam *hujusmodi conscientiam habeat ex credulitate levi ac temeraria*, non autem *probabili ac discretâ; jus connubii non solùm reddere, sed exigere licitè potest* (*i*).

Postquàm fœmina dubii sui rationes novo marito exposuit (quod quidem aliquandò potest atque etiam debet, cùm nihil indè imminet periculi), & is pariter dubitare incipit, tunc Matrimonii debitum petere vel reddere neuter jam potest, quia neuter in pacifica possessione est. Idem multò magis dicendum est, si dubiâ fide contraxerit conjux uterque; juris enim possessio, neque cum mala, neque cum dubia fide inchoatur. Uno verbo, in his dubii casibus sese gerere debent conjuges, quemadmodùm infrà ex professo dicetur (*k*).

Porro cùm adveniunt ignoti, ut domicilium in Parochiâ non suâ constituant, seque conjuges esse affirmant, testimonium exhibere debent, per quod manifestum fiat ipsos legitimo esse Matrimonio conjunctos. Et quidem Pastoribus, quantùm efficere & consequi possunt, diligenter cavendum est, ne quis in Parochia sua mulietem uxoris loco domi habeat, quam non sibi justo nuptiarum fœdere sociârit. Ejusmodi vir & mulier admoneantur ut quamprimùm à se invicem discedant: quòd si parére abnegent, ad Ecclesiasticæ Curiæ Judicem deferantur.

(*h*) *Inn. III, cap.* Inquisitioni, 44. *de sent. Excomm. l.* 5. *tit.* 39.

(*i*) *Ibid.*

(*k*) *Div. VII, cap.* 1.

ARTICULUS X.

HONESTAS.

Quid & quotuplex sit Honestas. *Quædam circa utramque speciem generaliter observata.* Honestas è Sponsalibus *ad primum utriusque Lineæ Gradum restricta. Quatuor conditiones requisitæ ut Sponsalia* Honestatis *Impedimentum pariant.* Honestas ex Matrimonio rato, sed non consummato, *ad quartum utriusque Lineæ Gradum extenditur. Idem dicendum de Matrimonio irrito, duobus casibus exceptis. Cur institutum fuerit hoc Impedimentum. In eo dispensat Ecclesia.*

Honestas, seu, ut loquuntur Canones, *justitia publicæ honestatis* (*a*), prout in præsenti instituto accipitur, est *Propinquitas seu con-*

(*a*) *Alex. III*, Decretal. *l.* 4. *tit.* 2. *cap.* 4.

junctio, sive ex Sponsalibus, sive ex Matrimonio rato, sed nondùm consummato, inter alterum sive sponsum (1), *sive conjugem, & alterius sive sponsi, sive conjugis consanguineos exorta.* Utraque honestatis publicæ species, tum quæ ex Matrimonio rato & non consummato, tum quæ è Sponsalibus oritur, Jure Ecclesiastico veteri novoque, & Civili, idem Impedimentum inter easdem personas efficit. Quæ quidem Disciplina unanimi consensu recepta est, atque apud ipsos Græcos obtinet. Ad solos autem extenditur consanguineos, non verò ad affines, cùm de his minimè loquantur Leges quæ hoc Impedimentum statuunt. Hinc, licèt *Julius* nullam (usque ad certos gradus infrà exponendos) validè possit uxorem ducere consanguineam defunctæ *Terentiæ* sibi anteà desponsatæ, vel junctæ Matrimonio quod non fuerit consummatum; sibi tamen sociare conjugem potest ejus affinem quamcumque, etiam maximè propinquam, v. g. patris, filii, aut fratris viduam: ac vicissim *Terentiæ* licitum est cum *Julii* affinibus conjugium inire. Hoc porrò Impedimentum è Sponsalibus aut Matrimonio ita nascitur, ut, iis dissolutis, non idcircò tamen auferatur, sed adhùc permaneat (*b*). Hinc, licèt Matrimonium aut Sponsalia dissoluta fuerint, vel contrahentis alterutrius morte, vel Monasticæ Religionis ingressu, vel communi consensu, vel Officialis Sententiâ, nihilominùs permanet Impedimentum ex iis natum; quò nempè fit ut neuter ejusmodi sponsorum (2) aut conjugum Matrimonio jungi sine Dispensatione possit cum alterius consanguineis, intrà certos Gradus pro diversâ *Honestatis* specie diversos.

(1) Fiancé.
(2) Fiancés.

IMPEDIMENTUM *Honestatis è Sponsalibus* exortæ, olim, Jure veteri, ad quartum Lineæ tum rectæ tum collateralis Gradum extendebatur (*c*); sed illud, Jure novo, Tridentina Synodus ad primum utriusque Lineæ Gradum restrinxit (*d*) Hinc *Julius*, dissolutis Sponsalibus quæ priùs cum *Terentia* contraxerat, hujus sive matrem, sive filiam, sive sororem ducere uxorem non potest, eò quòd istæ omnes in primo Lineæ sive rectæ sive collateralis Gradu consanguineæ sint *Terentiæ* priùs *Julio* desponsatæ; aliam tamen quamlibet ejus consanguineam potest in conjugem sibi assumere: idemque de *Terentia*, *Julii* consanguineorum habito respectu, dicendum est.

Porrò *Honestatis* Impedimentum non quæcumque pariunt Sponsalia, verùm ea duntaxat quæ certis induta fuerint conditionibus; quarum prima est ut valida sint, id est, inter personas ad ineundum inter se Matrimonii fœdus habiles contracta. Quæ quidem Disciplina novo similiter Concilii Tridentini Jure san-

(*b*) *Alex. VII, an.* 1658.
(*c*) *Alex. III*, l. 4. tit. 2. c. 6. *Bonif. VIII*, *cap. unic.* de Sponsalib. *in* 6.
(*d*) Suprà.

cita fuit (e), cùm, ex veteris dispositione, Sponsalia aliter quàm ex defectu consensûs irrita, illud Impedimentum inducerent (f).

Ex hac prima conditione sequitur 1°. non exurgere *Honestatis* Impedimentum è Sponsalibus cum Impedimento dirimente contractis, exempli causâ, cum Voto solemni, Ordine sacro, &c. Eo igitur in casu, Pars ab ejusmodi Impedimento libera, Matrimonium sine Dispensatione cum alterius vel in primo Gradu consanguineis validè contrahere potest. Sequitur 2°. *Julium*, si, priùs cum *Terentia*, postmodùm verò cum *Fulvia Terentiæ* sorore Sponsalibus celebratis, hac derelictâ, cum *Terentia* priore sponsa (1) Matrimonium contraxit, validè contraxisse. Cùm enim Sponsalia posteriora cum *Fulvia Terentiæ* sorore celebrata, irrita essent propter Impedimentum *Honestatis* ex prioribus inductum, ex illis quidem *Julium* inter & *Terentiam* existere non poterat Impedimentum dirimens; imò neque existere posset ex Matrimonio quod cum ipsa *Fulvia* contraxisset *Julius*, & non consummasset; hoc enim Matrimonium, propter inita priora Sponsalia, irritum esset; Matrimonium verò quod irritum facit *Honestas publica è Sponsalibus*, nullum parit Impedimentum; habetur scilicet tanquàm mera Sponsalia pariter irrita, ideòque nullum effectum parere valentia (g). Idem propter eamdem rationem est dicendum, si Sponsalia cum *Terentia* celebravit *Julius*, ac deindè *Pomponius*, *Julii* frater, Matrimonium cum eadem iniit, sed non consummavit. Quòd si verò Matrimonium ejusmodi, quod cum *Fulvia* contraxit *Julius*, per nefas consummavit, in tali Casu, neutram accipere conjugem validè potest; non *Fulviam*, propter *Honestatis* Impedimentum è Sponsalibus antehàc cum *Terentia* ipsius sorore legitimè celebratis; non *Terentiam*, propter Impedimentum *Affinitatis ex illicita copula* cum Fulvia ejus sorore. Sequitur 3°. si *Julius* antequàm Sponsalia cum *Terentia* contraheret, *Fulviam* ejus sororem carnis opere cognoverit, ab eo sine Dispensatione ad forum internum *Fulviam* posse uxorem duci; quia nempè Sponsalia cum *Terentia* irrita fuerunt propter *Affinitatem illicitam* ex prævia copula cum ejus sorore: non posse verò illum, propter eamdem *Affinitatem*, cum *Terentia* Matrimonio jungi. Si, è contrario, cum *Fulvia* non peccaverit *Julius*, nisi postquàm Sponsalia cum ipsius sorore *Terentia* celebraverit, indè fiet ut ipse neutram ducere jam possit; non *Fulviam*, propter *Honestatis publicæ* Impedimentum è Sponsalibus cum ejus sorore validè contractis; non *Terentiam*, propter Impedimentum *Affinitatis illegitimæ* prævia Sponsalia irrita faciens. Scilicet *Affinitatis* Impedimentum retroagit, & præcedentia Sponsalia dissolvit: undè ab *Honestatis publicæ* Impedimento discrepat, quod quidem *ad dissolvendum præcedentia*

(1) Fiancée.

(e) *Conc. Trid.* ibid.
(f) *Cap. unic.* de Sponsalib. *in 6.*
(g) *Ibid.*

Sponsalia vim non habet retroactivam (*h*).

Quoniam verò, juxta veterem hujus Diœcesis consuetudinem, in Ecclesia coram Pastore benedicente celebrari debent Sponsalia, non hìc censentur valida esse, & consequenter *Honestatis publicæ* Impedimentum, aut simpliciter Impedimentum illud *Prohibens*, de quo superiùs (*i*), efficere, nisi solemniter in facie matris Ecclesiæ celebrata fuerint. Cæterùm (juxta communiorem opinionem) quibus in Diœcesibus nulla vigent Ecclesiastica Sponsalia, in iis per sponsionem privatam non sola inducitur conscientiæ obligatio, sed & *publicæ Honestatis* Impedimentum contrahitur.

Secunda conditio requisita ut è Sponsalibus exurgat *Honestatis publicæ Impedimentum*, est, ut certa ac determinata sint Sponsalia, id est, ut cum certa ac determinata persona contrahantur. Hinc nullus *Honestatis* Impedimento locus est, si v. g. *Helvidius* uni ex *Andreæ* filiabus indeterminatè, nullâque singulariter designatâ, sese Sponsalium fide astringat.

Tertia conditio est, ut Sponsalia sint absoluta, non autem ab eventu futuro & *contingente* suspensa. Si enim, nisi sub conditione, rata non haberentur; nondùm impletâ conditione, valeret subsequens Matrimonium v. g. *Lucii* cum sorore *Mathildis*, cui desponsatus anteà fuisset (*k*). Si verò *Lucius* post celebrata conditionaliter Sponsalia cum *Mathilde*, nova Sponsalia, etiam absolutè, cum ejus sorore contrahat; *Lucio* ducenda erit *Mathildis*, non ejus soror. Priora enim Sponsalia legem imponunt expectandi eventum conditionis; quo quidem in incertum pendente, non licet rem alicui sub conditione promissam alteri transmittere. Valeret tamen *Lucii* Matrimonium cum *Mathildis* sorore contractum; Sponsalia enim conditionaliter celebrata, tunc solùm *Honestatis publicæ* Impedimentum inducunt, cùm, impletâ vel sublatâ conditione, fiunt absoluta (*l*).

Quarta conditio est ut non ante septennium celebrata fuerint Sponsalia; alioqui, nulla intercedit *justitia publicæ Honestatis* (*m*).

IMPEDIMENTUM *Honestatis publicæ ex Matrimonio rato, sed non consummato*, usque ad quartum inclusivè utriusque lineæ gradum extenditur; vetus quippè hac in parte disciplina non fuit à Concilio Tridentino mutata, sed antiquo in statu relicta; posteà verò positivè firmata est (*n*). Hinc mulier cujus Matrimonium non fuit consummatum, sive quòd Religionem solemniter professus est maritus, sive quòd ille improvisâ morte occubuit, cum nullo ipsius usque ad

(*h*) *Ibid.*
(*i*) *In hac Div. cap.* 2.
(*k*) *Cap.* de Sponsalib. *sup.*
(*l*) Ibid.
(*m*) *Alex. III*, sup. *c.* 4. *De Sponsf. in* 6. *tit.* 2. *c.* 1.
(*n*) *Gratiani Decretum*, *parte* 2, *causâ* 27, *quæst.* 2. *can.* 11. 14. 15. *S. Pius V*, *Bull.* Ad Romanum, *an.* 1568.

quartum gradum consanguineo potest nuptias contrahere: eademque prorsùs mariti conditio est erga uxoris consanguineos.

Licèt verò, ut dictum est, Sponsalia invalidè contracta *Honestatis publicæ* Impedimentum non efficiant, hoc tamen ipsum (ut docent plerique Theologi) ex Matrimonio irrito exurgit, & ad quartum gradum extenditur, non secùs atque illud quod ex Matrimonio validè contracto nascitur. Jure tamen excipitur duplicis generis Matrimonium irritum; alterum scilicet in quo defuit consensus, ut in ebrio, in amente, in eo qui vi aut gravi metu coactus, vel errore personæ deceptus est; alterum, quod Pars alterutra, initis jam validè cum alterius Partis consanguineo Sponsalibus, contraxit: tunc enim ejusmodi Matrimonium quasi mera Sponsalia esse censetur; quæ cùm posteriora sint, prioribus validè celebratis irrita nulliusque roboris fiunt. Atque hæc gemina exceptio Juris Canonici dispositione declaratur & statuitur (*o*).

Porro duplex hujusmodi *Honestatis publicæ* Impedimentum, propter quamdam affinitatem seu propinquitatem apparentem, constituit Ecclesia. Qui enim Sponsalia vel Matrimonium cum aliqua personâ contrahit, is, vel ante Matrimonii celebrationem aut consummationem, cum illius personæ consanguineis vinculo quodam jungitur; cujus vi decere non videtur, ut cum iis, quasi prorsùs alienis, Matrimonii fœdus ineat.

Ex dictis autem sequitur geminum hocce Impedimentum, cùm nec Jure naturali, nec divino, sed Ecclesiastico duntaxat constitutum fuerit, Ecclesiæ auctoritate relaxari posse, quippè quæ in legibus quas ipsamet sanxit, dispensandi potestatem habet.

(*o*) *Cap.* de Sponsalib. *sup.*

ARTICULUS XI.

AMENS.

AMENTIA perpetua Matrimonium dirimit, non vero animi imbecillitas aut levitas, nec senectus.

JURE naturali, ad Matrimonium contrahendum inhabiles sunt qui perpetuâ insaniâ laborant; furiosi, tempore furoris; mentis prorsùs inopes (*a*); & senes, quorum ratio annis fatiscens penitùs defecit. In his omnibus vel nunquam extitit, vel, cùm priùs extiterit, posteà om-

(*a*) C. 32. q. 7. c. 26. *Inn. III*, l. 4. tit. 1. c. 24.

ninò defecit usus rationis; nullus proindè in his esse potest consensus, quo tamen secluso, nullus est connubiali fœderi locus (*b*).

Qui non perpetuò amentes sunt, si in lucidis intervallis consenserint, ii quidem validè contraxerunt: quanquam ad contrahendum, inconsulto Diœcesano Pontifice, non sunt facilè admittendi; liberos enim rectè pièque, ut decet, instituere vix posse judicantur (*c*).

Validè pariter conjugium ineunt qui imbecillo sunt animo, sed non eò usque ut hinc perimantur & ratio & libertas. A nuptiis tamen, si fieri possit, abstetrendi sunt hujusmodi homines; tum propter funestos recurrentis amentiæ debilisve ingenii effectus; tum quia prolis educatio Christiana, qui præcipuus conjugii scopus meritò habetur, vix potest à conjugibus in hoc miserrimo statu constitutis expectari. Quòd si apud Parochum instet familia ut tales personas Matrimonio jungat, ante omnia consulat Pastor Diœcesanum Antistitem, ne gravibus sese objiciat incommodis. Parochus autem cui denuntiata fuisset inhibitio à Judice facta, ne quædam persona, propter mentis imbecillitatem, conjugium iniret, ei Nuptialem Benedictionem concedere non posset, quin priùs sublata fuisset inhibitio.

Extra hujus Impedimenti ordinem similiter posita est animi levitas, quæ consensum non infirmat, nec tollit rei propositæ cognitionem; undè ex ea non dirimitur conjugium.

QUOD ad senes pertinet qui, licèt provectissimæ ætatis sint, liberi tamen & voluntarii consensûs emittendi sunt capaces, eos quidem à contrahendo Matrimonio repellere non valet Pastoris auctoritas; sed illos ipse communitùs debet, quantùm potest, ab ejusmodi proposito deterrere, cùm præsertim juvenculas puellas uxores ducere intendunt; ex his enim conjugiis malè copulatis plurima infanda pullulare infelix docet experientia.

(*b*) *Idem*, *cap.* Dilectus, *de Spons. & Matrim.*

(*c*) *Sylvius*, in Suppl. S. Thom. *q.* 58. a. 3.



ARTICULUS XII.

AFFINIS.

QUID sit Affinitas. In qua Linea, quibus in Gradibus & quo Jure inter affines irritum sit Matrimonium. Affinitas legitima, *quousque in utraque Linea extendatur.* Affinitas illegitima *Jure novo restricta : quandonam sit vel non sit ei locus. Inter quos contrahatur Affinitas. Affinitatis effectus. Cur institutum sit hoc Impedimentum, & quid circa ipsum relaxet Ecclesia. De hoc Impedimento à Confessariis aliquandò admonendi Pœnitentes.* Affinitatis illegitimæ connubio validè contracto supervenientis *quisnam sit effectus : duo consectaria. Observatio, cum duobus consectariis.*

AFFINITAS est *Propinquitas, consummato carnis opere, existens inter virum & consanguineas mulieris ab eo cognitæ, ac vicissim inter mulierem & consanguineos viri à quo ipsa cognita est* (*a*). Affinitas *inter ascendentes & descendentes*, non quidem Jure naturali (saltem juxta sententiam longè probabiliorem), sed tantùm Jure Ecclesiastico, Matrimonium dirimit in quocumque *rectâ Lineâ* Gradu; ita ut nulli viro cum avi, patris, filii aut nepotis (1) viduâ Matrimonium inire liceat; nec possit ulla fœmina cum aviæ, matris, filiæ aut neptis (2) viduo nubere (*b*). In *Linea collaterali* nullum similiter Affinitatis Impedimentum induxit Lex naturalis. Jacob, vir sanctus, duas sorores Liam & Rachelem conjuges habuit (*c*). Sed Mosaïcâ Lege varii Affinitatis sicut & Consanguinitatis gradus prohibiti fuerunt : scilicet Matrimonio jungi illicitum fuit cum vidua patrui aut avunculi (3); cum viduo fratris, vel cum vidua sororis (4); cum uxoris sorore, vel mariti fratre (*d*). Attamen Lex antiqua ceu pietatis officium præcipiebat ut frater uxorem duceret viduam fratris sine liberis defuncti, semenque fratri suscitaret, ne hujus nomen oblivione deleretur (*e*); & soboles ex eo conjugio suscepta, defuncto fratri per quamdam adoptionem posthumam attribui solebat. Hinc (juxta quorumdam opinionem)

(3) Avec la Veuve de l'Oncle paternel ou maternel.

(4) Avec la Veuve du Frere, ou le Veuf de la Sœur.

(1) Petit-fils.

(2) Petite fille.

(*a*) *Conc. Cabil. II, an.* 813. *v.* 815. can. 29.

(*b*) *Levit.* 18. v. 7. ad 18. & 20. 14. *Deut.* 22. 30. & 27. 20. 1 *Cor.* 5. 1. *ff. l.* 23. *t.* 2. *le.* 68.

(*c*) *Gen.* 29.

(*d*) *Levit.* 18. 14. 18. & 20. 17. 19. 20. *Deut.* 27. 22. *Matth.* 14. 4. *Luc.* 3. 19. *S. Basil.* can. 23. 76. *Conc. Rom. sub Greg. II, an.* 721. can. 9. *Rem. an.* 1049. can. 11.

(*e*) *Deut.* 25. v. 5. ad 11. *Ruth* 3. 4. *Matth.* 22. v. 23. & seq. *Luc.* 20. 28.

duæ Christi Salvatoris *Genealogiæ*, altera secundùm Matthæum (*f*), altera secundùm Lucam (*g*), eodem utique recidentes; sic enim sancto Joseph, Sponso Beatæ Mariæ Virginis, duo patres erant, unus per naturalem generationem, alter per istam Legis adoptionem. Atque etiamnùm, si quis cum mortui fratris uxore junctus Matrimonio Judæus occurreret, aliusve Infidelis, non esset hoc Matrimonium in Christianæ Religionis ingressu dirimendum.

Affinium (sicut & consanguineorum) primis Ecclesiæ seculis prohibita fuêre Matrimonia, & Levitici Leges de prohibitis Affinitatis Gradibus observatæ. Alii posteà interdicti sunt Gradus; sed non ubique & semper eodem termino. Ut constituatur quid nunc sit usu receptum, duplicis generis distinguenda est Affinitas: *licita* nimirùm, seu *legitima*, quæ ex Matrimonio consummato provenit; & *illicita*, sive *illegitima*, quæ ex fornicatione vel adulterio exoritur.

Iisdem Gradibus continetur *Affinitas legitima*, quibus ipsamet Consanguinitas: scilicet ad omnes rectæ Lineæ Gradus extenditur; & in Linea collaterali, usque ad quartum inclusivè (*h*). Ordinem Graduum Consanguinitatis sequuntur Affinitatis Gradus, & juxta illum computantur. Hinc uxoris in primo Gradu consanguinei, marito similiter in primo Gradu sunt affines. De cæteris Gradibus, pro ipsorum intervallo, idem dicendum est; & vicissim erga uxorem, de mariti consanguineis; ita ut, sublato è vivis alterutro conjuge, superstes valido sociari Matrimonio non possit cum ullo consanguineorum defuncti conjugis usque ad quartum Gradum inclusivè, qui scilicet ei sunt in eodem Gradu Affines (*i*). Nec verò Affinitas ex primo connubio contracta, per secundum conjugium tollitur (*k*): undè tertiis nuptiis jungi non potest bivira cum ullo primi mariti usque ad quartum Gradum inclusivè consanguineo. Itaque intrà illos Affinitatis, quemadmodùm & Consanguinitatis Gradus non Matrimonium jungeretur, sed incestus committeretur.

Ex alterius generis Affinitate, nempè *illicitâ*, sive *illegitimâ*, quæ alio nomine vocatur *Affinitas propter crimen*, similiter exurgit Impedimentum dirimens, quod olim usque ad quartum Gradum exten-

---

(*f*) *Cap.* 1.

(*g*) *Cap.* 3.

(*h*) *Conc. Later. IV, gen. XII, an.* 1215. *can.* 51.

(*i*) Affinitatis collateralis Gradus prohibiti.

Beau-frere & belle-sœur.
Beau-frere & fille de belle-sœur.
Beau-frere & petite-fille de belle-sœur.
Beau-frere & arriere-petite-fille de belle sœur.
Belle-sœur & beau-frere.
Belle-sœur & fils de beau-frere.
Belle-sœur & petit-fils de beau-frere.
Belle-sœur & arriere-petit-fils de beau-frere.

(*k*) *C.* 35. *q.* 10. *c.* 1. 2. 3. 4. Vide *q.* 2. *c.* 5.

debatur, sicut ipsamet *Affinitas legitima* (*l*); sed illud ex Decreto Concilii Tridentini, ad secundum Gradum inclusivè restrictum est (*m*). Si quis igitur fœminæ cujus connubium expetit, sororem, matrem aut filiam anteà carnis opere cognoverit, eam quidem in primo Gradu Affinitate continget. Eodem modo, si qua mulier à patrueli vel consobrino (1) viri à quo sit uxor ducenda, priùs cognita fuerit, huic erit in secundo Gradu affinis. E peccato in ulteriore Gradu nulla exurgit Affinitas quæ Impedimentum pariat.

Porrò mixtus Affinitatis legitimæ Gradus ex quarto vel superioribus (etiam primo, juxta potiorem sententiam) ad quintum; illegitimæ autem ex secundo, etiamque primo, ad tertium, non locum præbet Impedimento dirimenti; quia scilicet in Affinitate, quemadmodùm in Consanguinitate, Gradus prohibitus non computatur, cùm refertur ad Gradum non prohibitum.

Quod autem *Affinitatis illegitimæ* Impedimentum spectat, non illud contrahitur nisi opere carnis juxta naturæ ordinem completo, id est, ad prolis generationem per se idoneo; tale autem fuisse opus carnis totiès in foro externo præsumitur, quotiès constat habitam fuisse copulam. Hæc porrò, sive occulta remanserit, sive in vulgi cognitionem eruperit, æqualiter Affinitatis parit Impedimentum; & perindè est sive in eam consenserit mulier, sive ipsi reluctans, vi oppressa fuerit. Sed nulla exoriri potest Affinitas è Sodomitico congressu, per quam scilicet infandam turpitudinem vir & mulier una caro non efficiuntur (*n*).

JAM verò contrahitur Affinitas inter virum & consanguineas uxoris, vel mulieris quam illicitè cognovit, ac vicissim inter uxorem, vel mulierem illicitè cognitam, & consanguineos viri; non autem inter utriusque consanguineos (*o*). Si ergò *Manlius* cum *Tullia* copulam habuerit, ipse quidem affinis erit *Tulliæ* consanguineis; ita ut, defunctâ *Tulliâ*, uxorem ducere non possit ejus matrem, filiam aut neptem (2), imò nec ipsius ad quartum usque Lineæ collateralis Gradum consanguineas, si legitima fuerit copula quæ Impedimento locum dare supponitur. Idem de *Tullia* dicendum, [redacted] *Manlii* consanguineos habito respectû. Sed qui *Manlio* consanguinei sunt, iis prædictas *Tulliæ* consanguineas in conjuges sibi assumere licebit. Hinc *Manlius*, *Tulliâ* uxore ductâ, *Popiliam Tulliæ* sororem Affinitate sibi quidem conjunxit; *Lucius* verò *Manlii* frater, & *Popilia Tulliæ* soror nullam inter se Affinitatem contraxerunt: nihil proindè obstabit quin *Lucius & Popilia* justo ac legitimo connubio jungantur. Hinc, ex duabus respectivè familiis, pater & filius cum matre & filia, duo fratres cum

(1) Cousin-germain paternel ou maternel.

(2) Petite-fille.

(*l*) Ibid. *c.* 10. *Urb. III*, Decret. *l.* 4. *tit.* 14. *c.* 2.

(*m*) *Conc. Trid. Sess.* 24. de Ref. Matrim. *cap.* 4.

(*n*) *Urb. II*, C. 35. q. 2, c. 11.

(*o*) *Conc. Later. IV*, sup.

duabus sororibus, vel unus cum matre & alter cum filia, duo denique inter se consanguinei cum duabus inter se consanguineis validum possunt inire Matrimonium.

Nullus pariter Affinitatem contrahit, nisi cum solis personæ quam carnis opere cognovit, consanguineis, neque ad illius affines extenditur indè exorta propinquitas; *nec enim affinitas affinitatem parit*. Hinc scilicet ratum validumque est Matrimonium cum muliere quam viduam reliquit frater uxoris. Sic *Joannes*, consummato Matrimonio cum *Anastasia*, *Petri* sorore, Affinitatem quidem contraxit cum reliquis *Petri* sororibus & usque ad quartum Gradum consanguineis, sed nullam omninò cum *Cæcilia* ejus uxore, quæ propriæ uxoris *Anastasiæ* tantummodò affinis est; ita ut, defunctis *Anastasiâ* & *Petro*, liberum sit *Joanni Cæciliam* sibi conjugem sociare.

Itaque Affinitas, si Matrimonium antevertat, efficit ut qui uxorem ducere intendit fœminam cujus legitimè affinis est intrà quartum Gradum, aut illegitimè intrà secundum, Dispensatione opus habeat; quâ non impetratâ, irritum erit Matrimonium, & liberi ex eo suscepti pro illegitimis in foro Ecclesiæ habebuntur, saltem si ex utraque parte contractum illud fuerit malâ fide usque ad conceptam prolem perseverante. Et qui, *non ex credulitate levi ac temerariâ, sed probabili ac discretâ* (p), suspicaretur se cum fœmina peccasse, cujus sororem aut aliam in primo vel secundo Gradu consanguineam ducere cogitat, huic necessaria esset Dispensatio, sine qua dubius censeretur (saltem in foro Ecclesiæ) status liberorum quos ex tali conjuge susciperet. Porrò si invalidè & malâ fide, seu cum plena Impedimenti dirimentis conscientiâ, initum fuisset Matrimonium, posteàque per crimen consummatum; ex eo non ultra secundum Gradum induceretur Affinitatis (ut potè illegitimæ) Impedimentum dirimens. Si verò bonâ fide, licèt invalidè, initum fuerit conjugium; cùm nihil certi de hujusmodi Casu occurrat, illo eveniente, satius erit ut tota res Diœcesano Præsuli aperiatur.

Cæterum, quo sapientiæ consilio instituit provida Mater Ecclesia ut conjugiis obicem poneret Consanguinitas, eodem voluit irrita propter Affinitatem renuntiari Matrimonia.

Ex dictis autem facilè intelligitur Impedimentum Affinitatis, sive licitæ, sive illicitæ, in quocumque Lineæ, sive collateralis, sive etiam rectæ Gradu, Ecclesiæ auctoritate relaxari posse; proindè, non solùm Infidelibus qui in iis Gradibus Matrimonium contraxerunt, eam permittere posse, ubi ad fidem Catholicam conversi fuerint, ut in conjugio sic contracto permaneant,

(p) *Inn. III, cap.* Inquisitioni, 44, *de sent. Excomm. l. 5. tit. 39.*

verùm

verùm etiam absolutè posse cum ipsis Fidelibus dispensare ut iisdem in Gradibus Matrimonium contrahant. Nam, ut suprà innuimus, nec lege naturali, nec divinâ nunc obligante sic vetitum est aut irritum, ut non aliquandò ratum honestumque fieri possit.

Nusquàm hactenùs dispensavit Ecclesia super Affinitate legitima in primo Gradu *Lineæ rectæ*. Super Affinitate verò *ex copula illicita*, etiam in hoc ipso ejusdem Lineæ Gradu, aliquandò conceduntur eæ Dispensationes: hujusmodi enim conjugia non rescindit Jus naturale; & quod de ipsis statuerat Lex antiqua, non ligat plenitudinem potestatis quam prudenter exercet Legis novæ summus Pontifex. Si quis igitur in eo Gradu ante Baptismum fuisset connubio junctus (*q*), non esset propterea disjungendus. Sic videlicet quædam prohibent Concilia ne illorum Matrimonia dissolvantur, qui in Infidelitate conjugem duxerunt *relictam patris*, *filiam uxoris*, &c. (*r*).

Quod pertinet ad *Lineam collateralem*, super quocumque Affinitatis Gradu dispensat Ecclesia. Hinc, vel in primo Gradu, ob causas legitimas nonnunquam dispensârunt summi Pontifices. Sic Emmanueli Lusitaniæ Regi, mortuâ conjuge *Isabellâ Castilianâ*, indulsit Alexander VI ut sororem ejus *Mariam* duceret (*s*). Sic Julius II Henrico VIII Angliæ Regi concessit ut *Catharinam Arragonensem*, Arthuri fratris viduam, in conjugem assumeret (*t*): quam Dispensationem irritam fuisse cùm posteà contendisset Rex alio amore percitus, eam legitimè indultam fuisse, summâ deliberatione & consilii maturitate pronuntiavit Clemens VII (*u*). Sic etiam Joannes Casimirus V, Poloniæ Rex (*x*), cum *Ludovica Maria de Gonzaga*, Ladislaï Sigismundi fratris vidua, ex Innocentii X Dispensatione, conjugium iniit. Nec desunt privatorum exempla, qui, ut cum duabus successivè sororibus Matrimonio jungerentur, Dispensationem à sancta Sede Apostolica obtinuerunt (*y*).

Ad efficiendum autem ne conjugia attententur cum *Affinitatis illegitimæ* Impedimento, non abs re fuerit ut Confessarii, quandò ipsis in sacro Pœnitentiæ Tribunali declarantur peccata carnis in ordine naturæ consummata, moneant Pœ-

(*q*) Si v. g. vitricus privignam, si noverca privignum, si socer nurum, si socrus generum in conjugem sibi adjunxisset; id est, *linguâ vernaculâ*: Si le beau-pere avoit épousé la fille que sa femme auroit eue d'un premier lit; si la belle-mere avoit épousé le fils que son mari auroit eu d'une autre femme; si le beau-pere avoit épousé sa bru, ou belle-fille, c'est-à-dire, la femme de son fils; si la belle-mere avoit épousé son gendre, c'est-à-dire, le mari de sa fille.

(*r*) *Conc. Agath. an.* 506. *Epaon. c. an.* 517. *Aurel. III*, *an.* 538. can. 10.

(*s*) Anno 1500.

(*t*) An. 1503.

(*u*) An. 1534.

(*x*) An. 1648.

(*y*) Hanc *in forma gratiosa*, cùm Romæ adesset, ab Alexandro VII impetravit Joannes *Vaillant*, Bellovacensis, celeberrimus Medicus naturæque investigator.

nitentes, ab his non posse sine Dispensatione legitimas iniri nuptias cum ullis consanguineis in primo vel secundo Gradu personæ quam cognoverunt, sublatoque per Absolutionem peccato, non idcircò tolli Impedimentum: utque rudiores intelligant quinam sint quibuscum Affinitatem contraxerunt, iis explicent patrem esse vel matrem, fratrem vel sororem, patruum vel amitam (1), avunculum vel materteram (2), fratris vel sororis filium aut filiam (3), fratrem aut sororem patruelem (4), consobrinum aut consobrinam (5) personæ quâcum admissa est fornicatio. *

(1) Oncle ou tante paternels.
(2) Oncle ou tante maternels.
(3) Neveu ou niéce, fils ou fille du frere ou de la sœur.
(4) Cousins-germains ou cousines-germaines, enfans des deux freres.
(5) Cousins-germains ou cousines-germaines, enfans des deux sœurs.

Quod spectat Affinitatem illegitimam connubio jam validè contracto supervenientem, illud quidem dissolvere ipsa non potest, sed efficit ut conjux incestu pollutus Matrimonii debitum poscere jam licitè nequeat. Hinc 1°. si alter conjugum alterius consanguineam in primo vel secundo Gradu, *Titius* v.g. uxoris suæ sororem aut ejus fratris vel sororis filiam carnis opere cognoverit, indè fiet ut, quamvis uxori petenti, ut potè insonti, conjugale debitum reddere teneatur, illud tamen postulare nisi impetratâ Diœcesani Episcopi Dispensatione, non possit. Hinc 2°. si uterque conjux, aut alter de alterius consensu, prædicto scelere se contaminaverit, jam neuter conjugale debitum petere potest, quia scilicet neuter insons remanet.

Unum hìc observandum superest, eam solam cum uxoris aut mariti consanguineo vel consanguineâ copulam quæ sit culpabilis, jure debiti conjugalis petendi conjugem spoliare, non verò illam quæ incestus *materialis* tantummodò sit, nec culpabilis. Hinc 1°. si quis cum ignorantia inculpabili, atque adeò cum bona fide affinem cognoverit, conjugem putans; indè quidem cum conjuge Affinitatem contrahit, sed jure debiti conjugalis poscendi non ideò privatur. Hinc 2°. eodem jure non excidit fœmina, quam vi oppressit affinis. Secùs tamen dicendum est, si non ex illata vi propriè dictâ, sed ex metu gravi, etiam mortis ipsius, affinis libidini obsecuta fuerit: in hoc scilicet casu *formalem* commisit incestum; pudori enim vitam postponere tenebatur.



ARTICULUS XIII.

SI CONSUMMARE NEQUIBIS.

PRÆMONITUM. Impotentia multiplex. Impotentia antecedens, perpetua & absoluta, *est Matrimonii Impedimentum dirimens. Quid liceat conjugibus propter Impotentiam separatis. Cur constitutum sit hoc Impedimentum. Impotentia ex persuasione maleficii. Hic cavenda superstitio. Impotentia ex maleficio qualicumque posito, post elapsum triennii experimentum, perpetua esse præsumitur. In hoc Impedimento, nulla Dispensatio.*

IMPEDIMENTUM de quo hìc agitur, ipso naturæ Jure institutum, cùm ad physicam Matrimonii essentiam pertineat, singulari Nobis est verecundiâ tractandum: quod utique exigit Sacerdotalis pudoris reverentia. Nempè sufficiet rei notitia generalis, ex Theologorum & Canonistarum documentis Ecclesiæ auctoritate firmatis cautè subministrata; ut posteà, ubi se dederit occasio, sapienti consultationi locus detur: quæstiones verò quæ ministerii nostri eloquia casta non satis decere viderentur, ne leviter quidem attingemus. Itaque, priùs invocato puritatis auctore *Agno* cœlesti *quem sequuntur virgines* (*a*), propositam materiam aggredimur.

IMPOTENTIA est *Inopia facultatis seu inhabilitas ad Matrimonium consummandum.* Hinc distinguitur, tum à sterilitate, quæ sæpè in iis locum habet qui tamen sunt Matrimonii consummandi capaces; tum à defectu potentiæ fœtum vivum aut citra mortis periculum pariendi. Ex hoc igitur Impedimento irrita sunt Matrimonia spadonum sive eunuchorum (*b*), non verò sterilium, nec senum, nisi sterilitas aut senectus adjunctam habeat coeundi impotentiam, quod quidem non sæpè accidit; nec denique morti proximorum; licèt enim in ipsis vi morbi impedita sit potentia, tamen communitùs extincta non censetur.

Impotentia alia est *antecedens*, quæ nempè Matrimonium præcedit; alia *subsequens*, quæ illi jam contracto supervenit: alia *perpetua*, alia *temporaria*: alia *perpetua* simul & *absoluta*, quæ conjugii usum cum alio vel alia quacumque impedit: alia *perpetua* simul & *respectiva*, quæ cum uno quidem aut

(*a*) *Apoc.* 14. 4.

(*b*) Ita decrevit Sixt. V. &, *anno* 1665, suprem. Senatus Paris.

cum una, sed non cum aliis Matrimonii usum reddit impossibilem. Alia demùm oritur è solo naturæ defectu aut vitio; alia ex maleficio, vel potiùs maleficii persuasione.

In dubio utrùm Impotentia Matrimonium antecesserit, non præsumitur antecessisse, si Pars altera longo pòst intervallo reclamet.

Impotentia antecedens, perpetua & absoluta, irritum efficit Matrimonium (*c*). Perpetua autem censetur, cùm per nullum naturale remedium licitum, sine verisimili mortis periculo, sanari posse judicatur: alioqui temporalis est; & tunc neque contrahendum vetat connubium, neque contractum dirimit. Impotentia verò, etiam perpetua, si Matrimonio rato supervenerit, nihilominùs ratum & stabile constat Matrimonium (*d*); cujus tamen usus interdicitur, cùm evidens est Impotentia. Tunc igitur & thoro separari, & continenter vivere debent conjuges. Si dubitetur an perpetuum sit Impedimentum antecedens, triennii probationem conjugibus permittit Ecclesia: atque hic solus est Casus, in quo de validitate nuptiarum dubitanti liceat conjugale debitum non modò reddere, sed etiam petere. Elapso triennio, si necdùm constet de Impotentia perpetua, tota res ad Judicem Ecclesiasticum referenda est. Quòd si tandem evidenter insanabile agnoscatur illud Impedimentum, omninò separandi sunt conjuges, nisi velint secum fratris & sororis instar vivere, nullumque adsit incontinentiæ periculum.

Conjugibus ex Impotentiæ causa separatis, Pars consummando Matrimonio idonea novum inire potest Matrimonium; non verò Pars impotens, quæ scilicet ipso Jure naturali ad Matrimonium quodlibet contrahendum inhabilis est, nisi *respectiva* tantummodò sit ejus Impotentia; tunc enim huic pariter licet Matrimonium cum alia contrahere, ad quam potens esse præsumatur. Ut autem Matrimonium ex Impotentia nullum declaretur, & aliud, si locus sit, validè contrahatur, Judicis Ecclesiastici Sententia intercedat necesse est.

Illud porrò Impedimentum ideò constitutum est, quòd, propter impossibilem Matrimonii usum, hujus finem intercludit physicum à natura intentum, quæ est filiorum procreatio.

Impotentia verò temporaria conjugium non dirimit (*e*). Observandum tamen est, Contrahentem qui aliquandiù perseveraturâ laborat hujusmodi Impotentiâ, teneri ad Partem alteram de illa præmonendam, alioquin eum graviter esse peccaturum; qui nempè conjugi gravem injuriam inferret, & grave periculum crearet.

AD extremum, si maleficio vel

(*c*) *Conc. Vermer.* can. 17. *Compend. an.* 757. can. 17. *C.* 27. *q.* 2. *c.* 29. Decret. *l.* 4. *tit.* 15. de frigidis. *S. Thom.* q. 58. a. 1.

(*d*) *Conc. Aurel. II, an.* 533. can. 2. *S. Thom.* in 4. dist. 34. *q.* 1. *a.* 2.

(*e*) *Inn. III, c.* 6. de frigidis, &c.

incantamento tribuatur Impotentia, videant Pastores diligenter ne nimida credulitas vanaque superstitio incautos simplicium animos intercipiat. Impotentia enim quæ maleficii effectus esse creditur, sæpiùs vel ex pudore & verecundia originem ducit, vel ex nimio amore, aut infenso conjugis alterutrius odio, si quis invitam, vel si qua invitum in conjugem acceperit. Plerumque etiam ex imaginationis perturbatione oritur: sunt enim rudioris naturæ homines non pauci, qui, si fortè aliquis hoc malum iis comminetur, eo ipso impotentes fiunt, vanâ ligaminis specie perculsi. Et quoniam ejusmodi, si qua sint, maleficia, illis minùs timenda sunt qui vivam in Deum fidem habent, rectâque intentione & purâ conscientiâ Matrimonium ineunt, vel eo utuntur, moneantur Fideles qui eis ligari se existimant, ne jam deficiente fide putâque intentione & vitâ offensam incurrant: quæ nimirùm & alia peccata sic puniri Deus æquissimo judicio permittit. Cùmque, ut plurimùm, libidinis pœna sit ea qualiscumque ligatura, violatam scilicet connubii sanctitatem Deo sic ulciscente; per Pœnitentiam reconciliari se curent conjuges impediti, & maleficium quod conqueruntur, à se dissolvi omninò posse confidant, si eâ mente quæ in sacris Litteris commendatur, ad opus conjugii accesserint, videlicet *cum timore Domini, & amore filiorum magis quàm libidine* impulsi (*f*).

Conjugibus in hoc Impotentiæ statu constitutis triennium, tanquam in dubio an perpetua sit, ad experientiam datur: quo tempore hortandi sunt, ut, Tobiæ Saræque imitatores, per aliquot dies in omni castitate vivant, jejuniis, precibus, eleemosynis aliisque piis operibus incumbant, delicta confiteantur (*g*), & sacrosanctæ Eucharistiæ, si digni judicentur, participes fiant. Quòd si non solvatur maleficium aut maleficii persuasio, aliquid pium Deoque gratum voveant, vel pro se Missam celebrari curent; thalamum ingressuri, eum & seipsos Aquâ benedictâ religiosè aspergant; purè & castè, soloque prolis desiderio Matrimonium consummare animo destinantes.

Porrò non licet maleficium quod tale existimetur, maleficio, vel quocumque actu superstitioso tollendum attentare. Itaque Conjuges ad solvendam quam sibi fingunt magicam incantationem, magicæ artis auxilium non invocent multò pejùs creduli; quod quidem grave sacrilegium foret, peccatumque Nobis seu Pœnitentiario nostro reservatum; undè præterea Excommunicationis *ipso facto* Censuram incurrerent, vigentem in hac Diœcesi adversùs eos qui artem magicam quoquomodò exercent, vel ad cacodæmonis operationem confugiunt (*h*). Ac denique, etiamsi maleficium ejusve

(*f*) *Tob.* 6. 22. *Conc. Rem. an.* 1583, *tit.* de Ref. Matrim.

(*g*) *Hincm. Rem.* Capit. 4. 33. *q.* 1.

(*h*) *Rit. Parif. ed. an.* 1777, *p.* 111.

terriculum quacumque superstitione ablatum fuisset, nihilominùs remaneret Excommunicationis Censura.

In dubio an perpetua, an temporaria sit Impotentia ex maleficio qualicumque posito, ea quidem, post elapsum triennii experimentum, perpetua esse præsumitur. In omnibus verò dubiis ex illo generatim arduæ tractationis Impedimento emergentibus, nihil, inconsulto Diœcesano Pontifice, definiendum est; *ad quem* scilicet (ut jam diximus) *referendæ sunt omnes Matrimonii dubitationes* (*i*).

Ideo verò in Impotentiæ Impedimento dispensare nequit Ecclesia, quòd illud, ante omnem Ecclesiæ Constitutionem, atque ex ipsa rei natura, physicæ Matrimonii substantiæ adversatur. Quamvis enim, etiam servatâ pari consensu continentiâ, possit permanere vocarique conjugium (*k*), potentia tamen ad actum Matrimonii consummandum de hujus essentiâ omninò esse intelligitur (*l*).

(*i*) *Stat. D. Odonis* de Sully, *Paris. Episc. Syn.* 1. *c. an.* 1198, *Capitul.* de Matrim.

(*k*) *S. Aug.* de consens. Evang. *c.* 1.

(*l*) *S. Thom. in tit.* de frigidis, *q.* 58. *a.* 1.

Articulus XIV.

SI MULIER SIT RAPTA, LOCO NEC REDDITA TUTO.

Quandonam Raptus committatur. Antiqua circa Raptum disciplina. Raptus violentiæ : *Raptus* seductionis. *Quàm latè pateat Impedimentum ex Raptu* violentiæ. *Circa quas fœminas locum habeat Impedimentum ex Raptu* seductionis. *Quomodò desinat Impedimentum Raptûs. Utriusque Potestatis severitas in Raptores.*

Raptus committitur, cùm persona, vel invita, vel, iis invitis in quorum potestate est, etiam volens abducitur (*a*), sive Matrimonii contrahendi causâ, sive (juxta probabiliorem ac tutiorem opinionem) solo explendæ libidinis respectu.

Olim Raptus non ubique Matrimonium impediebat; sed, variis in locis, Parisiis præsertim, raptor Pœnitentiâ publicâ mulctatus, raptam ducere uxorem, dummodò hæc liberè consentiret, cogebatur (*b*); quo quidem in Casu, necesse erat ut

(*a*) *Gen.* 33. 13. & *c.* 34. *Conc. Ravenn. an.* 877. can. 6. *C.* 27. *q.* 2. *c.* 49. & 36. *q.* 1. *c.* 2.

(*b*) *Conc. Calc. gen. IV, an.* 451. can. 27. *Paris. III, an.* 557. can. 6. *Meld. an.* 845. can. 66. *Can. Ap.* 66.

ipsi parentes, sive quorum potestati subjecta esset mulier, Matrimonio assentirent (c): eâ verò dissentiente, raptor, sine ulla spe conjugii, Pœnitentiæ publicæ addictus manebat, mulieri non interdictâ cum alio nubendi facultate (d). Itaque Raptus, deficiente consensu personæ raptæ, semper fuit Impedimentum dirimens (e).

Duplicis autem generis Raptus distinguitur; scilicet *violentiæ*, & *seductionis*. Tunc fit *Raptus violentiæ*, cùm persona invita è loco tuto per vim abducitur, & sub Raptoris potestate constituitur. Tunc fit *Raptus seductionis*, quandò promissis, blanditiis, muneribus, aliisve artibus, illecebris aut corruptelis, inducitur persona, ut se, contra parentûm, tutorum aut curatorum voluntatem, abduci patiatur. Nihil porrò interest an per se, an per alios Raptor egerit; an domo parentûm vel tutorum, an Monasterii ædibus, aliisve in quibus per auctoritatem commoraretur, per vim aut seductionem abducta sit persona. Nec refert in quem locum translata fuerit; sive locus Raptoris ille sit, sive amicorum aut pessimi facinoris adjutorum: satis est ut ex loco tuto abducta fuerit in locum ubi sub Raptoris potestate versetur. Quin etiam, in *Raptu seductionis*, sufficit recessus cum Raptore constitutus atque ad effectum perductus, etiam nullo Raptoris auxilio, dummodò in ejus potestatem venerit persona.

Itaque ex *Raptu violentiæ* existit Impedimentum dirimens; ita ut Raptori justa & legitima uxor esse Rapta non possit (etiamsi ambo consentiant), quamdiù hæc in illius aut illi faventium potestate permanet, nec loco tuto reddita fuit, in quo, tum ipsa, tum parentes, vel qui parentûm loco sunt, consentire liberè possint, & reverâ consentiant (f).

Jam verò Impedimentum ex *Raptu violentiæ* tam erga *Majores* locum habet, quàm erga eos qui sub alterius potestate per ætatem constituti sunt: nec minùs erga mares quàm erga fœminas (g). Præterquàm quòd enim viros æquè ac fœminas afficiunt Impedimenta cætera, insupèr non alio fine hoc Impedimentum constituit utraque Potestas, nisi ut Matrimoniorum libertati provideretur: quæ quidem libertas aufertur, si fœmina virum, perindè atque si vir fœminam abducat.

Juxta consuetudinem, vel potiùs Legem in Galliis vigentem, è *Raptu seductionis* idem oritur Impedimentum (h). Quæ nempè Disciplina multò probabilior ac tutior est, eò quòd certiùs connubiorum

(c) *S. Basil.* can. 22. *Conc. Ancyr. c. an.* 314. can. 11. *Vermer. II, an.* 853. can. 6.
(d) Capitul. *l.* 1. *c.* 99. & *l.* 7. *c.* 83.
(e) *Conc. Ticin. an.* 860. can. 10. Capitul, *l.* 7. *c.* 395. Justin. Nov. 143. Cod. Theod. *l.* 9. *t.* 23. *le.* 1.
(f) Edit de Louis XIII, *du* 26 *Nov.* 1639, art. 3. Ordonnance de Blois, *sous Henri III, an.* 1579. art. 42. *Conc. Trid. Sess.* 24. de Ref. Matrim. *cap.* 6.
(g) Ordonnance de 1639. *art.* 3.
(h) Ordonnanee de Blois, *art.* 42. Gallis adstipulantur *M. Paulus Leo, R. Pœnitentiarius, & Pyrrh. Corrad.*

validitatem afferat, idque avertat quod in Raptu deterius occurrit, Matrimoniique sanctitati contumeliosum magis, artes nimirùm scelestas, quibus sensim debilitatur ac tandem frangitur adolescentis virtus, ut *velit in tantum dedecus se prodere* (*i*).

Jam verò, præter conditiones jam superiùs memoratas, quas quidem cum Raptu violento communes habet Raptus seductionis, ad hunc, ut sit Impedimentum dirimens, requiritur, 1°. ut persona rapta vigesimum-quintum ætatis annum nondùm excesserit, ideòque sui juris non sit, sed adhùc parentûm vel tutorum auctoritati subjecta. Hinc, licèt viginti-quinque annis major suique juris seduci absolutè possit, ex ejusmodi tamen seductione non exurgit Impedimentum dirimens. Requiritur 2°. ut rapta mulier sit reipsâ bonis prædita moribus, talisve communi famâ reputetur. Etsi enim *Raptus violentiæ* in muliere corrupta locum habere potest; non tamen *Raptus seductionis*, sed nova peccandi libido in ea præsumitur, nisi pristinam vitam exosa, sanctiorem jam inierit. Ad hoc autem Impedimentum, sive ex violentia, sive ex seductione ortum fuerit, haud necessarium est ut rapta mulier carnis opere fuerit à raptore contaminata; de hoc enim omninò silent Legum sanctiones.

RAPTUS autem Impedimentum nec perpetuum est, sicut alia Impedimenta, nec, quemadmodùm ista, per Dispensationem desinit, sed tunc solummodò, cùm *rapta à raptore separata, & in loco tuto & libero constituta, illum in virum habere consensit* (*k*). Quamvis autem id præstitum fuerit, ipsique parentes (si agatur de filii aut filiæ *Minoris* Raptu per seductionem) conjugio assentiantur; non tamen Parochus in se recipiat ut illud Matrimonium, inconsulto Præsule Diœcesano, celebret.

Hoc autem scelus tam Religioni bonisque moribus contrarium & societati perniciosum judicavit utraque Potestas, ut in ipsius vindictam suum quæque gladium distringere non dubitaverit. Decernit sancta Tridentina Synodus, ut, postquàm Raptûs Impedimentum eâ quam diximus ratione desierit, *nihilominùs raptor ipse, & omnes illi consilium, auxilium & favorem præbentes, sint ipso jure excommunicati, ac perpetuò infames* (*l*). Atque in hac Diœcesi Casus est reservatus, si quis virginem vel mulierem honestè viventem rapuerit, sive ipsa invita, sive invitis ejus parentibus, curamve ipsius gerentibus, rapiatur. Quo quidem in Casu, non solus raptor, sed etiam omnes ei consilium, auxilium aut favorem præstantes includuntur: & Casui annexa est Excommunicatio *ipso facto* quam decrevit Concilium Tridentinum (*m*).

(*i*) *L.* 1. *Cod.* de Raptu.
(*k*) *Conc. Trid.* sup.
(*l*) Ibid. *post. Conc. Calced.* can. 27.
(*m*) *Mandat. D. Lud. Ant. Card.* de Noailles, *an.* 1709, de Casib. reserv. *&c. in Synodico, pag.* 408. *Et Rit. Paris. pag.* 113.

Regum

Regum autem Christianissimorum Edicta pœnam capitis bonorumque publicationem in Raptores eorumque complices decernunt (*n*): quamvis, ante Sanctionem Blesensem, Raptori vitam incolumen Rapta servaret, denuntians velle se nuptias cum eo contrahere. Nec verò tollitur pœna capitis, etiamsi posteà intervenerit parentûm vel tutorum consensus (*o*).

(*n*) Ordonnance de Blois, *art.* 42. Ordonn. de 1639.

(*o*) Déclaration de *Louis XIII*, *du* 26 *Nov.* 1640; qui, en confirmant le contenu dans *l'Edit de* 1556, & les Art. XL, XLI, XLII, XLIII & XLIV *de l'Edit de Blois*, porte, entr'autres Articles: » Que » la peine de Rapt demeurera encourue, » nonobstant les consentemens intervenans » puis après de la part des peres & meres, » tuteurs, &c. »

ARTICULUS XV.

SI PAROCHI ET DUPLICIS DESIT PRÆSENTIA TESTIS.

IMPEDIMENTUM Clandestinitatis. *Quot & quales testes adhibendi. Quædam circa Impedimenta Matrimonii generatim observantur.*

MATRIMONIA clandestina, sive occultè & sine testibus contracta, illicita semper fuère (*a*), & *sanctâ Dei Ecclesiâ ex justissimis causis illa semper detestata est atque prohibuit* (*b*); sed ante Concilium Tridentinum irrita non fuerunt (*c*). Tandem aliquandò id quod in votis passim habebatur (*d*), ab illa sapientissima Synodo his verbis sancitum est: » Qui aliter quàm præsente » Parocho, vel alio Sacerdote de » ipsius Parochi seu Ordinarii li» centiâ, & duobus vel tribus tes» tibus, Matrimonium contrahere » attentabunt, eos sancta Synodus » ad sic contrahendum omninò in» habiles reddit, & hujusmodi » Contractus irritos & nullos esse » decernit. Insupèr, Parochum vel » alium Sacerdotem qui cum mi» nore testium numero, & testes » qui sine Parocho vel Sacerdote » hujusmodi Contractui interfue» rint, necnon ipsos Contrahentes, » graviter arbitrio Ordinarii puniri » præcipit (*e*). » Quam Legem publicæ morum honestati & familiarum tranquillitati usque adeò necessariam, in toto suo Imperio vigere voluerunt Reges Christianissimi.

(*a*) *Tert.* de pudic. *c.* 4. *Conc. Laod.* *c. an.* 368. can. 1. *Vern.* can. 13. *Inn. III*, *in Conc. Later. IV*, *an.* 1215. c. 3.

(*b*) *Trid. Seff.* 24. de Ref. Matrim. *cap.* 1.

(*c*) *S. Aug.* de bono conjug. *cap.* 5. *C.* 32. *q.* 2. *c.* 6. 7.

(*d*) *Conc. Colon. an.* 1536. *&c.*

(*e*) *Conc. Trid.* sup.

Quisnam ille sit Parochus, cujus præsentia requiritur, dicemus ex professo, Capite proximè sequenti. Testes duo vel tres, quos exigit Synodus Tridentina, sufficiunt quidem ut Matrimonium, quatenùs Sacramentum est, ratum legitimumque censeatur; quatuor verò Testes in Galliis exigunt Regia Edicta (*f*): quatuor idcircò adhibendi sunt, ut valeat Matrimonium quoad effectus civiles.

Testes portò non admittantur ignoti, sive incerti domicilii, sed in Parochia domicilium habentes, aut saltem in vicinia notissimi, fide digni, qui denique propriâ manu subscribant, si tales commodè inveniri possint. Neque verò ipsorum duntaxat munus est ut Matrimonio intersint ad testificandam ejus celebrationem: debent etiam Parocho testificari de domicilio, ætate, & qualitate Contrahentium, atque ad hoc Matrimonii Actis chirographum suum apponere, nisi, ritè interpellati, scribendi nescios se respondeant.

Hæc de singulis quæ vulgò recensentur, Impedimentis Dirimentibus dicta sufficiant: quorum quidem varius est effectus, prout Matrimonium antecedunt vel sequuntur. Quòd si Matrimonii celebrationem præcedant, hinc fit ut contractum Matrimonium sit coram Deo irritum; quia nempè illud contraxerunt inhabiles personæ. Si autem Matrimonio validè contracto superveniant, ratum illud permanet; indèque unum hoc sequitur, ut Pars quam ligat Impedimentum, licitè non possit conjugale debitum poscere. Hujus generis Impedimentum pariunt Cognatio spiritualis & Affinitas illegitima (*g*).

IMPEDIMENTUM

EX DEFECTU ÆTATIS.

Quindecim modò expositis Impedimentis dirimentibus unum insupèr annumerari potest, scilicet *Defectus ætatis*; tum in pueris nondùm rationis usu pollentibus, qui quidem non ante septennium advenire præsumitur; tum in impuberibus, qui scilicet annum ætatis decimum-quartum, si mares, & duodecimum, si fœminæ sint, nondùm expleverunt. Itaque priorum, ipso Jure naturali, posteriorum autem, Jure Ecclesiastico (*h*), irrita sunt conjugia: idque sapienter constitutum fuit, ob summam quæ in tanti momenti negotio desideratur, judicii maturitatem, animique libertatem; quæ duo ante pubertatem facilè desunt. Hoc autem Impedimentum eo ipso desinit, quòd, annis accedentibus, suppletur ætas deficiens.

(*f*) Ordonnance de Blois, *art.* 40. Edit *de Janv.* 1629. Edit *de* 1639. Edit *d'Avr.* 1667. Edit *de Mars* 1697.

(*g*) De eo qui cogn. consang. uxor. c. 1. & 10. *Inn. III*, l. 4. tit. 13. c. 10. *Greg. IX*, c. 11.

(*h*) C. 14. de despons. impub. *Nic. P. inc.* Ubi. 2. *eod. tit.* Varia supremor. Senat. Decreta.

Valere tamen possunt Principum, etiam impuberum, conjugia; quos utique, ad conciliandam tuendamve pacem, aliasve ob causas ad Reipublicæ atque adeò ipsius Ecclesiæ utilitatem spectantes, Matrimonii fœdere à teneris jungi aliquandò expedit. Quo quidem in Casu, necessaria est summi Pontificis aut saltem Diœcesani Præsulis Dispensatio.

His prætereà quidam Theologi eos accensent, qui, cùm ante pubertatem connubio juncti fuerint, hac adeptâ, simul habitare perrexerunt; quia nempè, inquiunt, cohabitatio post adeptam pubertatem continuata, ratum facit quod initio irritum fuit. Tunc nihilominùs Matrimonium in facie Ecclesiæ denuò celebrandum esse probabilius videtur, & procul dubio tutius est.

Alii denique Theologi (extranei præsertim) iisdem accensendos illos putant, in quibus ætatem supplet malitia, id est, qui ante pubertatis annos conjugio maturi sunt. Attamen ejusmodi conjugia, lite super iis motâ, à supremis Curiis rescissum iri, plures, nec immeritò, existimant. Quanquàm fatendum est id sine periculo fieri quandoque non posse, maximè verò si ex concepto fœtu constet Matrimonium fuisse consummatum.

CÆTERUM connubia ante pubertatem (non tamen ante rationis usum) contracta, locum tenent Sponsalium, eosdemque effectus producunt.



CAPUT IV.

QUISNAM sit proprius Parochus, in ordine benedicendi Matrimonii.

PASTOR, cujus præsentia in connubiis exigitur. An valeat Matrimonium coram Parocho excommunicato, &c. Quanto tempore acquiratur jus domicilii ad Matrimonium contrahendum. Hic sæpè necessaria Legis interpretatio. In Sacerdotes qui Pastoris alicujus Parochianos, sine ipsius, vel Ordinarii licentiâ, Matrimonio conjunxerint, pœna ab utraque Potestate irrogata. Disciplina Diœcesana. Si ambo contrahentes in eadem Parochia non habitent, utrius sit Parochi Matrimonio benedicere. Domicilium dimidiatum, &c. Filiorum-familiâs Minorum quodnam sit domicilium De Matrimoniis vagorum, virorum militarium, rei maritimæ præfectorum, &c. De iis qui plures annos domicilio absfuerunt. Ante cujuslibet Matrimonii celebrationem, quinque sunt Pastoribus diligenter inspicienda. Quid monendi sint Testes. Ne, dubiâ potestate. Ministri, dubia sit validitas Sacramenti, quædam statuuntur. Quanam adhibitâ cautione Litteras testimoniales & licentiam Matrimonii in aliena Parochia celebrandi concedere debeant Pastores.

PASTOR, cujus præsentia in connubiis exigitur, est Parochus domicilii. Matrimonium coram eo, aliove Presbytero de ejus licentiâ celebratum, etiam in aliena Parochia, legitimum ratumque est, si nullum aliundè obstet Impedimentum. Matrimonii quippè celebratio est actus Jurisdictionis voluntariæ, quæ validè exerceri ubique potest: requirit tamen ordo Disciplinæ, ut Parochus neminem, vel sibi subjectum, in alterius Parochiâ Matrimonio jungat, nisi de hujus vel Ordinarii licentiâ.

Valet porrò Matrimonium coram Parocho etiam excommunicato, suspenso, irregulari, aliàs legitimè contractum; modò ipse nec sit Beneficio privatus, nec denuntiatus. Quod si Parochus, licèt propriè intrusus, titulum habeat coloratum, id est, si ex errore communi verus habeatur Parochus; valebit similiter celebratum, eo benedicente, conjugium; siquidem jus inducit error communis; ipsaque Ecclesia, in his Casibus, necessariam ad cuncta Pastoris munia Jurisdictionem tacitè supplet.

ITAQUE Matrimonium omne, *aliter quàm præsente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi seu Ordinarii licentiâ, contractum*, irritum ac nullum esse decernit sacrosancta Tridentina Synodus (*a*). Quantum verò temporis necessarium sit, ut acquitatur in Parochia domicilium, cujus vi Pastor illius Parochiæ censeatut Parochus in ordine benedicendi Matrimonii, nullâ generali sanctione in Ecclesia constitutum est. Id non definiit Concilium Tridentinum; id Imperiorum Legibus ac Diœceseôn Statutis variè definitur; atque hoc unum inter Canonistas convenit, neminem in Parochia domicilium habere censendum esse, in qua per occasionem, & quasi transiens versetur, sed requiri ut in ea *sedem fixerit, animo ibidem residendi* (*b*). Executionem Tridentini Decreti modò allegati dum in Galliis præcipit Regium Edictum (*c*), prohibet simul à Parocho ullo vel Sacerdote, sive Seculari, sive Regulari, alios Matrimonio conjungi, quàm qui veri & ordinarii sibi sint Parochiani, in sua Parochia bonâ fide commorantes, sexto jam saltem integro mense, erga eos qui priùs manserint in alia ejusdem Urbis vel Diœcesis Parochiâ, sed uno jam solido anno, erga eos quibus domicilium antehàc in aliena Diœcesi fuerit; nisi specialem & scripto concessam à proprio Contrahentium Parocho vel à Diœcesano Episcopo licentiam obtinuerint.

JAM verò ex usu qui in hocce Regno Christianissimo jam indè ab illius Edicti promulgatione fuit observatus, id manifestè apparet, sic acceptam fuisse Legislatoris intentionem, ut prohibitum velit ne quis Parochus, aliusve Presbyter, eos Matrimonio jungat, qui in suam Parochiam recentiùs advenerint quàm à sex mensibus, si Diœcesim non mutaverint, recentiùs autem quàm ab anno integro, si ex alia Diœcesi migraverint, nisi priùs in loco undè egressi sunt, peracta fuerit, nullâ cujusquam Impedimenti factâ revelatione, proclamatio *Bannorum*, vel nisi super hac Dispensationem obtinuerint ab Episcopo anterioris illius suæ habitationis; ita ut magis ad *Bannorum* proclamationem quàm ad ipsius Matrimonii celebrationem pertinere videatur illud quod modò citavimus Ludovici-Magni Edictum.

Constat porrò eam esse, inter cæteras Ecclesiæ Gallicanæ Diœceses, hujus speciatim Diœcesis consuetudinem, ex tacita saltem Parochorum pactione & plusquàm interpretativo consensu approbatam, neque hactenùs ullâ disceptatione controversam, ut, si quæ personæ, bonâ fide & seclusâ fraude, actu in aliqua Parochia unicum, fixum, continuum & publicum domicilium habeant, etiam recens, ab illius Parochiæ Pastore, tanquam veri & ordinarii Parochiani, Matrimonio jungi validè possint, dummodò in anterioris domicilii Parochiâ factæ *Bannorum* promulgationis testimo-

(*a*) *Sess.* 24. de Ref. Matrim. *cap.* 1. *cap.* 2. (*c*) *Edit de Mars* 1697.
(*b*) *Conc. Camer. II, an.* 1586. *tit.* 11.

nium legitimâ formâ instructum, aut ejus Dispensationem exhibeant. Etsi verò » ad hoc ut quis efficiatur Pa- » rochianus, & recipiatur ad Eccle- » siastica Sacramenta, sufficit sim- » plex habitatio de præsenti (*d*), » novi tamen domicilii tempus satis diuturnum esse debet, juxta prudentem æstimationem, ut publicum censeatur, adeòque ut in novo domicilio aliqui tanquàm veri & ordinarii Parochiani meritò habeantur. Quanquàm, cùm tales ii publicè noscuntur, cùm præsertim aliquis manifestè apparuit domicilii actus publicus, sufficit etiam non ita longum temporis intervallum, ut à novi domicilii Pastore in Matrimonium possint legitimè conjungi. Si quid autem difficultatis hac in re superesse adhùc posset, id omne quodcumque sublatum censeretur per testificationem promulgationis *Bannorum*, quam in prioris habitationis Parochiâ necessariò præmittendam esse diximus; quæ quidem anterioris Pastoris testificatio consensui ad futuras nuptias æquivalere censeretur, si necessarius esset ejus consensus.

At profectò nequaquam est necessarius. Etenim à Legislatoris intentione prorsùs alienum videtur, ut proprius Pastor ad benedicendum Matrimonium habeatur is, cujus in Parochiâ jàm non habitant futuri conjuges, in quos proindè jus omninò nullum retinet. Vetat Regium Edictum à quovis Pastore conjuges benedici alios, quàm qui eidem sint veri & ordinarii Parochiani: si quem igitur Lex ab isto munere excludit, eum procul dubio maximè, qui futuros conjuges nullo jam modo Parochianos habet: undè efficitur ut novi domicilii Parochus, illos habens verè Parochianos, in jus anterioris Parochi successerit, tàm circa Matrimonium, quàm circa Pœnitentiam, sacrum Viaticum, Extremam-Unctionem, & sepulturam. Neque opponatur, meliùs aptiùsque solvendam esse difficultatem, si expectetur domicilii tempus à Lege præscriptum. Sæpiùs enim impossibile est Legem in eo exequi, quòd sex mensium aut unius anni commorationem præcipit: sciunt videlicet Pastores quàm frequenter adjuncta rerum talia occurrant, ut Matrimonia moram nullam patiantur.

Itaque, ex usu per necessariam Legis interpretationem inducto, cùm deest domicilii tempus ab ea constitutum, potest quivis ab illo Parocho Benedictionem nuptialem suscipere, cujus in Parochiam sic omnium rerum ac fortunarum suarum sedem publicè transtulit, ut suum ibi domicilium bonâ fide collocasse meritò judicetur; servatis, quoad *Banna*, iis quæ servanda esse jam diximus.

Qui autem non veri & ordinarii sibi sunt Parochiani, actu & publicè in Parochia domicilium habentes, & pro veris ordinariisque Parochianis publicè cogniti, hos Matrimonio non jungat Parochus, nisi licentia sibi exhibeatur à Contrahentium Pastore, vel Diœcesano Præsule in scriptis concessa (*e*).

(*d*) *Fagnan*, *in cap.* de Parochis & alienis Parochianis.

(*e*) *Stat Syn. D. Eust.* du Bellay, *Paris. Episc. an.* 1557, de Matrim. *n.* 32. *in Syn.*

Atque hanc tanti momenti Legem ne frustrà posuisse videretur utriusque Potestatis auctoritas, gravissimis pœnis utraque animadvertit in quoslibet, sive Seculares, sive Regulares Sacerdotes, qui Pastoris alicujus Parochianos, sine ipsius vel Ordinarii licentiâ, Matrimonio conjungere ausi fuerint. Sancta Tridentina Synodus, tenore Decreti adversùs clandestina Matrimonia, quod apud Gallias vim Legis obtinet, ejusmodi Sacerdotes, *etiamsi vel privilegium, vel immemorabilem consuetudinem* prætendant, *ipso Jure* suspensos pronuntiat, quoadusque absolvantur ab Ordinario ejus Pastoris qui Matrimonio interesse debuisset, seu à quo suscipienda fuisset Benedictio Nuptialis (*f*). Hinc irrita censentur Matrimonia quibus intersunt vel benedicunt sive Melitenses, sive exercituum Eleemosynarii, aliive Sacerdotes qui nec Parochi sunt, neque à Contrahentium Episcopo vel Parocho licentiam habent; iique Sacerdotes Suspensionem Concilii Decreto sancitam incurrunt. Regulares prætereà, qui Matrimonium quodlibet citra Parochi consensum celebrarent, Excommunicationem sanctæ Sedi Apostolicæ reservatam, non obstantibus contrariis quibuscumque privilegiis, *ipso facto* incurrerent (*g*). Regium verò Edictum, Sacerdotibus qui prædictam Legem scienter violaverint, si Beneficia possideant, Beneficiorum fructus demit ad triennium; transgressionem iteratam plectit novem annorum exilio: qui Beneficiis carebunt, primùm delinquentes, triennio, recidivos novem annis exulare præcipit: Regulares autem Beneficiis carentes, in Ordinis sui Monasterium longè amandari, ibique inclusos, & omnis muneris ac suffragii, tum *activi*, tum *passivi* expertes, quoad Judicibus visum fuerit, delitescere.

Hisce Ecclesiasticis & civilibus Constitutis inhærentes, ipsamque Disciplinam in hac Diœcesi vigentem confirmantes, suspensum *ipso facto* declaramus quemlibet, sive Secularem, sive Regularem Sacerdotem, qui alienæ Parochiæ Sponsos Parochus ipse, vel quoslibet Fideles nec Parochus nec Vicarius aut Sacerdos ad hoc delegatus, sine illorum Parochi vel Ordinarii licentiâ, Matrimonio jungere ausus fuerit: quæ Suspensio reservatur Episcopo illius Pastoris qui Matrimonio interesse aut benedicere debebat (*h*). Excommunicationem insupèr *ipso facto* incurrendam in eos omnes pronuntiamus, qui, vel propter oppositam intercessionem (1), vel propter dilatam seu denegatam Benedictionem Nuptialem, Parocho, seu Vicario, alterive Sacerdoti Pastoris vices gerenti sistere se auderent, ut coram ipso ac testibus Matrimonium sine Benedictione sacerdotali, aliisque solemnitatibus ad hujus Sacramenti celebrationem præscriptis contrahere

(1) Opposition formée.

(*f*) *Conc. Trid.* sup.

(*g*) *Clement.* Religiosi, *l.* 5. *tit.* 7. de privil. & excess. privil. *cap.* 1.

(*h*) *Conc. Trid.* sup. *Rit. Paris. denuò ed. an.* 1777. *pag.* 115.

attentarent per verba de præsenti (*i*): quam pœnam incurrerent non solùm Testes, verùm etiam Notarii, vel Apparitores, qui tantæ audaciæ tantæque in Ecclesiam contumeliæ suum adhiberent ministerium: atque hujus Censuræ sicut & ipsius cui annexa est, peccati Asolutionem Nobis seu Pœnitentiario nostro reservamus (*k*).

Si ambo Contrahentes in eadem Parochia non habitent, in eorum arbitrio erit electio Parochi alterutrius, à quo suum velint Matrimonium benedici: ut tamen à mulieris Pastore celebretur Matrimonium, usus hac in Diœcesi obtinuit; *virginalis enim pudoris est* ut, quæ nubit, *expetita magis videatur à viro, quàm virum ipsa expetisse* (*l*). Utcumlibet autem, sive mulieris, sive viri Parochus eligatur, neuter Matrimonii celebrationem sibi vindicabit, nisi ab altero acceperit instructum legitimâ formâ testimonium, per quod certior fiat, 1°. Ab illo factæ *Bannorum* promulgationis, nullo intercedente (1), vel rescissâ, quæ obvenerit, intercessione, nulloque revelato Impedimento: 2°. Consensûs quem ipse alter Parochus ad Matrimonii celebrationem præbet, nisi (ut sæpiùs fit) pro illo explicito consensu habeatur testimonium promulgationis *Bannorum*: 3°. Accessûs ad Pœnitentiæ Tribunal, per quem se ad Matrimonii Sacramentum præparare debuit illius Parochianus vel Parochiana.

(1) Sans aucune opposition.

Qui, volvente anno, duas incolunt diversas Parochias, eò quòd familiam & rem domesticam utrobique habeant, ii Matrimonio jungentur in Parochia longioris suæ per annum commorationis. Si verò annum in singulis Parochiis ferè dimidient, utram voluerint ad Matrimonium contrahendum eligere poterunt, *Bannis* tamen, ut suprà dictum est, in utraque promulgatis: nec Pastor unius Parochiæ ad Matrimonii celebrationem procedet, quin priùs ad manum habeat testimonium publicè denuntiati ab altero Pastore Matrimonii.

Qui, cùm in una Parochia stabile notumque habeant domicilium, in alteram ad tempus commigrant aurâ liberiore fruituri, domesticis rebus invigilaturi, aliudve quidquam sive oblectationis sive negotiorum acturi, his nullus est proprius Pastor, præter illum stabilis notique domicilii Pastorem; neque alibi, præterquàm de ipsius licentiâ, validè conjugium inirent.

(*i*) Hujusmodi conjugium, seculo superiore, attentavit Gilbertus *Gaulmin*; undè locus datus est discutiendi an ea Matrimonia valerent. Gallicè dicta sunt *Mariages à la Gaulmine*, & Legibus reprobata; Notariisque sub pœna corporali vetitum fuit, ne tales Matrimonii promissiones, pactione coram se factâ, suscipere auderent. *Déclar. de Louis XIV, du 15 Juin 1697, rendue à la sollicit. de l'Assemb. du Clergé de 1680.*

(*k*) *Rit. Paris. D. Joan. Franc.* de Gondy, *primi Paris. Archiep. an.* 1654. *Stat. Syn. D. Franc.* de Harlay, *an.* 1673, *in Synodico. Et Rit. Paris. an.* 1777, *pag.* 109 & 110, *tum etiam* 358.

(*l*) *S. Ambr.* de Abrah. *l.* 1. *cap.* 9. (*al.* 91.)

QUOD

Quod spectat conjugia *Minorum*, ipsis quidem duo esse possunt domicilia: unum *Juris*, quod nempè est ipsummet parentûm, vel tutorum curatorumque domicilium; & alterum *facti*, cum, v. g. extra parentûm vel tutorum habitationis locum munus gerunt, vel famuli, tirones, focii tabernarii (1) sunt. Juxta Regiam sanctionem (*m*), denuntianda sunt eorum Matrimonia in loco domicilii parentûm, vel tutorum & curatorum; quâ nimirùm solemnitate deficiente, irrita declarari possunt eorum conjugia (*n*). Nec ideò minùs proclamanda sunt ipsorum *Banna* in loco ubi pro tempore illis est domicilium *facti*. His observatis, validum erit Matrimonium in utralibet Parochia celebratum. Quòd si puella nuptura & parentes vel tutores in diversis ejusdem loci Parochiis habitent, Matrimonium celebretur in parentûm vel tutorum Parochiâ, quod nempè, ut modò diximus, *Minorum* respectu, est domicilium *Juris* (*o*). Si verò puellæ nupturæ & parentûm vel tutorum domicilia non Parochiis tantùm, sed & locis diversa sint, ad Matrimonii celebrationem anteponatur ea Parochia, cujus intrà fines domicilium *facti* habet puella. Verùm, in utriuslibet domicilii Ecclesiâ suscipiatur Benedictio nuptialis, semper necessarium erit testimonium proclamationis *Bannorum* in altera Parochia, nullo detecto Impedimento, peractæ.

Quibus nullum est fixum & stabile domicilium, quales sunt quidam operarii & artifices, circumforaneiatque erratici mercatores, mendici, aliique forsitan, sine sede, sine lare hàc & illàc perpetuo cursu transeuntes, uno verbo, alienigenæ, vagi & ignoti, non sine multa cautione ad conjugium ineundum admittendi sunt; sæpiùs enim hac in re Pastorum religionem intercipit aliqua obtepens fallacia, cùm præsertim de mendicorum Matrimoniis agitur. Hinc sapientissimè his verbis decrevit sancta œcumenica Tridentina Synodus: « Multi sunt qui » vagantur, & incertas habent se» des; &, ut improbi sunt ingenii, » primâ uxore relictâ, aliam, & » plerumque plures, illâ vivente, » diversis in locis ducunt. Cui mor» bo cupiens sancta Synodus occur» rere, omnes ad quos spectat, pa» ternè monet, ne hoc genus ho» minum vagantium ad Matrimo» nium facilè recipiant; Magistratus » etiam seculares hortatur ut eos » severè coërceant: Parochis autem » præcipit, ne illorum Matrimo» niis intersint, nisi priùs diligen» tem inquisitionem fecerint, &, re » ad Ordinarium delatâ, ab eo licen» tiam id faciendi obtinuerint (*p*). »

Quapropter, vagi, nec domicilium certum habentes, ad Matrimonium contrahendum à nullo hu-

(1) Compagnons de Boutique.

(*m*) Edit de Mars 1697.

(*n*) Arrêt du Parlem. de Paris, du 5. Sept. 1710.

(*o*) *Edit de Mars* 1697.

(*p*) *Conc. Trid. Seff.* 24. de Ref. Matrim. *cap.* 7. Vide *Conc. Rem. an.* 1583, *tit.* de Matrim. *n.* 6.

jus Diœcesis Parocho admittantur sine Præsulis Diœcesani aut Vicarii-generalis expressâ scriptoque concessâ licentiâ (*q*).

Porrò inquisitio quam præcipit Synodus Tridentina, à Parocho facienda est ante *Bannorum* proclamationem, & priùs consulto Diœcesano Antistite, seu ejus Vicario-generali. Ex illa autem inquisitione dignosci oportet, 1°. An Christiani sint qui se Matrimonio jungi postulant; ideòque ab iis exigendum est excerptum Baptismi instrumentum, cujus ope constet prætereà de ipsorum patriâ, ætate & qualitate: 2°. An Religionem Catholicam profiteantur; de quo testimonium scriptum exhibeant necesse est: 3°. An non Matrimonii promissione obligati, vel Matrimonio juncti sint; quod quidem non rarò accidit. Si se olim nuptiarum fœdere obstrictos fuisse dixerint, ab iis exquirendum est excerptum sepulturæ instrumentum, quo probetur decessus per quem liberos se affirmant: 4°. An adhùc vivant, an non supersint eorum parentes. Si hos defunctos esse perhibeant, id ab ipsis probari oportet, sive *Majores* sint, sive *Minores*. Si autem *Minores* sint, manifestum facere debent consensum tutorum aut curatorum, & eorum qui genere sibi sunt maximè propinqui. Quòd si verò parentes suos in vivis superesse dixerint, & sint *Minores*; necesse est ut suos parentes Matrimonio quod meditantur, assentiri ostendant: si sint triginta annis majores, quoad viros, & viginti-quinque, quoad fœminas, iis probandum est se parentûm sententiam & consilium requisiisse. Ne autem impensis graventur inopes, satis esse poterit, si de prædictis afferatur testimonium ex Pastore illius Parochiæ, ubi habitant eorum parentes: quæ cùm sit ipsorum domicilium *Juris*, posito quòd sint *Minores*, in ea fieri debet proclamatio *Bannorum*; cujus quidem citra ullius Impedimenti revelationem peractæ testimonium, cum cæteris instrumentis, ab iis exhiberi oportebit.

Jam verò de omnibus & singulis prædictæ inquisitionis capitibus, ac præsertim de libertate à cujuslibet conjugii vinculo, certum quiddam & exploratum habere sæpiùs difficillimum est. Ab iis personis de quibus hîc sermo instituitur, non quidem exigenda sunt testimonia Pastorum omnium, quorum in Parochiis aliquo intervallo commorati anteà fuerint; hoc enim factu vix possibile meritò judicatur. Exigenda nihilominùs sunt aliquot Parochorum testimonia, quorum in Parochiis diutiùs quàm in cæteris manserint, ac præsertim Pastoris natalem eorum Parochiam spirituali regimine administrantis, & propinquorum testimonium; qui scilicet compertum

(*q*) *Stat. Syn. D. Eust.* du Bellay, *Paris. Episc. n.* 32. de Matrim. *in Synodico*, *pag.* 221.

habere possunt an ipsi aliquod Matrimonium contraxerint. Quòd si verò in sua patria ipsismet propinquis jam sint ignoti, eò quòd illam ab adolescentia reliquerint, atque indè longo temporis & locorum intervallo abfuerint, sicque nihil sufficientis testimonii ex eo loco expectari possit, prætereàque non satis diù in ulla Parochia degerint, ut potuerint ibi sufficienter innotescere; tunc ultimum sit hoc perfugium, ad quod frequentiùs in hac Diœcesi descenditur: ut nempè quatuor notæ probitatis testes ex una commorationis anterioris Parochiâ, quos Diœcesanus Pontifex vel per se ipse immediatè, vel per intermedias personas noverit, scripto testificentur, *Titium*, v. g., certo temporis intervallo sibi notum, nullo, quod hactenùs audierint, contracti Matrimonii vinculo ligatum, nec se ullum Impedimentum nosse, quominùs ipse *talem* fœminam uxorem accipiat: quod quidem testimonium legitimâ formâ instructum, ejusque subscriptio ritè recognita & probata (1) exhibeatur; idemque dicendum de cæteris instrumentis suprà notatis.

Cum Parochus apud quem de Matrimonio celebrando agunt vagi & erratici, plenam omnium de quibus inquisierit, notitiam fuerit assecutus, & necessaria penès se habuerit instrumenta; hæc, propter subscriptiones ignotas, Ordinario loci Episcopo recognoscenda exhibebit, vel ad ipsum diriget, missis (ubi expedire & possibile esse videbitur) ipsismet Partibus contrahere cupientibus. Tum, si omnia vera & admittenda esse judicet Ordinarius, exequenda erit *Bannorum* promulgatio in domicilio *facti*; quod quidem nullum est præter Parochiam in qua vagi illi actu commorantur, nisi Episcopus Dispensationem domicilii concedat. Ad extremum, nullâ cujusquam Impedimenti revelatione factâ, futurisque conjugibus per sacramentalem Confessionem piè dispositis, de qua dispositione certò innotescat, præsentis eorum domicilii Parochus ad celebrandum Matrimonium tutâ conscientiâ procedere poterit, Episcopi sui licentiâ fretus, sine qua videlicet, non modò Concilium Tridentinum (r), sed etiam Regiæ sanctiones prohibent ne quis Parochiæ Rector, aliusve Presbyter, vagos & domicilio carentes Matrimonio conjungat (s).

Postquàm autem Parochus vagos in Matrimonium junxerit, Diœcesani Pontificis licentiam cum toto inquisitionis ordine & instrumentis sibi exhibitis penès se retinebit, atque id omne suis Codicibus Parochialibus annectet; ut, positâ in inquisitionis instrumentis fallaciâ, extra culpam se esse demonstret; sive ut Matrimonium cum requisitis solemnitatibus celebratum fuisse ostendat, si quandò illud in controversiam vocari contigerit.

(1) Légalisé.

Quod ad eos pertinet qui ex alia, maximè verò longinqua Diœcesi, vel remotissimo ejusdem Diœcesis loco advenerunt, quamvis legiti-

(r) Suprà. (s) Edit de 1697.

mum domicilii tempus in aliqua hujus Diœcesis Parochiâ jam attigerint, erga ipsos Matrimonio jungendos, nisi aliundè notissimi sint, iisdem, proportione servatâ, utendum est cautionibus, quas pro vagis & ignotis adhibendas esse modò diximus.

(3) Capitaine.
(4) Officier supérieur.
(5) Bas-officiers.
(6) Officiers.
(7) Officiers d'Infanterie, de Cavalerie ou de Dragons en garnison.
(1) Officiers.
(2) Régiment.

MILITARIUM autem virorum conjugia ne prætereamus, quamvis, ex consuetudine & Episcoporum indulgentiâ, exercituum Eleemosynarii tanquàm ipsorum Parochi habeantur quoad Pœnitentiæ, interdùm etiam Eucharistiæ & Extremæ-Unctionis administrationem, non tamen quoad Matrimonium tales reputantur. Milites in Matrimonium jungere non possunt; id præstare solus potest ille Parochus, cujus in Parochia pro tempore versantur: is videlicet, Matrimonii contrahendi habito respectu, proprius illorum Pastor censetur; neque enim illi inter vagos & erraticos numerantur, quoniam, ex Lege, *miles ibi domicilium habere videtur, ubi meret* (t); ac præterea, cùm sui juris non sint, Matrimonio jungi non debent sine licentia Ductorum (1), de ipsorum libertate à connubiali vinculo testificantium.

Itaque Matrimonium à Legionis (2) Eleemosynario, sine Parochi aut Episcopi licentiâ, in regione Catholica celebratum, nullum foret, omninòque irritum (u); & Eleemosynarius pœnæ obnoxius esset, quam incurrunt ipsimet Raptûs fautores & complices (x).

Ut verò constare censeatur de militum libertate ab omnis anterioris conjugii vinculo, saltem necesse erit ut de ipsa testificetur Centurio (3), vel excelsioris ordinis Ductor (4), eis licentiam ineundi Matrimonii scripto concedens; sine qua nimirùm neque gregarii milites, neque inferiores ductores (5) ad contrahendum admittendi sunt. Quòd si absit Centurio, aliusve Ductor licentiam ejusmodi concedens, Pastorique ignotum sit ejus chirographum; hic tutò non poterit ad Matrimonii celebrationem procedere, quin priùs ejusmodi subscriptionem genuinam & non suppositiriam esse perspexerit; ad quod scilicet necessarium erit ut eam cernat ab Episcopo recognitam.

Quoad militum Ductores (6), Regiâ Ludovici-Magni sanctione prohibetur, ne quis Parochus, aliusve Presbyter eos Matrimonio jungat, sive Pedites, sive Equites, sive Velites militare præsidium in qualibet civitate constituentes (7), aut decem circiter leucis à loco distantes cui præsidio sunt, nisi accedat consensus Inspectoris-generalis scripto concessus. Si quis autem Sacerdos hanc Legem transgressus

(t) *ff. lib.* 50. *tit.* 1. *le.* Municeps.

(u) Mémoires du Clergé, *éd. de* 1716, *tom.* 5. *pag.* 952, *où est rapporté* l'Arrêt du Parlem. de Paris, rendu en forme de Règlem. *le* 16 *Févr.* 1673.

(x) Ordonn. de Louis XIV, *du* 15 *Déc.* 1681, *rapportée dans le* Code milit. *l.* 2. *tit.* 2. *art.* 4.

fuerit, in eum animadvertitur perindè atque in Raptûs fautorem & complicem (*y*). Nec potest ullus Parochus, nisi de Regis, vel, pro Rege, Administri licentiâ, pariter scripto concessâ, rei maritimæ Præfectos (1) Matrimonio jungere (*z*).

(1) Officiers de Marine.

Quamvis portò illi Ductores, sive terrâ, sive mari stipendia merentes, ejusmodi licentiam in forma legitima obtinuerint; non minùs tenentur, quemadmodùm inferiores ductores & gregarii milites, parentûm vel tutorum consensum exhibere, si *Minores* sint, aut requisitionem sententiæ & consilii parentûm, si *Majores*, cæterasque Ecclesiæ & Regni Leges Matrimoniales observare, prout Regiis sanctionibus constitutum est (*a*). Eorum igitur qui ex Regis militari Domo sunt, *Banna* proclamari debent in Parochia loci ubi Rex pro tempore commoratur; militum verò Ductorumque ipsorum cujuslibet gradûs, in Præsidiis, locisve ubi jam solido ab anno commorantur, atque etiam in suo loco natali, seu parentûm vel tutorum domicilio. Circa domicilium *facti* si qua sit difficultas, hæc ad Diœcesanum Pontificem referatur.

Qui domicilium habent in una Parochia, si, postquàm longè ab ea plures annos abfuerunt, illùc remeârint animo contrahendi Matrimonii, eos ad illud admitti non oportet, quin priùs testimoniis legitimâ formâ instructis palàm fecerint se nullo in contrarium esse vinculo ligatos.

Ipsi autem Parochi, ut vitetur omnis fallacia, non priùs se ad ullius Matrimonii celebrationem accingant, quàm diligenter inspexerint, 1°. Suscepti Baptismi instrumentum, ut de Partium ætate, patria & qualitate omninò constet: 2°. Mariti vel uxoris instrumentum mortuale, si aliena in Parochia decesserit compar vidui aut viduæ ad secundas nuptias convolare cupientis: 3°. Patris & matris, vel tutoris & curatoris consensum, si Partes, per ætatem, alieni sint juris: 4°. Mortualia dictorum parentûm instrumenta, si extra Parochiam decesserint: 5°. Testimonia Matrimonii publicè denuntiati apud omnes Parochias ubi hoc denuntiari oportuerit; aliaque id genus instrumenta sive testimonia, pro Casuum ratione. Attendant insupèr nullam ejusmodi instrumentis ex aliena Diœcesi allatis fidem deberi, nisi Diœcesani Episcopi Sigillum cum ipsius aut Vicarii-generalis signo, vel Regii Judicis signum agnoscant, per quod hujusmodi instrumenta publicæ auctoritatis notam præ se ferant manifestam atque omninò perspicuam. Ea verò cujuscumque subscriptione & chirographo sibi ignoto roborata non priùs admittant, quàm à Nobis visa & pro veris habita fuerint.

Regio denique Edicto præcipitur, ut Testes Matrimonio astantes à Pa-

(*y*) Ordonn. de Louis XIV, *du* 1 *Févr.* 1683. Code milit. *l.* 2. *tit.* 2. *art.* 1. & 2.

(*z*) Ordonn. de Louis XIV, *du* 13 *Sept.* 1713.

(*a*) Arrêt du Conf. d'État, *du* 13 *Déc.* 1681. Édit de Mars 1697.

rochis moneantur quibus pœnis ii subjaceant, qui de Contrahentium ætate, conditione ac domicilio falsa pro veris testificati fuerint (*b*).

Ne verò, dubiâ Ministri potestate, dubia sit Sacramenti validitas, aut hæc in foro externo probari non possit, ea quæ sequuntur, decernenda censuimus.

I°. Nunquam verbo tantùm, semper autem scripto concedetur licentia Matrimonii extra Parochiam celebrandi.

II°. Pastores nullam præbebunt generalem licentiam ut illud celebretur quocumque in loco Partes voluerint; sed dirigetur concessio ad unum duntaxat Parochum, aliumve Presbyterum, qui expressè in illa denominabitur; nunquam verò ad quemlibet generatim Parochum sive Presbyterum.

III°. Nunquam Parochus aliusve Sacerdos quem Pastoris absentis onus sustinere continget, Matrimonia ulla in ejus Parochia celebrabit, nisi specialem hanc ab illo potestatem acceperit: cujus mentio fiet, relato in Parochiales Codices unoquoque Matrimonio; Pastórque in Parochiam redux non omittet singulis Actis subscribere.

IV°. Cùm Parochus alicui Collegæ aut Presbytero licentiam concedet unum specialiter in sua Ecclesia Matrimonium celebrandi; si sit ipse in Parochia præsens, de suo consensu testificabitur, Actis in Parochiales Codices relatis subscribens. Quòd si adesse nequeat, scriptam licentiam ei relinquet Sacerdoti, cui Matrimonium committet celebrandum: pariterque ipse, cùm redierit, Matrimonii Actis diligenter subscribet. Semper autem, sive præsens, sive absens fuerit Pastor cujus de licentia celebrabitur Matrimonium, in Matrimonii Actis annotabitur illud de ipsius consensu celebratum fuisse.

V°. Pastor qui ab Ordinario designatus est, ut alienæ Parochiæ Fideles Matrimonio conjungat, id muneris Vicario alterive Sacerdoti committere nequit; tunc enim solas delegati partes agit: delegatus autem in causa particulari subdelegare non potest. Idem dicendum est de Parocho aliove Presbytero, cui proprius Contrahentium Parochus licentiam concesserit eos Matrimonio jungendi.

Parochi autem Litteras testimoniales & Matrimonii in aliena Parochia celebrandi licentiam non concedent filiis-familiâs qui nondùm sui juris sint, nisi priùs de parentûm vel tutorum & curatorum consensu sibi constiterit.

Nemini pariter eam licentiam concedent, quem ad justum ac legitimum conjugii fœdus ineundum esse inhabilem, vel dispositionibus requisitis carere (aliâ tamen quàm Confessionis viâ) certò noverint. Quamobrem in ea concessione, cognitâ causâ, testabitur proprius Parochus, unam, duas vel tres Matrimonii denuntiationes, nullo recla-

(*b*) A l'égard des hommes, amende honorable & les galeres; ou bannissement, s'ils ne sont pas en état de subir cette peine: à l'égard des femmes, amende honorable & bannissement pour neuf ans. *Edit de Mars* 1697.

mante, esse factas; futuros conjuges, vel hucusque innuptos, vel Matrimonii vinculo exolutos, in eo statu esse, ut, per ætatem, aut parentûm vel tutorum & curatorum consensum, aut etiam, posito Impedimento, per Dispensationem à Sede Apostolica vel à Diœcesano Præsule concessam, liberè ac legitimè connubium inire possint; eos denique saltem ad Pœnitentiæ Sacramentum accessisse. Deficiente hujusmodi testimonio, non committat ullus Pastor ut alienæ Parochiæ Fideles Matrimonio conjungat (*c*).

(*c*) *Stat. Syn. D. Eust.* du Bellay, *Paris. Episc. n.* 32, de Matrim. *In Synodico, p.* 221. *Rit. Paris. D. Joan. Franc.* de Gondy, *primi Paris. Archiep. an.* 1654. *Rit. Paris. an.* 1777, *pag.* 355.

CAPUT V.

De Matrimoniis filiorum-familiâs.

An valida sint Matrimonia filiorum-familiâs sine parentûm assensu contracta. Tres eorum status, in quibus, pro ætatis & sexûs ratione, à parentûm voluntate magis minùsve pendent ipsorum conjugia. Quàm graviter peccent parentes vel tutores, qui Minorum *conjugiis iniquè repugnant. Moderatio in iis exoptanda.*

Matrimonia filiorum-familiâs sine parentûm assensu contracta, Jure tam naturali quàm divino rata & valida esse nemo dubitaverit. Jure quidem naturali: si enim hoc solum spectetur, ad Matrimonii substantiam tria requiruntur & sufficiunt, primò scilicet Partium consensus, deindè ejusdem manifestatio exterior, postremò tradita corporum mutua potestas; quæ tria, secluso parentûm consensu, verè solidèque subsistunt. Jure autem divino; quia Lex, tum antiqua, tum nova, conjugiorum validitatem à sola filiorum hæc ineuntium voluntate repetit (*a*).

Hujusmodi tamen conjugia graviter ab omni ævo prohibuerunt Jus naturale simul & divinum, civile pariter & canonicum (*b*). Eam quippè natura & Religio animis injiciunt reverentiam, illudque suadent obsequium, ne liberi, invitis

(*a*) *Gen.* 26. 34. 35. *Num.* 36. 6. *Tob.* 7. 10. *& seq.* 1 *Cor.* 7. 39.

(*b*) *Gen.* 36. 34. 35. *Exod.* 22. 16. 17. *Tert.* ad ux. *l.* 2. *c.* 9. *S. Ambr.* l. 8. Ep. 5. (*al.* 83.) n. 1. *ff. l.* 23. *tit.* 2. *le.* 2 Cod. Theod. *l.* 3. *t.* 7. *le.* 1.

aut inconsultis parentibus, sibi conjuges eligant, sed illam ipsis deferant tanti momenti electionem (*c*); alioqui, violatur honos, qui, & sanguinis voce clamante, & Deo ipso præcipiente, patri & matri à filiis quos genuerunt, curisque tenerrimis educârunt, semper habendus est, in gravioribus præsertim vitæ circumstantiis, qualis est ineundi conjugii deliberatio. Filiorum Matrimonia parentibus committunt utriusque Testamenti Scripturæ (*d*). » Non esse virginalis pudoris eligere » maritum, sed à puella, ipsâque » adolescentulâ viduâ debere judi» cium parentûm expectari (*e*); » liberos denique à parentibus offerendos esse Presbytero, à quo benedictionem suscipiant, communis Patrum & Conciliorum sententia est (*f*). Quædam etiam Concilia Excommunicationis gladium in eos distringunt, qui hujusmodi officium in vitæ suæ auctores prætermittere non dubitaverint (*g*). Hinc Matrimonia à filiis-familiâs sine consensu parentûm contracta, ex justissimis causis sancta Dei Ecclesia semper detestata est atque prohibuit; tametsi eos sancta Tridentina Synodus anathemate damnat, » qui falsò affirmant » Matrimonia à filiis-familiâs sine » consensu parentûm contracta, ir» rita esse, & parentes ea rata vel » irrita facere posse (*h*). »

Quod pertinet ad Jus Civile, nullis quidem Regni hujusce Christianissimi Legibus irrita sunt quoad vinculum Matrimonia à filiis-familiâs, etiam *Minoribus*, sine parentûm vel tutorum assensu contracta. Si qua verò Edicta irritum in hujusmodi Casu pronuntiant Matrimonii vinculum, non aliam ob causam eò deveniunt, quàm quòd Matrimonium supponunt *cum forma & solemnitate requisita celebratum non fuisse* (*i*), sicque adjunctam habuisse *clandestinitatem*. Si autem illud in quibusdam non præcisè annotetur, irritum declaratur Matrimonium quatenùs est Contractus civilis, & politicorum effectuum habitâ ratione, non verò quatenùs est Contractus naturalis, multò minùs habitâ ratione Sacramenti (*k*). Porrò sine Contractu civili stare omninò posse Sacramentum ostendunt eorum exempla, qui, cùm ad mortem vel ad perpetuas triremes damnati, sicque civiliter mortui sint, atque idcircò civilis Contractûs minimè capaces, Matrimonium nihilominùs, ut Sacramentum, contrahere validè possunt, quia nihilominùs filii Ecclesiæ esse perseverant. Matrimonia denique filiorum-fami-

(*c*) *S. Ambr.* de Abrah. *l.* 1. *cap.* 9. (*al.* 91.)

(*d*) *Jerem.* 29. 6. 1 *Cor.* 6. 38.

(*e*) *S. Ambr.* sup.

(*f*) *Tert. S. Basil.* can. 38. *Conc. Carth. IV*, *an.* 398. can. 13. *Turon. II*, *an.* 567. can. 20.

(*g*) *Aurel. IV*, *an.* 541. *can.* 21.

(*h*) *Trid. Sess.* 24. de Ref. Matrim. *c.* 1.

(*i*) Edictum Henri IV, *an.* 1606, præcipiens quidem ut Sanctionis Blesensis art. 40. observetur, sed positâ *clandestinitate*.

(*k*) Sic, *an.* 1619, Ludovici XIII nomine, Clero Gallic. respondit Michaël *de Marillac*, Regii Sigilli Custos.

liâs

liâs ante annos viginti-quinque, insciis parentibus, contracta, si quandò irrita quoad vinculum à Tribunalibus declarata fuêre, illud judicatum fuisse invenitur propter adjunctam *Clandestinitatem* vel *Raptum seductionis*, minimè verò ex solo paterni consensûs defectu. Quinimò hujusmodi Matrimonia non *clandestinè* aut ex *Raptu seductionis* conciliata, quoad fœdus & Sacramentum rata & firma non semel à supremis Curiis judicata sunt (*l*).

His prænotatis, quid circa Matrimonia filiorum-familiâs, parentûm auctoritatis habito respectu, in Galliis constitutum fuerit, edisserendum est.

Imperii sui hac de re Jurisprudentiam plurimis Sanctionibus composuerunt Reges Christianissimi: quarum antiquissima cæterarumque exemplar & fundamentum est Henrici II Sanctio, data mense Februario anni 1556. Quæ Leges cùm ad tuendum Sacramenti decus fovendamque familiarum tranquillitatem præsertim conditæ fuerint, eas Pastoribus quàm accuratissimè perspectas esse oportet; quas nempè ipsimet inviolatè observent, & summâ creditorum sibi populorum religione observari curent.

ITAQUE filiorum & filiarum-familiâs tres distinguuntur status, in quibus, pro ætatis & sexûs ratione, à parentûm voluntate magis minùsve pendent eorum conjugia. Primus est, cùm viginti-quinque annis completis minores sunt; secundus, ab anno vigesimo quinto usque ad trigesimum; tertius, ab anno trigesimo, & suprà.

Juxta Henrici II Sanctionem modò citatam, utriusque sexûs filiifamiliâs, qui, Jure communi, *Minores* sunt, id est, qui vigesimum-quintum ætatis annum minimè compleverunt, quadruplicis generis pœnis fiunt obnoxii, cùm sine parentûm consensu Matrimonio junguntur. Prima est exhæredatio, quam in eos constituere possunt pater & mater; quin etiam aliâ Sanctione præcipitur, ut, ipso facto, nullâque necessariâ Judicis Sententiâ, jure ad legitimam hæreditatis portionem (1) privari censeantur (*m*): secunda est donorum revocatio: tertia est privatio effectuum civilium atque utilitatum quas sibi vindicare potuissent, seu virtute Institutorum localium (2), seu ex clausulis nuptialium pactionum inter parentes: quartò denique, pœnis in Judicum arbitrio positis mulctari possunt (*n*). Præter has pœnas variis deindè Sanctionibus confirmatas atque innovatas (*o*), id periculum adeunt

(1) Du droit de Légitime.

(2) En vertu de la Coutume.

(*l*) Journ. des Aud. *tom.* 1. *pag.* 177. Bardet, *tom.* 2. *pag.* 227. & 329. Basnage, *sur la Cout. de Norm. tom.* 2. *pag.* 231.

(*m*) Ordonn. de Louis XIII, *de* 1639, *art.* 2.

(*n*) Ordonn. de 1556.

(*o*) Ordonn. de Blois, *sous Henri III*, *en* 1579, art. 42. » Quoique cette Ordonnance soit rendue à Paris, elle est cependant appellée *Ordonnance de Blois*, parce qu'elle fut rendue en conséquence des » Cahiers présentés par les États tenus à » Blois en 1576. » *Abr. chr. de l'Hist. de Fr. tom.* 1. *pag.* 527, 6e. *édition*, 1761. Ordonn. *de* 1639. Edit de Mars 1697.

Minores sine parentûm consensu Matrimonium ineuntes, ut sua Matrimonia non validè contracta, conquerentibus videlicet parentibus, in Judicio declarentur, utique ex Raptu seductionis, cujus tunc sæpè occurrit præsumptio.

(1) Aux Coutumes.

Supradictis pœnis obnoxiæ pariter sunt viduæ viginti-quinque annis minores, quæ sine parentûm consensu iterata ineunt conjugia (*p*). Cujus quidem Jurisprudentiæ fundamentum est, quòd, cùm filiæ-familiâs sæpè nuptui tradantur minusculâ ætate, in quam scilicet neque experientia, neque matura cadit rerum æstimatio, & viduæ aliquandò fiant quinto-decimo, vel proximè sequentibus vitæ suæ annis, æquissimum videtur, ut ad novas nuptias sapienti consilio transituræ, sub parentûm arbitrio rursùs constituantur, prout exigit status *Minorum*. Cujus tam immaturæ viduitatis ratio cùm in maribus sit rarior, nullâ Lege his præcipitur, ut, sive *Minores*, sive *Majores*, parentûm consensum obtineant vel requirant, ut possint nullo periculo iteratum inire conjugium (*q*). Iis tamen suadet natura & Religio, ut hanc reverentiam non modò parentibus, verùm etiam, si desint parentes, & adhùc viginti-quinque annis *Minores* sint, ipsis tutoribus exhibeant: ad quod scilicet à Pastoribus & Confessariis inducendi sunt; eòque magis, quòd, si nondùm satis maturâ ætate vidui fiant, ex primo conjugio non censentur eam omninò deposuisse animi levitatem, cujus motu præcipiti novas nuptias inire forsitan vellent rationi ac decentiæ haud satis consentaneas.

Regiâ autem Ludovici XIII Declaratione (*r*) Provincialibus Constitutis (1) derogatur, quorum dispositionibus concederetur, ut filii-familiâs vigesimum ætatis annum adepti Matrimonia validè contrahetent, post requisitum, licèt non impetratum patris & matris assensum (*s*).

Sic videlicet providit Legum sapientia, ut parentes, deficiente in filiis aut filiabus ratione & obsequio, saltem pœnarum civilium timore impedire possent ne illi imparibus Matrimoniis jungerentur; ne amoribus inhonestis, conjugii spe, servirent; ne ipsi parentes de fortunis omnibus deturbarentur; ne denique probro afficerentur familiæ, quæ sæpiùs conjugiis malè copulatis subvertuntur. Præterquàm quòd his Matrimoniis Deus, ut plurimùm, non benedicit, ubi contrahuntur læsâ reverentiâ parentibus debitâ, à quibus scilicet, principe rerum auctore Deo, vitam, fortunas, omnia uno verbo vitæ hujus mortalis commoda obtinemus.

Porrò, cùm patres aut matres, actu anteriore, semel ratum habue-

(*p*) Ordonn. *de* 1629 *& de* 1639, *art.* 2. *L.* Viduæ, *cap.* de Nuptiis. Arrêt du Parlement de Paris, *du* 13 *Mars* 1663. Journ. des Aud. *tom.* 2. *l.* 5. *c.* 16.

(*q*) Confér. de Paris sur le Mar. *tom.* 2. *pag.* 444. *édition de* 1756.

(*r*) 26 Nov. 1640.

(*s*) Coutume de Lorraine, *tit.* 2.

runt Matrimonium quod liberi viginti-quinque annis minores fine illorum consensu inierunt, jam illud, ipsis conquerentibus, rescindi non potest (*t*).

Quoad pœnam exhæredationis, eam constituere non posset pater in filiam, quæ, illo dissentiente, nupsisset, postquàm ipse eam voluisset ad profitendam Religionem compellere (*u*).

Dum vivit parens uterque, sufficit ut filii aut filiæ *Minoris* conjugio pater assentiatur. Eveniente patris decessu, filii & filiæ-familiâs *Minores* matris auctoritati fiunt obnoxii: mater siquidem paternæ circa liberorum conjugia potestati succedit, non tamen sine aliqua imminutione. Pater enim, tanquam familiæ caput, nullam suæ voluntatis rationem reddere tenetur, sive cùm se filii aut filiæ *Minoris* Matrimonio interponit, sive cùm illud suo assensu comprobat: eorum utilitati, pro sua sapientia & paterna charitate, consulere præsumitur, causisque moveri occultis, quas prudenter dissimulat. Diversa autem est mattum conditio. Si consentiant, obtineri etiam debet propinquorum assensus. Si verò dissentiant; priùs requisito eorumdem propinquorum consilio & sententiâ, secundùm Juris dispositionem (*x*), quæ in Galliis vim Legis obtinet, certiorem facere Judicem tenentur de causis propter quas filiorum aut filiarum conjugiis sese interponunt. Cujus quidem Legis fundamentum est fœminei sexûs infirmitas, in quem videlicet magis cadit præceps animi impetus, præjudicata opinio, ideòque sæpiùs imminens ratione minùs quàm libidine (1) agendi periculum.

Si matres novo connubio junguntur, earum indè etiam decrescit auctoritas circa liberorum conjugia. Ipsarum quidem sententiam & consilium in forma Juris requirere tenentur, non autem consensum expectare: sufficit ut consentiant tutores vel curatores cum propinquis (*y*); & matres eorum conjugio dissentientes illos exhæredes scribere non possunt. Atque hujus Legis in eo cernitur æquitas, quòd mulier bivira, contra fas, & ad favendum liberis ex novo Matrimonio susceptis, repugnare posset conjugiis filiorum ex priore thalamo genitorum.

Quoad matrum filios non legitimos vinginti-quinque annis minores, nec legitimos renuntiatos, non competit matribus ut eorum connubia impediant (*z*). Ad hoc, secundùm Jurisperitos, requiritur Judicis Sententia.

Hactenùs de primo statu filiorum & filiarum-familiâs respectu parentûm, in ordine contrahendi Matrimonii: cujus quidem appendix

(1) Par caprice.

(*t*) Arrêt du Parlem. de Paris, *en Déc. 1672.* Journ. des Aud. *tom. 3. l. 6. c. 31.*

(*u*) Arrêt *du 5 Juillet 1629.*

(*x*) *Cod.* de Nuptiis.

(*y*) Ordonn. de 1556. Ordonnance de Blois. Edits de Louis XIII, *en 1629, & en 1639.*

(*z*) Arrêt du Parlement de Paris, *du 1 Févr. 1662. Soefve*, Recueil des Questions notables, *tom. 2. centurie 2, ch. 55.*

necessaria est, ut explicetur quænam sit tutorum vel curatorum in eosdem pro re simili auctoritas, cùm jam è vivis parens uterque sublatus est.

Cùm tutores, defunctis pupillorum parentibus, in eos auctoritate polleant, velut patres & duces quos illis præbet Legum providentia, ut se sapienter in ea ætate gerant quæ consilio maximè indiget; æquum fuit ut ab iis penderent pupilli, quandò Matrimonii statum inire vellent: ideòque, quoad *Minores* patre & matre orbatos, Henrici II Edicto superaddidit Sanctio Blesensis, ut ad ipsorum conjugia necessarius esset tutorum vel curatorum consensus (*a*). Ne verò illâ sibi assignatâ auctoritate abuterentur modò dicti tutores vel curatores, prohibuit eadem Sanctio, sub pœna quæ sit ad exemplum severitatis composita, ne quis tutor vel curator (saltem si non inter ascendentes pupilli propinquos numeretur) cuiquam pupillo de ipsius Matrimonio assentiatur, nisi accedat quatuor proximorum agnatorum (1) & cognatorum (2) sententia & consensus (*b*). Quorum si sententiæ in studia contraria scindantur, adeundi sunt Judices & Magistratus, qui, tanquam pupillorum tutores publici, quid magis expediat; ex æquo & bono constituant. Ubi agitur de pupillis Matrimonio jungendis; num tutores huic Legi satisfecerint, Parochis diligenter investigandum est.

(1) Parens du côté paternel.
(2) Parens du côté maternel.

Porrò disertè prohibet superiùs allegata Sanctio Blesensis, ne quis Parochus, Vicarius, aliusve Sacerdos, *Minores* Matrimonio jungat suæ parentûm, tutorum vel curatorum consensu; alioqui, pœna in ipsos decernitur perindè atque in Raptûs fautores (*c*). Quod quidem Parochis sedulò animadvertendum est; maximâ enim curâ invigilant supremæ Curiæ ut hic prædictæ Sanctionis Articulus observetur, (*d*). Caveant igitur ac diligentissimè caveant ne unquam procedant ad eorum Matrimonia celebranda, qui nondùm per ætatem sui juris sint, non modò insciis vel repugnantibus iis quorum interfuerit, quinimò nisi priùs compertum habeant horum consensum; quem scripto consignatum legitimèque recognitum exigant, si Partium contrahere volentium parentes vel tutores in ipsorum Parochiis non habitent, neque adfuturi sint nuptiarum celebritati. Si autem illi absentes sint, & scribere nesciant, exigendus est eorum consensus à Notario conscriptus, ac duorum insupèr testium subscriptione declaratus.

ATQUE ut ad secundum statum veniamus, in quo pendent filii-familiâs à parentibus, cùm de ipsorum Matrimoniis agitur, qui status annum inter vigesimum-quintum & trigesimum intercedit, hac in re

(*a*) Ordonn. de Blois, *art.* 40.
(*b*) Ibid. *art.* 43. *Argou*, Instit. au Droit Fr. *tom.* 2, *pag.* 12. (*éd. de* 1762.)
(*c*) Ibid. *art.* 40.
(*d*) Arrêt du Parlem. de Paris, *du* 15 *Mars* 1687, signifié à tous les Curés du Ressort, à la Requête du Proc. Génér.

quid ad mares pertineat, quid ad fœminas, sedulò distinguendum est.

Filiæ, completo ætatis anno vigesimo-quinto, si parentûm consensum præsenti sermone, ut decet, rogantes obtinere non potuerint, eum scripto juridicè significato requirere tenentur, antequàm Matrimonium contrahant; quo quidem neglecto, exhæredes scribi possunt (*e*), etiamsi viduæ sint (*f*). Attamen, adeptâ eâ quam modò diximus, ætate, sive primo, sive iterato Matrimonio jungendæ, parentûm consensum expectare non tenentur; factâque juridicâ & trinâ requisitione seu obsequiosâ interpellatione (1) ut suo Matrimonio assentiantur, eo jungi possunt, nihil obstante patris aut matris silentio vel prohibitione (*g*), nisi per viam intercessionis (2) obex opponatur.

Filii verò quinque & viginti annis majores, sed ante trigesimum completum, superstitis patris & matris consensum, ut Matrimonio jungantur, non modò requirere, verùm etiam obtinere debent; illi enim, vivis parentibus, in ordine contrahendi Matrimonii *Minores* usque ad annum trigesimum completum Regiis Sanctionibus declarantur; &, nisi consenserint parentes, horum in arbitrio est ut suâ eos hæreditate excludant (*h*), non tamen ut ipsorum conjugia irrita renuntiari curent, dummodò in celebrando Matrimonio servatæ adamussim fuerint omnes solemnitates requisitæ.

Quòd si mares post vigesimum-quintum ætatis annum completum utroque parente orbati sint; cùm jam nullum habeant tutorem, sui juris omninò sunt, nec ullius consensu ad contrahendum Matrimonium indigent. In jus commune *Majorum*, sicut & filiæ, transiisse censentur, nec jam *Minores* in ordine ineundi conjugii reputantur. Et quidem tutores nuptialibus pupillorum viginti-quinque annis majorum pactionibus subscribere non solent, quatenùs tutores.

TERTIUS status est filiorum-familiâs, qui annos triginta excedunt. Atque hîc in antecessum observabimus, filium aut filiam-familiâs in quavis ætate constituros, si superstites habeant parentes, tum ipsâ Lege naturæ, tum divino præcepto parentes honorari jubente, tum proprii commodi ratione satis superque induci ad vitæ suæ auctores de ineundo Matrimonio consulendos. Et quidem sibimetipsis in tanti momenti negotio sufficere nunquam possunt, semperque parentûm consilio indigent, in quibus longam experientiam comitatur usquequaque venerabilis auctoritas. Si autem, post rogatum vivâ voce consilium parentûm, filii-familiâs triginta annis majores consensum eorum obtinere nequeant, & tamen id quod in votis habent Ma-

(1) Sommations respectueuses.

(2) Par voie d'opposition.

(*e*) Ordonn. de 1556, & de 1639.

(*f*) Edit de Mars 1697. L. Viduæ, *cap.* de Nuptiis.

(*g*) Ordonn. de 1556.

(*h*) Ibid. Ordonn. de Blois, *art.* 41. Ordonn. de 1639, *art.* 2.

trimonium contrahere velint; ut tunc privilegio ætatis gaudeant, quid sibi agendum sit, opportunâ Lege constitutum est.

Hi scilicet Matrimonio jungendi, quemadmodùm filiæ viginti-quinque annis majores, parentûm consensum sibi denegatum, scripto juridicè significato requirere tenentur: alioquin eos hæreditate suâ, non tamen legitimâ portione (1), excludere possunt parentes (*i*). Etiamsi verò ab iis prætermittatur illa juridica requisitio, irrita declarari nequeunt eorum conjugia; & eâ peractâ, conjugium inire possunt, nihil obstante parentûm contradictione, nisi opponatur intercessio (2). Porrò ista requisitio locum non habet nisi erga patrem & matrem; filii enim & filiæ-familiâs viginti-quinque annos nati, jam nullum habent tutorem vel curatorem.

(1) De leur Légitime.

(2) Opposition.

Quæ quidem Sanctio quantùm & justitiæ & prudentiæ consentanea sit, facilè intelligitur. Ideò nempè institutum est ut *Minorum* Matrimonia, deficiente parentûm vel tutorum consensu, irrita declarari possent, quia defectus ille certum aliquandò signum videtur Matrimonii clandestini & per Raptum seductionis conciliati (*k*). Jam verò nullus præsumitur seductionis Raptus, sive in fœminis quintum & vigesimum, sive in maribus trigesimum ætatis annum excedentibus. Suis nimirùm finibus coërcenda fuit paterna potestas, ne hæc, pro justo lenique dominatu, sævum fieret imperium. Cùm igitur evenire possit, & reipsâ nonnunquam eveniat, ut filiorum seu pupillorum Matrimoniis iniquè contradicant parentes vel tutores, constituendum fuit quanam ætate filiis-familiâs pupillisque libera inire conjugia liceret; quâ nempè satis firmatum censeretur animi judicium, ut de tanti momenti negotio maturum per se ipsi consilium capere possent, nec jam in iis ulla præsumeretur seductio. Et quidem modò assignatâ, sive in maribus, sive in fœminis, respectivâ ætate, non modò parentûm consensum expectare vel obtinere non tenentur conjugium inituri filii aut filiæ-familiâs, verùm etiam, factâ, secundùm Leges, obsequiosâ interpellatione, licitè in foro conscientiæ, & illæso præcepto *Honora patrem & matrem*, iniquam horum contradictionem prætergredi possunt.

Quòd si verò parentes jure ac meritò, prout contingere nonnunquam potest, liberorum Matrimoniis contradicant; filii-familiâs, quamvis triginta annis majores, & filiæ vigesimum-quintum annum excedentes, non possunt, tutâ conscientiâ, Matrimonio jungi post requisitum nec impetratum eorum consensum. Et cùm in propria causa Judices esse nequeant, candidè & sincerè suas & parentûm rationes pio peritoque Confessario exponere tenentur, & ejus consiliis obsequi. Quinimò prudentiæ & honestati consentaneum esset, ut propinquorum consilium priùs expeterent, quàm

(*i*) Ordonn. de 1556, & de 1639.

(*k*) *Voy. les* Mémoires du Clergé de France, *tom. V.*

parentûm inhibitionem transilirent.

Quod pertinet ad obsequiosas interpellationes Legibus constitutas, ut exhæredationis pœnam effugiant filii & filiæ, dissentientibus parentibus, pro ætatis jure, connubium ineuntes, sunt quædam solemnitates in his observandæ, ut scopum sibi ex iis propositum assequi valeant. Ne ergò in parentûm notitiam non deveniant, neve ullus detur fallaciæ locus, à supremo Senatu Parisiensi per modum generalis Constituti decretum est, ut, donec Regiâ Sanctione in eam rem provideatur, filii & filiæ-familiâs *Majores*, etiam viduæ, qui, juxta Legem, parentes interpellatos voluerint ut suis Matrimoniis assentiantur, licentiam postulare teneantur à Regiis Judicibus locorum in quibus habitant patres & matres; qui quidem Judices, viso supplici Libello, eam denegare non possint. Præterea decernitur ut prædictæ interpellationes Parisiis fiant à duobus Notariis, cæteris autem in locis à duobus Notariis Regiis, vel ab uno duntaxat Notario Regio, cum duobus testibus domicilium in loco habentibus, & cum Notario interpellationis formulæ subscribentibus (*l*).

Sive autem fiant tres interpellationes (quod vulgò observatur), sive una tantùm, quæ quidem ad strictum Legis apicem sufficit; non præsumitur filius aut filia (prout jam suprà innuimus) tam irreverentem naturæque immemorem se erga suos parentes præbere, ut ipsos juridicè interpellet de consensu ad Matrimonium quod meditatur, adjungendo, quin priùs hoc illos rogaverit, vel (si metuat ne sua præsentia parentibus dicto Matrimonio contradicentibus iram moveat) aliquo internuntio rogari curaverit: undè in hujusmodi interpellationibus enuntiare solent Notarii, Partem requirentem, deprecationibus & requisitionibus jam adhibitis insistentem, à patre vel matre flagitasse & requisiisse ut Matrimonio quod contrahere cupit, assentiatur. Summoperè autem decet ut filii-familiâs eam interpellationem non temerè & præcipiti stomacho adhibeant, sed, priùs invocato cœlesti lumine & auxilio, prudentiores, maximèque Pastorem vel pium ac sapientem conscientiæ moderatorem in consilium adhibeant.

Quòd si tandem, vincente parentûm gratiâ vel auctoritate, nullum Notarium invenirent qui juridicas hujusmodi interpellationes exequi vellet, eo in casu Libellum supplicem (1) exhibere possent Judici Regio domicilii parentûm, ut Notarium Regium designaret qui expetitam interpellationem ex officio peracgeret; sive ut ipse Judex ad ipsos parentes se conferret, quibus, præsente se, interpellatio significaretur, utque ejus peractæ testimonium Parti requirenti decerneretur (2).

Ut tamen suum effectum sortiri possit juridica illa interpellatio, re-

(1) Requête.

(2) Qu'il en fût donné acte à la Partie requérante.

(*l*) Arrêt du Parlem. de Paris, en forme de Réglem. général, *du* 27 *Août* 1692, enregistré dans tous les Siéges du Ressort.

quiritur ut filii aut filiæ-familiâs ad illam quasi ad extremum perfugium descendentes, Matrimonio jungantur cum personis quæ nec plus æquo impares suâque familiâ indignæ sint, nec Jure infames: alioquin exhæredationis pœnæ ad parentûm arbitrium similiter subjacerent (*m*). Si tamen parentes quodlibet eorum Matrimonium aliquo exteriore actu ratum habuissent, vel per quinquennium super eo siluissent; jam iis integrum non esset illos post annum quintum & vigesimum connubio junctos hæreditate suâ excludere (*n*).

Est autem Casus, in quo filii-familiâs vel trigesimum ætatis annum excedentes, parentûm consensum non modò requirere, sed etiam obtinere tenentur, ut exhæredationis pœnam effugiant, nec sufficit triplex juridica interpellatio: cùm scilicet eorum aliquis, antequàm sui juris per ætatem esset, in flagitiosa consuetudine vixit cum fœmina cujus connubium expetit (*o*). Quod quidem sapientissimè institutum est; ne quis filius-familiâs cum puella viveret licentiùs, eâ spe ut ipsam aliquandò (cùm nempè triginta complevisset annos) uxorem sibi, invitis parentibus, adjungeret.

Quod spectat filios & filias viginti-quinque & triginta annis majores in parentûm domo manentes, ibique domicilium *facti* & habitationis obtinentes, ii coram solo paterni domicilii Parocho validè Matrimonium contrahere possunt, omninòque coram alio non possent, etiamsi in hujus Parochia vel à sex mensibus, vel ab anno, alteram sibi, insciis parentibus, habitationem comparassent. Solum enim actu & publicè eum habent Parochum, qui parentibus ipsis est Parochus; ideòque non ab alio quolibet, nisi clandestinè, in Matrimonium jungerentur. Quod quidem si attentaverint, ipso facto exhæredes, & legitimâ etiam hæreditatis portione privati, Regiâ Sanctione declarantur (*p*).

Casus denique unus esse potest, in quo filii & filiæ-familiâs conjugium inire possunt, non expectato nec etiam requisito parentûm consensu: si videlicet in regionibus exteris longè à se invicem habitent parentes & liberi: alioqui, filius aut filia, qui tanto à parentibus intervallo distantes non possent eorum consensum sibi accersere, in perpetua versarentur contrahendi Matrimonii interdictione: quod quidem durum & aliquatenùs injustum meritò videretur. Hoc autem de filiis intelligendum est qui in Galliis habitant, & quorum parentes in longinquas orbis regiones migraverunt, nec ullam proximi reditûs spem faciunt. Quod pertinet ad filios familiâs, qui, cùm extra Gallici Imperii limites sedem fixerint, parentes habent in ipso manentes, vetat Regia Ludovici-Magni Declaratio,

(*m*) Edit de 1556. Ordonn. de 1639. Edit de Mars 1697.

(*n*) Arrêt du 9 Juillet 1647. *Soefve*, tom. 2. Cent. 2. c. 29.

(*o*) Arrêt du 30 Juill. 1683. Dictionn. des Arr. *art. V.* Mariage, *n.* 28.

(*p*) Edit de Mars 1697.

claratio, ne parentes, deficiente Regis permissu, suum adhibeant assensum & approbationem ipsorum Matrimoniis in extranea regione celebrandis : si contrà fecerint, viris denuntiantur perpetuæ triremes, fœminis autem exilium perpetuum (*q*).

Est alia ejusdem Principis Declaratio circa Pseudoreformatos in exteras regiones profugos : quâ nempè statuitur, ut *Minoribus* Matrimonia cõntrahere liceat, non expectato nec requisito consensu parentûm vel tutorum & curatorum Regni finibus causâ Religionis egressorum ; dummodò sententiam & consilium expetiverint consanguineorum aut affinium, vel, iis deficientibus, amicorum aut vicinorum : quem ad scopum obtinendum, antequàm ad conjugii celebrationem procedatur, ex decreto Judicis ordinarii, præsente Regis aut Fisci procuratore, habeatur conventus sex proximorum ex paternis vel maternis consanguineis aut affinibus; vel, si desint modò dicti propinqui, sex amicorum aut vicinorum, qui quidem, si sit locus, suum præbeant consilium & assensum, cujus mentio fiat in Actorum Codicibus Parochiæ in qua celebratum fuerit Matrimonium. Et tunc filii-familiâs nullam ex pœnis Legum dispositione sancitis incurrere quoquomodò poterunt (*r*). Quòd si vel pater solus, vel sola mater in exteram regionem domicilium transtulerit ; sufficiet tres consanguineos aut affines ex illius capite qui se exulem fecerit, convocari, ut suum consensum adjungant parentis præsentis consensui, vel tutoris & curatoris, si quis sit à patre vel matre diversus. Quòd si, alterutro parente mortuo, vel extra Regni limites profugo, ipsi tutores vel curatores in exteras regiones ob Religionem discesserint ; tutor vel curator *Minori* ad hunc effectum creabitur ; neque inter propinquos, affines, amicos aut vicinos ad præbendum consensum in utrolibet casu convocatos, ullus admitti poterit, qui Catholicam Religionem non profiteatur (*s*).

Atque hujus Declarationis dispositiones præcipuæ ad rem pertinentes, adhiberi possent in filiis-familiâs Matrimonio jungendis, quorum parentes jamdiù absentês, eos dereliquissent, sive in remotissimas discessissent orbis regiones, sive penitùs ignota esset eorum habitatio, nec etiam compertum omninò haberetur an adhùc viverent (*t*).

Quod si verò graviter peccant filii & filiæ-familiâs in suscipiendo conjugio *non obedientes parentibus* (*u*), quibus à Deo commissa est cura suæ collocationis; haud minore culpâ faciunt parentes vel tu-

(*q*) Déclar. de Louis XIV, *du 16 Juin 1685*.

(*r*) *Déclar. du 6 Août 1686*.

(*s*) Ordonn. de Louis XV, *du 14 Mai 1724. art. 16*.

(*t*) *Arrêt du Parlement, du 14 Mai 1783, qui autorise la dame* Lion, *en l'absence de son mari, à consentir au mariage de sa fille, & enjoint au Curé de passer outre à la Bénédiction Nuptiale*.

(*u*) *Eph. 6. 1.*

tores, dum suâ in liberos aut pupillos auctoritate abutuntur, ipsosque *ad iracundiam provocant* (x), injustè repugnantes eorum proposito sapienti & secundùm Deum ordinato. Utrimque erumpunt gravissimæ in familiis dissensiones, & in Parochiis immania scandala. Iniquum sanè esset, rectoque ordini maximè dissentaneum, ut qui nondùm sui juris per ætatem essent, insciis aut invitis parentibus temeraria jungerent connubia; idque intolerabile meritò judicaretur, si juvenilium amotum levitate in familias irrumperent nurus (1) & generi (2), qui familiarum capitibus ac moderatoribus displicerent (y), in earum bonis partem nihilominùs habituri, & ipsis hæredes procreaturi. Sed non minùs iniquè committeretur, si liberorum conjugia plus justo differrent patres avari, sicque eorum salutem in periculum adducerent, dum eos, tam infensâ voluntate, in parentûm odium, in concubinatum, in vitiorum & flagitiorum omnium voraginem præcipites demergerent. Longè adhùc atrociùs fieret, si quandò parentes barbari filios suos aut filias Ecclesiastico vel Monastico Instituto, inconsultâ eorum vocatione, infelices victimas devoverent, ut potiorem facerent conditionem primogenitorum, vel præcipuo sibi amore dilectorum.

(1) Brus.
(2) Gendres.

Ne igitur ii quorum interest, difficiliores se præbeant erga liberos *Minores* Matrimonio jungi se cupientes, ipsi, gravissimis verbis hortante Patocho, intelligant sibi coram Deo crimini fore liberorum aut pupillorum vitam in libidines effusam, ipsamque infelicitatem ac perditionem, si avaritiâ, si pervicaciâ, si malè præjudicatâ opinione, aliove quolibet motu rectæ rationi alieno impulsi, impediant ne filii aut pupilli conjugio maturi, fœdera nuptiarum ineant aliàs honesta & consentanea.

Et quamvis patres & matres, tutores & curatores pro jure suo possint in Judicio requirere ut liberorum seu pupillorum Matrimonia quibus dissenserunt, irrita declarentur; verumtamen, si nihil familiæ probrosum aut filiorum saluti damnosum in illis Matrimoniis occurrat, pietatis & paternæ charitatis esse videtur, ut filiis veniam indulgeant: quinimò id exigit æquitas, postquàm eos in Matrimonium collocare, cùm possent, sine causa renuerunt. Legis intentioni absonum quiddam faceret pater suâ auctoritate abutens ut rescindi curaret filii conjugium, si uxorem elegisset sibi convenientem, maximèque si liberos ex ea jam suscepisset.

Quoad exhæredationem, à Parochis & Confessariis monendi sunt patres & matres, ut circa illam jure suo parcè & circumspectè utantur; & cùm Matrimonia, ipsis dissentientibus, contracta familias nullo probro afficiunt, in filios aut filias benignè & clementer agant. Incredibile dictu est quanta in familiis perturbatio has sequi soleat exhæredationes. Satius profectò est, lon-

(x) Ibid. v. 4. (y) Vide Gen. 26. 34. 35. & 27. 46. & 28. 1. 2. & seq.

gèque fatius, ut, nisi extremâ tandem urgente necessitate, suam hac in re auctoritatem non exerant; numquid enim, ait Philosophus ethnicus, » numquid aliquis levi offensâ filium exhæredat (1)? »

Et certè malo pejus esse remedium, infelix docet experientia; ideòque in hoc plurima ipsis moderatio suggerenda est. Magna quidem (ut sapientis alterius Ethnici verbis utamur) » magna oportet esse » vitia atque peccata filii, quibus » infestus parens potuerit inducere » animum, ut naturam ipsam vin- » ceret, ut amorem illum penitùs » insitum ejiceret ex animo, ut de- » nique patrem se esse oblivisce- » retur (2). »

(1) Seneca.

(2) Cicero.



DIVISIO IV.

In hac Divisione dicetur, 1°. De Dispensationibus in Matrimonii Impedimentis : 2°. De causis propter quas licet Dispensationes ad Matrimonium contrahendum postulare : 3°. Quid sit observandum ut valida & legitima obtineatur Dispensatio : 4°. De modo conficiendæ Inquisitionis, ut super Consanguinitate vel Affinitate Dispensatio ab Ordinario impetretur.

CAPUT PRIMUM.

De Dispensationibus in Matrimonii Impedimentis.

Dispensatio in genere, quid sit, & quid efficiat. Quænam sint Matrimonii Impedimenta in quibus Ecclesia dispensat. Antiquæ disciplinæ immutatio circa exercitium potestatis dispensandi in Matrimonii Impedimentis. Quænam sint Impedimenta in quibus dispensat summus Pontifex. Hac in re quid possint Ordinarii. Antistitum Parisiensium jus peculiare. Quædam notanda.

DISPENSATIO generatim sic definitur, ut sit, *Ab eo qui relaxandi potestatem habet, facta legis relaxatio.* » Ejusdem enim potestatis est ligare, &, quæ ligavit, solvere (a). » Eam igitur potestatem Ecclesiæ competere quoad leges quas ipsa condidit, nullum potest esse dubium. Nam, inquit Synodus Tridentina, » expedit legis vinculum quandoque relaxare, ut pleniùs, evenientibus casibus & necessitatibus, pro communi utilitate satisfiat (b). » Itaque Dispensationis virtute hoc efficitur, ut quod, citra ipsam, seu validè, seu licitè fieri non potuisset, eadem concessâ, ratum sit & licitum, ipso nimirùm Deo illud ap-

(a) *Conc. Trid. Seff.* 24. de Ref. Matrim. *cap.* 5. & de Sacram. Matrim. *can.* 3.

(b) *Ibid. Seff.* 25. de Ref. *cap.* 18.

probante, quod legitima auctoritas divinitùs constituta, justis de causis, extra consuetum ordinem fieri permiserit..

Atque ut ad præsens institutum prævia hæc documenta transferamus, constat 1°. nullam esse in terris potestatem quæ valeat cum ullo mortalium dispensare in Impedimentis Jure naturali inductis, qualia sunt *Error personæ*; *Vis*, ea nempè quæ liberum voluntatis consensum excludit; *Amentia*, nullis interlucentibus rationis intervallis; *Impotentia* antecedens, absoluta & perpetua. Idem dicendum est de *Ligamine*; quod quidem, Jure divino, est Matrimonii Impedimentum dirimens. Scilicet conjugii formam in ipso humani generis exordio lege divinâ constitutam, deindè verò effrænâ Gentilium libidine deturpatam, atque apud ipsos Hebræos haud leviter obscuratam, ad primævam institutionem revocavit Christus Dominus, cùm ejus unitatem atque indissolubilitatem, quæ *Ligaminis* Impedimentum constituunt, in Evangelica Lege asseruit, novâque sanctione confirmavit. Constat 2°. Ecclesiam in iis quæ ipsa constituit, Impedimentis dispensare posse, & reverâ in illis ab omni retrò antiquitate dispensasse; rarissimè tamen primis seculis, saltem *ad contrahendum*, quamvis tunc minùs difficilè *in contracto*, si qui, v. g. se consanguineos esse nescientes, bonâ fide contraxissent (c). Itaque in *Conditionis*, *Criminis*, *Affinitatis*, *Ordinis*, *Voti solemnis*; cæterisque Juris Ecclesiastici Impedimentis dispensat Ecclesia; in ipsa perindè *cognatione naturali*, exceptis tamen *Lineæ rectæ Gradu quocumque*, & *collateralis primo*, in quibus nec unquam anteà dispensavit, nec in posterum dispensatura est. Præterea super quibusdam aliis, ut suprà suis locis observatum fuit (d), vel omninò non dispensat, vel dispensare non solet nisi summos inter Principes, & ob causas ad publicam utilitatem insigniter spectantes.

Cùm verò Ecclesia, ut potè in Concilium generale rarò admodùm congregata, rarò id muneris per seipsam obire possit, primùm quidèm hoc voluit à singulis Episcopis in suis Diœcesibus exerceri: quod etiamnùm in Impedimentis prohibentibus (si duo excipiantur, *Sponsalia* nempè, & *Votum* perpetuæ castitatis) ab iisdem Jure ordinario fieri nemo diffiteatur; quod scilicet reverâ ex illius quam omnes à Christo immediatè acceptam habent, potestatis plenitudine sequitur. Tum etiam hoc ipsum Jus exercendum Conciliis Provincialibus commissum est; sic tamen ut illud etiam, nisi reclamarent Episcopi, per universam Ecclesiam exercerent summi Pontifices. Atque hæc Disciplina ad duodecimum usque seculum obtinuit. Soli denique Romano Pontifici, ut in quibusdam Casibus dispensaret, exindè reservatum est, nullo quidem generali

(c) *Aurel. III*, *an.* 538. can. 10. *Aurel. IV*, *an.* 541. can. 27. *Turon. II*, *an.* 567. can. 21.

(d) *Div. III*, *cap.* 3.

Canone, nullâ præeunte Ecclesiæ definitione, verumtamen usu per universum Occidentem invalescente, & suo Juri, quò rariores fierent Dispensationes, quasi renuntiantibus Episcopis, quemadmodùm in quorumdam scelerum Reservatione contigisse superiùs suo loco dictum est (e).

Quamvis igitur ordinarii locorum Præsules eâ quam ex instituto Christi & vi consecrationis suæ obtinent, dispensandi potestate in omnibus, sive prohibentibus, sive dirimentibus, sive contrahendi, sive contracti Matrimonii Impedimentis excidere nequeant; ipsi tamen, ætate nostrâ, multis jam à seculis probatæ in suis Diœcesibus consuetudini meritò obsequuntur, nec ab ea, nisi interveniente gravi causâ, discedere licitum sibi esse arbitrantur.

JUXTA præsentem Disciplinam, in Juris Ecclesiastici Impedimentis dispensat summus Pontifex per universam Ecclesiam: quod quidem secundùm exceptiones & limitationes superiùs memoratas intelligendum est. In iis quippè solis Impedimentis dispensat Apostolica Sedes, in quibus ipsa in Concilio generali congregata Ecclesia dispensaret.

Juxta eamdem Disciplinam, Episcoporum erga suos Diœcesanos in præsenti materia facultas ad hæc potissimùm capita revocari potest. Ac primò quidem, quidquid, ex consuetudine ubique receptâ, non est summo Pontifici reservatum, id in relaxandis Matrimonii Impedimentis auctoritate ordinariâ possunt. Licèt enim juris hac in re Episcoporum proprii & à Christo immediatè accepti exercitium, ipsis tacitè saltem consentientibus, fuerit restrictum, & quoad multa Sedi Apostolicæ reservatum; non omninò tamen aut sine exceptione illud iis ademptum est, quinimò constat eos magnam ejus partem etiamnùm retinere.

Hinc 1°. potestate ordinariâ dispensant Episcopi in Impedimentis Matrimonium prohibentibus, exceptis (ut modò dictum est) duobus quæ summo Pontifici reservata sunt, nimirùm Voto simplici sive castitatem perpetuam servandi, sive Religionem Monasticam ingrediendi; excepto etiam Impedimento quod è Sponsalibus oritur, in quo ne ipse quidem summus Pontifex, prout jam suprà observavimus (f), propriè dispensare potest, eò quòd Sponsalia promissionem contineant, quæ sine sponsi injuria violari nequit; undè solummodò declarare potest Judex Ecclesiasticus Sponsalia vel irrita esse, vel justam ob causam dissolvenda.

Hinc 2°. quotiès post Matrimonium validè contractum, conjugi alterutri per Cognationem spiritualem aut Affinitatem ex copula illicita aufertur conjugalis debiti exigendi facultas, totiès ad hujusmodi effectum Jure ordinario dispensare possunt Episcopi.

Hinc 3°. Episcopis jure proprio vel *devoluto* competit, ut in Impedimentis dirimentibus quæ Matri-

(e) De Sacram. Pœnit. *Div. III*, *cap.* 2. (f) *In hocce Tract. Div. III*, *cap.* 3.

monium præcesserunt illudque irritum fecerunt, alioqui Sedi Apostolicæ reservatis, & in quibus hæc ipsa dispensare solet, Dispensationem concedant *ad remanendum in contracto*; prout constat tum ex utilitate publica id postulante, tum ex praxi ubique receptâ. Ad hoc tamen quinque vulgò requiruntur conditiones: 1°. Ut Impedimentum sit occultum, Matrimonium verò publicum, & in facie Ecclesiæ cum solemnitatibus requisitis celebratum: 2°. Ut bonâ fide, id est, sine prævia Impedimenti notitia, Partes ambæ, aut saltem una contraxerit: 3°. Ut consummatum fuerit Matrimonium: 4°. Ut sine scandali periculo verisimili Partes separari non possint: 5°. Ut ad Sedem Apostolicam recurrere, præ inopia, nequeant; vel offensæ Dei periculum ex dilatione Dispensationis immineat. Quòd si verò dubium occurrat legitimum, aut aliqua urgeat necessitas, nec sit facilis ad Sedem Apostolicam recursus; haud necesse est ut concurrant quinque modò recensitæ conditiones. De his porrò duobus Casibus insubjectis consectariis agitur.

Hinc 4°. quotiès dubium occurrit legitimum & prudens, sive *Juris*, sive *facti*, an scilicet Impedimentum reverâ existat, aut Sedi Apostolicæ reservatum sit, Episcopi, etiam ii qui ex propriæ Diœcesis consuetudine in tali Impedimento dispensandi facultatem non habent, possunt nihilominùs super eos dispensare, non solùm *in* Matrimonio *contracto*, verùm etiam *in contrahendo*. Summi enim Pontificis Reservatio, ut potè juri Episcoporum derogans, ad casus dubios & incertos minimè extendenda est, sed potiùs ad eos, qui certi atque indubitati omninò fuerint, restringenda. Episcopus igitur qui prudenter & cum justo fundamento dubitat de alicujus Impedimenti existentiâ, vel de ipsius Reservatione, hoc ipso legitimè certòque judicat dubium hujusmodi Impedimentum non esse reservatum; indèque ipse de sua dispensandi facultate haudquaquàm dubitat. Si tamen non dubia, sed multò probabilior esset Impedimenti existentia; eo in Casu dispensare non posset Diœcesanus Antistes. Idem dicendum foret, si ex una parte constaret aut probabilius esset reservatum esse Impedimentum, ex alia verò dubitaret Episcopus utrùm Sedi suæ annexa esset ab eo dispensandi facultas.

Hinc 5°. eadem dispensandi facultate pollent Ordinarii locorum Præsules in urgentis necessitatis casu, non solùm pro Matrimonio contracto, sed etiam pro contrahendo. Scilicet, premente hujusmodi necessitate, nedùm in animarum salutem, imò potiùs in earum perniciem cederet Reservatio. Undè, si, præmissis *Bannorum* proclamationibus, Sponsalibus publicè celebratis, omnibusque ad nuptias paratis, ex Confessione, aliâve occultâ viâ detegatur contrahentium alterum Impedimento dirimente irretitum esse, nullaque præter Ordinarii Dispensationem ratio pateat, quâ removeri possit gravis scandali, infamiæ, inimici-

tiarum, aut gravium hujusmodi incommodorum periculum imminens, si ad Sedem Apostolicam recurrere oporteat; dubium nullum est quin Episcopus illo in casu dispensare pro suo jure possit; dummodò tamen bonâ fide egerint Contrahentes, neque Impedimentum de industria celaverint in fraudem Legis, spe videlicet conceptâ Dispensationis faciliùs obtinendæ: nam, ut fert Juris axioma jam sæpè allegatum, *fraus & dolus nemini debent patrocinari.*

Hinc 6°. super Impedimentis dirimentibus pro Matrimonio etiam contrahendo, id omne & solum possunt Diœcesani Pontifices, quod consuetudine antiquâ in ipsorum Diœcesibus observatum fuisse constat; quod nempè à Decessoribus Episcopis non fuit Sedi Apostolicæ tacitâ saltem proprii juris cessione reservatum. Hinc quidam Præsules super Impedimentis publicis dispensant, non solùm *in contracto*, sed etiam *in contrahendo*; alii verò nunquam dispensant in publicis. Alii cum solis dispensant pauperibus; alii cum iis etiam qui non sunt pauperes. Alii in quarto sive Consanguinitatis, sive Affinitatis Gradu simplici; alii in quarto mixto; alii in tertio, aut etiam de secundo ad tertium. Atque ita dispensare solent plures Galliarum Episcopi, quorum Decessores Jurium suorum partem hac in re latiorem quàm cæteri retinuerunt; sic videlicet, ut super Impedimentis etiam publicis, sive *in contracto*, sive *in contrahendo* dispensent. Ii verò quorum Decessores in occultis duntaxat Impedimentis dispensare consueverunt, in publicis, nisi urgente necessitate, non dispensant, v. g. inter solos pauperes, vel ubi non est facilis ad summum Pontificem recursus. Qui Ecclesiis præsunt, quarum Antistites supra quartum Consanguinitatis Gradum nunquam dispensârunt, ii quidem in tertio extra necessitatis casum non relaxant. Qui denique in tertio tantùm dispensare consueverunt, in secundo, nisi urgente summâ necessitate, non dispensant.

Episcopi autem plures in Matrimonii Impedimentis summo Pontifici reservatis dispensant ex *Indulto Apostolico*, prout ostendit usus passim receptus.

Nos, Sedis hujus Parisiensis proprio & antiquo jure, cum pauperibus, ubi causæ Canonicæ ab his afferuntur & probantur sufficientes, dispensamus, 1°. Super *Consanguinitate & Affinitate in Tertio & Quarto Gradu, & de Secundo ad Tertium*, tam *in contrahendo* quàm *in contracto*: 2°. Super *Honestate publica*, ex Matrimonio rato & non consummato, in *Tertio* similiter *& Quarto Gradu, & de Secundo ad Tertium*: 3°. denique, Super *Cognatione spirituali*, sed quæ sit *Compaternitas* tantùm: id est, inter Patrinum & matrem, vel inter Matrinam & patrem baptizati. Quod verò spectat *paternitatem spiritualem*, eam scilicet quæ Patrinum inter & baptizatam, vel Matrinam inter & baptizatum intercedit, ad summum Pontificem recurrendum est.

Prætereà Parisienses Antistites; super

super quocumque Impedimento in quo non solent aliàs dispensare, & in quo dispensare solet Apostolica Sedes, hac eadem sanctâ Sede vacante, pro antiquo jure suo dispensant, tum erga pauperes, tum erga divites, cùm Partes sine gravi detrimento suo non possunt à celebrando Matrimonio supersedere. Non dispensant autem, nisi positis duabus conditionibus. Prima est ut Dispensatio in *Dataria* Tribunali postulata fuerit, & postulatio Antistiti significata. Secunda verò, ut post summi Pontificis exaltationem Dispensatio reipsâ in dicto Tribunali impetretur, etiamsi jam celebratum sit Matrimonium; utque hæc Dispensatio in Diœcesano Officialatu *fulminetur*. Deficiente primâ conditione, Dispensatio Parisiis minimè conceditur. Deficiente secundâ, Parisiis impetrata Dispensatio irrita declaratur. Notandum porrò est quòd hîc de solis Dispensationibus agitur quæ ad forum externum pertinent, ideòque in *Dataria* Tribunali obtinentur. Quæ enim forum internum attingunt, in arcano *Pœnitentiariæ* Tribunali non minùs Apostolicâ Sede vacante quàm cæteris temporibus impetrantur.

Jam verò, quoad Impedimenta in quibus ordinariè non dispensamus, Nos consulant hujus Diœcesis Fideles, vel per se ipsi, vel internuncio Pastore seu Confessario; ut sciant num fortè, habitâ ratione circumstantiarum, ad Nos pertineat jus dispensandi; vel quo pacto legitima & Canonica Dispensatio, si sit Pontificiæ Jurisdictionis, è Romana Curia possit accersiri. Et generatim cùm suboritur aliquod dubium an sit necessaria Pontificis Romani Dispensatio, tale dubium solvere ad Diœcesanum Antistitem pertinet.

Notandum verò Confessariis diligenter ac memoriâ tenendum est, facultatem dispensandi in quolibet Impedimento, seu *Prohibente*, seu *Dirimente*, sive *Papali*, sive *Episcopali*, nunquam in ulla potestatis extensione circa Reservata inclusam reputari, etiam tempore Jubilæi cujuscumque; nec posse ab ullo Confessario, sine expressa Romani Pontificis aut Præsulis Diœcesani licentiâ, ex irrito ratum fieri Matrimonium cum Impedimento dirimente contractum.



CAPUT II.

De causis propter quas licet Dispensationes ad Matrimonium contrahendum postulare.

Intendit Ecclesia nullam Dispensationem sine causa concedendam. Quid sit indè colligendum. Postulandæ Dispensationis causæ Canonicæ, aliæ honestæ, *aliæ* infamantes. *Novem causæ honestæ. Causæ infamantes undè generatim desumantur. Eæ ad tria capita reductæ. Dispensationes sine causa explicita. Causæ etiam aliæ* præpollentes, *aliæ* assumptæ & adventitiæ. *Regulæ quatuor. Quædam observanda. Admonitum circa Dispensationes Episcopales.*

Dispensandi in Impedimentis matrimonialibus eædem causæ sunt, quæ dispensandi aliâ quavis in materiâ : scilicet, *ubi necessitas urget, utilitas provocat, utilitas, dico, non propria, sed communis* (*a*). Quod quidem non ita strictè est intelligendum, ut dispensandi causas oporteat proximè & immediatè ad bonum commune tendere : satis quippè est ut remotè & indirectè ad illud referantur, quatenùs publica commoda è privatorum commodis existunt.

Hanc porrò interpretationem confirmat, tum Concilii Tridentini auctoritas, tum quotidianus Dispensationum obtinendarum usus. Ac primò quidem Concilium Tridentinum, his verbis : » Si urgens » justaque ratio, & major quando» que utilitas postulaverit cum ali» quibus dispensandum esse, id, » causâ cognitâ, ac summâ matu» ritate, atque gratis erit præstan» dum (*b*). » Neque enim distinguenda fuisset *urgens justaque ratio* à majore utilitate, si sola communis & major utilitas directè ac proximè à dispensante attendi debuisset. Deindè quotidianâ Dispensationum praxi certum est multas obtineri propter *angustiam loci*, propter *incompetentiam dotis*, aliasque causas de quibus inferiùs dicetur; quæ quidem non semper proximè ac directè ad communem utilitatem ordinantur, sed remotè & indirectè, quatenùs videlicet commune bonum id postulat ut, quibus in circumstantiis non est alicui personæ utile præceptum, si v. g. *impediretur aliquid melius, vel induceretur aliquod malum*, cum ea dispensetur (*c*).

Cæterùm sine justa causa dispen-

(*a*) *S. Bern.* de consid. *l.* 3. *c.* 10. (*b*) *Sess.* 25. de Ref. *cap.* 18. (*c*) *S. Thom.* 1. 2æ. *q.* 97. *a.* 3.

sari non posse, ex se satis evidenter patet: undè hanc legem sapientissimam posuit Synodus Tridentina, ut » in contrahendis Matrimoniis vel » nulla omninò detur Dispensatio, » vel rarò, idque ex causa & gratis » concedatur (*d*).» Hinc certum immotumque fundamentum est, nullam à Superiore Dispensationem concedi unquam debere, nisi ob causam necessariam, saltemve admodùm utilem, eamque tam gravem, ut nihil de severitate Legis communis in gratiam cujuscumque privati temerè imminutum esse videatur.

Itaque ut Dispensatio in Impedimento dirimente possit legitimè concedi, non sufficit Partes sibi invicem congruere, & Matrimonium esse prorsùs consentaneum; aut Partes verè esse pauperes. Requiritur prætereà ut occurrant justæ rationes è certis quibusdam circumstantiis deductæ. Quid circa præsentem materiam præcipiat Jus Canonicum, hìc summatim exhibendum censuimus. Eo nimirùm subsidio adjuti Pastores, Vicarii, cæterique Confessarii à quibus consilium petere debent Fideles ubi agitur de Dispensationibus, responsum in promptu habebunt; & salubri monitione perficient, ne quisquam, Dispensationis inani spe delusus, & operam & impensam in propriæ tranquillitatis & rei familiaris detrimentum frustrà consumat, Dispensationem sine justa causa postulans; neve in ejusmodi postulatione aliquis erret tam graviter, ut *obreptitiâ* vel *subreptitiâ* Dispensatione Matrimonium irritum contrahat, vel celatis quæ necessariò fuissent explicanda, vel dissimulantet & ementitè positis quæ explicata fuerint. Et verò (quod publicè & privatim, datâ occasione, Fidelibus diligenter inculcandum) vehementer absurdum est quod à quibusdam leviter affirmatur, nullius aut parvi esse momenti falsitatem in obtinenda Dispensatione adhibitam, eò quòd sit Dispensatio, ut loquuntur, *de stylo* Curiæ Romanæ. Nam certum est, è contrario, quotiès falsum in causa, aut unâ ex causis ad impetrandam Dispensationem necessariis enuntiatum fuit, totiès hanc nullam esse & irritam, ideòque Matrimonium subsequens nullum & irritum.

DUPLICIS autem generis causæ distinguuntur, propter quas in Impedimento, sive Consanguinitatis, sive Affinitatis, dispensare solet summus Pontifex: aliæ vocantur *honestæ*, quia nihil continent quod bonis moribus repugnet; aliæ verò *infamantes* dicuntur, quia scilicet nituntur eorum peccato qui inter se contrahere volunt, iisque allatis, Supplicantes in culpa se esse apud Superiorem fatentur.

Causæ honestæ novem sunt frequentiores.

1°. Est *angustia loci:* cùm nempè Oratrix neminem, præter consanguineum aut affinem, in suo loco invenire potest, cui nubat convenienter, pro sua ætate & condi-

(*d*) *Conc. Trid. Sess.* 24. de Ref. Matrim. *cap.* 5.

tione; ipsique acerbum esset futurum à consortio familiæ sejungi, suorumque consiliis destitui. Quæ prima causa dicitur quoque *angustia locorum*, si uterque Supplicans sit è duobus locis exiguis. Porrò, in usu Curiæ Romanæ, *locus angustus* reputatur civitas, nisi Sedem habeat Episcopalem, aut si, Episcopalem Sedem habens, familias non ampliùs trecentas contineat. Hæc autem causa non sola vulgò admittitur erga eos qui consanguinei vel affines sunt in Gradibus propinquioribus; & tunc exprimenda est personarum qualitas, *ut si sint ex honestis familiis* (e); vel *incompetentia dotis*, aliave causa idonea.

IIª. Est, cùm Supplicantes victum sibi ex paternorum jugerum culturâ comparantes, sustentare se nequeunt, si extra Parochiam suam Matrimonium inire cogantur.

IIIª. Est *incompetentia dotis*: si nempè Oratrix, prorsùs inops, connubio jungi non possit nisi cum aliquo è suis consanguineis aut affinibus, qui velit eam sibi uxorem assumere indotatam: vel si, cùm Oratrix tenuioris sit fortunæ, quàm ut in paris conditionis familiam nuptui collocari valeat, Orator, qui sit ejus consanguineus aut affinis, ipsius tenui fortunâ contentus, ipsam consentiat uxorem ducere. Quæ causa locum habet, etiamsi vicinioribus in locis reperiantur, qui, neque consanguinei, neque affines, velint cum Oratrice nuptias contrahere, si nullus ejusmodi adsit in loco ubi hæc ipsa commoretur (f). Nec refert an Oratrix ab eo dotanda sit qui illius expetat conjugium, an ab altero, qui, in gratiam hujus connubii, velit Oratricem dotare. Quoniam verò patris divitiæ arguunt filii divitias, etiam nihil tunc possidentis; dote carere non censetur puella cui divites sunt parentes, nisi fortè numerosâ sobole graventur, aut bonorum parte ad dotem idoneâ tunc spoliare se nequeant.

IVª. Si Oratrix, cùm sit magni momenti litibus onerata, justum habeat locum timendi ne in Judicio superetur, nisi Orator, eam uxorem ducens, ejusmodi lites in se recipiat & naviter persequatur.

Vª. Si Oratrix, omni ope destituta, dotem habeat litibus adeò intricatam, ut eam sine studio viri strenui & solertis recuperare ac tueri non possit; & Orator ipsam velit uxorem ducere, jura ipsius pro dote accipiens, quibus utique persequendis par & idoneus esse cognoscatur.

VIª. Causa est *bonum pacis* inter familias componendæ vel confirmandæ: quæ quidem causa in tribus potissimùm casibus locum habere potest. Primus est, ubi necesse videtur ut intercedat Matrimonium, ad occurrendum litibus quæ possent erumpere, si divisio hæreditatum inter consanguineos & affines institueretur. Secundus, quandò Supplicantium propinqui jamdudùm graves inter se inimicitias aut lites exercent, quibus tamen locum

(e) *Pyrrh. Corrad.* l. 7. c. 5.

(f) Congreg. Card. Conc. Trid. interpr. *an.* 1570.

non dederit mutua Oratoris & Oratricis consectatio, & ex affinitatis conjunctione pax inter utramque familiam videtur componenda. Tertius, ubi, recèns compositis inter Supplicantium propinquos gravibus inimicitiis, pax illa videtur firmissimo concordiæ vinculo stabilienda, si Matrimonio jungantur Supplicantes. Ea causa, ubi agitur de inimicitiis odiisve jam existentibus, probari debet in specie & non in genere solùm per testes super dictis inimicitiis deponentes, coram eo scilicet, qui propter Dispensationem delegatus fuerit (*g*). Ad eamdem causam refertur *conservatio bonorum in eadem familia :* ampla siquidem unius familiæ bona ad aliam transire non solent, quin sequatur ingens totius familiæ tumultus ac detrimentum. Ea tamen causa in Gradu secundo, vel in secundo & tertio, *non sine maximis favoribus* admittitur (*h*).

VII^a. Causa est *educatio liberorum ex anteriore conjugio susceptorum :* cùm scilicet Oratrix vidua est, filiis ex alio marito genitis gravata, & censûs tenuioris, quàm ut ipsos alere vel educare possit; & Orator, matrem uxorem ducens, filiorum curam in se recipiat. Ea causa non facilè admittitur sola; nunquam verò, nisi postquàm *Orator idoneè cavit se dictis filiis alimenta præstiturum.*

VIII^a. Causa est *ætas puellæ ;* quæ cùm jam quartum & vigesimum ætatis annum attigerit, nondùm potuit convenienter nubere; sive nemo hucusque ipsius connubium expetiverit; sive, licèt jam fuerit in uxorem postulata, Matrimonium conciliari nequiverit ob repudiatam aliquam pacti Matrimonialis conditionem, vel propter aliam quamlibet difficultatem. Hæc quidem causa non sola sufficit in secundo Gradu, vel in primo ad secundum : sufficit tamen in cæteris, eòque magis, quò longiùs recessit puella à duodecim annorum ætate, quâ cœpit esse nubilis.

IX^a. Est *periculum seductionis :* si v. g. inter Parochiæ incolas plurimi forent Pseudoevangelici; & Orator vel Oratrix difficilè inventura esset conjugem Catholicæ fidei cultorem, qui sibi non esset consanguineus aut affinis.

In omnibus casibus concurrere possunt aliæ *causæ honestæ*, quæ, prudentis viri judicio, satis graves sint ut Superiori exponantur. Eæ quidem erunt diligenter exponendæ, si præsertim in Gradu proximo consanguinei aut affines sint Supplicantes; tunc enim sæpiùs non sufficit una causa, & plures simul glomerari oportet.

Quandò afferuntur *causæ honestæ ;* non committendum est ut reticeantur *causæ infamantes*, si qua intervenerit.

CAUSÆ infamantes desumuntur ex necessitate satisfaciendi puellæ pro læso ereptove honore, & spe alterius conjugii forsan ablatâ : si nempè inter se peccaverint Supplicantes, vel gravis eruperit suspicio pecca-

(*g*) *Pyrrh. Corrad.* sup. 71. (*h*) *Idem.*

ri; ex qua incestûs consuetudine, aut nimiâ familiaritate scandalum generante, verisimile sit illud eventurum, ut Oratrix nullum suæ conditionis inveniat, qui se velit uxorem ducere. Ubi enuntiatur ab Oratoribus peccatum, explicandum est an illud commissum fuerit cum cognitione Consanguinitatis aut Affinitatis, an eo fine ut Dispensationem faciliùs impetrarent. Cùm ex patrato scelere nullus causam afferat probabilem cur indulgentem expetiri debeat Ecclesiam, si maximè peccato locum dederit spes Dispensationis faciliùs obtinendæ; sedulò exponendum est, an, propter illud peccatum, vel peccati suspicionem, Oratrix adeò infamis remansura esset, ut perpetuò innupta vivere in posterùm cogeretur, aut saltem nuptui collocari nisi difficillimè non posset: quod quidem non semper accidit, cùm levis tantùm atque incerta volitavit suspicio, vel culpam non manifestavit graviditas. Ut verò admitti possit ejusmodi causa, necesse est Supplicantes ad culpam suam convenienter expiandam erectos esse & paratos; quo scilicet exemplo reprimantur ii omnes, qui spe Dispensationis ad committendum incestum induci possent.

Itaque ad tria capita reduci possunt *causæ infamantes*. Primum est, cùm Partes, ob nimiam inter se agendi familiaritatem, secluso tamen concubitu, tam grave scandalum viciniæ intulerunt, ut, nisi Matrimonio jungantur, neminem, cui nubat, inventura sit puella.

Secundum est, cùm Partium familiaritas graviditate vel editâ prole innotuit; undè scandalum resarciri aliter non possit, quàm per utriusque conjugium.

Tertium est, cùm Partes, licèt consanguineæ aut affines, Matrimonium contraxêre, nec jam sine gravi scandalo vel detrimento sejungi possunt. Tunc verò exprimendum est, an Partes Impedimentum ante nuptias, an posteà duntaxat cognoverint; an statim atque illud cognoverunt, à concubitu abstinuerint; an eo fine peccaverint ut Dispensationem faciliùs consequerentur.

Causis infamantibus honestæ causæ, quantùm illæsâ veritate fieri potest, jungendæ sunt.

Aliæ in Curia Romana Dispensationes, nullâ expressâ causâ, conceduntur, sub hac nimirùm clausula: *Ex certis rationalibus causis animum permoventibus*, &c. Non quòd nulla omninò sit earum causa, sed quòd nulla singularis afferatur, cùm talis afferri sine Supplicantium infamia quandoque non possit. Tunc verò copiosa exigitur eleemosyna, quæ aliquandò in compensationem injungitur, præsertim in propinquioribus Consanguinitatis Gradibus: sicque redimitur quod amittit severitas Disciplinæ. Qui hujusmodi Dispensationes exequuntur, non debent causarum generatim adductarum probationem exigere, nihil obstante clausulâ, *diligenter informes*: sic nempè fuit Romæ judicatum.

Porrò, ad obtinendas hujus generis Dispensationes, nihil quidem opus est causam afferri ullam ex iis quas suprà enumeravimus: diligentissimè autem cavendum ne Dispen-

sationis causæ afferantur ementitæ; neve quidquam reticeatur, quo exposito, Dispensationem denegaret, aut saltem difficiliùs concederet Superior: sic enim impetrata Dispensatio nullius esset roboris.

Quod ut clariùs elucescat, notandum est duplicis iterùm generis causas afferri posse ad obtinendam Dispensationem: alias *præpollentes* (1), alias verò *assumptas & adventitias* (2). *Præpollentes* eæ sunt, quibus expositis Dispensatio plerumque à Pontifice maximo conceditur, & quarum una sufficit ut postulatum obtineatur. Ad hoc genus referuntur pleræque suprà recensitæ. *Assumptæ & adventitiæ* eæ dicuntur, quæ solæ non sufficiunt, sed quæ cum præpollentibus conjunctæ, Dispensationem faciliùs eliciunt; vel quæ, cùm plures ejusdem generis afferuntur, eam, junctis viribus, possunt elicere.

His positis, quædam statuendæ sunt Regulæ.

I°. Si malâ fide allata fuerit falsa quælibet causa, non valet Dispensatio.

II°. Quandò allata est unica Dispensationis causa, eaque falsa; non valet Dispensatio.

III°. Quandò allata fuit *causa præpollens*, aliæque simul *assumptæ & adventitiæ*, si falsa sit causa *præpollens*, irrita est Dispensatio; si vera sit causa *præpollens*, falsæ autem quæ minoris sunt roboris, valet Dispensatio.

IV°. Si minoris duntaxat roboris causæ allatæ fuerint, & aliqua ex iis falsa inveniatur; non valet Dispensatio: quia videlicet non alicui causæ singulari, sed omnibus collectivè concessa est.

Sunt pariter quædam circumstantiæ, quibus patefactis, denegaretur Dispensatio; quædam verò allatæ Dispensationem elicerent in alia forma, v. g. *in forma divitum*, quamvis denegaretur *in forma pauperum*.

(1) Prépondérantes, *ou* essentielles.

(2) Accessoires, *ou* accidentelles.

Si quid reticeatur, quo exposito non concederetur postulatum; Dispensatio nullius momenti est. Si autem omissa circumstantia nihil nocitura fuisset gratiæ concessioni, valet Dispensatio.

In his omnibus Regulis, de illis tantùm sermo est qui bonâ fide egerunt: si enim ultrò & de industria allatæ fuerint causæ falsæ, quamvis adventitiæ duntaxat minorisque roboris; irrita est Dispensatio.

Quod pertinet ad Dispensationes quæ Episcopalis sunt Jurisdictionis, monentibus Pastoribus, intelligant Fideles nullam Nos in posterum Dispensationem concessuros, nisi intercedente gravi causâ, quæ probata fuerit, sive per Inquisitionem jussu nostro confectam (*i*), sive per Epistolam vel Testimonium proprii Pastoris; qui simul testificetur Supplicantes Catholicam Religionem profiteri. Quòd si verò persona supplicans nondùm primâ Communione particeps Christi facta fuerit, Parochus eâ de re Nos certiores faciet.

(*i*) Vide *hujus Divisionis Caput IV*.

CAPUT III.

QUID sit observandum ut valida & legitima obtineatur Dispensatio.

QUOMODO agendum, prout Impedimentum extra vel intra Confessionem detegitur. Ex Dispensatione subreptitia *vel* obreptitia *quàm gravia incommoda sequerentur. Ut valeat Dispensatio, quænam generatim observanda, & circa unumquodque Impedimentum quænam speciatim exprimenda sint. Quomodò gerere se debeat Confessarius in Pœnitentem, quem ab ineundo Matrimonio non deterret Impedimentum dirimens. Compensatio Disciplinæ Dispensationibus labefactatæ. Quædam observanda.*

VEL extra Confessionem, vel in Confessione detegitur Impedimentum ante Matrimonii celebrationem. Si extra Confessionem; suspendi debet promulgatio *Bannorum*, vel, si hæc jam peracta sit, ipsa Matrimonii celebratio; idque, licèt ab unico teste, etiam ex auditu (modò testis fide dignum se præbeat), objiciatur Impedimentum, donec ad Diœcesanum Pontificem, vel ejus Vicarium-generalem delata res fuerit. Ut tamen à Parocho ipsoque Episcopo tutiùs procedatur, multùm juvabit si Parochus Impedimenti revelationem sibi tradi scriptam exigat, & à duobus testibus atque ab ipso revelante, si scribere sciant, subscriptam. Tum verò ipse rei veritatem secretò inquirat. Eumdem servet ordinem, ubi communis fama contracturos perhibebit esse Impedimento ligatos. Si autem, rebus maturo judicio perpensis, rumores illos, ut sæpè fit, nihil solidi habere certò comperiat; prævio Partium juramento, ad Matrimonii celebrationem procedere tutus poterit.

Si Impedimentum à Parocho aliove Confessario in Pœnitentiæ Tribunali detegatur; Pœnitens de Impedimento monendus erit, ut Dispensationem postulet, vel mutet consilium, sicque non committat ut irrito Matrimonio jungatur. Quòd si Dispensationem postulare constituat; docente Parocho vel Confessario, intelligat quanti momenti sit ne in Supplicatione (1) aliquid falsi exponatur vel misceatur, sive in rei gestæ ordine, sive in causa Dispensationis, neve quidquam reticeatur ex iis omnibus quæ exprimenda sint. Si enim duo Fideles Matrimonio jungerentur vi Dispensationis *subreptitiæ*

(1) Requête.

reptitiæ vel *obreptitiæ*, id est, quæ impetrata fuisset vel tectâ veritate, vel loco veritatis obtrusâ falsitate; irritum esset eorum Matrimonium, cohabitatio incestus aut concubinatus, prolesque non legitima.

QUAPROPTER Dispensationem impetrare cupientibus hæc inculcare non omittant Parochi, cæterique animarum ductores.

I°. Dilucidè in sua specie exponendum est Impedimentum.

II°. Si pluribus Impedimentis ii teneantur, quibus est contrahendi intentio, ea sigillatim in una eademque Supplicatione aperienda sunt.

III°. Si unum Impedimentum, *Consanguinitatis* v. g. publicum sit, aliud verò, ut *criminis*, occultum; tunc Impedimentum publicum *Datariæ* exponatur, ad impetrandam pro foro exteriore Dispensationem; utrumque autem, publicum nempè & occultum, *Pœnitentiariæ* aperiatur, ut dijudicet hoc Tribunal, an & quâ conditione dispensare debeat. Etsi verò nihil interest an priùs pro foro exteriore in *Dataria*, an pro foro interiore in *Pœnitentiaria* postuletur Dispensatio; si tamen hæc non facilè impetranda videatur, satius erit ut priùs ad *Pœnitentiariam* recurratur, quàm ut multo sumptu à *Dataria* obtineatur Dispensatio, quæ inutilis esset, si *Pœnitentiaria* in Impedimento occulto non dispensaret.

Itaque propter Impedimenta publica, ea videlicet quæ in omnium oculis manifesta sunt, vel quæ possunt in Judicio probari aut in vulgi notitiam erumpere, Dispensatio in *Dataria* postulatur; in hoc enim solo Tribunali conceduntur Dispensationes quæ possint in publicum prodire. Propter Impedimenta verò occulta, recurritur ad sacram *Pœnitentiariam*. Occultum porrò censetur Impedimentum, cùm vel omninò ignoratur, vel cognoscitur à personis duntaxat tribus vel quatuor, nullumque est periculum ne ulteriùs divulgetur. Cùm in *Dataria* supplicatur, Oratorum nomen & cognomen, Parochia & Diœcesis, vel Diœceses, si plures sint, accuratè designanda sunt: qui autem in *Pœnitentiaria* supplicant, ii solo generali nomine *Oratoris* vel *Oratricis* designare se tenentur, ut ostendunt supplicum Litterarum exemplaria, quæ proprio loco exhibemus (*a*).

IV°. Causas quibus moventur ad petendam Dispensationem, candidè oportet à Supplicantibus exponi, ita ut omnem longè submoveant falsitatem, nihilque dissimulent, quo exposito gratiam optatam non impetraturi essent, vel difficiliùs impetraturi: alioqui Dispensatio coram Deo non valeret. Si igitur in Dispensationis causam afferatur carnis copula, exprimendum est an ab utroque Supplicante, vel ab uno, habita fuerit cum spe Dispensationis faciliùs impetrandæ; quod meritò cautum est, ne quis è delicto suo quidquam posset commodi capere.

(*a*) Vide infrà, *Divisione VII*, *cap.* 1.

V°. Si post Matrimonium jam actu quidem, sed invalidè contractum postuletur Dispensatio, quatuor necessariò explicanda sunt: 1°. An Partes, vel earum una, contraxerint bonâ vel malâ fide, id est, Impedimentum ignorantes vel scientes: 2°. An, positâ Impedimenti conscientiâ, eo animo contraxerint, ut Dispensationem faciliùs impetrarent: 3°. An etiam Matrimonium consummaverint (*b*): 4°. An eâ intentione illud consummaverint, ut Dispensationem faciliùs obtinerent. Positâ verò Impedimenti ignorantiâ tempore Contractûs, explicandum erit an Partes Matrimonium consummaverint, vel ipso usi fuerint postquàm rescivérint illud non valere; denique utrùm clandestinè, vel in facie Ecclesiæ, utrùm adhibitis, vel omissis *Bannorum* proclamationibus contraxerint. His nempè tacitis vel dissimulanter expositis, irrita ac nulla foret Dispensatio.

VI°. Utriusque Supplicantis facultates verè sincerèque aperiri debent, ut planum fiat Superiori quanam in forma Dispensationem concedi oporteat. Si enim qui divites sunt, pauperes se mentiantur, sicque Dispensationem *in forma pauperum* obtineant; nihil obtinent: neque verò summi Pontificis intentio est gratiam eâ fraude subreptam ullius esse momenti. Idem foret, si Oratores, cùm possent nullo suo gravi incommodo impendere quod necessarium esset ad obtinendam à Sede Apostolica Dispensationem, pauperrimos se dicerent, ut secum dispensaret Ordinarius loci Antistes.

Porrò, juxta Romanæ Curiæ usum, pauper ille ad effectum obtinendæ *in forma pauperum* Dispensationis super Impedimento dirimente censetur, cui nihil superest ultra necessariam in sua conditione sustentationem. Non igitur ad litteræ apicem urgenda sunt quæ in testimoniis Romam transmissis apponi solent: *Pauperes personæ, quæ sine labore & industriâ suâ vivere non possunt*. Ex ipsiusmet Romanæ Curiæ Responsis, Orator & Oratrix pauperes habentur, quamvis mille libras annui reditûs in solidum possideant, si nequeant nisi adhibito labore & industriâ sustentari. Cæterùm Episcopi est paupertatem æstimare, ejusque testimonium, causâ cognitâ, petentibus concedere (*c*).

Quibus non suppetit sufficiens fortuna ut se pro generis nobilitate sustentent, suamque conditionem, ut decet, tueantur, ii pauperibus accensentur, quibuscum super Impedimentis dirimentibus, si causæ afferantur legitimæ, in Casibus suprà memoratis dispensabimus (*d*).

VII°. Si Partes è duabus sint Diœcesibus, id in Libello supplici exponendum est; & tunc Dispensatio ad futuræ conjugis Officialem *fulminanda* dirigitur. Quòd si

(*b*) *Conc. Trid. Seff.* 24. de Ref. Matrim. *cap.* 5.

(*c*) *Pelletier*, *a.* 8.

(*d*) Vide *hujus Divisionis Caput primum.*

Dispensatio ad Ordinarium pertineat, illam ab utroque Partium Episcopo impetrari necesse est; Episcopus enim cum solis potest Diœcesanis suis dispensare.

VIII°. Sive Romanus Pontifex, sive Diœcesanus Præsul dispenset, si utriusque Supplicantis commune sit Impedimentum, quale est *Consanguinitas*, utriusque nomine postulanda erit Dispensatio; si enim unius tantùm nomine postularetur, cum una tantùm dispensaretur. Ubi verò Partis alterutrius proprium est Impedimentum, quale est Votum castitatis, sufficit ut Dispensatio nomine duntaxat Partis Impedimento ligatæ postuletur.

IX°. Cùm duplex, vel multiplex, vel diversum est Impedimentum, debent Supplicantes illud, quale est, diligenter exponere. *Duplex* autem est, si ex capite paterno simul & materno consanguineæ sint Partes: *multiplex*, si quis peccaverit cum duabus consanguineis personæ cujus connubium expetit; aut si alter alterius prolem de sacro Fonte susceperit, & vice versâ; non tamen exprimi necesse est an quis unam, an multiplicem alterius prolem susceperit, nam Cognatio spiritualis indè multiplicari non censetur: *diversum*, ubi simul occurrunt *Cognatio naturalis* & *spiritualis*; vel *Affinitas illicita*, & *Honestas publica*.

X°. Cùm inter duas personas intercedit duplex Cognatio, sive hæc à duobus Stipitibus, sive ab uno tantùm Stipite oriatur, ut superiùs explicatum est (*e*); inter has quoque personas intercedit duplex Impedimentum dirimens; neque ad alterum extenderetur Dispensatio, quæ super uno duntaxat fuisset impetrata. Quin etiam in postulatione Dispensationis super quocumque Gradu Dispensationem admittente, sedulò exprimenda est ex utraque parte Graduum æqualitas vel inæqualitas. Scilicet regula secunda quam pro Linea collaterali suo loco assignavimus (*f*), vi cujus numerandi sunt Consanguinitatis Gradus per consanguinei remotioris distantiam à communi Stipite, seu (quod idem est), quâ positâ, Gradus remotior ad se trahit propinquiorem, illa, inquam, regula quandoque non sufficit ad exprimendum Gradum in ordine postulandæ atque impetrandæ Dispensationis. Si enim Gradus propinquior sit primus, remotior verò intrà quartum contineatur; tunc satis non erit ut exprimatur consanguineos de quibus agitur, esse in quarto Gradu, nisi etiam primi fiat mentio. Non expresso Gradu propinquiore impetrata Dispensatio, subreptitia utique in hujusmodi Casu foret, ideòque irrita; sancta enim Sedes Apostolica in primo Gradu dispensare nunquam intendit, nisi disertè exprimatur (*g*). Secùs dicendum est, si, quamvis Gradus propinquior sit primus, remotior tamen ultra quartum egrediatur, & sit v. g. quintus; tunc enim ne Dispensatione quidem opus

(*e*) *Div. III, cap. III, art.* 4. (*f*) Ibid. (*g*) *S. Pius V, Bullâ* Sanctissimus, *an.* 1566.

esser, prout docent saniores Theologi & Canonistæ. Etiamsi verò non agatur de primo Gradu ad quemlibet inferiorem intra quartum; satius est, multòque tutius ut in Libello supplici ad postulandam Dispensationem sedulò exprimatur Graduum inæqualitas, id est, Gradus propinquior simul cum remotiore; quod nempè vulgò dicitur cognatio *in secundo* Gradu *ad tertium aut quartum*, vel *in tertio ad quartum*.

In Gradu inæquali primum Gradum attingente (si v. g. patruus cum sororis filià, vel amita cum fratris-filio Matrimonium inire cupiat), exprimendus est uter sexus in primo sit Gradu, an vir, an mulier; quia longè difficiliùs conceditur ut sororis aut fratris-filius uxorem ducat amitam vel materteram, quàm ut patruus aut avunculus sororis vel fratris-filiam. Siquidem ordini repugnare videtur ut amita vel matertera, quæ, matris instar, quadam in fratris vel sororis-filium auctoritate pollere debet, ei, tànquàm capiti, per Matrimonium subjecta fiat: quæ quidem ordinis inversio locum non habet, cùm patruus aut avunculus fratris vel sororis-filiam ducit; hæc enim inferior manet, qualis erat anteà.

Denique, in exprimendo Gradu inæquali, semper incipiendum est à Gradu masculi, sive ille sit propinquior, sive remotior. Sic relatio materteræ ad fratris-filium, dicitur *à secundo ad primum*; relatio verò patrui ad sororis-filiam, dicitur *à primo ad secundum*.

XI°. Quoad Dispensationem super *Affinitate*, exponendum est ante omnia diligenter, an rectâ, an transversâ in Lineâ sit Affinitas, multòque magis, si ex copula licita oriatur hoc Impedimentum. In Linea verò collaterali, eodem modo quem pro *Consanguinitate* diximus exprimenda est Graduum distantia & inæqualitas, præsertim si agatur de obtinenda Dispensatione in primo ad quemlibet inferiorem intrà quartum; primo enim celato, quemadmodùm in Consanguinitate, ita etiam in Affinitate, Dispensatio nullius esset roboris. Exponendum quoque est an *ex licita*, an *ex illicita copula* oriatur Affinitas collateralis, cùm postulatur ejus Dispensatio in primo vel secundo Gradu; quia nempè difficiliùs dispensatur super Affinitate ex copula licita, quàm ex illicita.

XII°. Ubi à summo Pontifice super Consanguinitate vel Affinitate postulatur Dispensatio, Partes exponere necessariò debent, 1°. An inter se peccaverint: 2°. An, peccantes, suam ignorarent vel scirent Consanguinitatem vel Affinitatem: 3°. An, positâ illâ cognitione, eo animo peccaverint ut Dispensationem faciliùs impetrarent. Si quid ex his tribus taceatur, *subreptitia* omninòque irrita erit Dispensatio.

Quòd si Partes Consanguinitatis aut Affinitatis vinculo conjunctæ, non inter se peccaverint priusquàm Dispensationem à *Dataria* postularent, sed peccare incipiant priusquàm ab Officiali *fulminetur* Dispensatio; hæc vulgò in irritum cadere existimatur, & Romam denuò scribitur ut obtineantur Litteræ quas

vocant *perindè valere*. Si tamen sine scandalo, aliove gravi incommodo differri non posset Matrimonium; Diœcesanus Episcopus, juxta Ecclesiæ Gallicanæ consuetudinem, legitimè dispensaret; & Partes, de ejus licentiâ, atque acceptâ pœnitentiâ salutari, validum inter se conjugium inirent.

Si Partes ante postulatam Dispensationem inter se peccaverint, & peccatum in Epistola supplici exposuerint, posteàque iterùm peccent; valebit semper Dispensatio, sive delictum ante *fulminatam* Dispensationem iteratum fuerit, quia nihil opus est ut exprimatur incestus quoad numerum actuum, idque ad solius Confessarii cognitionem pertinet; sive duntaxat post *fulminationem*, quia sic definivit sacra Congregatio, Tridentini Concilii interpres.

XIII°. Circa *Cognationem spiritualem* exprimendum est 1°. An ea sit *Paternitas* aut *Maternitas* ex una parte, ideòque *filiatio* ex altera; an sit tantùm *Compaternitas*, vel *Commaternitas*: multò enim magis dedeceret Matrimonium inter *patrem & filiam spiritualem*, quàm inter ejusdem filiæ *compatrem & matrem*. Sed in posteriore casu, ut jam diximus, dispensant Parisienses Antistites.

XIV°. Circa *Honestatem publicam* explicandum est an ipsa è Sponsalibus oriatur, an ex Matrimonio non consummato; tum in quonam Gradu ii sint qui contrahere intendunt.

XV°. Circa Impedimentum *Criminis*, exponi oportet an sit ex conjugicidio, an ex adulterio, an ex utroque simul; si enim sit ex conjugicidio, nunquam dispensat Romanus Pontifex ad forum exterius, rarò ad forum interius.

XVI°. Dispensationes propter causas ementitas impetratæ, vel ex reticentia cujuslibet rei aut circumstantiæ, quâ celatâ, non valitura fuisset concessio, irritæ sunt, non modò cùm ex perversitate Supplicantium falsò vel dissimulanter compositus est supplex Libellus, verùm etiam cùm supplicis Libelli scriptores sive nullâ suâ fraude erraverunt, sive ultrò & nequiter falsum exposuêre, seu verum tacuêre. Romam denuò scribendum est, ut, correcto Libello supplici, & ipsa Dispensatio, quæ nulla erat, corrigatur (*h*).

XVII°. Si fortè in Curiæ Romanæ Rescripto circa nomen Impetrantis erratum fuerit, non idcircò irrita censetur Dispensatio, ut colligere pronum est è Juris Romani regulis & gravium Auctorum sententiâ. Si autem sit error quoad nomen Diœcesis; validam esse Dispensationem supponunt graves Canonistæ, dum censent eam ab Impetrantium Officiali *fulminari* posse; *quia*, inquiunt, *constat de mente Papæ id esse, ut petentis Ordinarius dispenset* (*i*). Confessarius igitur Pœniten-

(*h*) *Inn. III*, *cap.* Super Litteris, *de rescriptis. Bened. Papa XIV*, *Bullâ* Ad Apostolicæ, *an.* 1741.

(*i*) Sanchez, *Basile Ponce.* Voyez *Ducasse.*

tes inveniens cum talibus Dispensationibus conjuges factos, nullam ipsis difficultatem facessat; & in simili Casu contracturos à contrahendo ne deterreat. Quòd si verò circa ætatem puellæ erratum fuerit, quæ scilicet nondùm annos attigerit quatuor & viginti; cùm Dispensatio conceditur *in forma commissoria*, ut concedi solet ad Gallias, hæc valida censetur; modò tamen, quo tempore *fulminabitur* Dispensatio, puellæ suppleta fuerit ætas ad postulationis veritatem necessaria.

Et certè Dispensationum forma duplex generatim distinguitur: nempè *commissoria* & *gratiosa*. Dispensatio *in forma commissoria* non tam propriè Dispensatio est, quàm mandatum de dispensando, directum ad eorum Ordinarium qui Dispensationem postulant. Dispensatio *in forma gratiosa*, est propriè dicta Dispensatio, quæ, præmissâ causæ cognitione & allegatorum verificatione, olim concedi solebat in Curia Romana. Cùm verò in hac dispensandi ratione multa occurrerent incommoda, sanxit Concilium Tridentinum Dispensationes extrà Curiam Romanam committendas eorum Ordinariis esse, qui illas impetravissent (*k*). Et quidem hoc tantâ curâ observatur, ut jam nullæ propemodùm sint Dispensationes *in forma gratiosa*, nisi Partes Romæ præsentes se sistant: quod nempè, cùm eo in casu Ordinarium habeant ipsum Romanum Pontificem, Gallis ipsis minimè improbatur. Etiamsi autem *gratiosa* sit forma, Dispensatio suum non antè sortitur effectum, quàm ab Episcopo « summariè & extra- » judicialiter cognoscatur expressas » preces subreptionis vel obreptio- » nis vitio non subjacere, » ut ibidem loquitur sancta Tridentina Synodus.

Cum Parochiani aut Pœnitentes, detecto Impedimento, satis dociles inveniuntur ut Matrimonium differre consentiant quoadusque impetretur Dispensatio; ea quæ superiùs notata sunt, accuratè observari sufficit. Major est difficultas, si quandò aliquis Impedimento dirimente constrictus, moræ impatientem atque obicis transiliendi cupidum se præbeat. Si ergò Parochus aliusve Presbyter, *Luciam*, v. g. quæ brevi nuptura sit, confitentem audiens, detegat illam cum *Petri* sponsi sui (1) fratre aut consobrino peccasse; in hoc quidem studere debet, ut, suspensis quoquomodò nuptiis, satis habeat intervalli ad Diœcesanum Pontificem, illæso Confessionis sigillo, consulendum. Si autem *Lucia* animo fixum hærere videatur, ut, neglectis Confessarii monitis, ulteriùs progredi & cum occulto ejusmodi Impedimento nubere non dubitet; Sacerdos, cognitâ usque adeò perversâ voluntate ingemiscens, Absolutionem deneget falsæ Pœnitenti, eamque à sacrilego illo proposito vehementissimè deterreat. Ipsi ad vivum & cum multa lenitate sermonis exhibeat quantum sic hoc peccatum quod se-

(1) Son promis.

(*k*) *Conc. Trid. Sess.* 24. de Ref. *cap.* 5.

curo tranquilloque animo committere intendit. Tum ipsa, progrediente Confessarii hortatu, intelligat, quantâ injuriâ Sacramentum affectuta sit, quantam denique molem iniquitatum in se receptura ex cohabitatione cum viro qui non verè sibi maritus sit futurus. Quòd si non acquiescat illa sanis hujusmodi sermonibus; ipse ab officio indeflexus, pro miserrima pervicacis animâ Deum in secreto cordis exoret, ut illabentis gratiæ motu, funestum illud abjiciat ac defleat consilium; eamque ad ultimum hortetur, ut, quatenùs fieri poterit, Matrimonium non antè consummet, quàm, impetratâ Dispensatione, instauratum fuerit.

Quoniam verò Disciplina Ecclesiastica Dispensationibus plerumque labefactatur, meminerint Parochi cæterique Confessarii detrimentum illud esse aliquatenùs compensandum, injuncto intrà Pœnitentiæ Tribunal supplemento pii cujusquam operis, quod fideliter exequantur qui Dispensationis beneficium obtinuerint. Quæ quidem compensatio cum justa severitate ab iis exigatur, quibus Impedimenta ex delictis, ut plurimùm, gravissimis contracta fuerint; ab iis multò magis, qui cum plena Impedimenti conscientia Matrimonio jungi se curaverint. Quanquàm in tenore Dispensationis conditiones ab illo imponuntur qui Dispensationem concedit; nec licet Confessario quidquam operis ibidem injuncti mutare vel minuere, nisi de licentia Superioris, aut saltem nisi urgeant causæ gravissimæ (l).

Cæterum, ubi agitur de obtinenda Dispensatione, cùm in ejus postulatione tam facilè quàm periculosè errari possit, Pastores, occurrentibus Parochianis quibuscum dispensari necesse videbitur, Nos consulant, ut sciant quid optimum factu sit; utrùm, vel quomodò à Curia Romana Dispensatio possit obtineri. Denique altâ mente repositum gerant Parochi, Vicarii, cæterique Confessarii, se, in Casibus ad Matrimonium pertinentibus, qui, & sæpiùs maximæ sunt difficultatis, & semper gravissimi momenti, non sine vituperabili imprudentia esse facturos, si, præjudicato suî ipsorum acumine plus justo confisi, res vel peritissimis intricatas temerè definiant; atque idcircò tutius futurum esse, si suum Episcopum, totius nempè Diœcesis Doctorem simul & Pastorem, aut ipsius Vicarium-generalem consulant, sic tamen ut illæsum permaneat Confessionis sigillum.

(l) Vide infrà, *Div. VII*, *cap.* 2.

CAPUT IV.

De modo conficiendæ Inquisitionis, ut super Consanguinitate vel Affinitate Dispensatio ab Ordinario impetretur.

Suplex Libellus qualis esse debeat. Delegatus causæ cognitor: hujus officium. Ut suæ delegationis scopum obtineat, quænam illi observanda.

Cum de obtinenda Dispensatione super Consanguinitatis aut Affinitatis Impedimento apud Diœcesanum Antistitem agitur, ad eum supplex dirigitur Libellus, continens Partium nomina & cognomina, ex utroque patente originem, ætatem, conditionem seu professionem, domicilium, Gradum Consanguinitatis vel Affinitatis quæ inter ipsos intercedit, cum Stemmate, seu *Genealogiâ*, prædictam Consanguinitatem vel Affinitatem exhibente. In quo quidem Libello prætereà explicentur causæ propter quas secum dispensari postulant, & parentûm consensus: subscribant denique Supplicantes, vel, eorum loco, persona cognita.

His præmissis, adibunt Supplicantes *Quæsitorem* (1) à Nobis designatum; qui scilicet de causis postulandæ Dispensationis, cæterisque in supplici Libello enuntiatis diligenter inquirat; imò alias discutiat Dispensationis causas quæ suppetere possent Oratoribus, tunc præsertim cùm eæ sufficere Nobis non videbuntur quas enuntiaverit supplex Libellus; qui demùm delegatus causæ cognitor totius rei veritatem, confectâ, ut decet, probatione, manifestam faciat.

(1) Commissaire.

Ut verò delegationis suæ scopum feliciter obtineat, qui scopus est ne ulla concedatur Dispensatio, nisi causæ afferantur justæ & Canonicæ, plutima sunt diligenter observanda.

I°. Ipse Quæsitor studiosè iis documentis, inhærebit quæ jam suprà de hoc argumento tradidimus (*a*).

II°. Scribam eliget, qui rectè ac dilucidè scribendi sit peritus; qui prætereà totius Inquisitionis ordinem à se fideliter litteris mandatum iri, ac denique tacenda tacitum iri, juratò polliceatur: diemque & horam præstituet, quibus ad se veniant Supplicantes ac Testes, de rebus in supplici Libello enuntiatis interrogandi & audiendi.

III°. Testes non admittet nisi notæ probitatis, & qui annum ætatis vigesimum-quintum attigerint.

IV°. In charta regio signo nota-

(*a*) *Suprà, in hac Div. Cap. II & III.*

(1) Sur papier timbré.

tâ (1) conficietur Inquisitionis instrumentum.

V°. Quoad formam, Inquisitio constare debet sex personarum testimonio : utriusque nimirùm Supplicantis, & quatuor Testium; ex quibus duo sint Consanguinei aut Affines, duo verò extra familiam assumpti. Sufficient tamen duo Testes, cùm neque consanguinei, neque affines, neque famuli, neque domestici erunt; dummodò testificari uterque possit, tum de Genealogia, tum de causis postulandæ Dispensationis, ac demùm de paupertate : semper enim circa Genealogiam requiruntur duo testimonia, & duo pariter (sive Testes iidem sint, sive alii) circa Dispensationis causas & paupertatem. Sic autem paupertas enuntiatur : *Pauperes personæ, quæ sine labore & industriâ suâ vivere non possunt.*

VI°. Priusquàm Sacerdos cui commissa fuerit Inquisitionis confectio, Supplicantes interroget ac Testes audiat, illos diligenter monebit quantâ religione verum dicere debeant, quàm tremendum falsiloquis & perjuris sit Dei judicium : ipsos, si falsa pro veris scienter testificentur, irritæ Dispensationis irritique conjugii mala gravissima in se recipere; præterquàm quòd in hac Diœcesi Casum reservatum incurrunt, cum Excommunicatione *ipso facto*, eâque reservatâ, qui malâ fide ac dolo malo falsum testimonium verbo vel scripto perhibent de natalibus, ætate, libertate ad contrahendum, domicilio & consensu parentûm, tutoris vel curatoris, vel qui falsa pro veris quoquo modò testificantur, ut Matrimonium irritum contrahatur; tum etiam qui scientes & volentes sub tali testimonio contrahunt (*b*).

Caveat autem ipse sapiens & religiosus Quæsitor, ne Testibus falsa aut incerta suggerat, vel eos ad hæc affirmanda inducat; nec eorum testimonio quidquam grave addi vel detrahi omninò patiatur, alioquin irritæ Dispensationis irritique Matrimonii reus ipsemet evasurus. Nihil denique prætermittat quod ad veritatem detegendam prudentia, Religio, propriæque & Oratorum ac Testium salutis cura faciendum dicendumve suggesserit. Neque enim sine periculosissimo errore existimare quisquam posset illam Inquisitionem nihil esse præter inanem Formulam, aut falsitatem in ea occurrentem non magni fore momenti : ex quo videlicet errore sequerentur ingentia quæ modò attigimus, incommoda.

VII°. Quæsitor, præmissis quæ præmittenda fuerint, monitis & documentis, Oratorem atque Oratricem veri dicendi sacramento obligabit. Deindè secretò & separatim quemque interrogabit de suis parentûmque nominibus & cognominibus; de sua ætate ac de suo domicilio; de propinquitatis gradu, cujus probationem genealogicam exarabit Scriba; tum de causis canonicis, si sint occultæ, & de veritate

(*b*) *Stat. Syn. D. Franc.* de Harlay, *Paris. Archiep. an.* 1673. *Mandat. D. Lud. Ant. Card.* de Noailles, *an.* 1709, De Casib. reserv. &c. *in Synodico*, *p.* 409. *Et Rit. Paris. pag.* 115, & 358.

singulorum capitum in supplici Libello expositorum; de bonâ fide, an videlicet notum ipsis fuerit Impedimentum ante Sponsalia, si jam celebrata sint; ac denique de modo inter se vivendi, si de hoc inquirendum suadeat prudentia. Posito scilicet nimiæ familiaritatis rumore, investigandum erit an non incestum admiserint Supplicantes, idque conceptâ spe faciliùs obtinendæ Dispensationis.

Tum, præter cæteras interrogationes, ab Oratrice prudenter sciscitabitur Quæsitor, an ultrò & liberâ voluntate Matrimonio proposito consentiat? an non rapta, coacta, seu aliàs vi adacta fuerit ad consentiendum?

VIII°. Interrogatis Supplicantibus, scriptisque eorum responsis, veniet Quæsitor ad Testium auditionem: iique pariter secretò & separatim audientur (*c*); ac primùm quidem consanguinei aut affines, de Supplicantium consanguinitate aut affinitate, per seriem *Ascendentium*, usque ad communem stipitem. Jurejurando similiter, ut verum dicat, obstringetur quisque Testis audiendus: tum supplex Libellus ei à Scriba legetur; quo lecto, testimonium suum enuntiabit Testis, non solùm de Consanguinitate vel Affinitate, verùm etiam de causis Canonicis, si sint de eorum numero quæ in familiarum penetralibus eveniunt atque dignoscuntur; eoque dictante, Scriba testimonium litteris mandabit. Eodem modo Testes audientur extra familiam assumpti, de causis allatis, si sint publicæ; de Oratorum domicilio, & de paupertate, propter quam à Sede Apostolica Dispensationem sibi comparate non possint; circa quam ut Superior æquum ferre queat judicium, rectissimâ, prout fieri poterit, æstimatione designentur Oratorum facultates & industria.

Si quis porrò Testis extra familiam assumptus Supplicantium genealogiam satis perspectam haberet, de hac audiri perindè posset ac de cæteris rebus in supplici Libello enuntiatis.

IX°. Si advertat Quæsitor aliquem Testem dubiæ aut suspectæ probitatis esse, vel non satis ea cognita habere quæ ad Inquisitionem pertineant; alium adhibere atque audire potest ac debet.

X°. Inquisitionis instrumento subscribent Supplicantes, Testes, Quæsitor, & Scriba.

XI°. Si quis Testis aliquid in suo testimonio immutare, si addere, si detrahere velit, hoc fiet per notam in margine inscriptam, subsignante Quæsitore ac Teste; neque enim interlineari scripturæ fides adhiberi posset, nec etiam notis ad marginem appositis quæ subsignatæ non essent (*d*).

XII°. Quæsitor confecto Inquisitionis instrumento, ejus paginas à prima ad ultimam numero & chirographo notabit (1); illudque sub involucro & sigillo ad Archiepiscopatûs Tabularium (2) viâ transmittet quàm tutissimâ, cùm præsertim assertionibus atque testificationibus facta ejusmodi enuntiabuntur, quæ non illæsâ Partium existimatione & famâ in vulgus emanatura essent.

(1) Il cottera & paraphera les pages par première & dernière.

(2) Au Secrétariat.

(*c*) *Ordonn. Civile de 1667, tit. 22*, des Enquêtes, *art. 15*. (*d*) *Ibid.*

DIVISIO V.

AGETUR in hac Divisione, 1°. De iis quæ ante Bannorum proclamationem, aut saltem ante Sponsalia, tum Parocho inquirenda sunt, tum futuris conjugibus exequenda: 2°. De Matrimonii Bannis, seu denuntiationibus: 3°. De Dispensationibus in Bannorum proclamatione.

CAPUT PRIMUM.

De iis quæ ante Bannorum proclamationem, aut saltem ante Sponsalia, tum Parocho inquirenda sunt, tum futuris conjugibus exequenda.

INVESTIGATIO Pastori prudenter instituenda. De illis qui non spontè Matrimonio assentiuntur. Quid scire debeant Matrimonio jungendi. Futurorum conjugum interrogatio. Quidnam ipsi à Parocho monendi sint. Quanti sit momenti ut maturè confiteantur.

STATIM atque conjugii alicujus in sua Parochia conciliandi fama increbuit, & ante ipsam *Bannorum* proclamationem, inquirat Parochus (prudenter tamen, & quantùm, pro singulis infrà enumerandis articulis, exigent circumstantiæ), 1°. An & à quo tempore sui Parochiani sint, qui futuri conjuges perhibentur: 2°. An Catholici antiqui, vel recèns ab Hæresi ad Catholicam fidem conversi: 3°. An ætatis connubio maturæ: 4°. An sui, an alieni juris, prout *Majores* vel *Minores* sunt: 5°. An *Minores* consensum parentûm vel tutorum & curatorum obtinuerint; an *Majores* illum priùs vivâ voce rogatum, nec impetratum, à parentibus in forma Juris requisierint: 6°. An non sint coacti, minùsve liberi; qualem, quantam, & à quibus patiantur coactionem: 7°. An non fuerint anteà connubio juncti, vel desponsati; &, posito alterutro Casu, quomodò solutum probetur Sponsalium aut Matrimonii vinculum: 8°. An non aliquo Impedimento sive *prohibente*, sive *dirimente* præpediantur: 9°. denique,

An id omne sciant, quod de Religione quam profitentur, de vivendi ratione quam amplectuntur, de Sacramento quod suscipere meditantur, scire illos necesse est.

Si quos inveniat Parochus, non sponte, sed invitè aut repugnanter Matrimonio assentientes, ne scilicet dominis, parentibus, tutoribus vel curatoribus displiceant, ipsorumve indignationem in se concitent; cautè admodùm se gerat & circumspectè, ne illos cujusquam iræ vel insectationi objiciat. Interim supersedeat à *Bannorum* proclamatione; &, si opus fore videbitur, eâ de re ad Nos referat. Si demùm prudenter fieri posse intelligat, suæ charitatis officia apud eos interponat, quorum in potestate fuerint personæ Matrimonio jungendæ; ut ii, docente Pastore, advertant, se, tutâ conscientiâ, non posse ullum è suis subjectis, invitum, aut non satis liberè consentientem in nuptias conjicere, in eam scilicet vivendi viam quæ mutati non potest, & quæ, tum ad hujus vitæ quantulamcumque felicitatem, tum ad salutem æternam tanti momenti esse cognoscitur. Moneat denique Excommunicationem (non tamen reservatam) *ipso facto* ab iis incurri, qui, extra casum Juris, aliquem ad Matrimonium ineundum directè vel indirectè compellunt, vel, ne liberè id contrahat, impediunt (*a*).

Quoad scientiam salutis, si sit aliquis dubitandi locus, per se ipse investiget num vir aut mulier, vel uterque, Christianæ fidei capita quorum expressa cognitio ad vitam æternam consequendam necessaria est, Dei & Ecclesiæ præcepta, virtutes Theologicas, Sacramentorum numerum atque efficientiam, Matrimonii sanctitatem, fines & officia, dispositiones ad illud suscipiendum requisitas, ea denique omnia de quibus in Sponsalium celebratione interrogationes fiunt, satis edocti sint. Ineruditis doctrinam circa hæc omnia & singula sufficientem Pastor ipse subministret, vel subministrati curet.

PAUCIS igitur ante *Bannorum* proclamationem diebus, vel certè ante Sponsalia, ii Parochum seorsim conveniant, qui, conscriptâ conjugii pactione, sibi mutuò desponsati fuerint; quos ille de prædictis interroget, si de omnibus vel de quibusdam eos interrogandos suadeat prudentia. Qui à Parocho moniti venire noluerint, eorum Matrimonia non antè publicis *Bannis* denuntientur, quàm Nos consuluerit Parochus. Eæ verò interrogationes secretò, circumspectè & verecundè institui debent, præsertim erga Sponsam; quæ, ut decet, comitem habeat vel matrem, vel, deficiente matre, aliquam è consanguineis, aliamve mulierem ætate gravem, aut etiam aliquos è propinquis. Quibus præsentibus, ita fiant inquisitiones, ut nullus eorum audiat; ne fortè aliquam difficultatem Sponsæ injiciat virginalis pudor, quominùs ipsa mentem suam

(*a*) *Conc. Trid. Sess.* 24. de Ref. Matrim. *cap.* 9.

aperire, atque ad interrogata respondere liberrimè possit. Iraque Pastor ab utroque Sponso prudenter inquirat, num aliquod inter se Impedimentum noverint? Illos insupèr moneat ut quamprimùm peccata confiteantur (*b*): quin etiam, prout suggesserint rerum adjuncta, cohortetur ut generalem totius vitæ aut certi temporis Confessionem emittant; quò sanctiùs ad novum quod ingressuri sunt, vitæ institutum præparentur, & quò maturiùs, si per emissam Confessionem aliquod detegatur Impedimentum, sibi agenda providere possint.

Summi præsertim momenti est, ut qui Parochias longo intervallo à Regia Urbe dissitas incolunt, non justo diutiùs Confessionem prorogent, ob ingentem quam experientur difficultatem & anxietatem, si quod Impedimentum dirimens in procinctu nuptiarum detegeretur, super quo Dispensationem postulari oporteret. Quinimò plerumque necessarium est ùt quicumque de suscipiendo Matrimonio cogitant, ad sacrum Pœnitentiæ Tribunal accedant vel ante ipsam *Bannorum* proclamationem; non solùm propter Impedimenta quæ in Confessione detegi possunt, verùm etiam propter vitiosas consuetudines, quæ non rarò inveniuntur, & quæ prævias Absolutioni probationes requirunt. Hinc prætereà maturo consilio præoccupantur difficultates; hinc etiam locus datur utilissimis documentis, quibus adjuti, sese ad Sacramentum uberiore fructu capessendum, adjunctâ, si digni inveniantur, Corporis Christi Communione, disponant: ad quam utique Eucharisticam Communionem multò magis impellendi studiosiùsque disponendi illi erunt, qui Paschali officio non satisfecerint, vel qui nondùm Christi participes in prima Communione facti fuerint.

(*b*) *Conc. Paris. an.* 1528, decr. morum 39.



CAPUT II.

DE Matrimonii Bannis, *seu* denuntiationibus.

LEGEM *proclamationis* Bannorum *sanxit utraque Potestas. Non fiat* Bannorum *proclamatio, nisi requirentibus Partibus. Banna* Minorum *sine consensu parentûm vel tutorum ne promulgentur. Quanam in Parochia fieri debeant Matrimonii denuntiationes. Contrahentes è diversis Parochiis. Duo simul publica domicilia. Qui domicilium habent in Ecclesia* Succursalis *territorio. Qui domicilium Legibus requisitum non acquisierunt in præsentis suæ commorationis Parochiâ. Domicilium* de Jure *&* *domicilium* de facto. Bannorum *proclamationis Minister, tempus & locus. In* Bannis *promulgandis quænam exprimenda. Cavendum ne quis ex* Bannorum *promulgatione diffametur. Necessitas revelationis, consectarium promulgationis* Bannorum : *ad quos extendatur illa necessitas. Quales personæ à revelando excusentur. Ad quos deferendæ revelationes. Non revelantes, & improbè revelantes æquè plectendi. Si quis* Bannorum *promulgationi juridicè intercedat, quomodò gerere se debeat Parochus. Revelatio Impedimenti sine intercessione. Factis, nullo reclamante,* Bannorum *promulgationibus, quid agendum superfit. De Litteris Testimonialibus ad conjugium extra Parochiam ineundum.*

MORE antiquissimo apud Ecclesiam Gallicanam, speciatimque in Diœcesi Parisiensi (*a*) observatur, ut publicè in conventu Fidelium priùs denuntientur Matrimonia, quàm celebrentur, atque ab Ecclesia benedicantur. Hanc legem in Concilio œcumenico Lateranensi IV sancitam (*b*), sed non ubique posteà observatam, œcumenica Tridentina Synodus solemni Decreto, rogantibus Episcopis Theologisque Gallicanis, renovavit (*c*). Quæ quidem Disciplina tantæ necessitatis esse judicata fuit, tum ad cohibenda Matrimonia clandestina, insciisque parentibus

(*a*) *Stat. D. Odonis* de Sully, *Paris. Episc. Syn.* 1. *c. an.* 1198, Capitul. circa Matrim. *in Synodico, pag.* 7. *Vide Stat. Syn. D. Steph.* Poncher, de Sacram. Matrim. *D. Eust.* du Bellay, *n.* 32, de Matrim. & *D. Henr.* de Gondy, *n.* 26 & 28.

(*b*) Anno 1215, *can.* 51.

(*c*) *Sess.* 24. de Ref. Matrim. *cap.* 1.

conciliata, tum ad detegenda, si qua laterent, Impedimenta inter eos qui connubio inter se jungi optarent, ut eam, tanquam Legem, in suo Imperio vigere voluerint Reges Christianissimi (*d*). Itaque necessaria est *Bannornm* promulgatio, necessitate, non modò præcepti Ecclesiastici, verùm etiam, in Gallia, præcepti civilis; ita ut, juxta tenorem Sanctionis Blesensis à Ludovico XIII confirmatæ (*e*), Matrimonia sine publicis *Bannorum* promulgationibus celebrata, non valeant *quoad effectus civiles* (*f*).

JAM verò circa illam tanti momenti promulgationem plurima sunt Parochis diligenter observanda. Omnium primum, ea non peragetur, nisi requirentibus Partibus. Eam autem ab ipsis requiri non facilè credent Pastores, nisi testimonium ab iisdem subscriptum exhibeatur, aut verbo testificentur personæ cognitæ, & quibus fides tutissimè habeatur, cùm scilicet Partes ipsæmet Parochis sistere se non poterunt. Quin etiam prudentiæ Pastoralis erit, ut Partes, quantùm feret opportunitas, *Bannorum* instrumento subscribere jubeantur; cùm præsertim aliquis timendi locus esse videbitur ne illæ posteà ratam non habeant ejusmodi proclamationem. Subscriptioni verò æquipollebit proclamationis illius postulatio facta coram testibus.

Vetant Regni Christianissimi Leges, ne quis Parochus *Minorum* conjugia denuntiet citra eorum consensum ad quos pertinebit *Minores* tueri & curare. Qui consensus scripto consignatus habeatur necesse est; vel patrem, matrem, tutorem aut curatorem Pastor ipse audiat coram se consentientes. Quinimò tutiùs aget, si non modò vivâ voce, sed etiam scripto manifestum fieri curet ejusmodi consensum; quandò videlicet metuendi locus erit ne ratum non habeatur id quod promulgaverit. Si autem viginti-quinque annis majores sint filiæ-familiâs, seu filii trigesimum ætatis annum compleverint, & eorum conjugiis dissentiant parentes; ad *Bannorum* proclamationem sufficiet requisitus per triplicem juridicam interpellationem patrum & matrum consensus. Quanquàm utriuslibet sexûs *Majorum* non facilè proclamanda sunt *Banna*, multòque minùs ii ad Matrimonium admittendi, nisi priùs constet de parentûm consensu. Hoc enim optimo rerum ordini ipsique Religioni summoperè consentaneum est (*g*): sicque præthereà familiarum tranquillitati, quod Pastores maximè decet, providetur. Parochi tamen id per solam conciliationis viam exequi possunt; ipsique, factâ apud parentes

(*d*) Ordonn. de Blois, de l'an 1579, *art*. 40. Edit de Melun, *de* 1580, *art*. 25. Edit de Henri IV, *de* 1606, *art*. 12. Ordonn. de Louis XIII, *de* 1612, 1629, & 1639. Edit de Louis XIV, *de* 1692, & *de* 1697.

(*e*) Ordonn. de 1629. *art*. 39.

(*f*) Ita respondit Lud. XIII Clero Gall. cui anxietas fuerat ne civilis auctoritas Matrimonia sine hac solemnitate contracta, *quoad vinculum & Sacramentum* irrita declararet.

(*g*) *Tert*. ad ux. *l*. 2. *c*. 9.

juridicâ & trinâ consensûs requisitione, seu obsequiosâ interpellatione, postulatam à se *Bannorum* proclamationem detrectare nequeunt.

Si nihil obsistat, tres fiant Matrimonii denuntiationes in Parochia Partium Matrimonio inter se jungi cupientium; in qua scilicet bonâ fide habitaverint temporis intervallo ad effectum contrahendi Matrimonii requisito : id est, anno integro, erga eos qui ex alia Diœcesi advenerint; sex verò mensibus completis, erga illos qui ex alia hujus Diœcesis Parochia in præsentis habitationis locum transierint.

Quòd si è diversis Parochiis sint futuri conjuges, denuntiationes fient in propria uniuscujusque Parochia (*h*). Nec Pastor qui Matrimonio benedicturus est, illud priùs celebrabit, quàm Testimonium legitimâ formâ instructum ab alterius Parochiæ Pastore acceperit; quo nempè testimonio constet *Banna* fuisse ab eo juxta formam usitatam promulgata, & neminem se Matrimonio interposuisse. Si Contrahentium alteruter ex alia sit Diœcesi, prædicti Testimonii veritas comprobabitur signo & sigillo Episcopi, aut signo Vicarii-generalis cum sigillo Episcopali; nisi fortè scriptura Pastoris illius alteri sit notissima, ut fieri potest, quandò in utriusque Diœcesis finibus jacent Parochiæ, & sic vicinæ sunt.

Si Contrahentium alteruter duo simul publica domicilia in duabus diversis Parochiis habeat, ut fit cùm quis plures tabernas sive officinas obtinet, plures gerit villicationes, plures domos incolit, annumque circiter in domicilio utroque dimidiat; in utraque Parochia fiet *Bannorum* proclamatio, nisi tamen satis diù in eo loco manserit, ubi fit Matrimonio jungendus. Dispar illius est conditio, qui, cùm in uno duntaxat loco domicilium habeat fixum & publicum, solet tamen alium in locum proficisci, non tam diù ibi commoraturus : hæc postrema commoratio, ut potè transitoria & patùm nota, verum non constituit domicilium; in ea proindè nihil necesse est *Banna* promulgari.

Quibus in Ecclesiæ *Succursalis* territorio domicilium est, tum in ipsa, tum in Ecclesia præcipua denuntiari eorum Matrimonia necesse est; non tamen idcircò exigi potest duplex honorarium.

Qui in præsentis suæ habitationis Parochiâ domicilium Legibus requisitum non acquisierunt, eorum *Banna* promulganda sunt non modò in Parochia ubi de præsenti habitant, verùm etiam in ea ubi priùs *immediatè* habitabant (*i*). Quòd si verò illa in duabus Parochiis habitatio non compleat domicilii tempus in ordine celebrandi Matrimonii constitutum; res ad Diœcesanum Antistitem deferenda est, cum testimoniis *Bannorum* in utraque Parochia promulgatorum; nec ulteriùs procedi oportet, donec ipse,

(*h*) *Conc. Aquense, an.* 1585, à Sixto V approbatum. *Conc. Narb. an.* 1609. *S. Carol.* Rituale *Pauli V*, *&c.* Ordonn. de 1639. *art.* 1.

(*i*) *S. Carol. Conc. Aquense*, sup.

aut

aut Vicarius-generalis, quid sit agendum tenuntiaverit.

Minoribus, ut jam observatum fuit, duo esse possunt domicilia: unum *de Jure*, & alterum *de facto*. Prius est ipsum patris & matris, cùm adhùc in vivis supersunt, vel, his defunctis, tutorum & curatorum domicilium: quia nempè, Jure naturali, cum parentibus habitare censentur, vel, secundùm Jus Civile, apud tutores, seu curatores, quorum in tutelam eos tradit Magistratûs aut Legis providentia, ut illos Principi, tanquàm supremo omnium suæ ditionis familiarum Capiti, repræsentent; qui scilicet ipsis, ex quo pupilli facti sunt, patris loco esse intelligitur. Posterius domicilium est, cùm extra Parochiam domicilii parentûm vel tutorum & curatorum degunt, v. g. in munere, in famulatu, in arte aliqua discenda, vel apud alienam domum exercendâ, in Collegio, vel domo ubi aluntur atque instituuntur.

Quòd si igitur alicui *Minori* duo sint domicilia, id est, si in patris & matris, vel tutoris & curatoris Parochiâ non sit ejus domicilium; ne sine parentûm, vel eorum ad quos pertinebit, consensu, iisve insciis Matrimonio jungatur, proclamanda erunt ipsius *Banna*, tum in Parochia ubi domicilium *de facto* habet, tum in patris & matris, vel tutoris & curatoris Parochiâ, quod utique ipsi domicilium *de Jure* est: in quo posteriore domicilio si hoc prætermissum fuerit, illius conjugium quasi ex vitio clandestinitatis irritum declarari potest (*k*). Ubinam verò celebranda sint *Minorum* Matrimonia, prout fixum vel non fixum iis est domicilium *de facto*, jam suprà exposuimus (*l*).

De vagorum, atque etiam militarium virorum *Bannis* proclamandis suprà diximus conjunctim (*m*), ubi de ipsorum Matrimoniis agitur.

CIRCA Ministrum, tempus & locum proclamationis *Bannorum*, hæc prætereà definiunt sancti Canones, Legesque Civiles.

I°. *Bannorum* proclamatio ex natura sua munus est Parochi Sponsorum (1), vel Sacerdotis ab eo delegati (*n*). Eam sibi vindicare non possunt Abbates, Priores, Capitula, Religiosæ Communitates, aut alii, qui Parochiarum sint Rectores vel Parochi-primitivi, nisi ad hoc specialiter ab Ordinario loci Præsule approbati fuerint (*o*). Eam, ut potè ad Sacramentum ordinatam, haud impunè sibi arrogaret quivis Laïcus aut secularis fori minister, etiamsi Parochus ipsam exequi detrectaret (*p*).

II°. Ea proclamatio fieri potest quovis anni tempore, etiam quoad Matrimonii celebrationem prohibito; sed Festivis tantùm diebus fieri

(1) Des promis.

(*k*) Edit de 1697 Arrêt du Parlem. de Paris, *du 5 Sept.* 1710.

(*l*) *Div. III*, *cap.* 4.

(*m*) Ibid.

(*n*) *Conc. Trid. Sess.* 24. de Ref. Matrim. *c.* 1. Rituale Rom. *&c.* Ordonn. de 1639, *art.* 1.

(*o*) Comitia Cleri Gall. *an.* 1625. 1635. & 1645.

(*p*) Arrêt du Parlem. de Paris, *du* 13 *Mai* 1614.

debet (*q*). Portò dies *Festivus* strictè hìc sumitur pro Dominica, aut Festo quod, de præcepto Ecclesiæ, cum cessatione laboris per diem integrum, saltem in denuntiationis loco, celebratur. Itaque excluduntur Festa intercisa, id est, quæ ad meridiem desinunt; Festa, ut loquuntur, *ad devotionem*, etiam cum requie operum celebrata; Feria quarta Cinerum, ipsique Hebdomadæ-Majoris dies sancti, frequentissimo licèt Parochianorum concursu.

III°. *Banna* Matrimonii *inter Missarum solemnia* (*r*), nempè in sola Missa Parochiali denuntianda sunt; nec valeret denuntiatio facta in Missa minore, nisi fortè hæc esset Parochialis; neque etiam in Missa decantata, quæ à Missa Parochiali diversa foret. Quòd si plures in eadem Ecclesia celebrentur Missæ Parochiales; in qualibet ex ipsis, ad Pastoris arbitrium, *Banna* promulgari possunt. Tempus promulgationis, ipsum est *Pronaï* tempus. Denuntianda verò non sunt Matrimonia in Vesperis, aut serotinis coram sanctissima Eucharistia Supplicationibus.

IV°. Fieri debet ea promulgatio in sola Ecclesia Parochiali, vel *Succursali*, non autem in Regularium Ecclesiis: non in Sacello ab Ecclesia dissito, nisi ad illud processerit tota Parochia, ob Missam Parochialem, quæ in ea celebranda fit, audiendam.

V°. Trina hæc promulgatio tribus diebus Dominicis aut Festis continuis peragetur. Si autem, nullo interposito medio, tres sibi succedant dies Festi, non sunt illo triduo absolvendæ tres denuntiationes; sed inter primam & secundam, vel inter secundam & tertiam dies saltem unus intercedat necesse est.

Cùm igitur præcepit Ecclesia in Concilio Tridentino collecta, ut *tribus continuis diebus festivis* Matrimonium quodcumque denuntiaretur, profectò mens ipsi non fuit ut tribus *immediatè* consequentibus diebus peragi deberent tres promulgationes. Etenim, pro sua sapientia, intellexit hac brevitate temporis eludi facilè posse eos quibus occasio esset alicujus Impedimenti revelandi. Id verò eâ Lege provida mater assequi voluit, ut non longo intervallo disjungerentur tres dies quibus ejusmodi proclamationes fierent; ne, conscii si qui forent alicujus Impedimenti, segniores ad revelandum accederent, vel *Banna* promulgata fuisse obliviscerentur.

Quòd si verò Matrimonium post sex menses ab ultima denuntiatione differatur; hæc est Diœcesis Parisiensis Disciplina, ut trina denuntiatio iteretur, perindè ac si nulla omninò facta fuisset; nisi fortè locum dilationi præbuerit litigium ex opposita intercessione (1), aut nisi aliud Nobis seu Vicario nostro generali videatur.

(1) Opposition formée.

(*q*) *Conc. Trid. sup. Stat. D. Henr.* de Gondy, *Paris. Episc. an.* 1608, *n.* 28, *in Synodico*, *pag.* 240. *Rit. Paris. D.* *Joan. Franc.* de Gondy, *primi Paris. Archiep. an.* 1654.

(*r*) Ibid.

In *Bannis* proclamandis, Partium contrahere cupientium exprimantur nomina, cognomina, conditio vel professio, patria & domicilium, tam *de Jure* quàm *de facto*; an *Minores*, an *Majores* sint futuri conjuges. Per nomen, cognomen, conditionem vel professionem similiter designentur vivi seu defuncti parentes hactenùs innuptorum, & viduarum viginti-quinque annis minorum. Viduotum cujusvis ætatis & Viduarum *Majorum* conditioni vel professioni addatur sola qualitas *vidui* aut *viduæ*; cum defunctæ uxoris vel mortui mariti nomine, cognomine, conditione vel professione: nulla patris aut matris fiat mentio.

Viduæ quidem, etiam viginti-quinque annis majores, cùm ad secundas nuptias convolare cupiunt, sub pœna exhæredationis tenentur parentûm consensum obtinere, vel juridicè requirere: nec priùs earum *Banna* promulganda sunt. Sed vidui, sive *Majores*, sive *Minores*, ad id præstandum nullâ Lege astringuntur. Attamen vehementer suadet debita genitoribus teverentia, ut geniti, etiamsi sui juris per anterius conjugium facti fuerint, novas nuptias sine illorum consilio & assensu non contrahant (*s*): ad quod utique à Pastoribus, adhibito Religionis eloquio, inducendi sunt, priusquàm fiat *Bannorum* proclamatio.

Id autem quibusvis in *Bannis* observent Pastores, ut unumquodque primum esse aut secundum, vel tertium admoneant. Si Partibus unum vel duo *Banna* relaxata fuerint, vel Partes eam Dispensationem sibi esse concedendam sperent; in prima vel secunda proclamatione declarabitur eam fore ultimam, eò quòd Partes Dispensationem in residua vel residuis consecutæ sint, vel consecuturæ. Sic videlicet, quibus notum erit aliquod Impedimentum, facilè intelligent quodnam intrà tempus revelare debeant; nec propter Ecclesiæ indulgentiam frustrabitur ejus intentio.

Cùm, ex legitima Dispensatione, duæ tantùm fient proclamationes, inter ipsas dies saltem unus interponatur. Quòd si duas proclamationes omitti concessum fuerit, *Bannum* unicum die Dominicâ proclametur; nec Sponsis, eo in Casu, Benedictionem Nuptialem, inconsulto Diœcesano Præsule, concedat Parochus, nisi duobus saltem diebus post unici *Banni* proclamationem elapsis. Semper autem ante Sponsalia fiant Matrimonii denuntiationes, & Sponsalia denuntiationibus nunquam præmittantur: neque enim eos aliquo intet se nexu colligari decet, intet quos minimè certum sit nullum intercedere Impedimentum; ad quod nempè detegendum institutæ fuerunt ejusmodi denuntiationes.

Qui autem Matrimonii vinculo inter se jungi cupientes, sub eodem tecto habitant, ii, monente Parocho, à se invicem discedant, statim atque conscripta fuerit conjugii pactio, & antequàm fiat prima *Bannorum* proclamatio. Sic nempè suo pudori certiùs consulent; sic malignas hominum oblocutiones vita-

(*s*) *Conférences de Paris sur le Mariage*, tom. 2.

bunt; sic denique illæsa permanebit suscipiendi Sacramenti reverentia.

Porrò ab Ecclesiæ intentione prorsùs alienum est, quemquam ex *Bannorum* proclamatione diffamari. Qui ergò non legitimè nati sunt, eorum ortus premátur silentio charitatis. Nec parentûm nomina recitentur; nec omninò exprimatur eos ex parentibus ignotis originem duxisse. Satis sit illos per ea nomina & cognomina designari, sub quibus vulgò noscuntur; per vitæ institutum, & per domicilium.

QUONIAM verò *Bannorum* proclamationes ad hoc præsertim institutæ fuerunt, ut Impedimenta Matrimonii, si qua laterent, detegerentur; docentibus Pastoribus, id intelligant Fideles populi, quibus sanctionibus præcepit utraque Potestas *Banna* proclamari, iisdem similiter quemque ad Impedimentum quod noverit, sive *dirimens*, sive etiam *prohibens*, vel Parocho, vel Ordinario revelandum obstringi: quod quidem sub pœna Excommunicationis injungit Diœcesana Disciplina; de quo monendi sunt astantes, quotiescumque denuntiatur unum vel plura Matrimonia; hoc insupèr observato, sub eadem pœnâ vetari ne quis falsa Impedimenta in medium afferat, ullumve obicem conjugio malitiosè & sine causa opponat (*t*). Nullus autem, nisi graviter læsâ conscientiâ, ejusmodi revelationem omittere potest, sine qua Matrimonium vel in irritum contraheretur, vel non licitè contractum aliquatenùs profanaretur; ideòque Matrimonii usus, ut plurimùm, utrobique foret criminosus; ex qua denique pendet animarum salus, & familiarum tranquillitas. Cui Legi ab omnibus obtemperari tam necessarium est, ut eâ immunis esse nemo possit; nec ipsi consanguinitate, affinitate vel amicitiâ conjunctissimi; nec adventitii, qui alienâ in Parochiâ vel Diœcesi proclamationes audiunt (*u*); Episcopus enim non tam suo quàm Ecclesiæ nomine revelationem præcipit: nec verò propinqui vel amici, ratione solius propinquitatis vel amicitiæ; quin potiùs id officium in ipsos duplici hoc nomine ac titulo strictiùs incumbit, ut à personis sibi dilectis mala propulsent ingentia, quæ ex connubiis non legitimis oriuntur. Et certè Sponsorum consanguinei vel amici, quibus Impedimentum sub naturalis secreti lege non fuit commissum (licèt in Monitoriis interdùm sint à revelando immunes), nequaquam in Matrimonii Impedimentis à revelationis onere eximuntur.

Cùm igitur finis *Bannorum* sit revelatio Impedimentorum, Fideles verò, denuntiatis Matrimoniis, eorum Impedimenta, si qua sint, revelare Pastoribus non possunt, nisi de Impedimentis, quantùm necesse fuerit, priùs edocti sint; permultùm interest ut Parochi aliquotiès per annum Impedimenta Matrimo-

(*t*) *Rit. Parif. an.* 1654, *an.* 1697 & *an.* 1777. *Stat. Syn. D. Franc.* de Harlay, *Parif. Archiep. an.* 1674.

(*u*) Ibid. *Clem. III*, Decret. *l.* 4. *tit.* 18. *c.* 3. & *tit.* 1, *c.* 27. & *tit.* 18. *c.* 6.

nium dirimentia publicè exponant; præsertim Dominicâ primâ post Epiphaniam, Dominicâ secundâ post Pascha, & semel intrà mensem Septembrem. Inter cætera verò Impedimenta quædam seligi oportet revelationi magis obnoxia: qualia imprimìs sunt *Cognatio* & *Affinitas*.

Jam verò sunt quædam causæ satis urgentes, ut à revelando excusare censeantur. Postulat enim naturalis æquitas, ut qui non sine graviore vel pari suo aliorumve detrimento malum proximi avertere potest, ad illud avertendum minimè teneatur. Hinc revelationem non debent, 1°. Confessarii: 2°. Qui Impedimentum nôrunt, vel quia postulatum fuit ab ipsis de eo consilium, quales sunt Parochi, Doctores, Advocati, quin & amici in intimis habiti, quibus nihil arcani est; vel ratione professionis, ut Medici, Chirurgi, Obstetrices. Nisi enim isti omnes commissa inviolabili tegant silentio, jam nemo erit quem in arduis ac dubiis interrogare, vel in necessitate auxiliatorem adhibere tutò liceat. 3°. Qui sine propria infamia, seu gravi alio quocumque damno Impedimentum detegere non possunt: ut mater aut soror, quæ cum filiæ aut sororis suæ proco (1) deliquit; ancilla quæ dominæ suæ crimen adjuvit: ipse villicus, cui à domino suo, si eum prodiderit, mors imminet, vel durissima tractatio, vel gravis jactura, &c. In dubio, nihil prudentius fieri poterit, quàm si consulatur sapiens Confessarius, quandoque etiam Diœcesanus Pontifex, aut secularis Judex notæ probitatis. Idem observandum erit famulis; ne, vel temerariâ revelatione familias perturbent, vel commentitiæ perturbationis metu, Ecclesiæ & Principis Legibus desint. Etsi verò fidem non facit testis unius revelatio, ad hoc tamen utilis esse potest, ut res diligentiùs examinetur; ut Partes, vel Pars alterutra, benignè moneantur; ut demùm, si sit dubio locus, Dispensatio ab Ordinario impetretur.

Porrò si ex natura sua publicum sit Impedimentum, ut *Cognatio*, *Affinitas*, &c. vel publicum evadere quoquomodò possit; illud Partibus aut earum consanguineis erit detegendum. Quòd si Partes neque à Matrimonii proposito deterreri, neque Dispensationem obtinere curent; res ad Parochum deferenda erit, quin etiam aliquandò ad Ordinarium loci Antistitem, si Matrimonio, contrà quàm debet, (quod absit) faveat Parochus. Si verò occultum sit Impedimentum; satius quidem foret ut secretò admoneretur Pars Impedimenti conscia, ne ad conjugium sine Dispensatione progrederetur: sed quia sæpè fit ut monita ejusmodi, ad minimum, nihil proficiant, rectà conveniendus plerumque est Parochus, eique deregenda rei veritas; ut potissimùm quacumque viâ malo imminenti prudenter occurrat. Nulla autem via potior esse præsumitur, quàm si, cùm Sponsos in omnes partes incassùm versaverit, ad Diœcesanum Pontificem confugiat, ejus mandata suscepturus.

(1) Celui qui recherche une fille en mariage.

Quemadmodum autem sub pœnâ Excommunicationis præcipitur illa revelatio, vel in ipso Sponsalium

procinctu; &c., ut in conjugiorum promulgatione admonendum esse paulò antè diximus, propositâ eadem pœnâ vetat meritò hac in parte severa Ecclesiæ charitas, ne quis ex animi improbitate & fine legitima causa *Bannorum* proclamationi se interponat, fictum denuntiet Impedimentum, vel Matrimonii celebrationem qualibet iniquitate impediat, vel remoretur. Hic nempè graviter contra justitiam peccaret; ideòque detrimento cujus causa fuisset, resarciendo, vel ante Judicis Sententiam, teneretur.

Caveant ipsimet Parochi ne odio vel negligentiâ, vel nimiâ in quemquam benevolentiâ, Matrimonii denuntiationes omittant, plus æquo differant, non intelligibili voce immurmurent, aut præcipiti celeritate devolvant. Partium contrahere cupientium, patrum quoque & matrum nomina, cognomina, conditionem seu professionem ac domicilium clarâ & distinctâ voce pronuntient, si præsertim facilem errorem ingerat aliqua nominum similitudo: alioqui, *Banna* promulgando, nihil promulgant; & sequuntur quasi omissæ promulgationis incommoda gravissima.

UBI adversùs Matrimonium contrahendum aut *Banna* promulganda per viam intercessionis (1) obex opponitur; curare primò debet Parochus, ut intercessio non verbis tantùm, sed & scripto instrumento sibi juridicè denuntietur. Quod scilicet instrumentum ab ipso intercessore (2), vel, si scribere nesciat, à duobus testibus rei fidem pro illo facientibus, subscriptum, Apparitoris (3) ministerio in forma consueta Pastori denuntietur necesse est, hoc insupèr in formula intercessionis (4) expresso, quòd subscribere nesciat, si, ritè interpellatus, id nescire se affirmaverit. Nempè à supremo Senatu Parisiensi constitutum est (*x*), intercessiones in Matrimonii *Bannorumque* causis, intercessorum chirographo muniri oportere. Et meritò quidem; seclusâ enim tali cautione, penès malevolum quemque esset ut Matrimonium sine ulla causa impediret, aut saltem moraretur; nec certò constaret de intercessionis auctore, contra quem futuris conjugibus esset agendum: undè eveniret ut contra ipsum Parochum juridicè agere cogerentur. Et certè, si intercessor coram Judice interpellatus, obicem à se oppositum fuisse negaret, Parochus id per testes, ad summum, probare posset: quod tamen probationis genus hoc in negotio admissum iri non constat.

Ab hac autem regulâ excipienda est intercessio, quâ parentes, tutores & curatores, liberorum aut pupillorum Matrimonio solâ voce nulloque scripto instrumento obsistunt: debet enim Parochus rationem habere hujusmodi intercessionis, neque ultrà procedere, cùm, ex antea dictis (*y*), talium Matrimonio interesse aut benedicere non antè debeat, quàm sibi de parentûm vel tutorum assensu constiterit. Hinc à supremo Senatu Parisiensi rescissum est (*z*) conjugium filii-familiâs, cui

(1) Par voie d'opposition.

(2) L'opposant.
(3) Huissier.
(4) Opposition.

(*x*) Anno 1691. (*y*) *Div. III*, *cap.* 5. (*z*) Anno suprà notato.

se mater, verbo duntaxat, nulloque scripto significato, interposuerat.

II°. Postquàm intercessoris chirographo munita intercessio, juridicè fuerit Parocho significata, Parochus de illa moneat Partes contrahere cupientes, ipsisque intercessionis exemplum (1) concedat, si postulent, ut possint jus suum coram Judice persequi; archetypum (2) verò penès se retineat, nisi hujus accepti chirographum (3) detur. Tum ipse potest quidem, imò, si postulatum fuerit, debet scripto instrumento testari factam fuisse *Banni* unius vel plurium proclamationem, si qua reipsâ facta fuerit. Quin etiam lite jam super eo negotio motâ, aut latâ Sententiâ, aut ab hac subindè interjectâ appellatione, istorum quoque in instrumento testimoniali mentio facienda est.

III°. Pastori, ut modò dictum est, factâ & significatâ intercessione, is non debet ulteriùs progredi, quantumlibet frivola, vana, aut malevolo animo confecta hæc illi videatur; sed à quibuscumque aut ulterioribus *Bannorum* proclamationibus, à Sponsalibus atque à Matrimonio celebrando supersedere illum oportet; siquidem, subsistente intercessione, suspenditur ejus hac in parte ministerium, nec in hujusmodi re judicem se constituere potest.

IV°. Quòd si Parocho exhibeatur intercessionis instrumentum, scriptum quidem, sed non juridicè significatum, sub ignoto nomine confectum, penitùs informe, causamque omninò & evidenter futilem in medium adducens; Parochus nullam talis intercessionis rationem habere potest. Si tamen aliqua mentem remordeat anxietas vel dubitatio, quantumlibet abnormis videatur intercessio, res ad Nos seu ad nostrum Officialem aut Vicarium-generalem deferatur; satius enim est Parochum eâ in re abundantiùs cavere, quàm committere ut aliquid temerè cum suo periculo definiat. Notandum verò est, intercessionis instrumentum non idcircò informe habendum esse, quòd in ipso deficiat aliquid ad *formulas* pertinens (4), si v. g. in Partium nomine sit erratum; nec ideò rejiciendam Appellationem à Judicis Sententiâ, si qua, ut inferiùs dicetur, lite motâ, intervenerit.

V°. Si intercessio formam legitimam præ se ferens & Parocho juridicè significata, nondùm sit ad forum contentiosum deducta, lisque mota nulla fuerit; Parocho, ut progrediatur ulteriùs, necessaria est & sufficit simplex ab intercessione discessio (5): oportet autem ut scripto consignata, atque intercessoris chirographo munita exhibeatur.

VI°. Si intercessio jam fuerit ad forum contentiosum deducta; Parocho, ut procedat ulteriùs, non sufficit simplex ab intercessione discessio, sed expectanda est Judicis Sententia intercessionem perimens, & quidem ipsi Parocho juridicè significata (*a*); quia interim accidere potuit ut appellatio ab ejusmodi

(1) Une copie de l'opposition.

(2) L'original.

(3) Un récépissé.

(4) Quelque formalité.

(5) Désistement, ou main-levée de l'opposition.

(*a*) Cap. *Cùm inhibitio*, de clandest. despons.

Sententiâ ad superius Tribunal interjecta fuerit.

VII°. Quamvis Sententia intercessionem perimens, Parocho juridicè significata fuerit; si tamen pariter illi denuntietur appellatio à tali Sententiâ interjecta, ipse ulteriùs progredi non potest. Nam ad superius Tribunal interjecta appellatio à Sententia intercessionem perimente, hujus vim & efficaciam suspendit, adeòque & Parochi ministerium circa Matrimonii denuntiationes aut ejus Benedictionem.

VIII°. Si, Parocho significatâ Sententiâ intercessionem perimente, illi pariter significata non fuerit appellatio ab eadem Sententiâ; eo in Casu multi indefinitè pronuntiant ipsum continuò posse ulteriùs progredi, si præsertim frivola tantùm impendeat appellatio. Fatendum tamen est id non satis tutum videri. Quam enim frivolam judicaret Parochus, ea fortassè talis non esset; cùm quotidianâ experientiâ constet, appellantem qui causâ cecidit coram Officiali Diœcesano, vincere coram Metropolitano; imò etiam, qui ab utroque dejectus fuerat, vincere apud Causæ-cognitorem (1) à summo Pontifice delegatum. Antequàm igitur in præfatis circumstantiis ad Matrimonium celebrandum procedat Parochus, aliquam moram, qualem pro re nata suaserit prudens æstimatio, ei prudenter interponenda est.

(1) Commissaire.

IX°. Si ad superius Tribunal interjecta non fuerit appellatio, sed intercessio duntaxat facta fuerit adversùs Sententiam perimentem, quâ præcipiatur ut, nihil obstante appellatione vel intercessione jam factâ, executioni mandetur talis Sententia; in hujusmodi Casu, curandum Pastori est, si sibi tuta esse velit omnia, ut sibiipsi tradatur Sententiæ perimentis exemplar legitimâ forma instructum; quo posito, ad ulteriorem quidem *Bannorum* proclamationem, non tamen ad Matrimonii celebrationem progredi poterit, quoadusque secunda illa intercessio in irritum missa fuerit.

Quod si, seclusâ intercessione, fiat alicujus Impedimenti revelatio; à revelante pariter exigendum est ut suam revelationem tradat scripto consignatam, suoque & duorum (si fieri possit) testium chitographo roboratam, luculenter expositis Impedimenti probationibus. Quòd si denuntiator id præstare nolit; quamvis ejus revelatio nullius chirographum exhibeat, imò etiam verbo tenùs fiat, Pastor nihilominùs Impedimenti naturam, indolem revelantis, indicia & argumenta quæ afferuntur, expendet, reique veritatem quàm diligentissimè investigabit. Quòd si ratio veri Impedimenti constare Parocho videatur, ab ulteriore *Bannorum* proclamatione supersedebit. Si, è contrario, futile Impedimentum futiliaque argumenta, ipsamque revelantis improbitatem evidenter agnoscat; non obstabit ejusmodi revelatio quin ulteriùs progrediatur. In dubio, ad Nos causa referatur; ac pendeant omnia interrupta, quoadusque rescriptum à Nobis sive aliàs responsum fuerit.

Si Impedimentum famâ solâ perhibeatur, diligenter exploranda est ejùs veritas; quæ si fundamentis gravibus aut verisimilibus nitatur, suspendi

suspendi debet ulterior *Bannorum* proclamatio ipsaque Matrimonii celebratio, quoadusque res ad Diœcesanum Antistitem aut ejus Vicarium-generalem delata fuerit. Quòd si nihil omninò fide dignum appareat, ad ulteriorem *Bannorum* proclamationem & Matrimonii celebrationem procedendum erit.

Si verò Impedimentum neque ex ullius revelatione, neque ex fama aut rumoribus Parocho innotuerit, ut potè quod noverit ipse solus, nec probare possit, Sponsis id pernegantibus; hos debet eâ de re privatim admonere. Quòd si admoniti, Matrimonium nihilominùs contrahere velint, nec ulla probandi Impedimenti spes affulgeat; Parochus non poterit Benedictionem nuptialem denegare, ne sit ipse restis & judex: expedit tamen ut non antè Matrimonium celebret, quàm de hujusmodi Casu ad suum Episcopum retulerit.

PERACTIS, nullo reclamante, *Bannorum* promulgationibus, si extra Parochiam celebrandum sit Matrimonium, alteruter vel uterque Sponsus Testimonium illius promulgationis à proprio Parocho accipiat, quod quidem ante Sponsalia Pastori deferat qui sit nuptiis benedicturus; quippè qui sine illo Testimonio proprii que Pastoris licentiâ nuptiis benedicere non possit. Hæ autem Litteræ testimoniales non concedentur, nisi elapsis ab ultima promulgatione horis quatuor & viginti. Pastores in hujus Testimonii confectione illud sequentur exemplar, quod sibi ad Partis Ritualis calcem occurret. In eo scilicet futurorum conjugum simul & parentûm nomina, cognomina, conditionem seu professionem, ac domicilium designabunt; quibusnam diebus Dominicis aut Festis singulæ proclamationes, nullo reclamante, factæ fuerint: an Partes sint *Majores* vel *Minores*; an superfint, an vivis excesserint parentes; an utraque Pars, vel alterutra, sit in viduitate; an Partibus aliud sit domicilium, vel *de Jure* vel *de facto*; à quo tempore Partes in suis Parochiis habitent; an parentes adhùc superstites in alia Parochia domicilium habeant. Prætereà testetur Parochus eam Partem, cujus Matrimonium denuntiaverit, saltem ad sacrum Pœnitentiæ Tribunal accessisse. Quòd si reverà non accesserit, nullum de prædictis Testimonium concedat (*b*).

In his verò Testimoniis conscribendis meminerit Pastor hanc esse Ecclesiæ matris intentionem, ut salvus sit honor cuique debitus. Omisso titulo, seu honorificâ appellatione, Pastor, vel superbiæ, vel rusticitatis accusatur; mentes abalienantur, charitas læditur, in publicum ordinem peccatur. Videant etiam Parochi diligenter, ne quid in promulgationis Testimonio, in nominibus, qualitatibus, domicilio, aliisque, vel personas, vel res designantibus, inconsideratè addi

(*b*) *Rit. Parif. an.* 1654; & *an.* 1777, *pag.* 353.

seu detrahi contingat; sed totum, prout denuntiaverint, candidè sincerèque testentur; ne falsitatis argui ullomodò possint, neve concessæ Dispensationes *obreptitiæ* vel *subreptitiæ* fiant.

PASTORES autem nihil à pauperibus honorarii exigere poterunt, sive propter *Bannorum* proclamationes, quocumque in loco factæ sint, ac Testimonia quæ de iis suppeditabunt; sive propter Sponsalia & Matrimonii celebrationem. Quod pertinet ad reliquos, eâ mercede contenti erunt, quæ sibi per Diœcesis Constitutum aut morem laudabilem attribuitur.

CAPUT III.

DE Dispensationibus in Bannorum proclamatione.

QUIBUSDAM generaliter præmissis, causæ Dispensationis in proclamatione Bannorum ad undecim capita revocantur. Præter causæ veritatem, quid præterea requiratur. Causæ non sufficientes. Præjudicata opinio, Fidelium animis evellenda. Testimonia Pastorum ad obtinendas hujus generis Dispensationes, quid continere debeant. Forma quædam observanda. Quædam notanda.

PUBLICA Matrimonii denuntiatio Juris tantùm positivi est; undè in ipsa legitimam ob causam dispensatur: quod quidem sine ulla restrictione *Ordinarii prudentiæ & judicio relinquit sancta* Tridentina *Synodus* (*a*). Monentibus tamen Parochis, non temerè confidant Fideles secum in his fore dispensandum: sciantque Nos in tribus promulgationibus non dispensaturos, nisi urgeant causæ gravissimæ, vel potiùs vera necessitas; nec in duabus sine gravi causa; nec in una etiam, sine causa probabili (*b*); nunquam autem nisi proprii Pastoris Litteris vel Testimonio probata causa fuerit; nunquam omninò in gratiam *Minorum*, qui sine parentùm vel tutorum consensu Matrimonium inire intenderent. Et verò non semel in generalibus Cleri Gallicani Comitiis prohibitæ fuerunt trium *Bannorum* Dispensationes (*c*): & cùm prætereà Sanctio Blesensis nullam in *Bannis* Dispensationem admittat *nisi post factam primam promulgationem, & hoc tantùm ob urgentem*

(*a*) *Sess.* 24. de Ref. Matrim. *cap.* 1.
(*b*) Ibid. *cap.* 5. C. 1. q. 7. c. 16.
(*c*) Annis præsertim 1579 & 1606.

& legitimam causam (*d*); huic Legi sapientissimæ firmiter adhærebimus, nisi aliud exigat Lex invictæ necessitatis : quo quidem in casu dispensandi jus & possessionem sibi vindicant Ecclesiæ Gallicanæ Præsules.

Causæ autem Dispensationis in proclamatione Bannorum hæ sunt præcipuæ :

I°. Cùm aliter vitari scandalum non potest : si v. g. Partes Matrimonio jungendæ in concubinatu vivant, licèt pro conjugibus publicè habeantur; aut si occultum detegatur Impedimentum dirimens inter eos qui olim publicè contraxerint.

II°. Cùm Partes pœnis concubinariorum à Judice afficiendæ sunt, nisi probaverint se legitimo esse connubio sociatas.

III°. Cùm ex Matrimonio cessaturum est peccatum, à quo difficilè abstinerent concubinarii, intereadùm fierent Matrimonii proclamationes.

IV°. Cùm Pars utraque, vel alterutra, ex trina *Bannorum* promulgatione ingens damnum perpessura est : imprimis autem cùm *probabilis fuerit suspicio Matrimonium malitiosè impediri posse, si tot præcesserint denuntiationes* (*e*).

V°. Cùm plurimus timendi locus est, ne Sponsorum alter ex ingenita levitate à proposito resiliat, vel à Matrimonio christianè & civiliter consentaneo alienâ instigatione avertatur; v. g. Sponsus ab ea ducenda, cujus famæ labem inussit, vel quam sibi pater sapiens, jam moriturus, maturo consilio elegit : vel cùm periculum est, ne, altero Sponso propter Matrimonii dilationem propositum mutante, alter Sponsus optimi conjugii occasionem amittat.

VI°. Cùm necesse est publicam offensionem celeriter amputari, quod nisi maturato connubio fieri non possit.

VII°. Cùm desponsati, propter viciniam aut nimium amorem, sive aliter, incontinentiæ aut inferendi scandali periculo sunt obnoxii.

VIII°. Cùm ideò conficitur Matrimonium, ut duæ familiæ inter se reconcilientur, sive ut inter ipsas vetera litigia componantur; quæ quidem gratiæ vel concordiæ reconciliatio possit in irritum cadere, nisi res quamprimùm transigatur.

IX°. Cùm, propter Sponsorum viduitatem, vel ob nimiam ætatis, conditionis aut fortunæ disparitatem (si v. g. herus famulam uxorem ducat), eorum *Banna* ter promulgari non possunt, quin juvenum aut vicinorum dicteriis pateant, sicque gravi & injusto pudore suffundantur.

X°. Cùm tam proximè instat Quadragesima aut Adventus, ut sufficiens trinæ *Bannorum* promulgationi spatium non suppetat; & cùm prætereà Matrimonii celebratio non potest sine incommodo vel periculo post vetitum tempus differri.

XI°. Cùm urget tempus itineris, quod, sive Sponsus, sive ge-

(*d*) Ordonn. de Blois. *art.* 40. (*e*) *Conc. Trid. sup. cap.* 1.

nere proximus, maximè verò pater, non possit quin continuò suscipiat.

Uno verbo, quotiès imminet periculum scandali, aut gravis detrimenti in fortunæ, famæ, animi vel corporis bonis.

Non solùm verò necesse est ut veræ sint causæ prædictæ: requiritur insupèr ut certum sit, nihil incommodi esse metuendum ex omissâ unius vel duorum *Bannorum* proclamatione; Partesque in ea ætate, habilitate ac libertate esse, quæ, tum sanctis Canonibus, tum Civilibus Constitutis præcipiuntur; ac demùm, deficiente unius vel duorum *Bannorum* proclamatione, nihil emergere omninò posse quod cuiquam noceat.

Prætereà, monentibus Parochis, intelligant cujusvis conditionis Fideles nullam à Nobis rationem habitum iri, neque vicinioris Adventûs aut Quadragesimæ, nisi evidenter Nobis innotescat non fuisse expectatam de industria extremam illam temporis angustiam, morasque ingenti detrimento fore Partibus quarum intersit; neque vanitatis illius, quâ Dispensationem ejusmodi non postularet aliquis, nisi ut se à vulgo secerneret; neque delicatioris animi, per quem alii sua in Ecclesiis non ferrent nomina proclamari. Absit ut quisquam ad postulandam cujusvis generis Dispensationem emptor potiùs accedat quàm supplex: quasi Dispensationes pretio vendat Ecclesia; quasi Legis observatio ad solos egenos pertineat, & Legis laxamentum, nummo sonante, ditissimo cuique in promptu esse debeat. Præjudicatam hujusmodi opinionem, quantùm in se fuerit, ex Fidelium animis evellant Parochi, ut potè qui nobiscum sint, pro sua quisque parte, Canonum assertores. Dispensatio sine causa, non tam Dispensatio est, quàm temeraria Legum infractio Hæc sententia, tanquàm invicti roboris propugnaculum, superbis Dispensationum postulatoribus opponatur.

Quin etiam nullæ concedentur *Bannorum* Dispensationes, nisi Pastores scripto Testimonio confirment, se in unius vel duorum proclamatione præmonuisse hanc esse Partium intentionem, ut in residuo vel residuis Dispensationem obtineant. Quod quidem Testimonium non suppeditabunt, nisi elapsis ab ultima vel unica promulgatione horis quatuor & viginti. In illo insupèr enuntiabunt, neminem Matrimonio reclamasse, & se ipsos nullius neque Civilis neque Canonici Impedimenti esse conscios.

Hæ Dispensationes, ubi locus est earum concessioni, à Diœcesano Antistite, seu ejus Vicario generali subscriptæ esse debent, atque etiam Antistitis sigillo munitæ; tum verò in publicas Actorum Ecclesiasticorum Tabulas referendæ sunt (1) intrà mensem quo datæ fuerint, & ante Matrimonii celebrationem (*f*). Quod quidem ii præsertim admoneantur, qui Dispensationes illas

(1) Insinuées au Greffe des Insinuations Ecclésiastiques.

(*f*) Déclar. de 1691.

obtinent ut extra Diœcesim Matrimonium ineant; cùm enim Partes ex duabus sunt Diœcesibus, necesse est ut ambo Episcopi cum suo quisque Diœcesano dispensent (*g*).

Parochus autem qui Matrimonium celebraturus est, Dispensationem penès se retineat, ejusque mentionem faciat in Actis Matrimonii; diemque exprimat ipsius tum concessæ, tum in Acta publica relatæ.

QUÆ hactenùs de *Bannis* Matrimonii, & Canonum, & Civilis Potestatis auctoritate salubriter sancita fuisse diximus, ea nullam admittunt exceptionem, sive immunitatem; ita ut Parochi ex Melitensium Equitum Ordine, membra Communitatum Regularium, vel si qui alii ad nullam Diœcesim pertinere se contendant, nullum possint Matrimonium celebrare nisi *Bannis* ritè promulgatis, vel Dispensatione promulgationis à Diœcesano Præsule, seu ipsius (aut Capituli Cathedralis, Sede vacante) Vicario-generali impetratâ. Nec magis possunt alienos Parochianos Matrimonio conjungere, nisi de Episcoporum vel Parochorum licentiâ (*h*).

(*g*) Conc. Aquensf. *an.* 1585, à Sixto V approbat.

(*h*) Statutum Cleri Gall. *an.* 1625, confirmatum *ann.* 1635 & 1645. *art.* 22. Vide Libros Memorial. Cleri Gall. *tom.* 6. *pag.* 132.



Divisio VI.

In hac Divisione differetur, 1°. De Sponsalibus : 2°. De tempore & loco celebrandi Matrimonii : 3°. De Ceremoniis in Matrimonii celebratione usitatis : 4°. De legitimatione prolis ante Matrimonium susceptæ. 5°. De Matrimoniis in Parochiarum Acta referendis.

CAPUT PRIMUM.

De Sponsalibus.

Quid sint Sponsalia. Ea duplicis generis distinguuntur. Sponsalia ut valida sint, quinque conditiones requisitæ. Sponsalia sub conditione. Sponsalia sub delicto gravi obligant. Sponsalium dissolutionis causæ decem. Ad quem pertineat de Sponsalium vinculo juridicè pronuntiare. Sponsalia ubi & à quo celebranda. Sponsalia vagorum. Quovis tempore celebrantur Sponsalia. Temporis intervallum inter Sponsalia & Matrimonium. Testes Sponsalibus adhibendi. Sponsalia decenter celebranda. Exhortatio ad Sponsos habenda. Quidnam ii prudenter admonendi. Proximæ horum dispositiones ad Matrimonium.

Sponsalia à *spondendo* sic dicta, sunt *Futuri Matrimonii promissio inter personas Jure habiles, verbis, alitsve signis idoneis declarata* (a). Duplicis autem generis ætate nostrâ distinguuntur. Alia celebrantur in facie Ecclesiæ, coram Parocho, vel alio Sacerdote legitimè delegato, solemnes interrogationum formulas adhibente, mutuamque Sponsorum promissionem excipiente ac benedicente : alia, sine Pastoris aut Sacerdotis ministerio, in privatis ædibus fiunt, nihilque aliud sunt præter mutuam conjugii aliquandò ineundi pactionem. Illa *Ecclesiastica* sunt, hæc *Civilia* duntaxat. De Sponsalibus *Ecclesiasticis*

(a) *Greg. IX.* Gemma, *de Sponsalib.*

hic agitur, quæ nempè, juxta veterem hujus Ecclesiæ consuetudinem, Matrimonio præmitti debent.

Sponsalibus Ecclesiasticis longè antiquiora sunt Civilia. De his agitur in Jure Canonico & Civili, Græco & Romano. Et quidem ea cuivis conjugio præeant necesse est. Enimverò (ut nunc fieri solet, semperque ab omni retrò memoriâ fuit observatum) inter futuros conjuges, vel eorum parentes seu tutores, de connubiali Contractu priùs conventum fuisse oportet, quàm ipsius vinculo inter se jungantur, qui eo jungendos se intendunt. Sic in antiquissimis *Isaac* cum *Rebecca* (*b*), & *Jacob* cum *filiabus Laban* conjugiis (*c*), priùs de futuri Matrimonii conditionibus actum est, quàm illud reipsâ celebratum fuerit.

Sponsalia *Ecclesiastica* recepta sunt apud Græcos; locum etiam habent in pluribus Occidentis, præsertim verò Galliarum Ecclesiis (*d*); & jam saltem à duodecimo seculo Parisiis (*e*).

PORRO ut valeant Sponsalia, conscientiamque obstringant, plures sunt conditiones necessariæ.

Prima est, ut, qui illa contracturus est, Jure habilis sit; ad quod scilicet duo requiruntur: primò à quocumque Matrimonii Impedimento, tum *dirimente*, tum *prohibente*, immunitas, quâ nempè efficiatur ut validè licitèque contrahi possit Matrimonium eo tempore, quo contrahendum promittitur: alioquin versarentur Sponsalia circa rem impossibilem aut illicitam, ideòque Jure naturali essent prorsùs irrita, cùm utique impossibilis aut illicitæ rei sponsione obligare se nemo possit.

Hinc 1°. inter eos validè iniri nequeunt Sponsalia, qui perpetuo Juris sive naturalis, sive Ecclesiastici ligantur Impedimento, quod per Dispensationem relaxari non possit, vel non soleat; qualis est *Impotentia perpetua & absoluta*, *Consanguinitas in primo Gradu*.

Hinc 2°. etiam cum Impedimento contracta valent Sponsalia, quibus promittitur Matrimonium eo tempore celebrandum, quo cessaturum est Impedimentum, sive temporarium illud sit, quod videlicet temporis lapsu desinit, ut *impuberum ætas*, ut *Votum simplex castitatis ad tempus determinatum*, *ad sex v. g. mensium intervallum*; sive perpetuum sit Impedimentum, sed dispensabile, modò sponsalis promissio sub Dispensationis obtinendæ conditione facta fuerit.

Prætereà, ut Jure habilis censeatur qui Sponsalia contrahit, requiritur ut septimum ætatis annum expleverit, eò quòd rarò ante istam ætatem sufficiens adsit cognitio ac deliberatio. Hæc verò statim atque post elapsum septennium advenit,

(*b*) *Gen.* 24.

(*c*) *Gen.* 29.

(*d*) *Van-Esp.* Jus Eccl. univ. *part.* 2. *sect.* 1. *tit.* 12. *n.* 4. In Turonia verò, in Occitania (*en Languedoc*), in Italia, &c. Sponsalibus Ecclesiasticis nullus est locus.

(*e*) *Stat. D. Odonis* de Sully, *Paris. Episc. c. an.* 1198, *Syn.* 1. Capitul. circa Matrim. *in Synodico*, *pag.* 7.

Sponsalia, etiam ante pubertatem, Jure Canonico valida sunt, nisi quidquam aliundè obstet.

Cæterùm duo hìc sedulò animadvertenda sunt. 1°. Ætate minores, sive impuberes, sive puberes, sine parentûm, vel tutorum & curatorum consensu, ad ineunda Sponsalia non sunt admittendi (*f*); nec pueri septennes, si pupilli sint, nisi Parocho à tutoribus exhibeatur in forma legitima consensus agnatorum (1) & cognatorum (2), simulque affinium, vel, iis deficientibus, Regii Judicis Decretum.

(1) Parens du côté du pere.
(2) Parens du côté de la mere.

2°. Quamvis, expleto septennio, iniri validè possint Sponsalia, ratissimè tamen expedit ut tenerâ illâ ætate ineantur. Quinimò Parochi ordinariè non debent iis Sponsalibus assistere, quæ, nisi elapso diuturno tempore, non sint adimplenda; ex iis enim plurima gravissimaque nasci solent incommoda & morum corruptelæ.

Secunda conditio ad Sponsalium validitatem requisita, hæc est, ut Sponsalia sint deliberata, id est, cum rationis advertentiâ & libertate ad peccatum lethale sufficienti contracta. Talem utique libertatem exposcunt Sponsalia, ut potè quæ ad fidem exolvendam sub lethalis culpæ reatu obstringunt. Hinc Sponsalia validè contrahere nequeunt, 1°. Qui rationis usu carent, ut phrenetici, amentes, ebrii, quamdiù in eo statu versantur; ac generatim ii omnes qui Sponsalium naturam, vim & obligationem percipere non possunt: 2°. Qui contrahunt ex metu vel errore quibus irritum efficitur Matrimonium (*g*). Quâ de re dictum est ubi de Matrimonii Impedimentis.

Tertia conditio est, ut Sponsalia mutua sint, reciproca, & ex utraque parte accepta (*h*). Imò sponsalis Contractus, cùm *synallagmaticus* sit, seu utrimque obligationem pariens, non modò utriusque Sponsi acceptionem, sed & mutuam ineundi conjugii promissionem postulat: undè Sponsalia in Jure dicuntur *repromissio*, id est, mutua & reciproca promissio.

Quarta conditio est, ut Sponsalia verbis, aliisve signis futurum conjugium apertè ac distinctè significantibus declarentur: alioqui promissio sponsalis mutuò data & accepta esse non posset (*i*). Illa autem declaratio, quantùm ad Sponsalium validitatem pertinet, etiam inter absentes potest exhiberi, idque per nuntium vel procuratorem designatum, aut per litteras, quibus facta intelligatur Matrimonii promissio.

Quinta demùm conditio est, ut Sponsalia certas inter ac determinatas personas contrahantur. Nam, sicut ipsum Matrimonium, ita & Sponsalia, quæ sunt Matrimonii inchoatio, certas determinatasque personas exposcunt. Hinc Sponsalia validè non contraheret is, qui ex tribus sororibus, etiam acceptanti-

(*f*) *Cap.* Litteras, & *Cap.* Accessit. *extrà*, de respons. impub. *Stat. Syn. D. Odonis* de Sully, *sup.*

(*g*) *Cap.* Gemma.
(*h*) *Ibid.*
(*i*) *Ibid.*

bus,

bus, unam indefinitè se ducturum esse uxorem promitteret.

Cæterùm modò recensitis Sponsalium conditionibus lucem haud modicam afferre poterunt ea quæ de Matrimonii Impedimentis jam suprà exposuimus.

FUTURI Matrimonii promissio sub conditione honesta & possibili, simplex fit & absoluta, conscientiamque obligat, impletâ conditione, cujus videlicèt expectandus est eventus: contrà verò, deficiente conditionis executione, Jure ipso resolvitur ejusmodi promissio. Quin etiam obligat futuri Matrimonii promissio vel sub conditione inhonesta & turpi (modò tamen connubialis contractûs substantiæ, v.g. fidei conjugali aut sobolis procreationi non adversetur); quia tunc non apposita censetur.

Ex illa autem promissione triplex oritur effectus: primus naturalis, scilicet obligatio (si nihil aliundè obstet) Matrimonii suo tempore contrahendi; alter Canonicus, quod est *publicæ Honestatis* Impedimentum dirimens; tertius pariter Canonicus, quod est *Sponsalium* Impedimentum prohibens.

Quod ad primum effectum pertinet, Matrimonii contrahendi obligatio, cùm sit in materia gravi, non sine gravi delicto violari potest, nisi mutuo consensu rescindatur, vel nisi causa interveniat legitima (*k*). Sponsalia nempè varias ob causas justè dissolvi posse, ita ut ad nuptias contrahendas non obstringant, res est Jure Canonico certissima.

ITAQUE I°. Huic datur dissolutioni locus, si supervenerit inter Sponsos Impedimentum dirimens (*l*). Ratio est, quia cum tali Impedimento, nec licitè, nec validè contrahi potest Matrimonium.

II°. Si priùs extiterit, sed ignota, vel improvisa supervenerit in alterutra Parte notabilis rerum mutatio, quæ si ab initio nota fuisset aut prævisa, prudentem ejusdem conditionis hominem à Sponsalibus ineundis deterruisset. Ratio nempè est, quia sponsalis promissio sub hac tacitâ conditione facta intelligitur, *Si res in eodem statu permaneant*, adeòque nec ab initio extiterit, nec deindè superveniat causa, quæ si nota fuisset aut prævisa, à Sponsalibus ineundis deterruisset. Nec verò est quòd dicatur indè secuturum esse omnia Sponsalia fore conditionata, nullumque omninò Impedimentum unquam paritura. Conditio enim de qua hic agitur, Contractûs validitatem & obligationem non suspendit; sed ex ea solummodò jus præbetur illius, eveniente sufficienti causâ, rescindendi. Minimè igitur efficit præfata conditio ut Sponsalium vis in incerto relinquatur, sed ut Sponsalia rescindi possint; adeòque nec *Honestatis*

(*k*) *Conc. Elib.* can. 54. *Innoc. III*, l. 4. tit. 1. c. 2. *Cap.* Prætereà, *de Sponsalib. S. Thom.* in. 4. dist. 27. q. 2. a. 1. & in suppl. q. 43. a. 1. ad 2.

(*l*) *Inn. III*, *cap.* Fraternitati. *Cap.* Ex Litteris. *Cap.* Super eo, *de consanguinit. & aff. S. Thom. sup.* a. 3.

publica nec *Sponsalium* Impedimentum tollit.

Notabilis porrò mutatio quæ justam præbeat Sponsalia dissolvendi causam, habere locum potest in animi, corporis, fortunæ famæque bonis (*m*).

Ac primò quidem *in animi bonis:* v. g. propter hæresim, apostasiam, scortatum, ebriositatem, immoderatam aleam, morum sævitiam aut asperitatem, graves inimicitias inter Sponsum utrumque vel eorum parentes post Sponsalia subortas, & quæ vix ac ne vix quidem sedari possint: aut aliud ejusmodi, undè infelix conjugii exitus jure ac meritò timeatur. Pariter, si deprehendatur aut rumore publico disseminatum accipiatur, vel Sponsum cum prostibulis vitam ducere, vel Sponsam, quæ virgo putabatur, bonisque & honestis moribus prædita, pravis atque inhonestis contaminatam esse, aut fuisse corruptam.

2°. *In bonis corporis:* scilicet ob gravem morbum, sive insanabilem, sive etiam sanabilem, sed vel contagiosum, ut lepram, luem veneream; vel saltem diuturnum, ut epilepsim, paralysim, hydropisim, graveolentiam quæ arte medicâ depelli nequeat: similiter obcæcitatem, surditatem notabilem; nasi, aut alterius membri jacturam, conspicuamve (in sponsa præsertim) corporis aut vultûs deformitatem.

3°. *In fortunæ bonis;* propter inopiam videlicet, magnumve possessionum detrimentum, promissæ dotis defectum, exhæredationem, aut gravem illius metum.

4°. Denique, *in bonis famæ;* scilicet propter *Juris* aut *facti* infamiam ex facinore perpetrato exortam: si v. g. flagirium, & sibi, & familiæ probrosum admiserit Sponsus alteruter, sive post inita, sive etiam ante inita Sponsalia, cùm nempè hactenùs ignotum scelus, post obligatam fidem in vulgi cognitionem erupit.

Cæterùm, in plerisque istiusmodi Casibus, Sponsalia non dirimuntur ex parte Sponsi qui notabilem aliquam passus est mutationem, sed tantùm ex parte alterius: undè, si alterum absimilem suî factum alter in conjugem velit accipere, standum erit promissis.

Ex dictis facilè intelligitur, eum qui occulto vitio laborat, quo Matrimonium, si contrahatur, alteri invisum aut valdè molestum fore noverit, teneri ad illud ei aperiendum; vel, si nolit, debere omninò à Sponsalibus ineundis, vel si inita jam fuerint, à celebrandis nuptiis abstinere. Idque imprimìs eidem præcipit æquitas, si quid gravis detrimenti vel dedecoris nasciturum indè esse non ignoret: si v. g. Sponsorum alter eo morbo laboret, quo sit alter inficiendus; aut si Sponsa fuerit ab alio corrupta, jamque utero gravis, undè futurum sit ut maritus alienam progeniem alere cogatur; aut sicubi illa diffamata sit, quod cùm fuerit in loco ineundi Matrimonii vulgatum, honestæ

(*m*) *Leo & Anthem.* Cod. l. 5. tit. 1. le. 5. *Cap.* Quemadmodùm, *de jurejurando. Cap.* Litteras, *de conjugio leprof.* *Cap.* De illis, *de conditionibus. Conc. Elib. sup. Cod. Theod.* l. 3. tit. 16. le. 1. *S. Thom. sup.*

Sponsi familiæ sit nota turpitudinis inurenda. In his igitur aliisque id genus Casibus, contra justitiam peccaret, qui, occulto vitio affectus, à celebrandis nuptiis non abstineret. Imò, quamvis neque detrimentum, neque opprobrium indè oriturum esse noverit, tamen à conjugio vel etiam à Sponsalibus abstinere tenetur, si prævideat vitium (etsi pro tempore occultum) posteà tamen detegendum esse, ægerrimè ab altero ferendum, atque idcircò dissidia, jurgia, graves inimicitias, magnaque hujus generis incommoda indè secutura. Hæc nempè sunt quæ Parochus vel conscientiæ moderator, sui officii ratione, majorem in modum suadere debet hujusmodi personis.

III°. Sponsalium dissolutioni locus datur, si subindè Sponsus alteruter Matrimonium cum alia persona validè contraxerit (*n*). Cùm enim Matrimonium, etiam illicitè contractum, indissolubile sit, priùs editæ promissionis, impossibilem efficit executionem. Sed Pars quæ, sic inito conjugio, fidem obligatam violavit, non eâ tamen omninò exolvitur: si quandò fiat libera, nuptias cum persona cui primùm desponsata fuerat, de promisso appellata, contrahere tenebitur.

Eadem olim vis erat secundorum Sponsalium, subsecuto carnis opere. Scilicet, juxta veteris Juris Canonici dispositionem, Sponsalia in verum conjugium per secutam fornicationem transire censebantur (*o*); quæ quidem *Matrimonia rata & præsumpta* dicebantur. Id verò nostrâ ætate jam prorsùs obsoletum est, iis saltem in locis ubi promulgatum receptumque fuit Concilii Tridentini de clandestinis Matrimoniis Decretum; eò quòd videlicet irritæ nulliusque roboris aut momenti sint conjunctiones omnes clandestinæ, quales meritò habentur quæ sine Pastoris ministerio Testiumque præsentiâ fiunt.

IV°. Dissolvuntur Sponsalia, si Sponsus alteruter solemnia Religionis Vota emiserit (*p*). Et verò per professionem Religiosam dissolvitur ipsum Matrimonium ratum, sed non consummatum, cujus certè major est quàm Sponsalium obligatio. Ipsamet habitûs Regularis susceptio in Religione approbata, efficit ut Pars in seculo remanens liberrimè possit cui velit se Matrimonii nexu obligare; neque expectare tenetur donec alter Sponsus Religiosum tirocinium absolverit, Votaque solemniter nuncupârit. Quòd si verò Sponsalia per ipsum habitûs Regularis susceptionem rescinduntur ex parte illius qui in seculo remanet, non continuò ex parte illius qui Religionem ingressus est; hic enim, si non profiteatur, debet fidem obligatam petenti alteri servare.

Hìc autem observandum est, quòd ei qui Sponsalia contraxit, Religionem ingredi non licet in

(*n*) *S. Thom. sup.* a. 1.

(*o*) *Greg. IX*, Decr. l. 4. tit. 1. c. 30. *Alex. III*, tit. 2. c. 8. *Inn. III*, tit. 5. c. 6. *Cap.* Veniens, *de Sponsalib.*

(*p*) *Cap.* de Voto, *in 6. cap. unic. Cap.* Commissum.

fraudem, & cum gravi alterius Patris detrimento, quod nequeat nisi per conjugium resarciri, si v. g. Sponsa fuerit à Sponso corrupta cum ignominia & dedecore; tunc enim eam ducere uxorem tenebitur, ideòque Religionem ingredi non poterit.

V°. Rescinduntur Sponsalia, si Sponsus Ordinem sacrum susceperit (*q*). Parit enim Ordo sacer Matrimonii Impedimentum dirimens, illudque idcircò impossibile efficit; non autem obligat promissio, cujus executio impossibilis evadit.

Ordinibus verò Minoribus invitâ aut nesciâ Sponsâ susceptis dissolvuntur Sponsalia ex parte Sponsæ; tunc enim in Sponso supervenit mutatio notabilis, quæ, ex dictis, justam præbet resiliendi causam. Non tamen dissolvuntur ex parte Sponsi qui illos suscepit Ordines; tum quia id nullo Juris Decreto sancitum est; tum quia, Jure communi, stare possunt Ordines Minores cum ipso Matrimonio, & multò magis cum Sponsalibus.

Hìc quoque observandum est, eum qui Sponsalia in facie Ecclesiæ contraxit, prout in hac Diœcesi contrahenda præscribuntur, licitè non posse, sine libero Sponsæ consensu, Clericale institutum amplecti, si præsertim hæc indè sit grave detrimentum passura, quod solo Matrimonio resarciri possit, ut fit maximè, cùm, arreptâ Sponsalium occasione, Sponsam corrupit, quæ propterea infamis facta fuerit.

VI°. Dissolvuntur Sponsalia, si una Pars, cùm peregrè, altera insalutatâ, discesserit, post diuturnam absentiam nihil huic scripserit, vel nuntiari curaverit (*r*). Si Sponsus, non priùs habitâ Sponsæ approbatione, domicilium in aliam civitatem transtulerit, multò magis si commigraverit in regionem longinquam; fidem alteri obligare potest mulier, nisi speret illum brevi esse rediturum: tunc enim, vel expectandus est, vel ei præfigendum tempus, intrà quod nisi redeat, Sponsæ liberum sit, ut sibi, vel per seipsam, vel (quod semper tutius est) per Judicem Ecclesiasticum provideat.

VII°. Dirimuntur Sponsalia, si promissionis executio ultra tempus ad Matrimonii celebrationem ex mutuo consensu præstitutum dilata fuerit. Quòd si una Pars, Sponsus præsertim, moram trahat longiorem; non erit à peccato immunis.

Sponsalia autem dissolvuntur ex parte illius per quem non stetit quominùs adimplerentur, quippè cui justam resiliendi causam præbuit is qui peregrè discessit, vel qui datam fidem exolvere ultra modum cunctatur. Qui enim hoc modo se gerit, juxta prudentûm hominum judicium censetur Partem derelictam aspernari, & jure quod in illam habuit, cedere, ideòque resilire. At verò nequaquam dissolvuntur Sponsalia ex parte illius qui moram traxit longiorem, vel qui in aliam regionem, invitâ aut nesciâ Parte alterâ, migravit. Culpa enim quam istâ agendi ratione commisit, justam ei causam præbere

(*q*) *Ibid.* (*r*) *Alex. III*, *Cap.* De illis, *extrà*, De sponsalib. & Matrim.

non potest sese à sponsali, quo obstrictus est, Contractu liberandi.

Cùm autem Sponsorum alter plus æquo cunctatur, certum huic definitumque tempus constituendum est, ultra quod Sponsalia nullo jam obstringant vinculo.

VIIJ°. Rescinduntur Sponsalia, si Sponsus publico rumore (vero, an calumnioso, nihil interest) Sponsæ pudicitiam à se violatam jactabundus vulgaverit (s).

IX°. Datur eidem rescissioni locus, si Sponsorum alteruter (ambo siquidem hac in re paris sunt conditionis) sese fornicatione contaminaverit (t). Neque enim fides est fidem frangenti servanda; ideòque Sponsalia in gratiam Sponsi innocentis dissolvuntur: qui si nihilominùs Matrimonium velit contrahere, alter Matrimonio acquiescere tenebitur. Quod autem de fornicatione diximus, id etiam communiter sentiunt Theologi de liberiore, quam Sponsa ab alio in se admisisset, attrectatione; quia nempè fides ejus in posterum indè suspecta redderetur.

X°. Dissolvuntur Sponsalia, si Sponsi ab iis resiliant consensu mutuo & libero, id est, neque per metum extorto, neque per dolum surrepto (u). Contractus enim dissolubilis (qualis est is de quo hic agimus) per easdem causas dissolvitur, per quas nascitur, prout est Juris regulâ constitutum. Qui tamen Sponsalia impuberes contraxerunt, ambo puberes sint necesse est cùm dissentiunt, nec priùs possunt à Sponsalibus resilire, ne scilicet imprudens fiat mutatio. Cùm autem advenit pubertas, à Sponsalibus ante illam ætatem contractis potest alter, etiam altero dissentiente, abire (x).

Ex dictis facilè intelligitur, quotiès Sponsorum alteruter, sive licitè, sive illicitè, resilit à Sponsalibus, posse similiter alterum licitè resilire: ratio nempè est quòd jam mutuus adest consensus.

Cùm autem Sponsorum alter fidem suam liberare intendit, alter eam retinere velle perseverat, adeundus est qui contentiosam Diœcesani Antistitis Jurisdictionem exercet, Officialis nempè, ad quem solum pertinet de Sponsalium vinculo juridicè pronuntiare. Si quis porrò sine justis causis, resilire à Sponsalibus & Matrimonium contrahere nolit, dubium nullum est quin graviter peccet, damnaque omnia resarcire teneatur; quæ ad contrahendum parato Sponso, injustè mutatâ voluntate, intulerit; quâ de re commonendus est, non tamen ad conjugium impellendus, ob gravissima quæ ex connubiis non satis liberè initis oriuntur incommoda: quod quidem cum Juris Canonici dispositione consentit (y). Undè certa hæc atque unanimis nostrâ ætate fori Ecclesiastici Jurisprudentia obtinuit,

(s) Arrêt du Parl. de Par. *du* 10 *Août* 1604. Bibl. de Bochel, *au mot* Jactance.

(t) *Cap.* Quemadmodùm, *de jurejur.*

(u) *Cap.* Præterea, *de Sponsalib.*

(x) *Alex. III*, *Decret. l.* 4. *tit.* 2. de desponf. impub. *c.* 7.

(y) *Cap.* Requisivit, *de Sponsalib.*

ur, si quis, post obligatam ineundi Matrimonii fidem, dicat, se, jam mutato proposito, nolle contrahere, nulla licèt mutatæ voluntatis prolatâ ratione, futuri conjugii promissiones resolvantur, impositâ ei qui injustè renuit, mulctâ pecuniariâ in pauperes erogandâ, dimissis intereà Partibus ad Regium Judicem, de resarciendis damnis illatis pronuntiaturum. Neuter verò Sponsus ad Matrimonium cum alio quovis celebrandum à Pastore admittetur, nisi priùs Sententiam exhibuerit, quâ palàm fiat id sibi per Judicem Ecclesiasticum licere.

Sponsalia, cùm sint Cæremonia sancta & præparatio ad Matrimonii Sacramentum, in loco sancto celebrari debent: qui locus est Ecclesia in qua celebrandum erit Matrimonium, scilicet Partium Ecclesia Parochialis. Itaque Sponsalia (nisi graves ob causas aliter fieri scripto concesserimus) ne unquam alibi celebrentur; neque in Sacello publico, neque in Oratorio domestico, etiam benedicto; multò minùs in loco profano (z).

Nefas est cuiquam Sacerdoti, præter utriusque Partis proprium Pastorem, futuri Matrimonii sponsionem ullam, sine hujus consensu, vel nostrâ licentiâ, suscipere aut benedicere. Quod autem in more positum est, ut, cùm è diversis Parochiis sunt Contrahentes, Sponsalia, præsente mulieris Parocho, celebrentur, id omninò servandum censemus: cui enim celebrandum occurrit Matrimonium, ei pariter celebranda occurrunt Sponsalia.

In benedicendis vagorum & adventitiorum quorumcumque hominum Sponsalibus eamdem Pastoralis prudentia cautionem adhibeat, quam in illos circa ipsius Matrimonii benedictionem exeri oportere jam præmonuimus (a); adhibitâque diligenti inquisitione, tota res ad Diœcesanum Antistitem referatur, à quo Sponsalium hujusmodi benedicendorum licentia obtineatur.

Nullum anni tempus est quo non liceat Sponsalia celebrare: non excipiuntur dies Dominici aut Festi, Tempus Quadragesimæ aut Adventûs, jejunii dies, vel abstinentiæ.

Ut pridiè celebrandi Matrimonii, ad vesperam, Sponsalia in facie Ecclesiæ fiant, sapientissimus in hac Diœcesi usus obtinuit; quem Nos pro lege habendum esse decernimus.

Ipso Sponsalium die, Sponsos, cujuscumque gradûs vel dignitatis sint, Matrimonio non conjungat Parochus, nisi priùs à Nobis impetrata dispensatio fuerit (b). Nec cuiquam sine maxima necessitate Dispensationem concedemus, ut om-

(z) *Stat. Syn. D. Steph.* Poncher, *Paris. Episc. ante an.* 1519, de Matrim. *in Synodico. Rit. Paris. auctorit. D. Joan. Franc.* de Gondy, *primi Paris. Archiep. editum an.* 1654, *pag.* 309. *Rit. D. Lud. Ant.* de Noailles, *Paris. Archiep. denuò ed. an.* 1777, *pag.* 351.

(a) Suprà, *Div. III, Cap.* 4.

(b) *Rit. Paris. anni* 1654. *Rit. an.* 1777, *ubi sup.*

ninò sine Sponsalibus Ecclesiasticis Benedictionem nuptialem suscipere liceat.

JAM verò, qui Pastorem non convenerint ante *Bannorum* proclamationem, eum ante Sponsalium celebrationem convenire non omittant, ut ex iis inquirenda inquirantur, & quæ docendi fuerint, doceantur (*c*); undè fiat præsertim ut non rudes & Religionis inscii Matrimonio jungantur, & si quod subsit Impedimentum Canonicum, Parocho privatim detegatur, ac de opportuno remedio, si fieri possit, ante Sponsalia provideatur.

PAROCHI & Vicarii ad *Minorum* Sponsalia benedicenda non procedent, nisi coram ipsorum parentibus vel tutoribus & curatoribus: qui si absint, aut venire nequeant, de eorum assensu indubitanter constet per testimonium legitimâ formâ instructum. Quin etiam priùs diligentissimâ inquisitione compertam habeant Partium libertatem, atque omnimodam à quovis Impedimento immunitatem. Si Pastor non temerè suspicetur aliquod subesse Impedimentum, suam suspicionem ante Sponsalia iis tantùm aperiat, quorum intererit, desponsandis videlicet, eorumve parentibus, propinquis vel tutoribus; & quidem secretò, ut vitetur omne scandalum.

Neque inter postremas sui muneris partes illud esse existimet, ut efficiat (prout Concilio Parisiensi præcipitur) ne quid minùs honestum, vel scurrile aut ludicrum, quod proindè loci & Cæremoniæ sanctitatem dedeceat, ab astantibus committatur (*d*). Hoc autem faciliùs assequetur, si, cum duobus Contrahentibus ac Testibus necessariis, paucos admittat. Testes saltem duo intersint; sive parentes, propinqui vel tutores, sive alii extra familiam assumpti. Curet etiam Parochus ita distinctè ac dilucidè à Spondentibus verba proferri, ut de iis aut eorum sensu nulla deindè quæstio vel difficultas oriatur: quod multò magis in ipsa Matrimonii celebratione curandum est. Ipse autem Pastor Sponsalium Ordinem in Parte Rituali præscriptum diligenter observet; nec verbis aut Cæremoniis quidquam adjiciat.

Denique brevi simul & gravi cohortatione Sponsos edocebit illius Sacramenti, cujus suscipiendi fide se obstringunt, sanctitatem, finem & officia; quid in se oneris è præsenti Sponsione incumbat; quomodò ad Sacramentum piè fructuosèque suscipiendum præparare se debeant. Quæ quidem proxima præparatio in eo maximè posita est, ut pristinæ vitæ maculas sacramentali Confessione eluant, utque ad sacrosanctam Eucharistiam, si conscientiæ moderatori visum fuerit, accedant; ut demùm orationibus, eleemosynis, jejuniis, copiosissimam Sacramenti gratiam promereri studeant (*e*). Ex his omni-

(*c*) *Vide sup. Div. V, Cap. I.*

(*d*) *Conc. Parif. an.* 1528. decr. morum. 39.

(*e*) Ibid. *Vide Stat. Syn. D. Steph. Poncher. Rit. an.* 1777. *S. Car. Borr.* Act. Eccl. Mediol.

bus quæ suadet Religio, illud præcipuè tanquàm necessarium observari oportet, ut Matrimonio jungendi sacrum Pœnitentiæ Tribunal adeant, nec priùs ad Benedictionem Nuptialem admittantur: quod quidem, si opus fuerit, præmonendi sunt. Quin etiam Parochus, prout suggesserit prudentia, Sponsos admoneat ut castè & circumspectè inter se agant; neque intereà, donec sint Matrimonio conjuncti, eadem in domo cohabitent; ac meminerint nihil sibi mutuò licere, præter id quod anteà licebat (*f*). Sponsa præsertim, si sit locus, moneatur quàm verecundè habere se cum Sponso debeat: cujus videlicet blanditiis illecta si vinceretur, periculum incurreret non solùm difficillimæ vel properatæ Absolutionis, ac forsan Matrimonii profanandi, sed etiam experientiæ illius miserrimæ, quâ nempè amasium, fragilem Sponsam expertum, posteà sentiret uxorem habere despectam & invisam: quo pacto Amnon sororem Thamar *exosam* habuit *odio magno nimis*, cùm tamen ipsam usque ad furorem & ægrotationem deperiisset, invitamque oppressisset (*g*).

Sponsos denique hortetur Parochus, ut, residuo inter Sponsalia & Matrimonium intervallo, adhibitis temporalium curis honestis, sed resectâ vanitatis aut nimiarum epularum sollicitudine, divinam in suam conjugium benedictionem enixè invocent, piorumque precibus & Sacerdotum Sacrificiis rem ejusmodi commendent, ex qua pendet vitæ præsentis felicitas, & futuræ beatitudo: postremò, ut, nuptiarum die, jejuni (quantùm fieri poterit), cum multa reverentia, & eâ quæ Christianam Religionem decet, modestiâ, in Ecclesiam conveniant, Matrimoniique Sacramentum suscipiant (*h*).

Si quandò eveniat ut Sponsalia non sequatur Matrimonii celebratio, ea in Parochiales Actorum Codices referentur.

(*f*) *Stat. Syn. D. Jac.* du Chastellier, *Parif. Episc. an.* 1428, *in Synodico*, *pag.* 39.

(*g*) 2 *Reg* 13. 2. 14. 15.

(*h*) *Conc. Parif. & S. Car. sup.*



CAPUT

CAPUT II.

De tempore & loco celebrandi Matrimonii.

Nullum Matrimonium, sine licentia, diebus Dominicis aut Festis celebretur. Si detur exceptioni locus, quid sit observandum. Jejunii aut abstinentiæ diebus nuptiæ minùs congruentes. Celebrandi Matrimonii hora & locus. Admonitum.

Quibus anni tempestatibus Matrimonia celebrare non liceat, superiùs dictum est, ubi de Impedimentis Matrimonium prohibentibus (*a*).

Per intervalla autem Nuptiis concessa, *non Dominicis diebus, pro reverentia tantæ solemnitatis, Nuptias celebrari*, Ecclesiæ *visum est* (*b*). Itaque diebus Dominicis aut Festis à populo feriatis nullum in hac Diœcesi Matrimonium celebrabitur, nisi de nostra licentia; ne, diebus solemnitatis & sanctæ quietis, Fideles à studio fervidæ orationis curâ multiplici retrahantur, vel à Missa Parochiali Officiorumque divinorum frequentatione avertantur; neve etiam contingat, multos (ut fieri solet in famulis, aliisque convivium instruentibus, totamque Nuptiarum pompam adornantibus) Missæ auditione omninò privari; ac denique, ne dierum illorum sanctitas frequentioribus in domestica Nuptiarum celebratione corruptelis violetur.

Quòd si verò Matrimonium aliquod die Domini aut cujuscumque Festivitatis celebrari ob graves causas æquum censuerimus; videant Pastores ne quid indè perturbationis Officio divino proveniat: & quò certiùs id assequantur, fiat Matrimonii Benedictio ante Fidelis populi conventum. Conjuges autem, hortante Parocho, non committant, ut sanctitatem illius diei, quæ *solemnitas Domini est* (*c*), vel dies colendo in Sanctis suis Domino specialiter consecrata, ullâ comessatione vel indecorâ lætitiâ contaminent. Eam potiùs cum omni pietate & reverentia exigant, nisi velint conjugio suo non benedictionem conciliari, sed maledictionem infligi.

Illud quoque observetur, ut, quandò, justis de causis, Matrimonium die Dominico aut Festo celebrari concesserimus, nunquam celebretur neque ipso die ultimæ *Bannorum* proclamationis, nec postridiè, quacumque horâ; sed dies saltem unus solidus interponatur,

(*a*) *Div. III, cap.* 2.

(*b*) *Conc. Aquisgr. II, an.* 836. *c.* 3. can. 18.

(*c*) *Judic.* 21. 19.

nisi aliud expressâ clausulâ per Nos liceat.

Nec jejunii aut abstinentiæ diebus, quantùm fieri poterit, Matrimonia celebrentur: quos utique dies non decet festiva hilaritas, at mœror salubris, caro afflicta, spiritus humiliatus.

NUNQUAM autem, nisi speciali à Nobis factâ potestate, ulli conjugio benedicetur post meridiem, nec vesperè, nec statim post mediam noctem (*d*), sed tantùm horis matutinis; nec ante horam quartam æstate, quintam verò hieme: quod quidem ne ab ullo Sacerdote committatur, sub pœna Suspensionis interdicit hujus Diœcesis Disciplina (*e*). Nunquam pariter celebretur Matrimonium seorsim à Missæ Sacrificio; quod nempè, juxta Ecclesiæ mentem, pro novis conjugibus offertur, adhibitis eorum causâ variis Precibus & Benedictionibus. Quinimò inter Matrimonii & Sacrificii celebrationem nullum temporis intervallum relinquatur.

PORRO « Canonica Jura non sine » magnis rationibus jubent Matri- » moniorum Contractus in Eccle- » sia publicè celebrari: scilicet prop- » ter Sacramenti dignitatem, reve- » rentiam & honorem, in quo con- » fertur gratia, sicut & in cæteris » Sacramentis (*f*). »

Itaque celebrandi Matrimonii locus est Ecclesia Parochialis, vel Succursalis; non ædes privatæ, non alius quilibet locus profanus; neque etiam alia quævis Ecclesia, Sacellum, sive Oratorium, nisi peculiarem scripto fecerimus exceptionem (*g*).

CÆTERUM, admonentibus Parochis, intelligant Fideles Dispensationem circa tempus, diem, horam, & locum celebrandi Matrimonii, non esse nisi gravibus de causis postulandam; alioquin irritam fore postulationem.

(*d*) *Conc. Paris. an.* 1528, decreto morum 39.

(*e*) *Stat. Syn. Eust.* du Bellay, *Paris. Episc. an.* 1557. *n.* 32. de Matrim. *Et D. Henr.* de Gondy, *n.* 26. *Rit. Paris. D. Joan. Franc.* de Gondy, *primi Paris. Archiep. an.* 1654. *Et Rit. an.* 1777, *pag.* 358.

(*f*) *Conc. Paris. an.* 1429, *Sedem Paris. obtinente D. Jac.* du Chastellier, *c.* 32.

(*g*) *Stat. Syn. D. Eust.* du Bellay, *sup.*



CAPUT III.

DE Cæremoniis Matrimonii celebratione usitatis.

MATRIMONIUM, in quacumque Religione, non sine solemnitate contractum. Matrimonii Caremonia apud veteres Christianos. Caremonia nunc usitata. Quanta pietas in conjugibus per totam Matrimonii Caremoniam requiratur. Nuptiale convivium, quale esse debeat. Nuptiales epula Clericis fugienda. Tridui continentia novis conjugibus suadetur.

AB omni retrò hominum memoriâ, tam grave tamque ad publicum ordinem pertinens quiddam habitum fuit Matrimonium, ut illud, quacumque in Religione, publicè atque adhibitâ aliquâ solemnitate contractum semper fuerit atque celebratum. Apud Judæos, celeberrimum est Tobiæ junioris exemplum; cujus dextræ dextram Saræ filiæ tradens Raguel, utrique conjugi à Deo Abraham, Isaac & Jacob faustissima quæque apprecatus est (*a*). Sua etiam Romanis Ethnicis erant *nuptiarum Solemnia* (1) & *Sacra jugalia* (2): nefas utique duxissent nuptias sine auspiciis vel sacrificiis (3), votis nuptialibus, deorumque, quos Matrimonio præesse fingebant, invocatione celebrare (*b*). Porrò in Judæorum atque Infidelium connubiis sola suppetebat civilis Contractûs ratio, & sanctitas vinculi ad legitimam generis humani propagationem ordinati. Apud Christianos verò, *Matrimonium aliquid sacrum & divinum* (*c*), imò *verè Sacramentum* est (*d*): undè illud cum Cæremoniis Sacramento dignis consentaneoque apparatu celebratur.

Postquàm videlicet conjugium à CHRISTO JESU ad Sacramenti dignitatem evectum est, necesse fuit, nec sine Spiritûs sancti Ecclesiam gubernantis afflatu constitutum, ut illud ritè conciliatum Templo Dei sisteretur, &, conspirantibus Fidelium votis, impositâ sacris Altaribus Hostiâ salutari, publicâ Rituum & Precum solemnitate administraretur; quò nempè illustriùs innotesceret ejusdem sanctitas, & officia quæ à Contrahentibus, ipso teste supremo Numine & consciâ Religionis majestate, susciperentur.

(1) Tacitus, *Ann. l.* 11.

(2) Ovidius.

(3) Servius.

(*a*) *Tob.* 7. 15.

(*b*) *Arnob.* contra Gentes, *l.* 4. *S. Aug.* de civ. Dei, *l.* 5. *c.* 1.

(*c*) *S. Clem. Al.* Strom. *l.* 3.

(*d*) *S. Chrys.* Hom. 20. in Eph. 5. *Vide S. Aug.* de fide & operib. *c.* 7. & *S. Leon.* Ep. 92. ad Rust. *c.* 4.

Primorum feculorum Fideles, consulto priùs Episcopo, tanquàm de re gravissima, ut Dei voluntate, non concupiscentiæ impulsu Matrimonia conciliarentur (*e*), postquàm de omnibus convenerat inter Sponsos, ratum & firmum esse illud conjugium censebant, quod publicè & solemniter in Ecclesia celebratum Pastoris benedictio consecrasset, ac tremendi Sacrificii confirmasset oblatio. Quod quidem facilè probant luculenta sancti Ignatii Apostolorum coævi & discipuli (*f*), Tertulliani (*g*), sancti Ambrosii (*h*), Carthaginensis Concilii IV (*i*) testimonia & præcepta: idemque posteà fuisse observatum, longâ serie ostendunt Juris tum Canonici tum Civilis monumenta (*k*); semper videlicet apud Græcos irritis, semper autem apud Latinos (ante Concilium Tridentinum) saltem illicitis exosisque Matrimoniis non in facie Ecclesiæ contractis (*l*).

Primævæ igitur antiquitatis Fideles, frequenti populo, ac benedicente Sacerdote, Matrimonium ineuntes, dextras jungebant (*m*); & vir tradebat uxori Annulum, Cruce, aut alicujus virtutis figurâ symbolicâ, ceu columbâ, pisce, anchorâ insignitum (*n*): hæc scilicet erant Christianorum sigilla, pro quibus apud antiquos fuêre annuli. Retenta etiamnunc ejusmodi Rituum summa in usu est.

Factis, de more, nulloque reclamante, futuri Matrimonii denuntiationibus, peractis cum pietate Sponsalibus, die & horâ, de Pastoris consensu, ad Matrimonii celebrationem præfixâ, Sponsi ad Ecclesiam procedunt in parentûm vel tutorum & propinquorum comitatu, ut demonstretur eorum assensus, pax & concordia quæ debet in familiis vigere. Sponsos quidem, in signum lætitiæ, decet cultior vestitus; sed ipsos dedeceret luxus immodesti seculi, & ille vanitatis apparatus qui sanctitatem Religionis offenderet. Quæ nuptura est, emineat parata

(*e*) *S. Ign.* Ep. 8. ad Polyc.
(*f*) Ibidem.
(*g*) Ad ux. *l.* 2. *c.* 9. *&* de pudic. *l.* 2. *cap.* 4. (*h*) Ep. 19. *nova edit.*
(*i*) *An.* 398. can. 13.
(*k*) *S. Greg.* Sacrament. *S. Isid. Hispal.* de Eccl. Off. l. 2. c. 59. *Justiniani Nov.* 74. *Caroli-Magni* Capitul. *l.* 7. *cap.* 41. *Leon. Philos.* Nov. 89. *Alex. Comn.* Nov. *apud Bonef. l.* 1. Juris Orient. *Nicol. I*, Resp. ad cons. Bulg. *c.* 3. *Burch. Worm. & Yvon. Carnot.* Canonum collectiones. *Michaël. Cerul.* Ep. 3. *&c.*
(*l*) Statuta Diœc. Paris. aliarumque multarum, *sec. XIII*, *XIV*, *XV & XVI. Conc. Salmur.* an. 1253. *Conc. & Synod. Andeg.* an. 1304. & 1448. *Conc. Lingon.* an. 1404. *Nannet.* an. 1431, *&c.* His Conciliis & Statutis prohibentur (& quidem, ut plurimùm, sub pœna Excommunicationis) Matrimonia non in facie Ecclesiæ contracta. Quod pertinet ad duodecim prima secula, quo quidem spatio non solùm illicita, sed etiam irrita fuisse videntur ejusmodi connubia, vide citationes quinque *litterarum* præcedentium. Scilicet hujus præsertim Traditionis fundamento nititur eorum Theologorum sententia, qui Sacerdotem, non verò utrumque Contrahentem, Matrimonii Ministrum esse existimant. Consuli etiam potest *Baluziana* collectio veterum Conc. Prov. Lugd. & Narb. *De Matrimonii Ministro vide suprà*, *Div. I*, *cap.* 3.
(*m*) *S. Greg. Naz.* Ep. 57. ad Proc. 44.
(*n*) *S. Clem. Al.* Pædag. *l.* 3. *c.* 1.

sicut Sponsa Christiana, ornata *cum verecundia & sobrietate*, sicut se ornabant sanctæ mulieres (*o*). Conjux uterque *Vestem* illam *nuptialem*, qui est candor animæ, innocentia & pudor, gratia demùm sanctificans, sine qua Matrimonium dignè suscipi non potest, multò studiosiùs quàm exteriorem cultum induat. Si Sponsa (quod absit) indecenter vestitam & nudatam audeat se Templo Dei sistere, eam Pastor ad Nuptialem Benedictionem non admittat. Et quidem præcipit Synodus Tridentina, ut eâ quâ decet modestiâ & honestate celebrentur nuptiæ; » sancta enim (inquit) » res est Matrimonium, & sanctè » tractandum (*p*). »

Sponsas coronare antiquis erat usitatum (*q*): undè mos ductus est, Ritu sanctiore, ut Christianæ Sponsæ capiti corolla imponatur, in signum victoriæ illius pulcherrimæ, quâ, superatis voluptatum interiùs atque exteriùs obsidentium illecebris, hactenùs in incorrupta virginitate permansit (*r*). Hinc evidenter patet, viduis aut puellis quæ jam non virgines publicè habeantur, non esse imponendam coronam.

Parochus ritè ornatus, fusâque ad gradus Majoris-Altaris oratione præparatus, adhibito Clerico, seu Laïco necessaria decenter gerente, & responsionum ad se pertinentium perito, ad Chori introitum sub imaginem Salvatoris Crucifixi, vel ad Altare-majus, aut aliud, procedit; undè prospicit num astantes componat honesta gravitas, modesta religio, silens pietas. Si quid ex his deesse animadvertat; ipso leniter admonente, corrigatur: alioqui denuntiet Matrimonium à se neutiquam celebratum iri, quamdiù profanum aut ludicrum aliquid obstrepere, sive loci & rei sanctitatem lædere quoquomodò videbitur (*s*). Pastor, omnibus, prout decet, compositis, & Sponsis adversâ facie stantibus, postremam inquisitionem ac denuntiationem, tum præviam administrationi Exhortationem habet. In qua Exhortatione, brevi quidem, sed gravi, Sponsis exhibenda est Matrimonii institutio, dignitas, fines & effectus ac potissimùm officia quorum Sponsione se coram Deo & Ecclesiâ jamjam obligaturi sunt. Eos insupèr admoneri oportet, ut per totam Matrimonii Sacrificiique celebrationem, quanto maximo poterunt pietatis fervore, gratiam Sacramenti à divina bonitate uberrimam efflagitent.

Peractâ Exhortatione, Parochus Annulum benedicit, ac deindè Nummum vel Nummos (1). Posteà solemnem ac disertum Sponsi utriusque consensum palàm sciscitatur, suscipit ac benedicit: quod nempè est Sacramenti signaculum. Intereà dextras jungunt novi conjuges (*t*); qui quidem fidelitatis, ac præfer-

(1) Pièces de monnoie.

(*o*) 1 Tim. 2. 9. 1 Petr. 3. 5.
(*p*) *Conc. Trid. Sess.* 24. de Ref. Matrim. *cap.* 10.
(*q*) *Tert.* de cor. mil. *cap.* 13.
(*r*) *S. Chrys.* Hom. 9. in 1 Cor. 3.
(*s*) *Conc. Paris. an.* 1528. decr. morum 39.
(*t*) Vide *Tob.* 7. 15. & *S. Greg. Naz.* Ep. 57. ad Proc. 44.

tim maritæ fidei typus esse intelligitur. Subindè Nummum vel Nummos sibi à Parocho traditos deponit Sponsus in Sponsæ dexteram, velut signum constituti *dotalitii* (1), bonorumque communionis; simulque Sponsam conceptis verbis, suggerente Sacerdote, alloquitur. Tum verò Sponsus Annulum de manu Sacerdoris acceptum, digito annulari sinistræ manûs Sponsæ inserit, in signum datæ & acceptæ fidei, solemnem pariter adhibens verborum formulam: quo quidem dilectionis pignore sub oculos jugiter constituto, quid sibi invicem polliciti fuerint, nunquam obliviscantur; & quotiès illud viderint, totiès perceptam in Sacramento gratiam exsuscitent (*u*).

(1) Douaire.

Annulorum in Matrimonii celebritate perantiquus est usus. Non modò apud Ethnicos, sed etiam in Lege tum naturali, tum Mosaïcâ, & à primis Evangelicæ Legis temporibus, Sponsæ *digitum pronubo Annulo oppignoratum* legimus (*x*). Ille autem Annulus quondam ferreus erat, palæque expers: fuit deinceps aureus. Sit nunc argenteus tantùm, sine gemma aut cælatura, litterisve inscriptis (*y*). Sit demùm unicus, in signum interdictæ à Christo Polygamiæ; caveatque Parochus diligenter, ne plures simul uni Sponsæ tradendos benedicat.

Nummos autem idcircò benedicit Ecclesia, ut novis conjugibus multa benedictio concilietur, cujus ope *labores manuum suarum manducent* proventu felicissimo (*z*), sibique & familiæ sufficientem rerum temporalium copiam, *dante illis Domino, colligant* (*a*).

Post Orationes & completum Sacramentum, Conjuges, ducente viro, qui *caput est mulieris* (*b*), dextris implicitis ad gradus Altaris procedunt: deindè celebratur Missæ Sacrificium; cui flexis genibus & summâ pietate adesse debent. Apud antiquos, accensæ faces, quibus nomen *tedis jugalibus*, utrique Sponso præferebantur. Usum hunc profanum, sicut alios plures, in Cæremoniam religiosam convertit Ecclesia. Scilicet, quibusdam in locis, per totam Missam pro conjugio celebratam ardent coram Sponsis duo Cerei, quibus admoneantur ut, præter mutuam dilectionem quæ per Sacramenti gratiam sanctificatur, CHRISTI JESU, augustissimi Ecclesiæ Sponsi, amorem in se plurimum accendant, eique obviàm cum ardentibus ex fervore desideriorum lampadibus exeant (*c*).

Itaque nullum sine Missæ Sacrificio, nisi verâ urgente necessitate, & de nostra licentia, Matrimonium celebrabitur; &, nisi occurrat Festum *Duplex*, Missa erit *de Sponsalibus*, quæ tota constat luculentis Scripturæ locis Matrimonio accommodatis. Sic legitimum connubium *Ecclesia conciliat, confirmat obla-*

(*u*) *S. Isid. Hispal.* de Eccl. Off. *l.* 2. *c.* 19. 30.
(*x*) *Tert.* Apol. *c.* 6.
(*y*) Ibid.
(*z*) *Ps.* 127.
(*a*) *Ps.* 103.
(*b*) *Eph.* 5. 23.
(*c*) *Matth.* 25. 1.

tio, obsignatum Angeli renuntiant, Pater ratò habet (*d*). Sic Matrimonio affertur veneratio quædam amplior: sic mutua fidei promissio sanctior evadit, tanquam JESU CHRISTI sanguine signata. Sic perficitur gratia Matrimonii, conjugibus divinæ Eucharistiæ (quæ est omnis gratiæ consummatio) spiritu saltem communicantibus. Sic plenius innotescit Christianorum Conjugium non immeritò *Sacramentum in Christo & in Ecclesia magnum* vocari (*e*).

Recenti connubio junctæ mulieres *Flammeum nuptiale* (velum quoddam à colore flammeo sic appellatum) olim gerebant. Hanc similiter consuetudinem è superstitiosâ piam fecère Christiani. Post Orationem *Libera nos*, & antequàm Sacerdos dicat, *Pax Domini*, super Conjuges expanditur Velum albi coloris; quod sancti Patres *Velamen Sacerdotale* (*f*), *Velamen cœleste*, *Velamen sacrum* appellant. Hujus Velaminis institutio ex ipsa naturæ Lege descendit. Cùm enim Rebecca Isaac vidisset, cui erat uxor futura, » caput obnubere suum cœpit, docens verecundiam in nuptiis præire debere (*g*). Etiam apud Ethnicos velatæ ad virum ducebantur (*h*); undè & *nuptiæ* dictæ, » quòd pudoris gratiâ puellæ *obnuberent* (*i*). » Quanquàm & altera potest afferri Nuptialis Velaminis significatio utrique conjugi communis. Cùm enim sollicitudines atque *tribulationes* connubii, quasi *nubes* quædam densissima, in ipsos ingruant, divinæ gratiæ tegumento quodam *obnubuntur*; quo quidem *super ipsorum caput obumbrante*, *Matrimonii sarcinam* (*k*), anxietates & ærumnas leviùs ferant, nihilque sinistri eveniat, quò possit mutui fœderis sanctitas violari, aut prosperitas interturbari.

Extento Velamine, Sacerdos vota solemnia conceptis verbis, piissimoque & pulcherrimo sensu imbutis, pro utroque conjuge exequitur. Deum orat, tanquàm Matrimonii auctorem atque sanctificatorem, ut eorum corda & mentes sincerâ dilectione conjungat; iis faustissima quæque apprecatur, corporalia & spiritualia, temporalia & æterna; mulieri speciatim fœcunditatis gratiam, sanctarumque virtutes fœminarum, quas uxores habuerunt Patriarchæ.

Semel duntaxat Velum expanditur; semel prædicta impenditur Benedictio: quæ scilicet in viduarum Matrimoniis omittitur. Quinimò in primis nuptiis locum non habet neque Velum, neque Benedictio, si Sponsa *notoriè* fornicata fuerit (*l*). In viduis aut puellis corruptis deficit præcipua illius Velaminis significatio, ut potè ad solas pertinens virgines, propter earum similitudinem cum Verbi incarnati Sponsâ

(*d*) *Tert.* ad ux. *l.* 2. *c.* 9.
(*e*) *Eph.* 5. 32.
(*f*) *S. Ambr.* Ep. 19, *nova edit.*
(*g*) *Idem*, de Abrah. *l.* 1. *c.* 9.
(*h*) *Tert.* de veland. virg. *c.* 11.
(*i*) *S. Ambr.* sup. Vide *S. Isid. Hispal.* de Eccl. Off. *l.* 2. *c.* 19.
(*k*) *S. Ambr.* exhort. ad virginit.
(*l*) *Rit. Paris. an.* 1777, *pag.* 359.

Ecclesiâ, quam utique castam virginem Christo soli conjunctam esse manifestum est.

Remoto Velo & absolutâ Benedictione, Pacis instrumentum novis conjugibus osculandum porrigitur; ut sciant quantâ curâ pacem & concordiam in suo conjugio illæsam custodire & in mutua benevolentia conquiescere debeant.

His peractis, Sacerdos, antequàm astantibus solitam impertiatur Missæ Benedictionem, novis conjugibus singulari Benedictione fausta omnia ultimùm apprecatur, eamque gratiam, ut ad cœlestes Agni nuptias, felicitet consummato mortalis vitæ curriculo, perveniant (*m*). Eas porrò Benedictiones, longam vitam ac temporalem felicitatem quæ conjugali instituto competit, ac præsertim fœcunditatis gratiam tanto studio commemorantes, pia mater impendit Ecclesia, Deo quidem auctore; qui scilicet, cùm Adamum & Evam *duos in carne una* primo omnium connubio junxisset, *benedixit illis*, dicens: *Crescite*, & *multiplicamini* (*n*). Hinc posteà filio suo Jacob ad uxorem ducendam proficiscenti benedixit Isaac (*o*), & Raguel similiter genero suo Tobiæ & Saræ filiæ, quam ipsi conjugem tradebat (*p*).

In tanta Rituum, Precum & Benedictionum celebritate, otiosa non maneat conjugum pietas. Quinimò, vota sua Ecclesiæ votis consociantes, enixè orent ambo simul (*q*), ut in suum Matrimonium cœlestis Benedictio effundatur, & in ipso jugis maneat sanctificatio. Eadem pro novis conjugibus à Deo postulent astantes, ii præsertim qui, vel sanguinis, vel amicitiæ nexu cum illis devincti sunt.

Completâ Missâ, novi conjuges cum nuptiali comitatu, eodem ordine quo venerant in Ecclesiam, domum se recipiunt.

SUPEREST convivium nuptiale, ab omni retrò antiquitate usitatum. Sic in Matrimonio Rachelis cum Jacob, Laban, *vocatis multis amicorum turbis ad convivium, fecit nuptias* (*r*). Sic, cùm Raguel filiam Saram juveni Tobiæ concederet, *epulati sunt, benedicentes Deum* (*s*). Quin etiam, vocatus JESUS ad nuptias in Cana Galilææ, aquâ in vinum conversâ initium signorum faciens, gloriam suam manifestare dignatus est (*t*).

Itaque nuptiarum convivium tam illustribus exemplis, tam verendâ auctoritate innixum, nihil habet illaudabile, si tamen illud *cum timore Domini exerceatur* (*u*). Quòd si igitur in signum concordiæ, lætitiæ & gratiarum actionis invitentur ad epulas propinqui, affines & amici; *pudicæ & sobriæ* sint epulæ; talisque *hilaritas*, quæ *gravitate Christianâ temperetur* (*x*). Emineat singularis

(*m*) *Apoc.* 19. 7.
(*n*) *Gen.* 1. 28.
(*o*) *Gen.* 28. 3. 4.
(*p*) *Tob.* 7. 15.
(*q*) *Tob.* 8. 6.
(*r*) *Gen.* 29. 22.
(*s*) *Tob.* 7. 17.
(*t*) *Joan.* 2.
(*u*) *Tob.* 9. 12.
(*x*) *Conc. Neoc. an.* 314. can. 7. *Euseb.* Hist. Eccl. *l.* 6. *c.* 40. *Minut. Felix*, Apol. *c.* 26.

gularis modestia in illis præsertim epulis, quibus adumbratur spiritualis eorum omnium lætitia, *qui ad Cænam nuptiarum Agni vocati sunt* (*y*); sicque se gerant Fideles convivæ, ne quid admittant quo possint ab æterno illo cœlestis beatitudinis convivio excludi. Cùm autem in plebeiorum nuptiis difficillimum sit ne quid erumpat, quo pudor Christianus offendatur; satius foret ut, suadente Parocho, nullum instrueretur ejusmodi convivium, aut certè inter paucos genere propinquiores modestum prandium sine ullo tumultu transigeretur. Saltem vitetur effusa in sumptus vanitas. Quod luxui demitur, id charitati substituatur. Christiani conjuges Dominum ad suas nuptias per sobrietatem & verecundiam invitent. Caveant ne illis præsit diabolus, per intemperantiam, verborumque lasciviam aut ambiguitatem (*z*).

Nuptialibus autem epulis nunquam intersit Parochus, neque omninò quisquam ex Ordine Clericali; nisi excuset sanguinis arctissima necessitudo (*a*): vix enim posset, maximè in plebeiorum conviviis, illæsus evadere honos pudori Sacerdotali debitus. Quintimò viri Ecclesiastici, etiam in propinquorum nuptiis, ipso chorearum contuitu abstineant (*b*).

Quod autem Raphaël Angelus Tobiæ persuasit, ut *per tres dies continens* esset à Sara uxore sua (*c*), id ultrò suscipi deceret à novis conjugibus, Deum, triduo illo, potiore curâ deprecantibus: *filii* quippè *sanctorum sunt, & non possunt ita conjungi, sicut gentes quæ ignorant Deum* (*d*). Olim Ecclesia Gallicana, Concilii antiquissimi Decreto insistens (*e*), primi diei continentiam præceperat (*f*). Quam Disciplinam usque adeò verendam nunc proponimus tanquàm salutare consilium, sed mutuo duntaxat consensu exequendum (*g*).

(*y*) *Apoc.* 19. 9.

(*z*) *Tert.* Apol. 35. 59. *S. Cypr.* de discipl. & hab. Virg. *S. Chrys.* Hom. 28 in Gen. & Hom. 12 in 1 Cor.

(*a*) *Conc. Venet. an.* 465. can. 11.

(*b*) *Laod. c. an.* 368. & *Trull. an.* 692.

(*c*) *Tob.* 6. 18.

(*d*) Ibid. *c.* 8. *v.* 4. 5.

(*e*) *Conc. Carth. IV, an.* 398. *can.* 13.

(*f*) Capitul. *l.* 7. *c.* 463. &c.

(*g*) *Conc. Mediol. V, an.* 1579, *tit.* de Matrim. *part.* 3.



CAPUT IV.

De legitimatione prolis ante Matrimonium susceptæ.

Quinam ex illegitimis legitimi per Matrimonium fiant. Qui ex irrito Matrimonio nascuntur, &c. Qui per Matrimonium legitimi facti sunt, an utriusque generis effectuum sint capaces. Extra Matrimonium, ex illegitimis non absolutè legitimi. Matrimonia in extremis. De Benedictione filiorum sub Velo. Observatio.

EA Matrimonii virtus est, ut filii ante illud geniti, per subsequens parentûm Matrimonium ex illegitimis legitimi fiant; dummodò tamen, quo tempore concepti sunt, ad contrahendum habiles fuerint eorum parentes, nullo videlicet inter ipsos existente Impedimento dirimente (*a*). Qui enim ex adulterio vel incestu originem sumpsêre, ii semper illegitimi remanent, etiamsi Matrimonium posteà legitimè à parentibus contrahatur (*b*); saltem nisi, præter Impedimenti (incestûs v. g.) Dispensationem ad Matrimonium contrahendum, alia accesserit ad prolis legitimationem ordinata: quod quidem per clausulam priori insertam fieri solet.

Notandum verò est quòd legitimatio quæ fit per Matrimonium subsequens, locum habet, etiam alio intermedio conjugio. Supponantur v. g. *Julius* & *Cornelia* soluti, liberos ex fornicatione procreasse: *Julius* posteà uxorem ducit *Terentiam*; quâ defunctâ, *Cornelia* adjungitur: hoc posteriore connubio legitimi fiunt *Julii* & *Corneliæ* liberi, anteà ex fornicatione suscepti.

Qui ex Matrimonio irrito nascuntur, legitimi sunt (non tamen quoad omnes effectus civiles), si parentes Impedimentum dirimens bonâ fide ignoraverint, atque insupèr juxta Ecclesiæ Leges contraxerint. Si Matrimonium contra Ecclesiæ Leges celebratum fuerit, vel Impedimentum dirimens malâ fide ab utroque conjuge celatum; tunc progenies remanet illegitima, nisi posthàc Matrimonium ex irrito ratum fiat, servatis quæ servanda fuerint, atque Impedimento per Dispensationem sublato.

Illegitimi, qui per subsequens parentûm Matrimonium legitimi re-

(*a*) *Alex. III*, Decret. *l.* 4. *tit.* 17. 1. & 6. *Inn. III*, l. 4. tit. 17 c. 13.

(*b*) *Alex. III*, *cap.* Tanta est vis, *tit.* Qui sint filii legit. *Conc. Forojul. an.* 791. can. 8. *Alex. III*, sup. *c.* 15. Vide *infrà*, *Div. VII*, *cap.* 1.

nuntiantur, ad omnes tum spirituales tum civiles effectus legitimi fiunt; ita ut sine ulla Dispensatione valeant ad Ordines & Beneficia promoveri, parentûm & propinquorum hæreditates capessere & obtinere. Sed, extra Matrimonium, ex illegitimis legitimi declarantur Ecclesiæ auctoritate, quoad effectus spirituales; Rescripto Principis, quoad effectus civiles (*c*): nec tamen absolutè omnique ex parte legitimi fiunt; neque ad legitimationem valet adoptio (*d*).

Secundum Jurisprudentiam in Galliis vigentem, per Matrimonium in extremis celebratum legitimi quoad civilia non efficiuntur filii anteà geniti; sed tantùm quoad spiritualia, idque, posito etiam quòd non sint adulterini (*e*).

His observatis, conjuges qui ex anticipato congressu filios genuerint, Parocho licebit sub Velo (1) benedicere, cum prole ante Matrimonium susceptâ, & mediâ inter ipsos constitutâ; dummodò soluti ambo essent quandò simul peccaverint, neque raptus, neque incestus, vel adulterium, neque machinatio in prioris conjugis necem intercesserit, nisi Impedimenti Dispensatio simul prolis legitimationem contineat. Si ergò puella sobolem ex illo susceperit, cui uxor adjungitur, adsitque soboles; ut hæc legitima declaretur, hic ritus adhibendus erit. Post *Ite, Missa est*, & antequàm Sacerdos populo benedicat, expandetur Velum super conjuges & liberos in genua provolutos; ad quos ille conversus, Orationem recitabit in Pastoralis hujus parte Rituali præscriptam. Si quid autem impediat ne legitima fiat ista progenies, vel si Parochus indè oriturum esse scandalum prævideat, omittetur modò dicta Cæremonia, sine qua nempè illegitimi non minùs per Matrimonium legitimi fiunt, si fieri possunt.

Quotiès autem proles per subsequens Matrimonium legitima renuntiabitur, totiès Parochus id expressâ clausulâ in Parochialibus Actorum Codicibus exprimet, iis observatis quæ observanda proximè sequenti Capite exponentur.

(1) Sous le Poêle.

(*c*) *Inn. II*, sup. *Justin.* Nov. 74.
(*d*) Ibid. *c.* 3.

(*e*) Ordonn. de 1639, *art.* 6. Edit de Mars 1697.



CAPUT V.

DE Matrimoniis in Parochiarum Acta referendis.

ACTORUM Matrimonialium quanta cura desideretur. Acta Matrimonii foliis non cohærentibus minimè inscribenda. In Actis Matrimonii sex enuntianda. Matrimonia extra Ecclesiam Parochialem celebrata. Contrahentes in Parochia non sui domicilii. Agnitio prolis ante Matrimonium genitæ, pro quibus & quanam adhibitâ cautione sit conficienda.

CUM ad familiarum tranquillitatem tanti momenti sint Acta Matrimoniorum, ut plerumque sine illis ipsemet civilis earum status consistere vix posse videatur; ejusmodi Acta omni civicæ charitatis diligentiâ conservare studeant Parochi, postquàm ea ritè scripserint vel scribi curaverint, servatis quæ jam indicta sunt, ubi de Codice Baptismali, cæterisque Parochialibus Actorum Codicibus (*a*).

Districtè autem prohibet Regia Declaratio (*b*), ne Acta Matrimonii foliis non cohærentibus seorsimque volantibus inscribantur & subsignentur; idque sub gravibus pœnis, tum in Parochos aut Vicarios, tum in Partes contrahentes.

IN Matrimonii Actis enuntiabitur 1°. celebrati Matrimonii dies, mensis, annus, & locus: 2°. Partium contrahentium nomina, cognomina, ætas, conditio vel professio & domicilium; num utraque vel alterutra sit vidua, quis vel quæ fuerit conjux non superstes: tum verò nomina, cognomina, conditio vel professio ac domicilium patris & matris, sive adhùc viventium, sive jam defunctorum: 3°. Quibus diebus singula Matrimonii *Banna* proclamata fuerint; testimonia proclamationum quæ extra Parochiam factæ sint; Sponsalia, & eorum celebrationis dies; Dispensationes in *Bannis*, vel publica alia quæcumque Dispensatio ad præsens Matrimonium concessa; quo die & à quo indulta, quo die in publicas Ecclesiasticorum Actorum Tabulas relata fuerit (1), si referri debuit: 4°. Cùm *Minores* erunt Partes contrahentes, id annotabitur; & exprimetur, parentes, vel tutores & curatores, cæterosque quorum interesse potuerit, Matrimonio adfuisse, & suum ei consensum adhibuisse; vel, si non adfuerint, quisnam, cum mandato procuratorio legitimâ formâ instructo, eorum vicem gesserit, enuntiabitur; saltem apponetur eorum consensus, ubi & à quo

(1) Insinuée.

(*a*) Suprà, *de Bapt. Div. III*, cap. 1.

(*b*) Déclar. de Louis XV, *de l'an* 1736.

Notario susceptus, quo die in Acta civilia relatus (1), à quo Judice recognitus fuerit (2): 5°. Quatuor Testium nomina, cognomina, conditio vel professio ac domicilium; & explicabitur num sint cum Partibus contrahentibus propinquitate conjuncti; an ex paterno, an ex materno capite, & quonam in gradu; qui Testes id confirmasse perhibeantur, quod in Actis de Contrahentium domicilio, ætate & conditione seu professione exprimitur. Neque omittent Pastores in utroque Codice Matrimonii Actis subscribere cum Partibus contrahentibus, earumque parentibus, vel tutoribus & curatoribus, si sint præsentes, saltem verò cum Testibus necessariis.

Si autem Sacerdos à proprio alterutrius conjugis Pastore diversus, de Parochi vel Diœcesani Pontificis licentiâ, Matrimonium celebraverit; suæ delegationis archetypum exemplar (3) penès se retinebit; ejus prætereà mentio fiet in Actis, & quonam die concessa fuerit, exprimetur.

Si quandò, justis de causis, in Oratorio, Sacello, vel qualibet Ecclesia quæ non sit Parochialis Matrimonium celebrari concesserimus; Parochiæ in qua Matrimonium, de jure, celebrandum fuerit, afferentur Actorum Codices à Parocho seu Vicario, instante Matrimonii celebratione; cujus Acta ibidem inscribentur, iisque ipse Parochus aut Vicarius chirographum suum apponet. Quòd si verò Ecclesia vel Sacellum in quo Matrimonium celebratur, sit extra fines Parochiæ Contrahentium; honestè præmonebitur is Pastor, cujus intrà Parochiam erit prædicta Ecclesia vel Sacellum.

Ubi Contrahentes, de Parochi vel Diœcesani Antistitis licentiâ, in Parochia non sui domicilii Matrimonio juncti fuerint; loci Parochus, postquàm Matrimonii Acta in Parochiæ suæ Codices retulerit, Actorum apographum cum autographo diligenter collatum (4) & à se subsignatum tradet Partibus; ut illud à Parocho domicilii inter Acta propriæ Parochiæ totum inferatur.

(1) Contrôlé.
(2) Légalisé.
(3) L'original.
(4) Copie collationnée avec l'original.

Quod si à Contrahentibus ante connubium suscepta fuerit progenies, excerptum ejus baptizatæ instrumentum Parocho afferent, vel ipse Baptismi Acta quæret in suæ Parochiæ Codicibus, si fortè apud illam regenerati fuerint filii hujusmodi ex anticipato congressu geniti; ut conficiatur instrumentum quo ipsos ut suam progeniem agnoscant parentes; & sic, virtute Sacramenti, ex illegitimis legitimi, si locus sit, renuntietur.

Illud autem agnitionis Instrumentum adhiberi & confici non debet, nisi propter filios qui è parentibus tunc liberis nati fuerint; etenim (ut jam præmonuimus) Matrimonium subsequens non potest filios adulterinos legitimos facere. Et generatim nunquam sinant Pastores ut Ecclesiæ suæ Codicibus ullum inscribatur Instrumentum agnitionis in gratiam filiorum ab ejusmodi parentibus genitorum, qui, tempore conceptûs, ad Matrimonium legitimo fœdere contrahendum inhabiles fuerint propter Con-


ſanguinitatem aliudve Impedimentum dirimens; niſi aliud expreſsâ clauſulâ indulgeat Diſpenſatio, per quam iis connubio inter ſe jungi conceſſum fuerit.

Porrò illæsâ Partium famâ non fieret, ſi hujuſmodi agnitio ipſis Matrimonii Actis insereretur; ſic enim Teſtibus ad ſubſcribendum accedentibus innoteſceret illicita conſuetudo quæ inter conjuges ante Matrimonium interceſſiſſet; nec poſteà excerptum è Parochialibus Codicibus Matrimonii Inſtrumentum ſuppeditari poſſet, quin ſimul revelaretur eorum culpa, ipſorumque familia æterno pudore ſuffunderetur.

Ad vitandum grave illud incommodum, præcipit ſanctæ Religionis charitas, ut Parochus Matrimonii Acta conficiat juxta formam uſitatam, nullâque filiorum iſtorum factâ mentione. Poſtquàm Actis, ut diximus, fuerit ſubſcriptum; infra chirographos à Paſtore deſcribetur agnitionis Inſtrumentum, quod ipſe cum Partibus contrahentibus ſubſignabit. In hoc altero Inſtrumento apponetur quò die nati ſint prædicti filii, quo die & quo in loco baptizati, quinam ſint eorum Patrini & Matrinæ. Hujus Inſtrumenti Formula in Paſtoralis hujus parte Rituali poſt Actorum Matrimonii Formulas reperietur.

Si quis poſteà excerptum Matrimonii Inſtrumentum poſtulet, Parochus aut Vicarius hoc unum ſuppeditabit; neque omninò niſi illis requirentibus qui contraxerint, ſive ipſiſmet filiis agnitis, horum agnitionis aut legitimationis inſtrumentum adjiciet (*c*).

(*c*) *Vide ſup.* De Sacram. Baptiſmi, *Div. III*, *cap.* 1.



DIVISIO VII.

EXPLANABITUR in hac Divisione, 1°. Quomodò ratum ex irrito fiat Matrimonium cum Impedimento dirimente contractum: 2°. Quomodò in Romanæ Pœnitentiariæ Tribunali Brevia *Dispensationum impetrari, atque impetrata executioni mandari legitimè possint.*

CAPUT PRIMUM.

QUOMODO ratum ex irrito fiat Matrimonium cum Impedimento dirimente contractum.

QUÆDAM prænotanda. Parochus aliquod Matrimonium irritum esse audiens, quàm prudenter agere debeat. Matrimonium irritum ex defectu veri ab utraque Parte consensûs: ex defectu consensûs ab una Parte: ex defectu præsentiæ Parochi & Testium, &c. Matrimonium in facie Ecclesiæ celebratum, & tamen irritum, propter Impedimentum, sive publicum, sive occultum. Modus renovandi consensûs, cùm unus tantùm conjux Impedimenti conscius est. Ambo conjuges Matrimonium suum irritum esse ignorantes. Quid agendum, si tale sit Impedimentum super quo non dispenset Ecclesia: si publicum sit hujusmodi Impedimentum, vel possit in Judicio probari. De dubio prudenti circa Matrimonii nullitatem.

MATRIMONIUM, quacumque ex causâ irritum fuerit, nullâ nec temporis diuturnitate, nec Partium bonâ fide convalescere potest, nisi suppleatur id quo deficiente irritum extiterit. Hinc, ut convalescat, renovandus necessariò est consensus. Conjugium enim sine consensu legitimo validum esse nequit: consensus autem nec fuit, nec esse potuit legitimus, cùm invalidè quacumque ex vitiositate celebratum fuit conjugium; proindè, ut illud instauretur, novum consensum præberi oportet.

Sæpè autem contingit non posse, sine gravissimis damnis, scandalis, aliisve incommodis, ad Judicis auc-

toritatem recurri, ut irrita declarentur ejusmodi Matrimonia, nec posse eos qui illa contraxerunt, à se mutuò disjungi; præsertim si de Matrimonio agatur jam consummato, multòque magis si sit ex eo progenita soboles.

Cùm igitur in Matrimoniis conciliandis nonnunquam perniciosè erretur, illudque in quo semel sit erratum, difficilè admodùm corrigatur; præcipit Ecclesia ut Parochi cæterique Confessarii varias difficultates quæ in Impedimentis occurrunt, totamque de Matrimonio doctrinam planè cognitam penitùsque perspectam habeant. Scilicet maximâ diligentiâ & cautione opus est, ut nemo neque illicitè, neque invalidè Matrimonium contrahat: qui enim Benedictionem Nuptialem cum aliquo Impedimento scienter susciperet, gravissimè peccaret; ac prætereà quos ligasset Impedimentum dirimens, cùm veri conjuges haberentur, vero tamen concubinatu vel incestu sese contaminarent (*a*).

Si autem Parochus, frustratâ omni Ecclesiæ diligentiâ, Matrimonium aliquod in sua Parochia nullum & irritum esse (aliâ tamen quàm Confessionis viâ) detexerit; zelo non agat præcipiti atque inconsiderato, sed rei veritatem ante omnia cautus investiget. Neque enim propter meram suspicionem turbanda est cujusquam familiæ tranquillitas; cùm utique suspicio eam vincere nequeat opinionem, quâ legitimè præjudicatur in gratiam Matrimonii bonâ fide contracti. Itaque prudenter inquirat Sacerdos, an, & quibus de causis verè nullum sit illud Matrimonium; an Partes rem ita esse sciant vel ignorent; publicumne an occultum sit Impedimentum; an denique super illo dispensare possit Ecclesia.

Scilicet irritum esse potest Matrimonium, 1°. Propter veri liberique, vel ex utraque, vel ex alterutra Parte consensûs defectum: si nempè Matrimonium celebratum fuerit cum fictione quæ consensûs veritatem, aut ex errore vel metu qui ejus libertatem perimat: 2°. Propter Parochi ac Testium absentiam, aut aliud Impedimentum, sive publicum, sive occultum, sive dispensabile, sive indispensabile, quo fiat ut consensus, quamvis in se liber ac verus, tamen præstitus in irritum fuerit.

I°. Cùm propter veri liberique ex utraque Parte consensûs defectum inaniter contractum fuit Matrimonium; ut illud instauretur, novum consensum, & quidem exteriùs, Pars utraque præbeat necesse est. Etenim, ad Contractûs connubialis (quemadmodùm ad cujuslibet alterius Contractûs) validitatem, requiritur consensus humano more declaratus, adeòque signo aliquo sensibili manifestatus: non igitur sufficit ut Sponsus uterque solo animo consentiat. Expedit autem ut consensus ille coram legitimo Sacerdote Benedictionem nuptialem

(*a*) *Conc. Rom. sub Greg. II, an.* 721. can. 38. *& sub Greg. V, an.* 998. can. 1. *Rem. sub Sonnat. an.* 625. *v.* 630. can. 8.

impertiente

impertiente præbeatur. Curandum est enim Christianis, ut Sacramenti dignitatem & gratiam obtineat Matrimonium; quam quidem certò obtinere nequit sine Benedictione Sacerdotali, ut potè quæ, juxta sententiam probabiliorem, hujus est Sacramenti forma. Quòd si verò sine gravi incommodo aut scandalo id fieri non possit, nec velint conjuges à Matrimonii usu abstinere; eo nilhominùs uti possunt, postquàm mutuum consensum præstiterint, licèt non accesserit Benedictio Sacerdotalis.

II°. Si conjugium, deficiente Partis duntaxat unius consensu, irritum fuerit; & multò probabiliùs, & satis tutò asseritur id convalescere per consensum illius qui eum ab initio non præstiterat; dummodò alter consensum à se datum non revocaverit, sed in eo perseveret. Exteriùs autem exprimi debet consensus qui ab initio defuit; non tamen requiritur ut verbis, sed sufficit ut conjugii usu, aliâve maritalis animi testificatione manifestetur: undè opus non est ut Pars altera de præterito consensûs defectu admoneatur (*b*).

III°. Quandò ex Parochi Testiumque absentiâ invalidum fuit Matrimonium, coram illis iteretur necesse est. Cùm enim defuerit solemnitas ad ejus essentiam pertinens, hæc suppleri necessariò debet; neque ex irrito ratum fieri aliter potest hujusmodi connubium, quàm si è clandestino publicum fiat; si nempè in facie Ecclesiæ celebretur, præmissis, de more, Sponsalibus, & *Bannorum* promulgatione, nisi super his dispenset Diœcesanus Pontifex; quem, in simili casu, statim ab initio consulat Pastor, quamvis nullâ opus sit Dispensatione, cessante videlicet *Clandestinitatis* Impedimento; cùm observantur eæ solemnitates quæ sunt Jure præscriptæ.

IV°. Si Matrimonium in facie Ecclesiæ celebratum, aliâ tamen ex causâ irritum fuerit; vel publicum, vel occultum est Impedimentum. Si publicum sit, aut verisimiliter futurum, ac prætereà dispensabile, Dispensatio in *Datariæ* Tribunali, requirentibus Partibus, obtinenda est, nisi illud per se jam desierit, v. g. *defectus ætatis*; tunc enim nulla requiritur Dispensatio: consensus deindè coram Parocho & Testibus ab utraque Parte renovandus est; Matrimonium scilicet in facie Ecclesiæ cum usitatis solemnitatibus denuò celebrandum. Idcircò enim Concilium Tridentinum Matrimonia publicè contrahi voluit, ut de ipsis tam Ecclesiæ quàm Imperio constaret; sicque multa & gravia quæ ex clandestinis nuptiis proveniebant, incommoda, adulteria præcipuè, vitarentur: sed non publicè & efficaciter in hunc finem constaret de Matrimonio clandestinè & sine Testibus renovato; undè alter conjux, probato deinceps Impedimento, non posset à novo Matrimonio coërceri: sic nimirùm, de prioris quidem Matrimonii *nullitate*, non verò de ipsius *rehabilitatione* constaret.

(*b*) *S. Thom, S. Bonav.*

Tunc porrò novis *Bannorum* denuntiationibus opus erit; nisi paulò antè pro conjugio priore locum habuerint, vel conjugii *nullitas* nondùm in vulgi cognitionem erupe-rit. In hoc enim postremo casu, ne toti Parochiæ detegatur quod sine scandalo detegi plerumque non posset, longè satius est ut, ab Ordinario impetratâ *Bannorum* Dispensatione, renovandi Matrimonii Testes assumantur ii, aut eorum præcipui, qui Impedimentum noverint.

Cùm igitur in Parochia sunt conjuges, quos publicè constet cum Impedimento dirimente Matrimonium iniisse; ipsis leniter exhibeat Parochus quàm lugendo in statu versentur: eos & thoro & contubernio sese dissociare jubeat, donec, impetratâ Dispensatione, iterùm coram Parocho & quatuor testibus sese mutuò in virum & uxorem accipiant. Connubium verò sic instauratum in Parochiales Actorum Codices referatur, factâ impetratæ Dispensationis mentione. Sic demùm supradicti conjuges tutâ conscientiâ simul habitare poterunt: sic tolletur scandalum: sic publicè manifestum erit eos validè contraxisse: sic prolis eorum status asseretur. Quòd si Pastoris monitionibus obsequi detrectent, vel plus æquo morentur; eorum contumaciam vel negligentiam ipse ad Nos deferat.

V°. Si Matrimonium in facie Ecclesiæ celebratum irritum fuerit propter Impedimentum occultum, idemque dispensabile; vel ambo falsi conjuges, vel unus duntaxat Impedimenti conscius est. Si Pars utraque suum certò sciat irritum esse conjugium, ante omnia Parocho vel Confessario curandum est ut Pars utraque thoro dissocietur, & neutra nec Matrimonii jus postulet, nec reddat postulanti; alioquin, utraque sciens & volens fornicaretur. Ut autem convalescat hoc Matrimonium, 1°. Impetranda est, sive à Romano Pontifice, sive ab Ordinario Dispensatio; nisi per se jam cessaverit Impedimentum, v.g. *defectus ætatis*: 2°. Uterque conjux novum exteriùs præstare debet consensum. Quòd si unus tantùm conjux Impedimenti sit conscius; Pars quæ suum Matrimonium non valere certò cognoscit, jus connubii nec petere nec reddere potest; alioqui, sciens & volens fornicaretur.

Itaque, cùm de Impedimento agitur nunc & in futurum occulto, & quod in Judicio probari nunquam possit; impetratâ Dispensatione & consensu privatim renovato, sine ulla solemnitate convalescit hujusmodi Matrimonium, quod supponitur jam anteà, quamvis inaniter, in facie Ecclesiæ contractum. Ratio est, 1°. Quia, *Pænitentiariæ* rogatu, sic declaravit S. Pius V: 2°. Quia Lex Concilii Tridentini quâ prohibentur nuptiæ clandestinæ, ad hujusmodi Casum minimè extenditur. Cùm enim prius Matrimonium, licèt reipsâ nullum & irritum, nihilominùs in foro Ecclesiæ validum sit; nihil est quod timeatur ne Sponsorum alter aliud conjugium, Polygamiæ pœnis utique obnoxium, attentare audeat. Scandala demùm, aliaque gravissi-

ma incommoda praxi contrariâ inveherentur.

In consensûs renovatione nulla occurrit difficultas, cùm utraque Pars Impedimenti conscia est. Cùm verò unus tantùm è falsis conjugibus Impedimentum cognoscit, eâ in re multa requiritur prudentia & circumspectio. Si ergò Pars duntaxat una Impedimentum noverit, propter quod irrito juncta sit Matrimonio, nec res alteri conjugi sine periculo manifestari posse videatur, ut fit, cùm Impedimentum ex delicto occulto exoritur; tunc Pars Impedimenti conscia hujus Dispensationem obtineat, & ipsa, consensum renovans, mutuum ab altera Parte consensum quàm poterit solertissimè eliciat. Quòd si nullum, secluso injiciendæ suspicionis periculo, colloquium super hoc misceri posse videatur; sufficiet pro tempore, ut, priùs similiter obtentâ Dispensatione, compar ad comparem affectu conjugali accedat, quo similiter Partem Impedimenti nesciam moveri non sit dubium. Quod autem satis est in necessitate, id quamprimùm, exploratâ occasione, per consensum expressiùs renovatum compleri oportet. Hic enim consensus renovandi modus ultimum perfugium est, cùm cæteri, aut expressi, aut æquivalentes, prodesse nequeunt, & scandalum, gravis infamia, aut divortium meritò timentur. Porrò, in simili Casu, fervidis precibus bonisque operibus eam, *quæ desursùm est, sapientiam* (c), invocare non omittat Parochus aut Confessarius, ut in consiliorum viâ tam lubricâ tutus incedat. Tum verò diligenter expensis Pœnitentium moribus, indole, amore vel odio quo in se invicem affecti sunt, rem totam suo Episcopo detegat, si possit; sin minùs, consulto *Patre luminum*, novi consensûs obtinendi modum suggerat, quem magis tutum vel minùs periculosum judicaverit.

Fieri demùm potest ut ambo simul conjuges Matrimonium suum irritum esse ignorent. Eo in Casu prudentissimè & cautissimè se gerat Pastor, aliusve Confessarius. Si metuat ne illi continenter vivere non possint, donec impetrata fuerit Dispensatio ad Matrimonium instaurandum necessaria; eam postulare ipse poterit, antequàm illos de Impedimento moneat: quam præsentem habens, malum simul detegat, & malo remedium subministret; sicque perturbationem tali monitione injectam statim redditâ pace componat.

Curent autem Pastores, Vicarii Confessariique diligenter, ut, si quandò Matrimonium occurrat, vel publicâ celebratione, vel etiam privatâ mutui consensûs renovatione instaurandum, conjuges, præmissâ Confessione sacramentali, conscientiam mundare studeant.

Quod si verò tale sit Impedimentum, ut super eo non dispenset Ecclesia, vel impetrata Dispensatio non sine maxima difficultate exe-

(c) *Jac.* 3. 17.

cutioni mandari possit; aut si, perspectâ conjugum indole, prævideat Sacerdos monitionem nihil iis profuturam, vel potiùs damnosam fore, grave scandalum, gravia incommoda indè secutura, & conjuges in bona fide securi conquiescant; satius erit monitionem silentio premi, & conjuges in bona fide sua relinqui (*d*): saltem ulteriùs, inconsulto Diœcesano Antistite, non procedatur.

Si publicè notum sit Impedimentum nullam omninò spem Dispensationis relinquens; debent falsi conjuges, nullâ interpositâ morâ, thoro & contubernio sese dissociare, atque intereà Causam persequi, ut irritum juridicè declaretur suum Matrimonium, ipsique ad alias, si libuerit, nuptias convolare possint.

Si autem illud Impedimentum non publicum sit, & tamen possit in Judicio probari; Partibus liberum erit ut juridicam obtineant conjugii dissolutionem; utve, irrito & nullo remanente conjugio, in fraterna castaque societate simul habitent. Sed hoc posterius non iis prudenter concedi poterit, nisi ætatis sint provectioris morumque integerrimorum; ita ut nullum sit, neque scandali, neque incontinentiæ periculum: quod quidem non temerè, imò rarissimè supponendum est; ideòque, quos tenet hæc difficultas, ad persequendam sui Matrimonii dissolutionem impellendi sunt.

Quod si verò non certò & evidenter nullum irritumque sit Matrimonium, sed de ejus *nullitate* prudenter dubitetur; varii sunt Casus distinguendi.

Si dubitent Partes ambæ, an validum, an non potiùs irritum sit Matrimonium, quod tamen cum requisitis solemnitatibus in facie matris Ecclesiæ contraxerunt; continenter vivere debent, donec dubium deposuerint, sive nondùm consummato, sive jam consummato Matrimonio dubium hujusmodi exortum fuerit. Si dubium perseveret, eos Diœcesano Pontifici rem detegere oportebit; ad quem scilicet pertinet, in dubio legitimo & post requisitam disquisitionem non sublato, Dispensationem concedere.

Si autem Pars una duntaxat de sui Matrimonii validitate anceps hæreat; vel ipso die celebrati Matrimonii, vel posteà dubium illud suboritur. Si prius; debitum conjugale neque postulare debet, neque reddere duorum mensium intervallo, quod nempè Matrimonio junctis conceditur, ut deliberent an maritali modo inter se vivere, an castitatem in Religione Monastica profiteri velint. Duobus tandem elapsis mensibus, si dubium prudens ac discretum adhùc perseveret, nec deponi ullâ ratione possit, ad Ordinarium recurrere oportebit, ut Dispensationem, si prudenter id fieri posse judicet, in illo veri legitimique dubii Casu impertiatur. Quòd si dubium non suboriatur nisi post Matrimonium jam con-

(*d*) *Inn. III, cap. 6*, De consanguin.

summatum; Pars dubitans conjugale debitum non postulare quidem, sed reddere licitè poterit, similiterque consulto loci Antistite, si dubium perseveret, in Impedimento tanquàm dubio Dispensationem obtinere, vi cujus rato habito Matrimonio, debitum petere possit, quemadmodùm & reddere.

Aliquandò etiam necesse erit ut Pars dubitans alteram commoneat de sui dubii rationibus, quandò nimirùm sine scandalo id prudenter fieri poterit, nihilque prætereà timendum videbitur; ne Pars non dubitans, fornicationis saltem *materialis* periculo objiciatur, si nempè maritali modo vivat cum conjuge sibi forsan non legitimè sociato; ne etiam Pars dubitans id reddat, quod etiam fortassè mera sit fornicatio.

In his verò atque aliis de Matrimonio, sive contrahendo, sive contracto, Casibus ut plurimùm difficillimis, consulatur Diœcesanus Pontifex, virique doctrinâ & experientiâ graves; ut, omnibus maturo judicio perpensis, quod Religioni magis consentaneum, magisque salutiferum Partibus fuerit, coram Deo constituatur.

CAPUT II.

QUOMODO in Romanæ Pœnitentiariæ Tribunali *Brevia* Dispensationum impetrari, atque impetrata executioni mandari legitimè possint.

QUANTI momenti sit hoc argumentum. Quandò & quomodò ad Datariæ *&* Pœnitentiariæ *Tribunalia recurri oporteat. Qualis esse debeat Supplicis Epistolæ formula: quibusnam vitiis* subreptitia *vel* obreptitia *sit Dispensatio. Exemplar Epistolæ Supplicis. Circa illius confectionem quædam observantur. Quis possit Romanæ Pœnitentiariæ* Brevia *exequi. Alia Supplicum Epistolarum exemplaria. Formula Epistolæ Supplicis, cùm scribitur ad* Suppœnitentiarios. *Formulæ* Brevium *Pœnitentiariæ, respondentium Epistolis Supplicibus: quorum* Brevium *præcipuæ clausulæ explicantur. Subjungitur formula Epistolæ Supplicis pro Simonia.*

CUM in facto Pœnitentiæ Tribunali, tum Parochis, tum cæteris Confessariis in nostra Diœcesi approbatis occurrere possint difficultates, v. g. circa Matrimonii Impedimenta occulta, Vota castitatis perpetuæ, seu ingrediendæ Religionis, in quibus secum dispensari postulent Fideles; hic tradendum censuimus modum obtinendi

Brevia dispensatoria in foro Pœnitentiali, summam & arcanam sanctæ Romanæ Sedis Jurisdictionem exercente, & ea validè exequendi. Atque hoc argumentum eò diligentiùs tractandum est, quòd sigillum Confessionis attingit, tam sacrum & tam fragile; tum quòd *Brevia* illa neque impetrari, neque suum effectum sortiri possunt, nisi ad amussim observentur quædam conditiones & formæ; quæ cùm sæpiùs ignorentur, hac in re facilis error, nec sine ingenti animarum periculo, subrepit.

Ubi occurrit Pœnitens quocum sit Apostolicæ Dispensationi locus in Impedimento dirimente *Criminis* vel *Affinitatis illegitimæ*, sive ad Matrimonium contrahendum, sive ad contractum renovandum; vel in Voto Sedi Apostolicæ reservato; vel qui sit absolvendus, sive à peccatis, sive à Censuris summo Pontifici reservatis: si sit ejusmodi res quæ possit ad *forum externum* deduci, necesse erit ut Pœnitens Curiæ Romanæ *Expeditionarium* adeat, cujus ope à Tribunali *Dataria* (1) Rescriptum *in forma Brevis*, quo sibi opus est, accersat. Sed nihil erit cur Pœnitens publici illius internuntii ministerio uti debeat, si res occulta sit, atque in secreto *Pœnitentiariæ* Tribunali tractanda; in quo scilicet gratiæ omnes gratuitò expediuntur. Tunc *Orator* vel *Oratrix*, per se, vel per alium scribere potest *ad Eminentissimum Cardinalem Pœnitentiarium-majorem*; qui quidem, dummodò persolutum fuerit delatæ Epistolæ pretium, certissimè rescribet. Quòd si rescriptum intrà justum tempus non adveniat, iterùm scribatur, donec respondeatur.

(1) La Daterie.

Formula verò Supplicis Epistolæ plana, dilucida & simplex esse debet, missis ambagibus, verborumque insolitorum affectatione: alioqui laceratur, nec ei quidquam respondetur. Gallico, sive alio quovis idiomate scribi potest: Latinum usitatius est, idemque dignius. Itaque candidè & breviter, nullâque prætermissâ circumstantiâ necessariâ, exponatur illud Votum seu Impedimentum, cujus in specie Dispensatio postulatur, & rationes expendendæ Dispensationis; vel Casus cujus efflagitatur Absolutio. Illud præsertim summâ religione curandum est, ne veritas tegatur, neu falsa pro veris exponantur: alioqui *subreptitia* vel *obreptitia*, ideòque irrita foret Dispensatio. In ea Epistola sigillatim explicanda sunt omnia Impedimenta quæ difficiliorem reddere possent gratiæ impetrationem: si v. g. duplex sit vinculum, id est, si Orator cum duabus uxoris sororibus, vel cum uxoris matre & sorore peccaverit: si, post crimen undè Impedimentum exortum est, Matrimonium sine Dispensatione attentatum fuerit; & si tunc Impedimentum utrique Parti aut alterutri notum vel ignotum esset. Graviores enim, vel leviores, pro circumstantiarum diversitate, à Romano Pœnitentiario satisfactoriæ pœnæ imponuntur. Nihil opus est in Supplici Epistola declarari quotiès crimen commissum fuerit: etenim *Breve* nunquam datur nisi *in forma commissoria*, per quam tribuitur facultas, auditâ sacramentali Confessione, absolvendi. Explicandum est pariter an ex homicidio, an ex adul-

terio, an ex utroque oriatur Impedimentum. In homicidio occulto rarissimè dispensat summus Pontifex *ad contrahendum* : in simili Casu requiruntur Dispensationis causæ gravissimæ, vel potiùs extra consuetum ordinem positæ. Ubi occultum est crimen Supplicantium Matrimonio inter se jungi cupientium, aliudque obstat Impedimentum publicum, hoc etiam *Pœnitentiariæ* aperiendum est; eique prætereà indicandum Supplicantes apud *Datariam* egisse vel acturas esse, ad obtinendam in Impedimento publico Dispensationem : quæ quidem obtenta priùs *fulminetur*, quàm occultum Impedimentum in arcano Pœnitentiæ Tribunali eadem auctoritate Apostolicâ tollatur.

Itaque, *Oratoris* vel *Oratricis* tacito nomine ac domicilio, ad EminentissimumCardinalemPœnitentiarium-majorem à Confessario scribitur epistola sub hoc titulo exteriore:

A SON *EMINENCE*

Monseigneur le Cardinal Grand-Pénitencier :

A Rome.

FORMULA *Epistolæ supplicis, ad postulandam Dispensationem in Impedimento occulto Affinitatis* ex copula illicita.

I. Ad contrahendum.

Eminentissime & Reverendissime Domine,

EXPONITUR *humiliter Reverentiæ Vestræ pro parte devoti illius Oratoris* Titii, *quòd, postquàm idem Orator carnaliter cognovit* Fabiam, *posteà ignarus Impedimenti, bonâ fide* (vel *conscius Impedimenti*,) *tractatum habuit de contrahendo Matrimonio cum sorore dictæ* Fabiæ. *Cùm autem dictum Impedimentum sit occultum, tractatus verò publicus ; &, nisi ad effectum deducatur, scandala exindè vero similiter exoritura sint ; cupit Orator, ad vitanda scandala, & pro conscientiæ suæ quiete, de præmissis, de quibus summè dolet, absolvi, & secum dispensari. Quare Eminentiæ Vestræ humiliter supplicat, ut super his de opportuno remedio auctoritate Apostolicâ providere dignetur.*

Dignetur Eminentia Vestra responsum dirigere ad me infrà scriptum N.

Hìc Sacerdos Rescriptum postulans ut illud exequatur, nomen suum & qualitates suas accurratè scribat explicitèque designet (sit-ne simplex Confessarius, an Parochus, an Theologiæ Magister, an Canonum Doctor); ac denique suum domicilium. Nec longiorem eâ de re timeat expositionem ; & ne quis remaneat æquivocationi locus, Parochiæ, Urbis, Diœcesis, Provinciæ nomen diligenter explicet.

Cùm autem Orator vel Oratrix, vel ambo simul Supplicantes, per seipsos Romam scribentes, ad semetipsos *Breve* dirigi cupiunt, ut illud Parocho vel Confessario tradant, per quem à se deligendum fiat Rescripti executio ; (quoniam solet Pœnitentiaria Doctores in sacra Theologia vel in Jure Canonico eligere) si nullus

in Oratorum regione adsit hisce ritulis insignitus, vel jam conscientiæ suæ arcana simpliciter approbato Sacerdoti aperuerint, vel demùm (ut plerumque fit in mulieribus) Doctorem longinquum adire nequeant; tunc ab eo qui Romam scribit, hæc adduntur: *Et quia in Oratoris* (vel *Oratricis*) *loco nullus reperitur Confessarius in Theologia Magister, vel Canonum Doctor, vel alius ad exequendum privilegiatus*, (seu *quia Orator* vel *Oratrix suam conscientiam simpliciter approbato Sacerdoti jam aperuit*,) *dignetur Eminentia Vestra providere & disponere ut etiam alius exequi valeat.* Et tunc *Breve* sic dirigitur: *Discreto viro Confessario ex approbatis ab Ordinario, per latorem Præsentium specialiter eligendo.* Si Orator nominatim designet Confessarium ad quem *Breve* dirigi cupiat, non omittat ejus *qualitates* exponere. Præter titulum quem *Breve* interiore formulâ exhibere debebit, provideatur insupèr ut recta sit exterior superscriptio: ideòque Orator vel Oratrix nomen suum & domicilium quàm accuratissimè, ut suprà diximus, Gallico idiomate ac dilucidâ scripturâ exarabit post has voces: *Dignetur Eminentia Vestra exteriore titulo rescribere ad* N....

(*) Pyrrhus Corradus, *lib.* 7. *cap.* 4. *n.* 72. Sanchez, *de Matrim. l.* 8. *disput.* 27. *n.* 40.

Cùm Rescripti executor non est nominatim designatus, potest quilibet Sacerdos ad excipiendas Fidelium Confessiones ab Ordinario approbatus illud executioni mandare; liberumque est Impetrantibus unum quem voluerint inter illos Confessarios eligere, à quo absolvantur, vel secum dispensetur. Electo ejusmodi Confessario *Breve* tradendum est obsignatum: si tamen casu aliquo, vel alicujus improbâ curiositate apertum fuisset, non idcircò minùs validum censetetur. Quòd si etiam Confessarius, aperto *Brevi*, & Pœnitentis auditâ Confessione, hunc absolvere aut cum ipso dispensare abneget, nihilominùs *Breve* ab alio poterit executioni mandari: idem dicendum, si ante *Brevis* executionem deficiat primò electus Confessarius (*). Si nominatim designatus sit Rescripti executor, illud exequi alius non potest. Si non sit nominatim designatus, Rescriptum exequi poterit (ut modò dictum est) quivis ab Oratore electus, expressis in Epistola titulis insignitus, & qui sit ab Ordinario approbatus in loco, atque erga personam, in quo, & cujus in gratiam Rescriptum executurus est. Si debeat executor à Diœcesano Præsule designari, Impetrans mandata Præsulis eâ de re postulet. De his autem judicandum erit ex tenore *Commissionis* in *Brevi* descriptæ: quam proindè accuratè legat Sacerdos, ne potestatis suæ limites excurrat. Confessarius porrò ad quem directum fuit *Breve Pœnitentiariæ*, cùm sit ipse delegatus, vicarium *Brevis* executorem delegare non potest.

II. Ad remanendum in contracto.

Eminentissime ac Reverendissime Domine.

*F*ABIUS *laïcus, conscius* (vel *ignarus*) *Impedimenti, contraxit in facie Ecclesiæ Matrimonium cum muliere, cujus matrem* (vel *filiam*, vel *sororem*, vel *matrem & sororem*, vel *sorores duas*) *priùs carnaliter cognovit.*

cognovit. Quarè, cùm sine scandalo separari non possint, & Impedimentum sit occultum, humillimè supplicat pro Absolutionis & Dispensationis remedio.

Dignetur, &c.

ALIA SUPPLICUM EPISTOLARUM EXEMPLA.

Ad postulandam Dispensationem Impedimenti occulti Affinitatis ex copula illicita.

I. Ad contrahendum.

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

VIR solutus duas cognovit carnaliter sorores solutas : ex una, quæ est inscia Impedimenti, liberos suscepit ; & ad reparandum illius famæ detrimentum, illam vult ducere uxorem. Postulat sibi concedi Dispensationem ad Matrimonium validè ac licitè contrahendum.

Dignetur Eminentia Vestra rescribere ad N. & dirigere Breve *Parocho Supplicantis*, vel *discreto viro Confessario ex approbatis ab Ordinario*, vel *ab illo designando.*

Alio modo.

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

FABIUS intendens Juliam *uxorem ducere, cum ea & cum ipsius matre peccavit. Peccatum cum matre commissum remansit occultum : cùm tamen illud Impedimentum sit Matrimonio quod* Fabius *cum* Julia *contrahere cupit, & ad quod tenetur ad tollendum scandalum & reparandam* Juliæ *famam ;* (vel *ad præveniendum scandalum & servandam* Juliæ *famam ;*) *expetit Orator, propter dictas rationes, & pro conscientiæ suæ quiete, à præmissis, de quibus summè dolet, absolvi, & secum dispensari, ut sibi liceat cum memorata* Julia *Matrimonium contrahere.*

Dignetur, &c.

II. Ad remanendum in contracto.

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

PORCIUS cupiens Matrimonio jungi cum Fabia, *cujus matrem priùs carnaliter cognoverat, & in spe Dispensationis faciliùs impetrandæ, prædictæ* Fabiæ *nupsit non dispensatus, & cum ea per annum unum* (vel *plures*) *habitavit. Sed culpam suam agnoscens, de qua summoperè dolet, Absolutionem petit delictorum suorum quæ omnia occulta remanserunt, & Dispensationem ad effectum renovandi Matrimonii sui cum* Fabia, *à qua non sine maximo scandalo discedere potest.*

Dignetur, &c.

Ad postulandam Dispensationem in Voto ingrediendæ Religionis.

I. Ad contrahendum.

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

EXPONITUR humiliter Reverentiæ Vestræ pro parte devoti illius Oratoris Titii, *quòd ipse aliàs gravi morbo laborans, se Religionem ingressurum simpliciter vovit. Cùm autem Orator, ob stimulos carnis quos sentit, continenter vivere posse non speret; pro suæ conscientiæ quiete cupit Votum hujusmodi, ad effectum contrahendi Matrimonium, in alia Pœnitentiæ & pietatis opera per Sedem Apostolicam commutari. Quare Eminentiæ Vestræ humiliter supplicat, ut super his de opportuno remedio providere dignetur.*

Dignetur, &c.

EXEMPLUM Epistolæ supplicis, Gallico sermone conscriptæ, ad obtinendam Dispensationem in Voto castitatis perpetuæ.

Ad contrahendum.

Monseigneur,

LA Suppliante a fait Vœu de chasteté perpétuelle; (ou *de se faire Religieuse;*) *mais elle se trouve en péril de le violer, à cause des violens aiguillons de la chair qu'elle ressent;* (ou, *parce qu'ayant perdu son pere & sa mere, elle est exposée à bien des dangers;*) *c'est pourquoi, pour mettre sa conscience en repos, elle demande très-humblement que son Vœu lui soit changé, à l'effet de pouvoir contracter Mariage.*

Votre Eminence aura la bonté d'adresser sa réponse à Monsieur N. *demeurant à* N. *Diocèse de Paris* (il faut désigner la ville la plus proche); *& de commettre, pour accorder à la Suppliante la grace qu'elle demande, la personne de Monsieur* N. *simple Confesseur,* ou *Curé,* ou *Vicaire de* N. *auquel la Suppliante a commencé sa Confession,* ou *ouvert sa conscience.*

Ad remanendum in contracto.

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

ORATOR Votum Religionis (vel *perpetuæ castitatis*) *emisit, & posteà nupsit. Sed culpam suam agnoscens, ac de ea summoperè dolens, humiliter expetit ut sibi in contracto Matrimonio remanere, debitumque conjugale Parti suæ reddere & ab ea exigere liceat.*

Dignetur, &c.

AD postulandam Dispensationem Impedimenti provenientis ex adulterio, secluso homicidio.

Ad contrahendum.

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

EXPONITUR humiliter Reverentiæ Vestræ pro parte devotorum Oratorum Titi *&* Agathæ, *quòd ipsi aliàs, vivente Oratricis marito, insimul adulteraverunt, datâ sibi ad invicem fide de Matrimonio inter se contrahendo, si dictus maritus præmoreretur; & deindè, illo defuncto, neutro tamen Oratore in ejus mortem machinante, de Matrimonio inter se contrahendo tractârunt. Cùm autem Impedimentum ex præmissis proveniens sit occultum, tractatus verò publicus, & nisi ad effectum perducatur, scandala exindè exoritura sint; ad ea vitanda, ac pro suæ conscientiæ quiete, cupiunt Oratores à præmissis, de quibus plurimùm dolent, per Sedem Apostolicam absolvi, secumque desupèr dispensari. Quare Eminentiæ Vestræ humiliter supplicant, ut super his de opportuno remedio auctoritate Apostolicâ providere dignetur.*

Dignetur, &c.

CUM, præter Eminentissimum Cardinalem Pœnitentiarium-majorem, alii sint, eo duce ac principe, summi Pontificis Jurisdictionem Pœnitentialem exercentes, nempè Fratres-Minores-Reformati, & Fratres-Prædicatores; ad eos, vel eorum Procuratores-Generales rectà scribi potest in hunc ferè modum:

FORMULA Epistolæ supplicis, quandò scribitur ad Suppœnitentiarios. Ad postulandam Dispensationem in Voto castitatis perpetuæ.

Ad contrahendum.

Admodùm Reverende in Christo Pater,

QUOD gravia & copiosa A. R. Paternitatis Vestræ negotia interpellem, urget charitas proximi. Siquidem Cæcilia *Votum simplex perpetuæ castitatis emisit: sed cùm de facto orbata suis parentibus, variis exponatur incontinentiæ periculis, ita ut continenter se vivere posse diffidat;* (vel, *sed cùm carnis stimulis adeò agitata sit, ut & maximè dubitet continere posse, & proptereà de ejus incontinentiâ probabiliter timendum sit;*) *enixè rogat Dispensationem ad effectum nubendi, ut sibi debitum conjugale & exigere & reddere liceat. Quarè humillimè rogat, & ego cum ipsa, ut dignetur A. R. Paternitas Vestra necessariam Dispensationem pro foro interno apud S. Pœnitentiariam amore Dei & proximi procurare, & obtentam mihi transmittere. Deus omnis charitatis largissimus retributor,*

(1) Le Port de la Lettre.

dabit mercedem; quæ ut copiosa sit, exiguas meas preces promitto, & vestris humillimè me commendo.

A. R. Paternitatis Vestræ servus in Christo addictissimus. N.

(Parisiis, vel N. die... mensis... an....)

Solvetur etiam deferendæ Epistolæ pretium (1); & hic erit ejus titulus exterior :

AU RÉVÉREND

Le Très-Révérend Pere Procureur-Général de l'Ordre des Franciscains-Réformés. (ou des Dominicains.)
A Rome.

EXEMPLA Brevium *PŒNITENTIARIÆ ROMANÆ*, ET EORUM *EXPLICATIO.*

HIc subjungemus aliquot Formulas *Brevium* Pœnitentiariæ, nonnullis respondentium Epistolis Supplicibus, quarum suppeditavimus exempla; & præcipuas ejusmodi *Brevium* clausulas explicabimus.

BREVIA Dispensationis in Impedimento Affinitatis ex copula illegitima.

I. Ad contrahendum.

Lucius, miseratione Divinâ Episcopus N. S. R. E. Cardinalis.

DISCRETO viro N. Confessario, Theologiæ Magistro, (vel Canonum Doctori,) ex approbatis ab Ordinario, per latorem (vel latricem) præsentium eligendo, ad infrascripta specialiter deputato, Salutem in Domino.

Ex parte latoris præsentium nobis oblata petitio continebat, quòd ipse de Matrimonio contrahendo tractavit cum muliere, quam & cujus matrem carnaliter cognovit. Cùm autem, sicut eadem petitio subjungebat, dicta carnalis cognitio cum præfata mulieris matre sit occulta, & nisi lator cum dicta muliere Matrimonium contrahat, periculum immineat scandalorum; ideò, ad dicta scandala evitanda, & pro suæ conscientiæ quiete, cupit per Sedem Apostolicam absolvi, secumque dispensari. Quarè supplicavit humiliter, ut sibi super hoc de opportuno remedio providere dignaremur. Nos discretioni tuæ committimus, quatenùs si ita est, dictum latorem, auditâ priùs ejus sacramentali Confessione, ac sublatâ occasione ampliùs peccandi cum dicta mulieris matre, ab incestu & excessibus hujusmodi absolvas hac vice in forma Ecclesiæ consueta, injunctâ ei pro tam enormis libidinis excessu, gravi pœnitentiâ salutari, & aliis quæ de jure fuerint injungenda. Demùm, dummodò Impedimentum ex præmissis proveniens, occultum sit, & aliud Canonicum non obstet, cum eodem latore, quòd, præmissis non obstantibus, Matrimonium cum dicta muliere, & uterque inter se publicè, servatâ formâ Concilii Tridentini, contrahere, & in eo postmodùm remanere licitè valeat, misericorditer dispenses: prolem suscipiendam exindè legitimam pronuntiando in foro conscientiæ, & in ipso actu sacramentalis Confessio-

nis tantùm, & non aliter, neque ullo alio modo; ita quòd hujusmodi Absolutio & Dispensatio in foro judiciario nullatenùs suffragentur. Nullis super his adhibitis testibus, aut litteris datis, seu processibus confectis, sed præsentibus laceratis, quas sub pœna Excommunicationis latæ sententiæ laniare tenearis, neque eas latori restituas: quòd si restitueris, nihil ei præsentes Litteræ suffragentur. Datum Romæ, &c.

EXPLICATIO præcipuarum hujus Brevis *clausularum.*

I°. D*ISCRETO viro Confessario, Theologiæ Magistro* (vel *Decretorum Doctori.*) Confessarius qui Rescriptum executurus est, eo titulo insignitus esse debet, quem præfert interior hujus *Brevis* inscriptio. Nonnulli tamen Regulares illud exequi possunt sine ullis Gradibus Academicis, sed non sine Regularium Superiorum licentiâ. Tales sunt Religiosi Mendicantes, Presbyteri Congregationis Missionis, &c.

II°. *Ex approbatis ab Ordinario.* Hinc sequitur necessarium esse ut *Brevis* executor Confessarius, quicumque ille sit, tunc facultate polleat excipiendi Confessiones eo in territorio, in quo illud *Breve* executurus est. Itaque Sacerdos in aliena Diœcesi approbatus, vel qui olim tantùm approbatus fuisset in Diœcesi Pœnitentis eum eligentis, cum eo dispensare non posset. Necesse est pariter ut Confessarii Approbatio ad eam personam extendatur, cujus in gratiam *Breve* concessum est; ita ut, si certi cujusdam territorii limitibus circumscripta sit ejus Approbatio, prædictam personam ex illo territorio esse oporteat. Pœnitentiarius Romanus Ordinarii Approbationem sequitur, eique omninò non derogat.

III°. *Si ita est*, vel *si preces veritate nitantur.* Hujus clausulæ virtute, inquirere tenetur Sacerdos an sincera & integra sit expositio Epistolæ Supplicis, cujus tenorem exhibet Rescriptum; an non omissa fuerit aliqua circumstantia necessaria. Si enim sit diversitas, vel omissio gravis, peccatum v. g. Matrimonio contracto, fuisse commissum, vel cum persona conjugata; vel habitam copulam, licèt cognito utrimque Impedimento, aut etiam eâ mente ut Dispensatio faciliùs impetraretur; vel utrique Parti notitiam fuisse delicti Impedimèntum parientis; tunc irrita esset gratia in fide incompletæ seu falsæ expositionis concessa, denuòque ad Sedem Apostolicam recurrendum. Inquirenda est pariter veritas causarum propter quas expetitur & conceditur Absolutio vel Dispensatio: an certò constet scandalum allegatum; an vera sit Voti persolvendi impotentia; an verè occultum sit peccatum seu Impedimentum. Occultum quidem intelligi solet, quod *Juris* aut *facti* publicitate non est publicum, neque etiam in vulgi cognitionem erupit. Sed in Matrimonii Impedimentis, non illa tantùm publica censentur, quæ *de Jure* vel *de fa-*

ɑ̃o notoria sunt, verùm etiam quæ talia fieri possibile est, quamvis pro tempore occulta sint; qualia sunt Impedimenta *Consanguinitatis* vel *Affinitatis legitimæ*, *Honestatis publicæ*, *Affinitatis spiritualis*, &c. Ea enim Impedimenta in Judicio probari possunt; & tunc irritum pronuntiaretur Matrimonium.

Si ergò Impedimentum quod occultum asseruit supplex Epistola, sit publicum, vel tale fieri possit, ut modò diximus; *Breve* executioni mandari validè non potest. Si Casus qui in Supplicantis domicilio est occultus, sit publicus in loco ubi commissus est, aliove in loco; Pontifici Maximo explicari debet ea *publicitas*: alioqui, *Breve* pro tali casu quatenùs occulto impetratum, *subreptitium* foret, nulliusque momenti. Porrò in his inquirendis non alius testis adhibendus est præter ipsummet Supplicantem, cujus nempè affirmationi omninò standum est, nisi diversus rei status aliundè certissimus innotescat.

IV°. *Dummodò Impedimentum aliud Canonicum non obstet*. Itaque, si Rescripti executor Confessarius Pœnitentem inveniat alio Impedimento irretitum, quod vel omisit ignotans, vel subticuit fraudulentus, iterùm ad *Pœnitentiariam* debet scribere; cui Impedimentum rursùs explicet, super quo ipsa Dispensationem jam concesserat, prætereàque illud exponat de quo nondùm facta fuerat mentio. Et quandò in *Dataria* Tribunali Dispensatio erit obtinenda pro Impedimento publico, simulque in Pœnitentiaria pro occulto; tunc non poterit Confessarius exequi Dispensationem in *Pœnitentiaria* obtentam, nisi priùs *fulminatâ* Dispensatione quæ in *Dataria* concessa fuerit.

V°. *Auditâ priùs ejus sacramentali Confessione*. Hinc sequitur *Breve* à Romana *Pœnitentiaria* transmissum executioni mandari non posse nisi in solo Pœnitentiæ Tribunali, nec illud valere nisi collatâ sacramentali Absolutione; atque idcircò necessarium esse ut is cui beneficium *Brevis* applicandum est, sacramentaliter confiteatur Sacerdori *Brevis* executori, quamvis de simplici Dispensatione, vel de ipsamet sola Voti commutatione agatur. Quinimò, si irritam & sacrilegam emittat Confessionem, irrita quoque erit gratia, nullumque pariet effectum. De quibus omnibus Pœnitentes diligenter moneant Confessarii.

VI°. *Dispenses .... in foro conscientiæ & in ipso actu sacramentalis Confessionis tantùm .... ita quòd hujusmodi Absolutio & Dispensatio in foro judiciario nullatenùs suffragentur*. Per hanc clausulam, in solo *foro interno* valet gratia. Undè, si publicum esset peccatum vel Impedimentum, inutilis ea gratia foret ad vitandas pœnas publicas, nec minùs irritum maneret conjugium: & tunc Supplicanti providendum esset ex *Dataria* Tribunali, cujus gratia in *foro externo* eidem applicaretur.

VII°. *Nullis, super his, adhibitis testibus*. Id est, ad illius gratiæ executionem nullus fieri debet judicialis *processus*, nulla mentio in Parochialibus Actorum Codicibus,

nullum dari testimonium : hæc omnia intra Pœnitentiæ Tribunal perficiuntur, & sigillo Confessionis obsignantur. Cùm autem *Breve* in *Dataria* conceditur pro Dispensatione in Impedimento publico, id ab eo Tribunali ad Officialem dirigitur, à quo *fulminatur :* tum Partes illud cum Officialis Sententia Pastori tradunt : Pastor utrumque refert in Acta Matrimonii, & penès se retinet, si fortè sit aliquandò exhibendum.

VIII°. *Hac vice, in forma Ecclesiæ consueta.* Potestatem suam non impertitur summus Pontifex, nisi ad gratiæ executionem : undè, postquàm Sacerdos Absolutionem ac Dispensationem concessit, ministerium suum implevit ; & si gratia propter malas Pœnitentis dispositiones irrita fuerit, aliud *Breve* obtineri sanctiùsque applicari unicè tutum est.

IX°. *Injunctâ ei gravi Pœnitentiâ salutari.* (Aliàs, *longâ, gravissimâ, perpetuâ*). Si speciatim injuncta sit Pœnitentia, eam, nisi gravibus de causis, commutare non potest Confessarius : sed injunctam Pœnitentiam, suadente charitate ac dirigente prudentiâ, minuere potest, cùm illa gravior esse videtur, habitâ ratione sexûs, ætatis, valetudinis, satisfactionum pro iisdem delictis, vel spontè, vel præcipiente Confessario, jam peractarum ; tum pro cæteris circumstantiis, in quibus, inscio Pœnitentiario-majore, versari possunt aliàs ritè dispositi Pœnitentes. Quòd si jubeat *Breve* ut Pœnitenti injungatur, singulorum mensium Confessio, non designatâ diuturnitate ; Confessarius hanc sapienti consilio definire potest. Idem dicendum est de cæteris Pœnitentiis quarum non est constituta duratio. Si ejus arbitrio permittantur pœnæ satisfactoriæ, eas utique juxta prudentiæ leges constituere debet. Si præcipiatur ut sit *longa Pœnitentia*, plures menses complectatur : si *diuturna*, tres circiter annos : si *perpetua*, totam vitam ; ita ut vocis significationi genuinæ quàm maximè respondeat : si *gravissima ;* hujusmodi sint opera injuncta, aut saltem gravitas diuturnitate compensetur. Cæterùm diligenter videndum est, ne qua imponatur Satisfactio, per quam Pœnitentis crimen in cujusquam suspicionem venire possit. Cùm enim occultè peccaverit, jus retinet ad famæ suæ integritatem ; eâque, nisi injustè & cum gravissima sigilli Sacramentalis injuria, fraudari non potest.

X°. *Et aliis quæ de jure fuerint, injungenda.* Ea clausula generalis est ; ipsaque, etiam tacita, intelligitur. Si Pœnitens famæ proximi labem inussit, nec pro viribus eam delevit ; si aliena injustè retinet, nec tamen restituere curat ; si inimicitias exercuit, necdùm fratri suo reconciliatus est ; si in comessationibus, in ebrietatibus, in impudicitiis vixit, nec studet mores in melius immutare ; si in peccati consuetudine vel occasione torpescit, nec vult ab iniquitate vel iniquitatis periculo discedere ; circa hæc & similia, piæ severitatis instinctu adigendus est ad omnia præstanda, quæ ab eo postulant æquitas, ratio, Religio & cura propriæ salutis, &

quibus non præstitis, nec delictorum remissionem, nec ipsius gratiæ à Christi Vicario concessæ beneficium obtineret. Atque idcircò, tum in cæteris Casibus, tum in his præsertim, sapientis directionis regulæ, de quibus suo loco satis copiosè disseruimus, diligenter observentur.

XI°. *Neque eas (Litteras) latori restituas: quòd si restitueris, nihil ei præsentes Litteræ suffragentur.* Hac clausulâ sapienter prohibetur ne latori à Confessario tradatur *Breve*, postquàm fuerit executioni mandatum. Id tamen, rebus integris, fieri potest, si Pœnitens alium velit Sacerdotem adire; dummodò fractum non fuerit *Brevis* sigillum. Si autem Pœnitens absolutus vel dispensatus *Breve* reciperet de Confessarii manu, non idcircò in eamdem Censuram iterùm incideret; sed nullam indè utilitatem in alium quemlibet effectum posset capere. Ita prohibetur ne Litteras reddat Sacerdos, ut ipsemet sæpiùs (etiam sub pœna Excommunicationis eo neglecto incurrendæ) eas lacerare jubeatur, postquàm iis usus fuerit. Cùm hoc jubetur, negligi nunquam debet: quinimò illud fieri, etiam injussum, semper tutius est; & coram Pœnitente rem confici expedit.

Si quandò certa quædam monita sontibus exhibenda in *Brevi* expressè ac disertè constituantur, id pariter exequi non omittat Confessarius. Eos prætereà de Absolutionis, Dispensationis, seu gratiæ cujuslibet concessæ effectibus admoneat.

II. Ad remanendum in contracto.

CUM Dispensatio conceditur ad instaurandum Matrimonium invalidè contractum propter Impedimentum antecedens, in *Brevi* Dispensationis continentur quædam clausulæ peculiares. Transcriptâ rei expositione, qualis facta fuerat in Epistola supplici, his ferè verbis pergit Pœnitentiarius Romanus:

Nos igitur discretioni tuæ committimus, quatenùs, si ita est, dictum latorem, auditâ priùs, &c. à quibusvis Sententiis, Censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quas propter præmissa quomodolibet incurrit, absolvas..... injunctâ ei, pro tam enormis libidinis excessu, gravi pœnitentiâ salutari, ac Confessione sacramentali semel quolibet mense per tempus arbitrio tuo statuendum; & aliis injunctis, &c. Demùm, dummodò Impedimentum præfatum occultum sit, & separatio inter latorem & dictam mulierem fieri non possit absque scandalo, & ex cohabitatione de incontinentia probabiliter timendum sit, aliudque Canonicum non obstet, cum eodem latore, ut, dictâ muliere de nullitate prioris consensûs certioratâ, sed ita cautè ut latoris delictum nusquam detegatur, Matrimonium cum eadem muliere, & uterque inter se de novo, secretè, ad evitanda scandala, prædictis non obstantibus, contrahere, & in eo postmodùm remanere licitè valeat, misericorditer dispenses; prolem susceptam, si qua sit, & suscipiendam exindè legitimam decernendo in foro conscientiæ, &c.

Hujus

Hujus *Brevis* explicandæ sunt clausulæ difficiliores. I°. *A quibusvis Sententiis, Censuris, & pœnis Ecclesiasticis.... absolvas.* Hic non agitur nisi de Censuris quæ, vel Jure communi, vel Statutis Diœcesanis latæ in eos fuissent, qui Matrimonia contrahunt incesta, seu in Gradibus prohibitis; quia nempè Dispensatio quam pro Casibus occultis concedit *Pœnitentiaria*, eum spectare non potest, qui Censuris propter Matrimonium invalidè contractum perstrictus nominatim fuisset.

II°. *Quas propter præmissa quomodolibet incurrit.* His verbis Confessarii facultas restringitur ad eas Censuras, in quas inciderit Pœnitens ob crimen quod sit materia Dispensationis. Si fortè aliis Casibus vel Censuris irretitus inveniatur, ab iis absolvi nequit, nisi ab eo ad quem pertinet, specialis obtineatur facultas.

III°. *Uterque inter se de novo secretè.... contrahere.... licitè valeat.* Hinc contra Sedis Apostolicæ intentionem fieret, si Sacerdos Partes cogeret denuò coram se ac Testibus contrahere. Prius fieri non potest, nisi quandò nihil prorsùs timendum est; nunquam verò testes adhibendi sunt. De cætero consensum à conjugatis quoquomodò renovari satis est, dummodò tamen ea renovatio non sit ex toto ac simpliciter interior.

BREVE *Dispensationis in Voto castitatis perpetuæ, seu Religionis.*

Ad contrahendum.

TRANSCRIPTO Supplicis Epistolæ tenore, addit Pœnitentiarius Romanus: *Nos discretioni tuæ committimus, quatenùs, si ita est, dictam latricem, &c. absolvas, injunctâ ei pœnitentiâ salutari, sibique Votum præfatum ad hoc tantùm ut Matrimonium legitimè contrahere, & in eo debitum conjugale exigere & reddere licitè valeat, in sacramentalem Confessionem semel quolibet mense, & in alia pœnitentiæ opera perpetua per te injungenda, inter quæ sint etiam aliqua (Religionis quam ingressura fuisset) quæ quotidiè facere teneatur, ad eum finem ut, ea adimplens, meminisse semper possit obligationis quâ hujusmodi Voto astringebatur, prout secundùm Deum ipsius animæ saluti expedire judicaveris, dispensando commutes in foro conscientiæ tantùm, &c.*

Earum clausularum hæc difficilior occurrit: *Si ita est;* si nempè constet Oratricem usque adeò carnis stimulis agitari, ut maximè dubitet an possit continenter vivere, ideòque de ejus incontinentiâ sit probabiliter timendum. Circumspectè & prudenter explorare debet Confessarius, qualis & quanta sit Pœnitentis suæ tentatio. Si levis tantùm sit aut mediocris; nec multùm turbari debet, nec dispensare, donec temporis experimento dispensandi necessitatem compererit. Exorto dubio utrùm satis valida

sit tentatio ut *Brevis* clausula impleatur, vel utrùm ea tentatio possit imminui; Pœnitenti suadendæ sunt pietatis exercitationes ad sedandum ejus animum idoneæ: crebræ, exempli causâ, orationes ad eum *quem sequuntur virgines*, *Agnum* Dei immaculatum (*a*), ad Reginam virginum, ad Angelum Custodem; ac præsertim Sacramentorum frequentatio; ut, in fortitudine Panis Angelorum & *vini germinantis virgines* (*b*), hanc virtutem obtineat *ut sit sancta corpore & spiritu* (*c*). Denique examinanda sunt consuetudinis gradus, fortitudo & vetustas; nec facilè sibi persuadendum est, eam radicitùs convulsam esse ac penitùs emortuam, eò quòd paucorum dierum aut etiam hebdomadarum intervallo sopita conquieverit. Lapsûs periculum probabile, censetur esse ad dispensandum ratio sufficiens: nihil aliud requirit summus Pontifex; & propterea *de ejus* (*Oratricis*) *incontinentiæ periculo probabiliter timendum est.*

Injunctâ ei Pœnitentiâ salutari. Raro evenit ut quisquam sine culpa sua in quamdam Voti persolvendi impotentiam inciderit. Hæc scilicet causa est pœnæ satisfactoriæ à Romano Pœnitentiario impositæ.

Ad hoc tantùm, ut Matrimonium legitimè contrahere, & in eo debitum conjugale exigere & reddere licitè valeat. Si nempè mulier à proposito castitatis ad conjugium per Dispensationem transiens, aliud faceret quàm quod in Matrimonio licet, vel Matrimonii fidem per adulterium violaret; Votum violasse profectò censeretur, propterea quòd illud ad cætera integrum permaneat. Præterea, mortuo conjuge, alteri uxorem se adjungere sine nova Dispensatione non posset, nisi prior Dispensatio generalis fuisset; quod quidem ferè insolitum est, *Brevi*, ut plurimùm, hæc verba continente: *Ita quòd, si viro, cui conjungetur, supervixerit, castitatem servet.* Quandò ejusmodi Pœnitens, Voti commutationem postulans, tam validis tentationum procellis jactatur, ut jam peccare incipiat; hortanda est ad accelerandum illud quod meditatur, conjugium: ut nempè integra servetur à culparum iteratione, quæ totidem essent Voti transgressiones; atque ut concupiscentiæ remedium, quo indiget, in Matrimonio quamprimùm inveniat.

Extrema clausula eam spectat materiam, quæ veteris Voti materiæ substituenda est. Ea scilicet versatur, 1°. in lege imposita semel per mensem confitendi: 2°. in aliis Pœnitentiæ operibus perpetuis. Ex his autem operibus nonnulla quotidiana sunt; eaque, quamvis sociari possint cum officiis Matrimonii quod inire Oratrici permittitur, debent tamen suum ei Votum in mentem reducere, ipsumque Ordinem, quem, posito Religionis Voto, ingressuram se esse promiserat. Quan-

(*a*) *Apoc.* 14. 4. 1. 1 *Petr.* 19.
(*b*) 3 *Reg.* 19. 8. *Ps.* 77. *Zach.* 9. 17.
(*c*) 1 *Cor.* 7. 34.

doquidem igitur, in hoc posteriore Casu, ea summi Pontificis intentio est, ut Oratrix sese aliquatenùs componat Regulæ Monasterii quod ingredi priùs intenderat, eidem poterit injungi quotidiana Missæ auditio, vel conscientiæ perscrutatio, vel pii alicujus libri lectio, vel quædam jejunia: & sic, utcumque reddet Vota sua *de die in diem* (*d*). Quòd si posteà Impetrans, mortuo marito, fiat libera; simul desinet Pœnitentia Voto substituta, quia Votum reviviscet integrum, nisi sit Votum Religionis; hoc enim in perpetuum abrogato, Pœnitentia ei subrogata usque ad ultimum vitæ terminum extenditur.

Quamobrem, monente Confessario, Pœnitens Votum illud quotidiè reminiscatur, cujus, Ecclesiâ misericorditer dispensante, facta est immunis: quod quidem præstare non omittat, impositam sibi quotidianam Pœnitentiam adimplens; & sic, compendiosâ redemptione, *quæcumque vovit, reddat pro salute Domino* (*e*). Talis enim est pro Christo solventis & ligantis intentio, in *Brevi* disertè his verbis expressa: *Ad eum finem ut, ea adimplens, meminisse semper possit obligationis quâ hujusmodi Voto astringebatur.*

Si concessa per Litteras gratia sit Absolutio à peccato, vel à Censura, sufficere potest consueta sacramentalis Absolutionis formula. Si gratia sit Dispensatio; prolatâ sacramentali Absolutione, moneri debet à Confessario Pœnitens, secum esse dispensatum: nec verbis insolitis uti necesse est, cùm, juxta *Brevium* omnium tenorem, sola præcipiatur *forma Ecclesiæ consueta*. Cùm tamen, ubi agitur de Absolutione à Censuris, vel de aliqua Dispensatione, conceptis verbis applicari possint ex gratiæ, idque expedire videatur; notandum est expressam earum concessionem proferri debere post datam Absolutionem sacramentalem, immediatè ante hæc verba: *Passio Domini nostri Jesu Christi*, &c. nisi fortè absolvendus sit Pœnitens ab Excommunicatione vel ab Interdicto *personali*; tunc enim Absolutioni à peccatis præire debet Absolutio à Censura. Itaque hujusmodi concessionum formulæ in Pastoralis hujus Parte Rituali locum habebunt, ubi scilicet describetur *Ordo ministrandi Sacramentum Pœnitentiæ.*

HIC subjungendam censuimus *formulam Epistolæ supplicis pro Simonia*; cujus nomen ipsum utinam apud Ecclesiasticos viros ignotum esset!

Eminentissime & Reverendissime Domine,

*E*XPONITUR *humiliter Reverentiæ Vestræ pro parte devoti illius Oratoris* Austregesili, *quòd ipse aliàs quoddam Beneficium Ecclesiasticum simoniacè obtinuit, & deindè in suis Ordinibus se exercuit, fructusque ex*

(*d*) *Ps.* 60. (*e*) *Jonæ*, 2. 10.

præfato Beneficio recepit : cùm autem dictus Orator de præmissis, quæ occulta sunt, plurimùm doleat, præfatumque Beneficium dimiserit, suosque Ordines deinceps exercere, ac Beneficia Ecclesiastica cum cura & sine cura recipere licitè posse desideret ; ideò pro suæ conscientiæ quiete cupit per Sedem Apostolicam absolvi, secumque desuper dispensari. Quare Eminentiæ Vestræ humiliter supplicat, ut super his de opportuno remedio auctoritate Apostolicâ providere dignetur.

Dignetur, &c.



INDEX
ET EXPLICATIO
PRÆCIPUARUM ABBREVIATIONUM
Quæ in Romanæ Curiæ Rescriptis legentes morantur.

A.

A. Aa. *anno.*
Aa. *anima.*
Ab. *Abbas.*
Abs. Absne. Abñe. *Absolutio Absolutione.*
Abñs, abs. *absens.*
Absolveñ. *absolventes.*
Accu. *accusatio.*
A cēn. *à censuris.*
Adhēren. *adhærentium.*
Admitt. admittēn. *admittentes.*
Ad no. præs. *ad nostram præsentiam.*
Adriōr. *adversariorum.*
Adriōs. *adversarios.*
Æst. *æstimatio.*
Affect. *affectus.*
Affiñ. *affinitas.*
Aīar. *animarum.*
Aiūm. *animum.*
Al. als. *aliàs.*
Aliā. *aliam.*
Alienat.ne *alienatione.*
Aliquōdo. *alioquoquomodo.*
Al.mus *altissimus.*
Alr. *alter. aliter.*
Als. pns. gra. *aliàs præsens gratia.*
Altēr. alrus. altius. altūs. *alterius.*
Añn. *annuum, annuatim.*
An. añn. *annum.*
Annēx. *annexorum.*
Appēll. reñ. *appellatione remotâ.*
Ap. obst. reñ. *appellationis obstaculo remoto.*
Aplica. *Apostolica.*
Applicañ. apcañ. *Apostolicam.*
Apostōl. *Apostolicam.*
Ap. sēd. lēg. *Apostolicæ Sedis Legatus.*
Aptis. appātis. appbātis. *approbatis.*
Approbō. *approbatio.*
Approbāt. approbēm. *approbationem.*
Arbō. *arbitrio.*
Arch. *Archidiaconus.*
Ap. arcpo. arīpo. archōpo. archoppo. *Archiepiscopo.*
Archiēpus. *Archiepiscopus.*
Arg. *argumentum.*
Asseq. *assequutâ.*
Assequēm. *assequutionem.*
Att. atto. attent. *attento.*
Attāta. *attentata.*
Attatōr. *attentatorum.*
Au. *auri.*
Aū. de cā. *auri de camerâ.*
Aucte. *auctoritate.*
Authorit. *authoritate.*
Audieñ. *audientiam.*
Augeñ. *augendam.*
Augñi. *Augustini.*
Autheñ. *authentica.*
Aux. *auxiliares.*
Auxō. *auxilio.*

Cujuslt. *cujuslibet.*
Cur. *Curia.*

D.

D. n. pp. *domini nostri papæ.*
D. n. *domini nostri.*
Dãt. *datum.*
Deãt. *debeat.*
De. dtẽ. *dictæ.*
Decrõ. *decreto.*
Decrũm. *decretum.*
Dẽſcti. *defuncti.*
Defivõ. *definitivo.*
Denomiñ. *denominatio.*
Denominãt. denom̃. *denominationem.*
Derogãt. *derogatione.*
Desup. *desuper.*
Devolũt. devõl. *devolutum.*
Dic. die. diſi. *Diœcesis, Diœcesi.*
Dic. *dictam.*
Digñi. digñ. *dignemini.*
Dil. fil. *dilectus filius.*
Dipn. *dispositione.*
Dis. ves. *discretioni vestræ.*
Discreoni. *discretioni.*
Dispão. *dissipatio.*
Dispao. dispens. dispensao. *dispensatio.*
Dispen. dispend. *dispendium.*
Dispoſit. *dispositivè.*
Diversor. *diversorum.*
Divor. *divortium.*
Dñi. *domini.*
Dñicæ. *dominicæ.*
Dño. *domino.*
D. dñ. doms. *dominus.*
Dom. *domini.*
Dotat. *dotatio.*
Dot. dotãte. *dotatione.*
Dr. *dicitur.*
Dti. *dicti.*
Duc. au. de ca. *ducatorum auri de camera.*
Ducat. *ducatorum.*
Ducẽn. *ducentorum.*
Dum. ret. dum. viv. *dum viveret.*

E.

Eã. *eam.*
Eccl. rom. *Ecclesia romana.*
Ecclæ. *Ecclesiæ.*
Ecclešum. *Ecclesiarum.*
Ecclesiaſt. *Ecclesiastici.*
Ecclis. ecclicis. *Ecclesiasticis.*
Ecclia. eccl. *Ecclesia.*
Ee. *esse.*
Effus. *effectus.*
Effũm. effect. *effectum.*
Ejusd. *ejusdem.*
Elect. *electio.*
Em. *enim.*
Emõltum. emoltis. *emolumentum, emolumentis.*
Eod. *eodem.*
Epũs. epo. *Episcopus, Episcopo.*
Et. *etiam.*
Ex. *extra.*
Ex. Rom. cur. *extra Romanam curiam.*
Ex. val. *existimationem valoris.*
Exãt. exiſt. *existat.*
Exit. extit. *existit.*
Excom. *excommunicatio.*
Excõe. excõis. *excommunicatione, excommunicationis.*
Execrab. *execrabilis.*
Exẽns. *existens.*
Exp. exmi. expmi. *exprimi.*
Expda. *exprimenda.*
Expis. expres. *expressis.*
Exprimend. *exprimenda.*
Exped. *expediri.*
Expẽda. exped. *expedienda.*

Exp[e]. *expressè.*
Expedñi. expedit. *expeditioni.*
Expo. Expreſſ. *expreſſio.*
Extēn. *extendendus.*
Extend. *extendenda.*
Ertraordin. *extraordinario.*

F.

Faciēn. facīn. *facientes.*
Fact. *factum, factam.*
Famāri. *famulari.*
Fel. *felicis.*
Fel. rec. pred. n. *felicis recordationis prædeceſſoris noſtri.*
Feſtivibus. *feſtivitatibus.*
Fn. for. forſ. *forſan.*
Foā. *forma.*
Fol. *folio.*
Fr. *frater.*
Fraēm. frūm. *fratrem, fratrum.*
Franūs. Francus. *Franciſcus.*
Frat. *fraternitas.*
Fruct. *fructus.*
Fructib. fruct. *fructibus.*
Fundat. *fundatio. fundatum, fundat.*
Fundē. fund[ne]. fundaōne, *fundatione.*

G.

Gener. gnālis. *generalis.*
General. *generalem.*
Gnātio. *generatio.*
Gñli. gnrali. *generali.*
Gñna. general. gnlr. *generaliter.*
Gñra. *genera.*
Grā. *gratia.*
Grad. affin. *gradus affinitatis.*
Grar. *gratiarum.*
Grat. *gratia.*
Grat. grofe. graſe. *gratioſa.*
Gratifc. gratne. *gratificatione.*
Grē. gıæ. *gratia.*

H.

Hab. *habere, haberi.*
Habeant. *habeantur.*
Habēn. *habentia.*
Hactūs. *hactenùs.*
Heantur. *habeantur.*
Here. *habere.*
Hēt. *habet.*
Hita. *habita.*
Hoe. *homine.*
Homici. *homicidium.*
Hujuſm. humōi. hūōi. *hujuſmodi.*
Humil. humilt. humlr. *humiliter.*

I.

I. *infrà.*
Id. is. *idus, idibus.*
Igr. *igitur.*
Illor. *illorum.*
Immun. *immunitas.*
Impetran. *impetrantium.*
Imponen. *imponendis.*
Import. *importante.*
Incipi. *incipiente.*
Infraptum. *infra ſcriptum.*
Infraſcrip. infrape. *infrà ſcripta.*
Intropta. *introſcripta.*
Invocaōne. *invocatione.*
Invocot. invocaōnum. *invocationum.*
Irregulte. *irregularitate.*
Januar. *Januarius.*
Jeēs. Joēs. *Joannes.*
Jud. Jud[m]. *judicium.*
Jur. *juravit.*
Juris. patr. *juris patronus.*
Jurto. *juramento.*
Jux. *juxta.*

K.

Kal. kl. *Kalendas.*

L. Laïc.

L.

Laïc. *laïcus.*
Laïcor. *laïcorum.*
Latme. latiſſ. *latiſſimè.*
Legit. *legitimè. legitimus.*
Letmo. ļmo. *legitimo.*
Legma. *legitima.*
Liā. *licentia.*
Liæ. lre. *litteræ.*
Lib. lo. *liber. libro.*
Lit. *litis.*
Litig. *litigioſus.*
Litigios. *litigioſa.*
Lima. ltima. *legitima.*
Litt. *littera.*
Litterar. *litterarum.*
Ltis. *litteris.*
Lte. litte. *licitè.*
Ludōus. *Ludovicus.*

M.

M. *monete.*
Māa. *materia.*
Magiſt. *magiſter.*
Magro. *magiſtro.*
Mand. *mandamus. mandatum.*
Mand. q. *mandamus quatenùs.*
Manib. *manibus.*
Mediet. *medietate.*
Mdtè. md[te]. *mediatè.*
Menſ. *menſis.*
Mir. *miſericorditer.*
Mirāone. mirātione. *miſeratione.*
Mn̄iri. *miniſtrari.*
Mō. *modo.*
Mon. can. præm. *monitione. canonicâ premiſſâ.*
Mon̄rium. *Monaſterium.*
Moven. *moventibus.*
Mrmōn. Mrīmonium. *Matrimonium.*

N.

Nri. N. *noſtri.*
Nār. *natura.*
Nativiteñ. *nativitatem.*
Neceſſ. *neceſſariis.*
Neceſſar. necrior. neriōr. *neceſſariorum.*
Neriā. *neceſſaria.*
Nō. *non.*
Nobil. *nobilium.*
Noēn. *nomen.*
Noia. nōa. nom. *nomina.*
Noboſt. *non obſtantibus.*
Noſt. *noſtri.*
Not. *notandum.*
Not. notā. *notitia.*
Notar. *notario.*
Noto. pūbco. *notario publico.*
Nrā. *noſtra.*
Nūltus. nulltus. *nullatenùs.*
Nuncūp. *nuncupatum.*
Nuncupāt. *nuncupationum.*
Nuncupē. *nuncupatè.*
Nūp. *nuper.*
Nūp. nūpt. *nuptiæ.*

O.

O. *non.*
Obat. obbāt. *obtinebat.*
Obbīt. *obitum.*
Obit. *obitus.*
Obnēri. *obtineri.*
Obn̄et. obt. *obtinet.*
Obſt. *obſtaculum.*
Obſtānt. *obſtantibus.*
Obtint. *obtinebat.*
Octobr. *octobris.*
Occup. *occupatam.*
Oēs. *omnes.*
Offāli. *Officiali.*

Ptr. ptur. *præfertur.*
Pttur. *petitur.*
Pub. *publico.*
Purg. canon. *purgatio canonica.*
Pūdlis. *præjudicialis.*
Puidere. pvidere. *providere.*

Q.


Q. *que.*
Qd. *quod.*
Qm. *quoniam.*
Qm. qōn. *quondam.*
Qmlb. qmlibt. qumlbt. qmlt. quomolt. qmolt. *quomodolibet.*
Qtus. qtnus *quatenùs.*
Qu. *quod.*
Qualit. *qualitatum.*
Quat. quaten. *quatenùs.*
Quoad vix. *quoad vixerit.*
Quodo. quod°. *quovismodo.*
Quon. *quondam.*
Quor. *quorum.*

R.

Rec. *recordationis.*
Reg. relē. *regulæ.*
Regul. *regularum.*
Reliōne. *religione.*
Refcript. *refcriptum.*
Refda. refdam. *refidentia. refidentiam.*
Refervat. *refervata. refervatio.*
Ref.° *refervatio.*
Refig. refig°. refigo. *refignatio.*
Refignatiōn. *refignationem.*
Refigne. *refignatione.*
Refigēr. *refignare.*
Reftoris. *reftitutionis.*
Retrofcript. rtus. *retrofcriptus.*
Regn̄et. rgnet. *refignet.*
Rlaris. relari. *regularis. regulari.*
Rlē. *regulæ.*
Rlium. *regularium.*
Rn̄tus. *renatus.*
Robor. *roboratis.*
Rom. *Romanus.*
Romā. *Romana.*
Rta. rrtā. *regiftrata.*
Rglari. *regulari.*

S.

S. *fanctus.*
S. p. *fanctum Petrum.*
S. *fanctitas.*
S. R. E. *fanctæ Romanæ Ecclefiæ.*
S. v. *fanctitati veftræ.*
S. v. o. *fanctitatis veftræ orator.*
Sa. *fuprà.*
Sacr. unc. *facra unctio.*
Sacror. *facrorum.*
Secul. *fecularis.*
Salūri. fālri. falari. *falutari.*
Sanctit. *fanctitatis.*
Sanctme. pr. *fanctiffime pater.*
Sārtum. *Sacramentum.*
Sati. fn̄ti. *fanctitati.*
Se. fec. *fecundùm.*
Se. co. ex. val. an. *fecundùm communem exiftimationem, valorem annuum.*
Sed. Ap. *Sedis Apoftolicæ.*
Sen. *fententiis.*
Sen. exco. *fententia excommunicationis.*
Senten. *fententiis.*
Separat. *feparatim.*
Sigra. *fignatura.*
Silem̄. *fimilem.*
Silibus. *fimilibus.*
Simp. *fimplicis.*
Singul. *fingulorum.*
Sit. *fitam.*
Slaris. *fecularis.*
Slis. *fingulis.*
Slm. *falutem.*



INDEX
TRACTATUUM, DIVISIONUM ET CAPITUM,

Quæ Tomo secundo continentur.

TRACTATUS SEXTUS.
DE SACRAMENTO PŒNITENTIÆ.

DIVISIO PRIMA.

DIVISIO II.

Divisio III.

Divisio IV.

Divisio V.

DIVISIO VI.

DIVISIO VII.

DIVISIO VIII.

DIVISIO IX.

APPENDIX PŒNITENTIÆ:

DE CENSURIS.

TRACTATUS SEPTIMUS.

DE SACRAMENTO EXTREMÆ-UNCTIONIS.

DIVISIO PRIMA.

CAP. II.

DIVISIO II.

EXTREMÆ-UNCTIONIS.
APPENDIX PRIMA.

EXTREMÆ-UNCTIONIS.
APPENDIX ALTERA.

De Precibus pro Mortuis, & de Sepulturis.

TRACTATUS OCTAVUS.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

APPENDIX ORDINIS.

DE IRREGULARITATIBUS.



TRACTATUS NONUS.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

DIVISIO. II.

DIVISIO III.

Divisio IV.

Divisio V.

Divisio VI.

Divisio VII.

Finis secundi Tomi.

ERRATA TOMI SECUNDI.

Pagina *6, columnâ 2, lineâ 32,* Hæretici — potuerunt, *lege*, Hæretici, rejecto Sacramento quod *Pœnitentiam* vocamus, ejus loco sibi fingere potuerunt.

Pag. 28. col. 2. lin. penult. qubusdam, *lege*, quibusdam.

Pag. 30. col. 2. lin. 1. quòd in curandis, *lege*, quòd curandis.

Pag. 31. col. 2. lin. 30. in duabus hujusce Diœcesis Parochiis, *lege*, in una hujus Diœcesis Parochia (1).

Pag. 64. col. 1. lin. 27. requiritur specialis, *lege*, requiritur (Jure communi) specialis.

Pag. 69. col. 1. lin. 23. in vero, *lege*, in certo.

Pag. 101. col. 2. lin. 2. *qui feiat*, *lege*, qui sciat.

Pag. 161. col. 2. lin. 9. neque acceperint desupèr *consyetudinis molem*, *lege*, nec super se acceperint *consuetudinis molem.*

Pag. 200. col. 1. lin. 2. *Ablata*, lege, *Debita.*

Pag. 257. col. 2. lin. 18. se omninò celavisse, *lege*, se arbitratur celavisse.

Pag. 313. col. 1. lin. 23. præcisos à Communione, *lege*, excommunicatos denuntiatos.

Ibid. lin. 29. idem.

Pag. 317. col. 1. lin. 30. *scinderent*, lege, *scinderent* (1).

Ibid. col. 2. lin. 18. per communicationem exteriorem, *lege*, per communicationem exteriorem & illicitam.

Pag. 360. col. 1. lin. 6. & simul — in-

(1) Clichi.

(1) σχίζω, scindo.



finuet, *lege*, & cum eo in sanguinem influat.

Pag. 397. *col.* 1. *lin.* 28. cùm cœlestem — effusione, *lege*, cùm cœlestem gloriam *per multas tribulationes* consecuti sint, & quasi per vim rapuerint, aut sanguinis effusione.

Pag. 429. *col.* 2. *lin.* 31. tùm, *lege*, cùm.

Pag. 445. *col.* 1. *lin.* 24. insine, *lege*, in fine.

Pag. 448. *col.* 1. *lin.* 15. dum imperio succedit imperium, *lege*, dum Imperio succedit Imperium.

Ibid. lin. 29. gignuntur *Patres*, lege, *gignuntur Patres.*

Pag. 476. *col.* 2. *lin.* 4. imfirmum, *lege*, infirmum.

Pag. 509. *col.* 2. *lin.* 32. at, *lege*, ut.

Pag. 520. *col.* 1. *lin.* 23. quod, *lege*, quòd.

Pag. 521. *col.* 1. *lin.* 11. contractus, *lege*, Contractus.

Pag. 533. *col.* 2. *lin.* 21. quæ ab à surdis, *lege*, quæ à surdis.

Pag. 542. *col.* 2. *lin.* 25. Itaque non potest, *lege*, Itaque, Matrimonio (tametsi per vim) consummato, non potest.

Pag. 574. *col.* 1. *lin.* 14. tam ejus propriis — distinguant, *lege*, tam ejus propriis, eique tam singulariter convenienobus, ut eam determinent, ipsamque, tum à persona quacum ex errore contrahitur, tum ab alia qualibet distinguant.

Pag. 596. *col.* 1. *lin.* 35. ut adulterorum — noverit, *lege*, ut noverit uterque Matrimonio junctum esse unum saltem eorum.

Pag. 603. *col.* 1. *lin.* 4. internique consensûs, *lege*, internique & liberi consensûs.

Pag. 624. (*l*) *Ibid. post. Conc.* lege, (*l*) *Ibid. post Conc.*

Pag. 672. *col.* 2. *lin.* 12. documentis, inhærebit quæ, *lege*, documentis inhærebit, quæ.

Pag. 691. *col.* 1. *lin.* 7. in proclamatione Bannorum, *lege*, in proclamatione unius duorumve *Bannorum.*

Pag. 674. *col.* 1. *lin.* 1. dicta, *lege*, appellata.

Excudebat Cl. SIMON, Illustrissimi & Reverendissimi D. D. Archiepiscopi Parisiensis Typographus, viâ San-Jacobæâ.





